DE CASIBUS RESERUATIS, SIUE DE REGULARIUM PRAELATORUM IURE...

Giunipero : da Trapani

DE CASIBVS RESERVATIS,

SIVE

DE REGVLARIVM PRÆLATORVM IVRE

Reseruationis, iuxta formam Clementis Octaui super Casuum reseruatione ab omnibus Regularium Superioribus obseruandam;

TRACTATVS

In quo ferè omnes difficultates, quæ circa hanc reseruationis materiam occurrere possunt, diluuntur: Præsertim eæ, quæ Bullam tangunt Cruciatæ, etiam post S.D.N. VRBANI VIII. Constitutionem eiusdem Bullæ quoad reseruatorum absolutionem interdicentem Regularibus vsum,

OPVS NON SOLVM REGVLARIBVS SVPERIORIBVS, verùm etiam, & alijs Ecclesiæ Prælatis valdè necessarium.

AVCTORE

R. P. F. IVNIPERO A DREPANO

S. THEOLOGIÆ GENERALI LECTORE,

Ordinis Minorum Strictioris Obseruantiæ Reformatorum Panormitanæ Prouinciæ iam Ministro Prouinciali &c. Et SS. D. N. VRBANI VIII. Cappellano Pœnitentiario apud Lateranum.



VENETIIS, Apud Turrinum. M. DC. LII.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIIS.

REVERENDISSIMO P. PETRO MANARO TOTIVS ORDINIS GENERALI MINISTRO.

Viro omni Doctrinarum, & morum genere ornatissimo.

IO. MARIA TVRRINVS SVPREMAM AVSPICATVR FOELICITATEM.

CVm inter alia Clarissimorum Authorum opera, quæ, vt in lucem prodeant, commune exigit votum, præcipuus extet Tractatus R. P. F. Iuniperi à Drepano de Casibus Reseruatis, propter eiusdem obitum immeritò iacens, sed summo Doctissimorum Virorum plausu, ac desiderio expetitus, quippe qui summo Christianæ foret Reipublicæ profectui, sacrorumque Iurium studiosis non iniucundus; Illum propterea in publicam vtilitatem Typis exarare, meoque prælo proprijs expensis tradere deliberaui; solicitudine R. P. F. Ioan. Baptistæ à Venetijs apud Diui Francisci Reformatos Confessarij; S. Congreg. de Propag. Fid. Corresponsalis; ac Terræ Sanctæ Comissarij Generalis in id impellente. Verum cogitanti mihi, quem nam tantó operi, celeberimoque

Autho-

Authoris nomini Patronum deligerem, peculiari deuotionis meæ erga Religionem obseruantia permoto, occuristi Tu (Amplissime Pater) qui, & morum integritate cæteris præstas, & scientiarum ornamentis longè omnium præstantissimus existis. Tu, inquam, occuristi vnus, cui magis, quam cuiuis alij, hic dedicationis honos deberetur: Tibi igitur, Volumen istud offertur, exhibetur, debetur. In quo vera virtutum omnium imago splendet, quique singulari Prudentia, Integritate, Charitate, Religione præditus, aliarumque virtutum beneficio, Iustitiæ stadium percurris; & in spiritu humilitatis ad metam contendis Immortalitatis. Accipe hunc meum laborem, qualiscumque ille sit, operis certè dignitate defensum, ac sublatum. Exiguum sanè munus, si id, quod meum est, in eo spectetur: Magnum tamen, si operis, & Authoris ratio habeatur. At insignis operis amplitudinem, vt rem tibi debitam, & tuo nomini maximè conuenientem, benigna, ac læta fronte excipias, meque tuæ dilectionis foueas patrocinio.

Venetijs Die 9. Augusti 1652.

INDEX
DISPVTATIONVM, QVÆSTIONVM, ET CAPITVM,
Quæ in hoc Opere continentur.

PARS PRIMA.

DISPVTATIO PRIMA.

DISPVTATIO SECVNDA.

DISPVTATIO TERTIA.

DISPVTATIO QVARTA.

† 3 nariam

Quæstio

Vera

DISPVTATIO TERTIA.

DISPVTATIO QVARTA.

Appendix ad præcedentia.

PARS TERTIA.

CASVS PRIMVS.

DISPVTATIO PRIMA.

Phyl-

 mediam

FINIS.

NOMINA AVCTORVM,
QVI IN HOC OPERE CITANTVR.

A

Abbas Antiquus
Abbas Panormitanus
Abdias
Abulensis
Adam Tannerus
Adrianus Papa Sextus
Africanus
Albericus
Albertus Magnus
Albertus Spighius
Alckindus
Almayn
Alexander de Ales
Alexander Peregrinus
Alexander Sextus
Alexander Ambrosinus
Alexander de Imola
Alexander Pesantius
Alexander de Neuo
Alfonsus de Vega
Alfonsus de Leone
Alfonsus de Mendoza
Alfonsus de Castro
Alfonsus Curiel
Alfonsus de Luna
Aloysius Turrianus
Aloysius Riccius
Aloysius à Cruce
S. Ambrosius
Ambrosius Calepinus
Ambrosius Pereus
Anastasius Synaita
Andreas Molfesius
Andreas de Vega
Andreas Victorelli
Andreas Laurentius
Angelus à Clauasio
S. Anselmus
S. Antoninus
Antonius Diana
Antonius Corduba
Antonius Fernandez
Antonius de Escouar
Antonius Naldus
Antonius de Butrio
Antonius Cucus
Antonius Sanctarellus
Antonius Suosa
Antonius Gomez
Antonius Gabriel
Antonius à Sancta Cruce
Antonius de Anania
Arnaldus Albertinus
Ascanius Tamburinus
S. Augustinus
Augustinus de Ancona
Augustinus Barbosa
Augustinus Boerius
Aulus Gelius
Auicenna

B

Baldus de Perusio
Baptista Codronch
Bartholomæus Fumus
Bartholomæus de Ledesma
Bartholomæus Vgolinus
Bartholomæus Solonius
Bartholomæus à S. Fausto
Bartholomæus de Vechis
Bartholomæus Medina
Bartholomæus Soccinus
Bartholomæus à S. Angelo
Bartholomæus Cassani
Bartholus de Sassoferrato
S. Basilius
Basilius Pontius
Benedictus Perreyra
Bernardinus Oias
Bernardus Comisius
D. Bonauentura
Bonifacius Octauus
Bolognetus
Bozius de signis Ecclesiæ
Burgus de Paz

C

Castaneda
Cardinalis Zabarella
Carolus de Tappia
Carolus de Grassis
Carolus Ruinus
Castillus de Bouadilla
Chathechysmus Pij Quinti
Claudius Galenus
Crapeolus
Cęlius Rodiginus
Clemens Octauus
D. Cyprianus
Cyrillus Alexandrinus
Concilium Tridentinum
Concilium Carthaginense
Concilium Africanum
Concilium Vormanticense
Concilium Hispalense
Concilium Agathense
Concilium Laudocinense
Congregatio Eminent. Card.
Constitutiones Generales Fratrum Minorum
Constitutiones Generales Fratrum Cappuccinorum
Constitutiones Generales Patrum Iesuitarum
Cosmas Filiarcus

D

Decisiones Rotæ Romanæ
Didacus Couarruuias
Didacus Sotus
Didacus Roò
Didacus Nuñus
Dioscorides
Dominicus Bannes
Dominicus Iacobantius
Dominicus Cardinalis Tuscus
Dominicus à S. Geminiano
Duardus à Sancto Portio

E

Ægidius Conichius
Aegidius Trullench
Emmanuel Rodriquez
Emmanuel Sà
D. Epyphanius
Erasmus Cochier
Eugenius Quartus
Eusebius

F

Felinus Sandeus
Ferdinandus à Castro Palao
Ferdinandus de Campo
Fernelius
Ferrariensis
Flaminius Parisius
Flauius Cherubinus
Franciscus Suarez
Franciscus Syluius
Franciscus Mendoza
Franciscus Gonzaga
Franciscus Ortiz
Franciscus Cardinalis Toletus
Franciscus Coriolanus
Franciscus de Alcozer
Franciscus Longus Capucinus
Franciscus Luēgo à S. Bernard.
Franciscus à Petigianis
Franciscus à Torreblanca
Franciscus Merola
Franciscus Pegna
Franciscus Salgadus
Franciscus Victoria
Franciscus Mantica
Franciscus Curtius
Franciscus Marciant

Fran-

Franciſcus Sumel
Franciſcus Picus Mirand.
Franciſci Galletti Margarita caſuum conſcientiæ.
Frias

G

GAbriel Vazquez
Gabriel Biel
Gaſpar Hurtado
Georgius Narra
Gloſſa Ordinaria
Gratianus
D. Gregorius Magnus
D. Gregorius Nazianzenus
Gregorius XIII.
Gregorius Niſſenus
Gregorius Neocœſarienſis
Gregorius de Valentia
Gregorius Sayrus
Gregorius Kiene
Gulielmus Durandus
Gulielmus Parſienſis
Gulielmus de Mōte Lauduna
Gulielmus
Guido Archidiaconus

H

HEnricus de Gandauo
Henriquez de Villalobos
Henriquez
D. Hieronymus
Hieronymus Campanil
Hieronymus Gonzales
Hieronymus Sorbus
Hieronymus Llamas
Hieronymus Rodriquez
Hieronymus Gabriel
Hieronymus Ceuallos
Hipocrates
Hippolitus Marſilius
Homobonus de Bonis
Horatius Gambacurta
Horatius Augerius
Hoſtienſis.

I

IAcobus Bleda
Iacobus de Graffijs
Iacobus Simanchas
Iacobus Granado
Iacobus Menochius
Ignatius Lopez
Inquiſitores Germaniæ
Innocentius Octauus
D. Ioannes Chriſoſtomus
D. Ioannes Damaſcenus
Ioannes Lorynus
Ioannes Valerus
Ioannes Azorius
Ioannes Sanchius
Ioannes Malderus
Ioannes Carthagena
Ioannes Cappeauilla
Ioannes Guttierez
Ioannes Viquerius
Ioannes Franc
Ioannes Duns Scotus
Ioannes à Trinitate
Ioannes Conchier
Ioannes Medina
Ioannes Baptiſta Confeſij
Ioannes Salas
Ioannes Tabiena
Ioannes dela Cruz
Ioannes Ximenez
Ioannes Mayor
Ioannes Driedo
Ioannes de Anania
Ioannes Andreas
Ioannes Turrecremata
Ioannes de Palatio
Ioannes Bechelius
Ioannes Hiderius
Ioannes Sechenſius
Ioannes Franciſcus Purpurata
Ioannes Solorzanus
Ioannes Cephalus
Ioannes Lupus
Ioannes XXII.
Ioannes Surdus
Ioannes Euſebius
Ioannes Gerſon
Ioſeph de Sancta Maria
Ioſeph Angles
Ioſeph Maſcardus
D. Iſidorus
Iulius Tertius
Iulius Firenius
Iulius Clarus

L

LActantius Finellius
Lactantius Firmianus
Laurentius Iuſtinianus
Laurentius de Peyrinis
Laurentius Portel
Lelius Zechius
Leo Decimus
Leonardus Leſſius
Leonardus Vayrus
Leonardus Duardus
Lucas Floronus
Ludouiçus de Miranda
Ludouicus Bexa
Ludouicus Lopez
Ludouicus Molina
Ludouicus Paramus
Ludouicus Carbo
Ludouicus Mercurial
Ludouicus de Leone

M

MAndoſius
Maranta
Marcellus Megala
Marcus Antonius Genuenſis
Marianus Soccinus Senior
Marius Giurba
Marius Alterius
Marius Soccinus
Marolus
Martha
Matthæus de Afflictis
Martinus de Arles
Martinus Beccanus
Martinus Nauarrus
Martinus Bonacina
Martinus del Rio
Martinus à Sancto Ioſeph
Martinus Viualdus
Martinus de Ledeſma
Melchior Canus
Michael Zanardus
Michael Salonius
Michael de Palatio
Michael de Medina

N

NIcephorus
Nicolaus Quintus
Nicolaus de Lyra
Nicolaus Remigius
Nicolaus Eymericus
Nicolaus de Ploue

O

OLdradus
Origenes

P

PAulus Quintus
Paulus Comitolius
Paulus Layman
Paulus Grillandus
Paulus Fraſcinellus
Paſſarellus
Petrus Binsfeldius
Petrus Rebuffus
Petrus Ceruleus
Petrus Cornelo
Petrus Gregorius Toletanus
Petrus de Aragon
Petrus Bellochius
Petrus Cenedo
Petrus de Ledeſma
Petrus de Soto
Petrus Nauarro
Petrus de Palude
Petrus Rauenna
Petrus de Lorca
Petrus Ioannes Fontanella
Petrus de Loyer

Petrus

F I N I S.

DE

DE CASIBVS RESERVATIS,

SIVE

De Regularium prælatorum Iure reſeruationis, iuxtà formam Conſtitutionis CLEMENTIS OCTAVI ſuper caſuum reſeruatione ab omnibus Regularium Superioribus obſeruandam.

TRACTATVS.

PROOEMIVM.

REſeruatorum caſuum, ſiue de Regularium Prælatorum reſeruationis iure Tractatus, vti eſt omnibus per vtilis, ita multis difficultatibus minimè caret. Et licet à multis Doctiſſimis, grauiſſimiſquè viris exagitata materies, probatiſquè plerumq; argumentationibus locupletata fuerit; (Vti præſertim mirificè effecerunt Franciſcus Suarez, Vazquez, Filiucius, Reginaldus, Fagundez, Bonacina, Miranda, Rodriquez, Portel, Ioannes à Trinitate, Coriolanus, Floronus, Finellus, Graffius, Bellochius, Gambarupta, Megala, Zecchius, KappenVilla, Stephanus Quaranta, Ioannes Kiene, Giptzzius, Lezana, Franciſcus Longus, Martinus à Sancto Ioſeph, Marciant, & Aloyſius à Cruce) Licèt (inquam) tot, tantiq; perdocti Heroes (Vnuſquiſq; pro Marte ſuo) apprimè probequè hanc diſcuſſerint materiam; nihilominus non adeò exactè, neque adeò abſolutè omnes vel attigerunt, vel abſoluerunt difficultates, vt legentis potuerint pacare animum; vti noſtri Conſilij Scopus eſt: omnimodè ſcilicet, & vndequaque inſuadere, omnem ita moueri lapidem, vt in lucem prodeat, pro noſtra virili parte, talis, qualem fortè quiſq; requiret. Non parui opus hoc eſſe duximus emolumenti, tum Superioribus Regularibus, quibus Religionis ſtatus incumbit conſeruatio: Nam, cùm quædam grauiora reperiantur crimina, quæ præclarum Religionis labefactant, corrumpuntq; ſtatum, nec non Regularis obſeruantiæ Profeſſores ab Euangelicæ perfectionis inſtituto gradu reuocant; Ex quò Religioſæ Reipublicæ curandæ ijs demandatur Prouincia; eò vel maximè laborare debent, vt optimus Religionis ſtatus ſeruetur intactus, & pullulantia Criminum ſemina euellantur: hinc expedit, vt grauiora crimina ſibi abſoluenda reſeruent, quodq; ijs grauiores taxent pœnas, pecoris ſui agnoſcant vultum, & infirmis ouibus auxilium, opemq; ferant; vt tandem faciliùs perditas homines, (ſi qui ſunt) horum reſeruationis fræno, ab his coerceant perpetrandis, hocq; profectò modo ſubditos ſuos in viam perfectionis promoueant, atq; ſalutis. Tum ſubditis, qui dum grauitatem reſeruatorum peccatorum inſpiciunt, ac perpendunt, quantoq; iure optimo ſint illa reſeruata; abſtinere ſe ab offenſa Dei, & à Religionis (cui nomen dederunt) iniuria, non ſinere poterunt. Quamobrem multorum Doctorum Amicorum precibus quibus, vt diſſertiones haſce in lucem ederem, fui impulſus, Indulſi libenter: tantoq; faciliùs, quantò apud me authoritatis erant non mediocris. Adde, me multa hac de re habuiſſe reſponſa, quæ varijs obuijſq; occaſionibus interrogatus multis dederam. Præterea ſcholaſtico more, ſtyloq; loquar, quandoquidem non aliter expedire mihi videatur pro rei argumento. Deinde, vt hi, qui erga Religioſos parum affecti ſunt, & qui humanam imbecillitatem non perpendunt, talis eſſe interdum miſerrimæ conditionis, vt vix ægreq; poſſint ſine lapſu ſtare etiam perfecti, & inſignis Sanctimoniæ Viri, abſque Dei auxilio ſpeciali; Nouerint, non mirandum eſſe, Regularis diſciplinæ profeſſores à ſublimi interdum corruere Religionis ſtatu, & in grauiora crimina non nunquam prolabi: Id enim & humana fert imbecillitas, & non rarò hoc ipſum ex arcano Dei Conſilio nonnullis contingit, ne plus æquo erigantur, ſed cum timore, & tremore (iuxtà Apoſtoli Conſilium) propriam operentur ſalutem: Et qui nubes ſibi videbantur attingere, ac ſe in tuto exiſtimabant poſitos, mox in terram prolapſi caſum timere diſcant, ne meritas ſuæ elationis luant pœnas. Porrò ſi inter Angelos, qui præſtantiori natura ſunt prædìti, Deus (iuxtà oraculum Iob) reperit prauitatem, quare ex illis non pauci è Cœlo deciderunt; atq; in tam exiguo duodecim Apoſtolorum numero vnus Diabolus inuentus eſt; Quid de hominibus, qui velut vaſa terrea (ne dicam vitrea) inuicem patiuntur anguſtias, erit iudicandum? Aut cur in tanta perfectorum virorum multitudine vnum, aut alterum ſuæ perfectionis

Qui de caſibus reſeruatis ſcripſere.

Finis & Scopus operis.

Huius operis vtilitas & neceſſitas.

Deus cur permittit in caſus Religioſos incurrere reſeruatos.

Regula

Regula excidisse mirandum erit? Num immobilem ac perpetuam nobis solis in eodem semper gratiæ, ac diuinæ amicitiæ statu constantiam pollicebimur? Eleganter hunc Diuus Augustinus Donatistis respondet: Quantumlibet vigilet disciplina Domus meæ, Homo tamen sum, & inter Homines viuo: nec mihi arrogare audeo, vt Domus mea melior sit, quàm Arca Noe, vbi tantùm inter octo homines vnus reprobus inuentus est: Aut melior sit, quàm Domus Abrahæ, cui dictum est; eijce Ancillam, & filium eius: Aut melior sit, quàm Domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est; Iacob dilexi, Esau autem odio habui: Aut melior sit, quàm Domus ipsius Iacob, vbi lectum Patris filius incestauit: Aut melior sit, quàm Domus ipsius Dauid, cuius filius cum sorore occubuit: Aut melior, quàm cohabitatio Pauli Apostoli, qui tamen si inter omnes bonos habitaret, non diceret; foris pugnæ, intus timores: Aut melior, quàm cohabitatio ipsius Christi, in qua vndecim boni perfidum & furem Iudam tolerauerunt: Aut melior sit postremò, quàm Cælum, Vnde Angeli ceciderunt.

Augustinus aduersus Donatistas.

Hoc accipe Diui Augustini testimonium, ad hoc, vt non sit admirandum, si aliquando à sua perfectissimi viri decidant perfectione. Quòd si Augustinus id de sui instituti viris iudicauit, quid miraris, quòd cæteris quoq; aliarum Religionum alumnis interdum id accidat, quod & Angelis, & Apostolis olim accidisse exploratum est? atq; hi nonnunquam in grauiora ruant crimina, quę maiorem Superiorum diligentiam, ac prouidentiam exigunt, ne illorum familiaritas ac consuetudo grauem Cęteris ferat perniciem, atque damnum?

Noui insuper, quòd Confessarij, quibus demandatur reseruata absoluere, solent esse viri vt plurimùm docti; ac propterea eos oportet cognoscere, & scire opinionum varietates, ac aliorum Doctorum sententias: vt nimirum illarum hinc seligere valeant tutiores pro conscientia, & probabiliores pro salute animarum pęnitentium. Quæ sanè res præstari malè & ineptè potest, quoties scriptor resolutorio modo, & per conclusiones quasdam Laconicas suam tradiderit doctrinam. Ratio est, quia disceptatio est quasi lapis Lydicus, ad cuius contactum probatur & cognoscitur veritatis aurum. Quod & si sæpè tentetur, suum tandem nunquam dissimulat pretium; ita quoq; impugnata veritas magis elucescit.

Cur Author stylo scholastico scribit.

Præterea in tres partes hunc diuisimus tractatum, vt scilicet clariùs procederemus. Et quidem in prima omnes resoluuntur difficultates, quæ pertinent ad Decretum CLEMENTIS OCTAVI, quod omni diligentia, & cura explanamus, cum Auctoritate simul Prælatorum, quam circa reseruata habent. In secunda difficultates examinamus, quæ accidere solent circa modum delegandi Auctoritatem de reseruatis. Et hanc secundam partem dupliciter etiam diuisimus. Et primò disputamus de facultate, quam subditi habent, vt à reseruatis absoluantur virtute Priuilegij, præsertim Bullæ Sanctæ Cruciatæ. Secundò verò de indirecta absolutione talium reseruatorum. In Tertia tandem explicantur casus vndecim in CLEMENTIS OCTAVI Decreto contenti. Et sic nihil intentatum reliquimus, quod non ad lanceam, & ad abrusam vocetur.

Diuisio Operis.

DECRETVM

DECRETVM
SS. D. N. PAPÆ
CLEMENTIS OCTAVI
Super Casuum Reseruatione, ab omnibus Regularium Superioribus obseruandum.

SANCTISSIMVS DOMINVS NOSTER, qui iam pridem accuratè perpendit, & re ipsa comperit; quod reseruatio facultatis absoluendi Religiosos pœnitentes à peccatis quibusdam grauioribus, nisi Superiores admodùm prudenter ac moderatè illa vtantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientiæ maculas detegere formidant, adducere posse in ęterne damnationis periculum, & spiritualis remedij desperationem;

Quo circà, vt huic malo Sanctitas Sua opportunè prouideret, decreuit, vt nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi reseruet, exceptis ijs, quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, pro vt subditorum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerint.

I. Veneficia, Incantationes, Sortilegia.

II. Apostasia à Religione, siuè habitu dimisso, siuè retento, quando eò peruenerit, vt extra septa Monasterij, seù Conuentus fiat egressio.

III. Nocturna, & furtiua è Monasterio seù Conuentu egressio, etiam non animo apostatandi facta.

IV. Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale.

V. Iuramentum falsum in iudicio Regulari, seù legitimo.

VI. Procuratio, auxilium, seù Consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto.

VII. Falsificatio manus, aut sigilli Officialium Monasterij, aut Conuentus.

VIII. Furtum de Rebus Monasterij, seù Conuentus, in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.

IX. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.

X. Occisio, aut vulneratio, seù grauis percussio cuiuscunque personæ.

XI. Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio litterarum à Superioribus ad inferiores, & ab Inferioribus ad Superiores.

Si quod aliud peccatum graue pro Religionis conseruatione, aut pro conscientiæ puritate, reseruandum videbitur, id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in Prouincia, matura discussione, & consensu.

Non liceat Superioribus Regularium Confessiones subditorum audire, nisi

quando

quando peccatum aliquod reſeruatum admiſerint, aut ipſimet ſponte, aut proprio motu id ab ipſis petierint.

Superiores in ſingulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confeſſarios pro ſubditorum numero maiori vel minori: ijquè ſint docti, prudentes, charitate prædití, qui à non reſeruatis eos abſoluant: & quibus etiam reſeruatorum abſolutio committatur, quando caſus occurrerit, in quo eam debere committi, ipſe in primis Confeſſarius iudicauerit.

Tàm Superiores pro tempore exiſtentes, quàm Confeſſarij, qui poſteà ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligenter, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur.

Licebit tamen Superioribus determinare pęnitentias graues quibuſdam peccatis, etiam non reſeruatis, à confeſſarijs imponendas, quæ ſubditos ab huiuſmodi perpetrandis cohibere poſſint.

Atque ita per quoſcunque Regularium Superiores, quicunque illi ſint, obſeruari mandauit. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac cuiuſuis Concilij, etiam Generalis, Decretis: Nec non Conſuetudinibus ab immemorabili etiam tempore obſeruatis: aut Regulis in Generalibus, ſeu Prouincialibus Capitulis editis ſtatutis, & Conſtitutionibus, etiam Apoſtolica Auctoritate confirmatis: Priuilegijs, Indultis, & Conceſſionibus quibuſcunque. Quorum Tenores hic pro expreſſis haberi voluit, cęteriſquè in contrarium facientibus quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 26. Maij 1593.

Andreas Sorbolongus Secretarius Viſitationum.

PARS

PARS PRIMA

Tractatus Casuum Reseruatorum.

DISPVTATIO PRIMA.

De ijs, quæ pertinent ad Prælatos quo ad reseruationis materiam.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum in Ecclesia sit reseruandi casus Auctoritas seù Potestas?

CAPVT PRIMVM.

Quid sit casus Reseruatus, & vnde traxit originem.

SVMMARIVM.

1 *Casus vnde dicitur, quid significat, & à Theologis quomodo vsurpatur.*
2 *Reseruatio quid sit.*
3 *Casus vnde dicitur reseruatus, declaratur.*
4 *Potestas, quam Presbyteri in sua recipiunt ordinatione, quæ sit.*
5 *Assignatur diffinitio casus reseruati.*

1 PRo eorum, quæ hac in re docturi sumus, dilucidatione, ac faciliori intellectu, in primis declarandum venit, quid casus sit, & quid Reseruatio. Et certe Casus (iuxta *Ambrosium Calepinum, Nauarrum c.27.n.259. Henriquez lib. 6.c.14.n.1. Sayrum in Claui Regia lib.1.c.1.n.1. Mirandam loco statim citando, Coriolanum de Casibus reseruatis in Præfactione ad Lectorem vers. Casus in primis, Aloysium à Cruce in Bulla Cruciatæ c.3. dub.1. n.1.* Et omnes Doctores communiter de casibus conscientiæ scribentes) dicitur, à Cadendo; Quod Nomen generaliter & in vniuersum sumptum, omnem inopinatum alicuius ruinæ significat euentum, in quam miser quispiam a feliciori aliquo statu cecidit. In proposito verò vsurpari solet à Doctoribus pro graui aliquo crimine, cuius absolutio Superiori reseruatur. Qui, si fuerit Papa, dicitur casus Papalis, si verò Episcopus, casus Episcopalis. apud Regulares autem casus reseruati communiter Prouincialium dicuntur. Dixi Prouincialium consultò; eo quod Generales Ordinum paucis vicibus sibi solent aliquos speciales reseruare
2 casus. Vnde *Reseruatio* in præsenti nihil aliud est, quam iurisdictionis ablatio, seu iurisdictionis nō concessio ad absoluendū ab aliquo peccato, quamuis circa alia sit concessa facultas. ita *Suarez loco citando Reginaldus lib.1.cap.11. n. 124.* Notare tamen oportet, quod non dicitur aliquis casus reseruatus; eo dumtaxat quod nō quilibet Sacerdos eumdem possit absoluere, si super pœnitentem ordinariam, aut delegatam non habuerit iurisdictionem: hoc enim commune, & generale est omnibus peccatis, maximè mortalibus, vt pulchrè ostendit *P. Miranda in suo Manuali Prælatorum tom.2. q.34. art.1.* & omnes communiter Theologi in materia de pænitentia; Vbi demonstrant, Sacerdotem neminem absoluere posse sibi non subditum, & eum, in quem ordinariam, aut saltem delegatā non habet iurisdictionē. Licet enim constans
3 sit, Sacerdotes omnes, atq; Presbyteros in sua ordinatione virtualem, seù habitualem accipere facultatem; seù potestatem absoluendi à peccatis, pro vt in *Concilio Trid. sess. 23. cap. 15.* decernitur; & potestatem supra Corpus Christi Mysticum, (quod est Ecclesia) deriuari à potestate supra Corpus Christi verum, quod est character Sacerdotalis; Nihilominùs ad hoc vt huiusmodi potestatem exerceat per modū actus secundi (vt docent Scholastici) operæ pretium est, vt à Superiore proprias oues habēte, & potestatem super eas, elargiatur, atque tribuatur priùs sibi actualis iurisdictio. Quamobrem aliquis casus non dicitur reseruatus ob solam tactam rationem, sed quia sublata est dicta iurisdictio, & facultas absoluendi ab aliquo casu, seù aliquibus casibus, etiam ijs, qui ordinariam, aut delegatam alias absoluendi habent auctoritatem, & iurisdictionem. Nam, vt P. *Suarez tom.4. de pænit. disp.29. sect.1.* & Mirāda *vbi sup. q.34. art.1.* & alij communiter docent, delegatio est volūtaria, & ideò sicut posset omninò non delegari, ita etiam posset ex parte fieri circa aliquas causas, & ex parte non circa alias, quæ proinde reseruatæ manebunt: cùm ille, cui delegatur iurisdictio, ex se nullum habeat ad illas ius, sed ab alio id sibi præstatur. Vnde fit, quòd maior, & minor possint dari voluntaria iurisdictio. Hoc in delegatis Iudicibus, & Confessoribus nullam habet hæsitationem:

maiorem illam habere videtur in Ordinarijs, sed certè in vtrisque verum est quod asserimus vt disp. 4. q. 2. cap. 3. dicemus.

5 Ex quibus apertè colligitur, quod casus reseruatus est, & dicitur ille, cuius absolutio prohibita est iure humano non solum cuilibet Sacerdoti, qui iure Diuino ab omnibus peccatis absoluere poterat, iuxta illud Ioan. 20. *Quæcunque solueritis &c.* Verùm etiam, & Presbytero aliàs exposito, & approbato, qui facultatem obtinet absoluendi ab omnibus peccatis. Quatenus igitur Superiores non subijciunt absque discrimine omnes suos subditos omnibus Sacerdotibus, quos in partem suæ sollicitudinis assumunt, nec subijciunt omnia peccata subditorum, sed ex eis tot subtrahũt, quot intelligũt sufficere ad consulendum Fidelium saluti; & ad benè regendam, & conseruandam Ecclesiam orta est peccatorum reseruatio; vt bene colligit *Reginaldus lib. 1. de requisitis in Confess. legitimo cap. 11. n. 123.* de qua re latius agemus *cap. 4. q. 2.*

CAPVT SECVNDVM.

Esse in Ecclesia potestatem reseruandi casus ostenditur.

SVMMARIVM.

1 *Episcopos posse sibi reseruare aliquos casus est de fide.*

2 *In Ecclesia esse potestatem reseruandi peccata ostenditur ex antiquissimo eiusdem Ecclesiæ vsu.*

3 *Potestas delegata Sacerdotibus absoluendi à peccatis quomodo potest restringi, & limitari à Superioribus.*

4 *Restrictio atq; iurisdictionis limitatio facta Presbyteris, vt ab aliquibus peccatis non absoluant pænitentes, non repugnat rationi Sacramenti pænitentiæ.*

1 DE fide certum est, esse in ecclesia potestatem aliqua reseruandi peccata Superioribus Iudicibus. Ita *S. Tho. in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. quæstiuncula 2. ad 4. Paludanus ibidem q. 5. art. 1. Gabriel q. 1. art. 3. dub. 2. Maior eadem dist. q. 5. Ledesma 2. p. 4. q. 8. art. 2. concl. 2. Valent. to. 4. disp. 7. q. 10. puncto 2. P. Suarez tom. 4. de pænit. disp. 29. sect. 1. n. 2. Sotus in 4. dist. 19. q. 2. art. 5. Rodriquez tom. 1. qq. Regularium q. 21. n. 2. Coriolan. de casib. reser. p. 1. sect. 1. art. 1. Noster amicissimus P. F. Ioãnes à Trinitate in sua exposit. dub. 1. Reginald. vbi supra, Vasquez tom. 4. ad 3. par. q. 91. art. 2. dub. 1. num. 12. in fine, & nouissimè Aloysius à Cruce loco quo supra n. 6. & omnes Scholastici in tract. de Sacramento pænitentiæ.* Hæc veritas est definita & determinata *in Concil. Trid. sess. 14. can. 19. de pænit. Sacram. & c. 7. eiusdem sessionis:* vbi sic decernitur: *Magnopere verò SS. Patribus nostris visum est, vt atrociora quædam, & grauiora crimina non à quibusuis, sed à summis dumtaxat Sacerdotibus absoluerentur.* Vndè meritò Pontifices Maximi pro suprema potestate eis in Ecclesia vniuersali tradita, causas aliquas criminum grauiores suo poterunt peculiari iudicio reseruare. Et in allegato Canone sic habetur: *Si quis dixerit Episcopos non habere ius reseruandi sibi casus, nisi quo ad exteriorem Polyticam, atque ideò casuum reseruatione non prohibere quo minus Sacerdos à reseruatis verè absoluat; Anathema sit.* Probari autem potest ex antiquissimo vsu Ecclesiæ: Nam in *Concilio Cartaginensi 3. Canone 32. & in Concilio Africano cap. 10. & habetur 16. q. 6. cap. vltimo*, dicitur, quod presbyter non absoluat pænitentem inconsulto Episcopo, nisi necessitate cogente ipsius Episcopi absentia. Idem colligitur ex *c. lectorem 33. q. 2.* Vbi est sermo de peccato matricidij: Et simile est in *Concilio Vormatiẽsi Canon. 30.* Et quamquam verum sit, in his, & similibus Decretis non esse expressum sermonem de Sacram. pænit. nihilominus tamen consonum est rationi; quod quãdo pænitentia erat reseruata, fuerit quoque absolutio à culpa reseruata: vt colligitur ex *Cypriano lib. 3. epist. 17. & extrauaganti, inter cuncta de priuilegijs, vbi fit casuum reseruatorum expressior mẽtio sicut & in Clementina prima de priuilegijs, & in extrauag. Etsi Dominici de pænitentia, & remissione, & in c. si Episcopus de pænitent. & remissione.*

Et quamquam ex his nulla potest formari vrgẽs ratio, vt *P. Suarez* pulchrè loco quo supra aduertit; nihilominus ex in præcedenti capite dictis efficaciter persuaderi potest. Omnes quippè delegata potestas, non alio exerceri potest modo, nisi eo quo fuerit delegata: atqui iurisdictio, & potestas absoluẽdi à peccatis est inferioribus iudicib. delegata à Superioribus; Igitur non alio modo ab eis venit exercenda, nisi quo fuerit delegata, seù cõmunicata. Ergo hæc iurisdictio adstringi & limitari potest plus, minusuè, secundũ imperium voluntatis delegantis, ac subindè remanet in Superioribus, quibus inest ordinaria iurisdictio, facultas sibi reseruandi aliqua atrociora crimina; & eò fortius quando id munus pastorale exigit pro bono communi Ecclesiæ, animarumque salute.

Neque valet si obijcias, nimirum quod restrictio ac limitatio communicatæ iurisdictionis in ordine ad reseruanda peccata entitati, & rationi formali Sacramenti pænitentiæ repugnat: eo quod essentialiter postulat integram confessionem, & integram absolutionem: ergo etiam postulat integram iurisdictionem circa omnia peccata mortalia: Igitur repugnat talis restrictio institutioni ac naturæ pænitentiæ Sacram. Non valet, inquã, quia peccata mortalia quando sunt annexa cum alijs reseruatis, omninò per se loquendo, cessat Iudicis inferioris, cui delegata est absoluẽdi potestas, iurisdictio, seù (vt rectius dicam) vsus iurisdictionis, etiam circa alia peccata, ex vitalis connexionis. Quamobrem nequeunt ab illo absolui. Vnde fit, vt nullo

nullo modo integritati, quam pœnitentiæ Sacramentum exposcit, peccatorum reseruatio repugnet. De qua re videndi sunt Scholastici de hoc Sacram. scribentes, præcipuè *P. Suarez*.

QVAESTIO II.

Vtrum Regularium Superiores possint sibi aliquos reseruare casus.

CAPVT PRIMVM.

Superiores Regularium potestatem habentes quasi Episcopalem posse casus nonnullos sibi reseruare, ostenditur.

SVMMARIVM.

1 *Regularium Superiores quædam scelera sibi possunt reseruare.*
2 *Sicut est de fide, Episcopos posse sibi reseruare peccatorum absolutiones, ita de fide est, posse Præfectos Regulares.*
3 *Quoad peccatorum reseruationem eandem habent iurisdictionem Regulariũ Superiores ac Episcopi.*
4 *Qua pœna sunt plectendi nostri Ordinis Religiosi, qui affirmant, absque Superiorum licentia quemlibet Sacerdotem absoluere posse à reseruatis.*

1 OMnium Regularium Superiores, quocunque appellentur titulo, qui Episcopali gaudent potestate, habere iurisdictionem sibi reseruandi aliqua atrociora crimina, constantissimè tenendum est: ita *P. Suarez tom. 4. ad 3. p. D. Thom. disput. 29. sect. 1. concl. 2. n. 6. & 7. Mirand. in suo Manuali tom. 2. q. 34. ar. 1. vers. Certissimum atque constantissimum est. Coriolanus* noster *tract. de casib. reseru. p. 1. sect. 1. art. 1. Rodriquez in Summa tom. 1. c. 29. n. 3. & 5. & to. 1. qq. Regular. q. 21. art. 2. P. Fr. Ioannes à Trinitate in sua casuum reseru. exposit. dub. 1. Vasquez vbi sup. Aloysius à Cruce vbi sup.* citans *Diuum Thomam, Paludanum, Gabrielem, Ledesmam, Sotum, Valentiam*, & alios: omnes Scholastici in materia de Sacram. pœnitentiæ, & Sũmistę omnes in verbo, Cõfessor, & verbo, reseruatio.

Hanc assertionem ita veram existimant Pa-
2 tres nostri *Miranda*, & *Rodriquez*, vt oppositũ sentire, sit Hæreticum. Quod sic persuadent: Episcopi, iuxtà Sacrosancti *Concilij Tridentini Decretum sess. 14. can. 11. de pœnit. Sacramento*, non solùm in foro exteriori contentioso, verùm quoque in foro interiori conscientiæ, nonnullos casus sibi reseruare valent, prout bonum commune, salusque animarum exposcit: Igitur Regularium Superiores, qui Episcopalem secundùm ius habent iurisdictionẽ pro suarum Religionum communi bono, subditorumque salute, possunt sibi reseruare aliquis casus: ergo sicut est de fide, Episcopos posse sibi casus reseruare, ita est de fide, etiam Regularium Superiores, qui habẽt iurisdictionem Episcopalem, veluti sunt Generales, & Prouinciales quorumcunque Ordinum, posse sibi casus reseruare: ideoque oppositum sentire hæresis censebitur.

3 Hæc ratio confirmari potest primò. Ex Eminentissimorum Cardinalium Congregationis super Decretis Sacri Concilij Tridentini præpositorum declaratione super caput septimum paulò superiùs citatum, quam refert *Marsilia lib. 3. de pœnit. & remissione tit. 9. cap. 22.* Vbi statuitur, eandem habere Prælatos Regulares in Religiosos sibi subditos potestatem quoad casuum reseruationem, quam Episcopi in suos habent subditos. Secundò ex Decreto Clem. Octaui num. 1. in quo Summus Pontifex supponit, hanc auctoritatem ibi; & re ipsa comperit, quod reseruatio facultatis absoluendi Religiosos pœnitentes à peccatis quibusdam grauioribus, *nisi Superiores admodum prudenter ac moderate illa vtantur*, & n. 2. inquit Romanus Pontifex; *vt nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutionem sibi reseruet, exceptis ijs quæ sequuntur &c.* Ex quibus verbis clarè patet hanc potestatem reseruandi casus Regularium Superiores de iure habere, alias enim non limitaret, ac restringeret Papa. Tertiò cõfirmari potest ex Cõstitutionibus Generalibus in cap. Barchinonensi editis, & Apostolica auctoritate Toleti reformatis anno 1583. vbi *c. 6.*
4 *§. de casibus reseruatis*, præcipitur, vt errantem & Religionis euersorem carceri esse mancipãdum illum, qui ausu temerario asseuerauerit, quemlibet Sacerdotem, abque speciali Superiorum licentia, posse à casibus reseruatis absoluere: sic enim statuitur; *Si quis contrarium ausus fuerit affirmare, & correptus palidoniam recantare noluerit tanquam errans, & subuersor puniatur carceribusque mancipetur.*

CAPVT II.

Examinatur, quo iure facultas reseruandi casus Regularium Prælatis iurisdictionem Episcopalem habentibus competat.

SVMMARIVM.

1 *Qui tenent, Religionum Prælatis facultatem reseruandi peccata iure Diuino competere.*
2 *Sub nomine Ecclesiæ Prælati in vniuersum intelliguntur.*
3 *Prælati Regulares ex vi Christi verborum in suos subditos habent iurisdictionem.*
4 *Episcoporum iurisdictio de iure Diuino.*
5 *Religio est à Christo Domino instituta, & sine Prælatis consistere non potest.*
6 *Religiosorum Prælatus debet esse eiusdem habitus & Religionis.*
7 *Facultas reseruandi casus in Religionum Prælatis iure humano tantùm residet.*
8 *Competere iure priuilegiorum, qui senserint.*

1 IVre Diuino existimant quãplures DD. Regularium Superiores, qui Episcopali iurisdictione gaudent, habere reseruandi casus facultatem

cultatem. ita *P. Miranda loco citato Medina de indulgentiis cap. 24. Castro de iusta Hæreticorum punitione lib. 8. cap. 24. & lib. de hæres. verbo Episcopatus*: idem sentire videtur *Maior in 4. dist. 17. q. 7. Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 2. & dist. 21. art. 4. & lib. 1. de iust. q. 1. art. 4. Petrus de Soto sect. 5. de confess. Victoria relect. 2. de potest. Eccl. q. 2. Rodriquez loco quo supr.* Pro hac sententia citat noster *Coriolanus de Casib. reseru. p. 1. sect. 1. art. 3.* Suarez (sed immeritò, vt statim videbimus). Hanc sententiam multis persuadent rationibus. Primò, quia Præfecti Ecclesiæ sūt, qui habēt iurisdictionem illam, de qua dictum est Matthæi 18. *Si Ecclesiam non audierit sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus.* Nàm iuxtà cōmunem interpretationem Chrysostomi, aliorumque Patrum, nomine *Ecclesiæ* Prælati ibi intelliguntur: atqui Præfecti Religionum sunt
2 verè Prælati, igitur iurisdictionem, & facultatem reseruandi casus iure Diuino habent.

3 Secundò, & redit in idem, quia Christus ibi, cū dixit; *quæcumque ligaueritis, &c.* ad omnes Ecclesiæ Prælatos sermonē fecit: atqui inter hos Prælatos Religionum præfecti numerantur, ergo habent iurisdictionem ex vi verborū Christi, atque ideo ex iure diuino: igitur ex eodem competit eis facultas reseruandi casus.

4 Tertiò, Episcopi iure Diuino habent iurisdictionem, vt est multorum opinio, etiam in foro interno pœnitentiæ, sed Præfecti Religionū iurisdictionem habent Episcopalem, vel quasi Episcopalem, vt decernitur *in cap. Abbates de priuilegiis in 6.* & notat *Glossa in Clementina vnica de rebus Ecclesiæ non alienād. in verbo propriis*; ergo, per argumentum à simili, etiam illi habēt ex iure Diuino iurisdictionē in foro consciētiæ, ac subindè facultatē eodē iure reseruādi casus.

5 Quartò, Religio à Christo Domino est instituta, sed Religio sine Prælatis eiusdem Ordinis iurisdictionem etiam in foro pœnitentiæ habētibus consistere non potest, ergo illam habent à Christo. Nàm qui aliquem instituit statum, proculdubio omnia ad illum necessaria præbet maior modò supponitur, quoniam (vt cōmunis Catholicorum sententia docet) Status Re-
6 ligionis vt sic est de iure Diuino, quatenùs aut est præceptus, aut institutus à Christo. Minor probatur ex iuris ratione statuentis, vt Religiosorum Prælatus eiusdem habitus ac Religionis sit: cuius rationem reddit Innocentius III. in c. cum causa de electione; quia iuxta legem Diuinam non est in Boue arandum, & Asino, idest (vt exposuit Concilium Hyspalen. secundum *cap. 9. & cap. in Noua 16. q. 7.*) *Homines diuersarum professionum in officio vno non sociabis: Nam cohærere* (vt ibi subiungitur) *& coniungi non possunt quibus studia & vota diuersa sunt.* Vnde in Clement. 1. de elect. habetur sic; *Cum rationi non congruat, vt homines disparis professionis, vel habitus simul in eisdem Monasteriis socientur; prohibemus ne Religiosus aliquis in Abbatē, vel Prælatū alterius Religionis de cætero eligatur.* Est ergo hęc institutio ex natura rei intrīseca huic statui.

7 Ex opposito autem volunt alij, facultatem reseruandi casus Religionum Præfectos solùm iure Papali, seu Humano habere: ita sentit noster *Rodriquez tom. 1. qq. Regul. q. 17. art. 2. Bannes 2. 2. q. 1. art. 1. dub. 8. Coriolanus vbi supr.* Pro hac sententia citari possunt *D. Thom. 2. 2. q. 39. art. 3. & in 4. dist. 19. q. 1. art. 3. & dist. 20. q. 1. art. 4. quæstiunc. 3.* vbi Sotus *q. 1. art. 2. in fine 4. concl. Caietanus tom. 1. opusc. tract. 1. c. 2. Turrecrem. in Summa de Eccl. libert. lib. 2. cap. 54. Iacubantius li. 10. de conciliis art. 7. Medina C. de confess. q. 39. Cordub. lib. 4. de potest. Papæ q. 14. Couarr. in Regul. peccatum 2. p. sec. 4. n. 6. & seqq.* Vbi quāplures alios citat, & ex Scholasticis antiquis *Gabr. lect. 43. in Canon. Paludan. in 4. dist. 17. q. 2. Durand. ibid. q. 2. Enricus quodlibeto 9. qu. 22. Pater Suarez de pænit. tom. 4. ad 3. p. disp. 25. sect. 1. n. 3. & 11. & lib. 4. de legibus, cap. 4. n. 4. & de censuris disp. 1. sect. 2. nu. 12.* quatenus sentiūt, iurisdictionem, quam Episcopi habent, non esse eis communicatam immediatè à Christo Domino, sed à Summo Romano Pontifice. Fundamenta, quibus hæc sententia ostenditur, infra referemus, cùm nostram opinionem probauerimus.

8 Nonnullis verò placuit, hanc reseruandi casus facultatē Regularium Præfectis cōpetere iure speciali, siue iure Priuilegiorum: Nam Alexāder IV. Fratribus Minoribus indulsit, vt omnes Prælati possent sibi reseruare casus: ita enim habetur in monumento Ordinis secundę impressionis *fol. mihi 56.* & in supplemento *fol. 3. conclus. 2.* & refertur in compendio verbo, *absolutio ordinaria quoad fratres §. 17.* in qua declarauit, & decreuit, quod Generales, & Prouinciales, ac Guardiani nostri Ordinis reseruare sibi possent casus de occultis inter Religiosos, & quod absoluētes à talibus post huiusmodi reseruationem nullam faciunt absolutionē, & incidunt in pœnam absoluentium: quo priuilegio omnes ferè Religiones gaudent, aut vt directè sibi concesso, aut per generale priuilegium communicationis. Hinc inferunt Authores primæ sententiæ, Superiores Religionum hanc facultatem habere iure communi, speciali, & Diuino. Videatur de hac re *P. Miranda tom. 2. quæst. 34. art. 1. conclus. 1. in fine.*

CAPVT III.

Prima Sententia reijcitur.

SVMMARIVM.

1 *Iure Diuino Regularium Superioribus reseruare casus competere non potest.*

2 *Iurisdictionem spiritualem, quam habent Præfecti in suos subditos, non habent iure Diuino.*

3 *Iurisdictio quomodo dicatur esse iure humano, & quomodo iure Diuino.*

4 *Potestas seruandi peccata in Episcopis non reside, iure Diuino.*

5 Epi-

5 *Episcopi à Summo Romano Pontifice acceperunt Episcopale munus, & quomodo declaratur.*
6 *Declaratur, quomodo Episcopi à Summo Romano Pontifice pendent.*
7 *Casuum reseruatio fit per iurisdictionis oblationē, siue restrictionem in foro interiori.*
8 *Papa potest dignitatē Episcopalem ex iuxta causa auferre.*
9 *Assignatur differentia electionum Episcoporum, & Summorum Pontificum.*
10 *Papa eodem modo confert Episcopale munus, velut alia beneficia Ecclesiastica.*
13 *Munus Episcopale quo ad modum est ab homine, & quo ad institutionem a Christo Domino.*
14 *Præceptū annuæ confessionis quomodo est a Christo, & ab Ecclesia.*
16 *Apostoli a Christo munus Episcopale habuerunt: & quomodo eis succedunt Episcopi.*
17 *Apostoli alio modo a Christo receperunt Episcopale munus, ac Diuus Petrus, declaratur.*

1 PRima sententia nullo modo est admittenda: pugnat quippè cum Decreto Clemētis Octaui, vbi sic statuitur n. 2. *Quo circà, vt huic malo Sanctitas Sua opportunè prouideret, decreuit, vt nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi reseruet, exceptis ijs, quæ sequuntur &c.* Si enim iure Diuino Regularium Præfecti haberent reseruandi casus facultatem, profectò non posset Summus Pontifex illam restringere, aut limitare: non enim habet potestatem circa ea, quæ sunt iuris Diuini, vt quāplures Doctores docent, (quod nobis quam maximè semper displicuit: Demonstrauimus quippè *lib. 2. de immunit. & libert. Ecclesiastica* secundum se, posse Romanum Pontificē multa circa ea, quæ sunt iuris Diuini saltem per modum declarationis) at qui restringit, & limitat eandem potestatem; Igitur illa conuenire non potest Regularium Prælatis iure Diuino.

2 Meritò igitur Pater *Suarez tom. 4. de Religione lib. 2. cap. 1. n. 8.* non solum nouam, verùm etiā falsam hanc sententiam existimauit. Et certè quomodo fieri potest, vt peccatorum reseruatio iure Diuino Regularium Prælatis competat, si spiritualem iurisdictionem, quam intrinsecè (vt ità dicam) illa poscit, non habent iure Diuino, vt semper obseruatum est in Ecclesia. Etenim in antiquissimis Religionibus, (vt elegantèr idem Suarez *loco quo supra n. 3.* ostendit) verè erant Patres Spirituales, seù Præfecti, aut Abbates absque propria, & spirituali iurisdictione, qua aliqua potuerint atrociora sibi reseruare crimina: Igitur facultas, siue ius reseruandi peccatorum absolutionem eis non competit iure Diuino. Antecedens vt certum suppono, pro vt certum supponendum est ex *D. Thom. in 4. dist. 9. & 25.* & ex cōmuni Theologorum sententia, cum *D. Bonau. in expositione nostræ Regulæ cap. 7.* Consequentia ostēditur; Nàm peccatorum absolutio in foro Pœnitentiæ, & eorum cognitio in foro contentioso ad spiritualem iurisdictionem pertinent: Igitur si hæc Religionū Præfectis iure Diuino minimè competit, neq; illorum reseruatio: quoniā absolutio, & reseruatio eiusdem sunt formalis iurisdictionis effectus. Vndè certum est ac constans, Prælatos Regulares hanc habere iurisdictionem à SS. Pōtificibus, atq; ideò esse de iure humano, ac per consequens causarum reseruationem: quod huiusmodi sententiæ Patroni non negant, sed aiunt fieri posse, vt idem Prelatus pluribus titulis, & rationibus iurisdictionem habeat. Verùm hoc solùm locum habet, vbi quāplures tituli repugnantiam non inuoluunt: sicuti est in præsenti, si propriè, & per se sermo

3 fiat de spiritualis iurisdictionis origine. Tunc enim iurisdictio propriè dicitur esse de iure humano, quādo immediatè ab homine confertur & è contra de iure Diuino dicitur, quando immediatè a Christo Domino præstatur: & ita vnus istorum Titulus cum alio stare repugnat, quatenus ratio vnius est de se exclusiua alterius: repugnat igitur, vt eadem iurisdictio vtroque modo per se haberi possit. Dixi, *per se*, consultò, quoniam si vnus Titulus sit per accidēs, vt eleganter notauit Suarez, non erit tanta repugnantia, quanta est in sententia eorum, qui opinantur, Episcopos iurisdictionem spiritualē Diuino iure habere: negant siquidem, per se habere ab homine. Tamen quia non negant, nec negare possunt, habere illam à Sūmo Romano Pontifice dependentem, affirmare quoque valent, esse ab illo per accidens tanquam à non prohibente, seù non impediente; cum possit fieri, vel tanquam à confirmante, vel vt à designante personam. Sed hæc non sunt satis, vt dicatur iurisdictio de iure humano: sic enim iurisdictio Summi Pontificis ab hominibus ipsum eligentibus est per accidens: nec Religionum Prælatorum iurisdictio spiritualis est hoc modo ab homine, sed vt ab immediatè, & per se conferente illam. Nisi enim Summus Pontifex illam dedisset, nullum est Diuinum ius, nullauè Christi facta promissio, vt colligere possimus, ipsum illa immediatè conferre: eò magis quia talis prælationis modus est ab Ecclesia immediatè institutus, & non à Christo Domino; quamquam ex fide compellimur dicere, potestatem illam instituendi à Christo Domino fuisse, non verò ipsam institutionem: nullibi enim demonstrari potest: neque enim talis institutio ex aliquo fuit præcepto Diuino positiuo, sed ex Summorum Pontificum prudenti arbitrio: nullo igitur modo est propriè de iure Diuino, nisi solum remotè, quatenus nimirùm viget in potestate instituētis, quæ iure Diuino in Summis Romanis Pontificibus residet: ac subinde peccatorum reseruatio, quæ est huiusmodi iurisdictionis effectus, nequit esse de iure Diuino.

4 Præterea facultas reseruādi peccata in Episcopis nō residet iure Diuino, ergo neq; in Religionū

Prælatis. Consequentia tenet. Antecedens probatur; quia reseruandi peccata facultatem non habent ex vi consecrationis, sed ex sui muneris vi, munus autem Pastorale, seu Episcopale à Summo Romano Pontifice obtinēt; Igitur, & facultatem reseruandi peccata; ac subinde peccatorum reseruatio non est in eis iure Diuino, sed iure humano dumtaxat. Maior, & consequentiæ sunt notæ. Minor, in
5 qua esse potest difficultas multis modis explicari, ac ostendi potest. Primò, quia omnes Episcopi hoc munus media Summi Pontificis recipiunt auctoritate. Quod docet Leo Papa Epistola 87. & habetur *in c. ita Dominus dist.* 19. idemq; habetur *in cap. quoties* 24. *q.* 1. vbi multa sunt, quæ hoc idem probant, & colligitur ex Kalisto Papa *Epist.* 2. *cap.* 25. & Innocentio *in Epist.* 26. qui omnes dicunt, ab auctoritate, seu potestate Sedis Apostolicæ manasse potestatem ad alios Episcopos, & ex vsu Ecclesiæ satis constat nostrum Añs. Solet enim Sum. Roman. Pontifex Episcopos creare, & dicit se illis talis Ecclesiæ in temporalibus, & spiritualibus conferre ministerium, & quamquam non eodem modo in vniuersa faciat Ecclesia; quia in quibusdam Religionibus præsertim Europæ id facere solet immediatè per seipsũ, in alijs verò non, ita tamen (vt ex historijs cõstat) vel per se, vel per Patriarchas, aut Legatos suos, semper aliquo modo hoc præstitit; quia re vera ad officium vniuersalis Pastoris, & perfectionem Monarchiæ Ecclesiasti-
6 cæ pertinet. Secundò, pendent alij Episcopi à Summo Pontifice in Diæcesum determinatione, seù diuisione: nam hæc diuisio non est iure diuino facta, vt per se notum est; ergo per hominem; ergò maximè ad Summum Romanum Pontificem pertinet vnicuique proprium assignare terminum. Vndè interdùm potest coarctare, interdum augere, vel diminuere territorium: vt latè Thomistæ 2. 2. qu. 1. art. 10. tractant. Tertiò, pendent in extensione, vel limitatione iurisdictionis ad plures, vel pauciores effectus, quod satis constat experientia in ijs, quæ vel ad forum externum, vel ad dispensationem in Votis, vel ad absoluendum à censuris, vel ad conferendas indulgentias pertinent, impedimentis. In foro verò interiori id euidenter constat ex casuum reser-
7 uatione, quæ non fit nisi per ablationem, seu limitationem iurisdictionis, vt statim sequenti capitulo declarabimus. Item probari potest ex exceptione aliquarum personarum, quia potest Papa ab Episcoporum Iurisdictione eximere aliquas personas, & sibi soli reseruare: demùm pendent in hoc, quod munus Episcopale potest Summus Pontifex auferre, existen-
8 te iuxta causa, & potestatem mutare: vt fit in Episcoporum translatione: vt patet ex toto titulo de translatione Episcoporum: igitur satis ex ipsis constat per Summum Pontificem habere Episcopos Iurisdictionem, & potestatem.

9 Neque obstat si dicas, quod etiam Summus Romanus Pontifex habet iurisdictionem, & potestatem, non ex vi consecrationis, sed ex vi sui muneris, quod etiam ab hominibus ipsum eligentibus habet. Non obstat, inquam, eò quod longè, diuersoque modo illud obtinet munus Summus Pontifex. Nam electores Pontificum non præbent munus, sed tantùm designant personam, cui Christus Dominus immediatè suas committit vices: vt abundè docuimus *lib.* 1. *de Triplici libert. Eccl.* Summus
10 autem Pontifex inferioribus Episcopis verè confert Pastorale munus tanquam Supremus dispensator, veluti confert alia beneficia Ecclesiastica, vt monuimus in nostris disputationibus pro iuris Pontificij defensione. Et hinc
11 est, vt Pontifex semel electus non possit per hominem sua auctoritate priuari, neque integrè neque ex parte; quia non ab hominibus, sed à Christo Domino immediatè illam habet.
12 Episcopi autem per Pontificem priuari possunt, aut transferri, eorumque iurisdictio limitari potest pro vt Ecclesiæ vniuersale beneficium, seu Ecclesiarum bonum exposcit. Vnde etiam est aliud manifestum discrimen: nàm iurisdictio Pontificia ex diuina institutione est certa, & immutabilis: iurisdictio verò Episcopalis, ex vi dumtaxat iuris diuini, non habet certum modum, aut terminum, sed per Summum Romanum Pontificem tacitè, vel expressè modum, determinationemque recipit; hoc ergo est signum manifestum, iurisdictio-
13 nem hanc, seu munus Pastorale esse immediatè ab homine, non quo ad institutionem, sed quoad modum; quoniam in genere quidquid est à Christo Domino tantùm ordinatum, modus verò vel dispositio particularis Apostolis, vel Pontifici est commissa, postea cum fit, absolutè est de iure humano; quia res non fit, nisi in particulari; ideò ab illo fit, à quo deter-
14 minatè, & in particulari executioni mandatur. Illustrari potest optimo exemplo de præcepto annuæ confessionis: nam verisimile est Christum Dominum Ecclesiæ Pastoribus præcepisse, vt tempora vsui confessionis accommodata, & necessaria designarent: nihilominus tamen præceptum annuæ confessionis simpliciter est Ecclesiasticum, quoniam ita in particulari ab Ecclesia positum est, & ab ea semper ita pendet, vt possit mutari; vt communiter docent Doctores in materia de pœnitentia: & ita quoque est de Episcoporum munere atq; iurisdictione.

15 Verum obijci potest: Apostoli à Christo Domino immediatè Episcopale munus, & iurisdictionem habuerunt, sed Apostolis succedunt Episcopi, vt docent Clemens *Epist.* 1. Anacletus *Epist.* 2. & 3. & Ciprianus *Epist.* 69. determinaturq; ex Concilijs Generalibus Florenti-

rentino in litteris vnionis, & Tridentino *sess.* 23. *cap.* 4. ergo sicut Apostoli immediatè munus Episcopale, & iurisdictionem à Christo Domino receperunt, ita & Episcopi. Hac enim ratione maxime ostenditur, Summum Romanum Pontificem iurisdictionem à Christo Domino immediatè habere; eò quod Diuo succedit Petro, cui immediatè Christus Dominus illam communicauit. Respondetur; si argumentum hoc est alicuius ponderis, probare certè Episcopos munus Episcopale, seù iurisdictionem à Christo Domino in vniuersum Orbem habere, quoniam ita habuerunt munus, & iurisdictionem; igitur sicut hoc non sequitur, ita neque illud. Quamobrem eadem ratione dicendum est, quod alij Apostoli à D.
16 Petro sicut Apostolatum non acceperunt, vt perpetuò in Ecclesia durauerint, neque vt in illa dignitate eis succederetur; ita nec iurisdictionem; quia ex speciali priuilegio, & ratione illius dignitatis acceperunt, quæ in eis non fuit quasi ordinaria, sed ex peculiari Christi Do-
17 mini delegatione; ob illius temporis necessitatem, in quo fundabatur Ecclesia. In hoc ergo Diuus Petrus, vt Christi Vicarius multùm illos excessit; nam eius dignitas pastoralis à Christo Domino instituta fuit tanquam suprema, & ordinaria, ac in Ecclesia perpetuò duratura, secundùm illud; *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues Regni Cælorum*, scilicet speciali modo; ideòque Diuo Petro singulariter, seù in indiuiduo dicitur; *pasce oues meas*. Episcopi ergo Apostolis succedere dicuntur, sed quatenus fuerunt primi Episcopi tàm in potestate ordinis, seù consecrationis, quàm in speciali, & ordinaria iurisdictione aliquarum Ecclesiarum; vt in nostris disputationibus pro Iuris Pontificij defensione *disp.* 1. *q.* 1. *cap.* 1. *num.* 14. *& sequentibus, & disp.* 6. *q.* 2. *cap.* 2. docuimus: vt Iacobus fuit Episcopus Hierosolimis, & Ioannes Ephesi: ac denique, quia post Pontificem sunt ordinarij Ecclesiæ Principes velut fuere Apostoli sub Petro. Sicut ob similem rationem, & proportionem dicuntur presbyteri septuaginta Discipulis succedere; vt notauit D. Thomas 2.2. *q.* 188. *art.* 4. *ad quintum*, & P. Suarez *tom.* 4. *ad tertiam partem disp.* 25. *sec.* 1. *num.* 12. item rationibus in cap. 5. adducendis hæc sententia dilucidè impugnabitur.

CAPVT IV.

Dicta in superiori Capitulo magis explicantur, verus Concilij Tridentini ad capitulum septimum sessionis 14. intellectus affertur, & nonnulla de peccatorum reseruationis origine tanguntur.

SVMMARIVM.

1 *Potestas reseruandi casus, quam Ecclesiæ Prælati habent ex natura iudicij pænitentialis à Concilio Tridentino deducitur.*
2 *Iudicij natura quid exposcit prout in Sacramento pænitentiæ exercetur.*
3 *Sacramentalis absolutio in confessione data a Sacerdote est veræ sententiæ prolatio.*
4 *Nullũ Sacerdotem quoad actiuam potestatem esse alteri inferiorem, declaratur dilucidè.*
5 *Sacerdos superior respectu potestatis actiuæ non potest sibi reseruare peccata, & quare.*
6 *Superior sibi potest reseruare peccata ex materiei applicatione.*
7 *Episcopi ius reseruandi peccata à Summo Pontifice habent, & quare.*
8 *Declaratur, quomodo Clemens VIII. Regulariũ Superiorum reseruandi casus limitauit iurisdictionem.*
9 *Iurisdictionem, quam in suos subditos habent Prælati Regulares, ex vi approbationis Pontificiæ obtinent.*
10 *Illustratur, quomodo omnes Presbyteri ex vi Characteris, seù ordinationis iurisdictionem absoluendi Christi Domini fideles habent immediatè à Christo.*
11 *Iurisdictio, quam Presbyteri in sua accipiunt ordinatione, est inchoata, seù incompleta, at per materiei applicationem completur.*
12 *Potestatẽ ad remittenda peccata, quæ in ordine confertur, esse iudiciariam, & principium per se dicendi ius, declaratur.*
13 *Author ostẽdit, se non discedere a Scoti opinione.*

QVæ præcedenti cap. docuimus, vt melius intelligantur, notandum est; potestatem
1 reseruandi casus, quam Prælati Ecclesiastici habent, Sacrosanctum Concilium Tridentinum deducere ex natura iudicij, quod in confessione fit erga peccata. Natura enim, & ratio iudicij illud expostulat, vt sententia in sub-
2 ditos dumtaxat feratur. Vnde inquiunt Patres Concilij; *persuasum semper in Ecclesia fuit, nullius esse momenti absolutionem, quam Sacerdos in eum profert, in quem nec ordinariam, nec delegatam habet iurisdictionem*. Vnde aiunt, *ad Christiani populi disciplinam pertinere visum est Patribus, vt atrociora crimina non à quibusuis, sed à Summis dumtaxat Sacerdotibus absoluerentur.* vn-
3 de euidens infertur ratio; quid absolutio Sacerdotis in confessione est vera sententiæ prolatio; sententia verò ferri non potest nisi in subditos, & circa delicta, quorum Iudex habeat potestatem, vel iurisdictionem: aliter enim collata absolutio erit nulla: sed Præfecti Religionum, iure Papali secluso, nec Iudices sunt, nec subditos, in quam proferre possint sententiam, habent; igitur iure diuino illis competere minimè potest reseruatio aliquorum criminum.
4 Hæc ratio de se est euidens, solùm enim indiget declaratione, quam vt melius percipiamus, aduerto; omnes Sacerdotes etiam cum Summo Romano Pontifice habere potestatẽ iudi-

iudiciariam à Christo Domino immediatè, & ita nullum esse quo ad hanc potestatem actiuam inferiorem alteri in foro interiori; quia quisque potestate à Christo Domino data immediatè absoluit, vt ab vno ad alium appellari non possit, sed fert quisque vltimum iudiciũ. Vnde ex hac parte non potest Superior respe-
5 ctu inferioris reseruare peccata, quasi limitando inferiori potestatem in certis causis, sicut in exteriori foro vnus alteri limitare potest; quia ab vno in alium iudicem potestas actiua iudicandi deriuatur: ex alia ergo parte fieri po-
6 test reseruatio ex parte applicationis materiæ: in hac enim vnus Sacerdos est alteri superior: & ita sicut vnus ab alio accipit applicationem materiæ, potest illam recipere absolutè, & limitatam quoad aliqua peccata: & ita intelligitur ratio Concilij Tridentini. Vnde sequitur primò hac ratione, quemcunque Sacerdotem, qui habet iurisdictionem ordinariam, posse sibi reseruare casus aliquos respectu illius, cui eam committit: & ita Parochis conuenit respectu illorum quibus concedunt materiam. Vnde semper sententiam *Nauarri in cap. 27. num. 263.* veram existimauimus, dum asserit, Epi-
7 scopis non competere ius reseruandi, nisi potestate concessâ à Pontifice, & non in ordinatione: cui inhæret *Vasquez tom. 4. in 3. par. q. 91. art. 3. num. 9.* quia reuera quamuis potestas absoluendi in ordinatione tradatur, non tamen potestas reseruandi; quia à Summo dumtaxat Pontifice fit materiei applicatio, etiam Parochis prout latè probat ipsemet *Vasquez vbi sup. q. 93. art. 1.* sed facta applicatione, vt sit aliquis illorũ pastor, ita Characteris potestate absoluit, vt impediri iam nõ possit, nisi subtractione materiei. Verissimum enim est, reseruationem ea tantùm fieri ratione, quia qui applicat materiam, potest illam limitare, vt in talibus sit subdita, & absolui possit, in talibus verò minimè. Episcopi autem non assignant Parochis materiam, sed Pontifex solus potest illam iure diuino assignare, aut Episcopus ex Pontificis commissione: igitur hæc sola Papæ commissione potest reseruari, limitando materiam: ergo dicendum est, ex Papæ auctoritate, & commissione Episcopis reseruare peccata, atque limitare materiam, competere; quia inde tantum reseruantur peccata, vt dictum est: Et hoc competere Episcopis ex veteri consuetudine per commissionem dumtaxat, & in *Tridentino Concilio* illo *cap. 7. sess. 14.* conceditur.

8 Quæ omnia cùm proportione Religiosum Præfectis applicando, facilè patet intellectus Decretis Clementis Octaui interdicentis ipsis reseruandi casus facultatem: eò quòd (vt ipse Pontifex testatur) ea abutuntur in animarum perniciem, & non in ædificationem, prout eis absolutè fuerat communicata. Etenim materiam limitando, applicat solùm in illis contentis in suo decreto casibus. Vnde sequitur secundò à fortiori, quod si Episcopi, ratione proprij muneris Episcopalis, quod immediate (vt nonnulli Doctores docent, à Christo
9 obtinent, facultatem non habent reseruandi casus, nisi media Pontificis concessione, seù commissione; multo minus habent Prælati Regulares. Consequentia est euidens, nàm Generales, & Prouinciales, qui Episcopali gaudent iurisdictione, illam obtinent ex vi approbationis, & confirmationis Pontificiæ, quatenus subtrahit, fideles ab Episcoporum iurisdictione, & subdit illorum potestati; hinc applicat materiam, concedendo talem auctoritatem, vt cognoscere valeant fideles illos, qui volunt talem vitam eligere, quamobrem paulò superius consultò dicebamus, iure Põtificio secluso, Religiosum Præfectos, nec subditos, nec iurisdictionem in eos habere, quod quidem verificari de Episcopis nequit, si concederemus Episcopatum, nõ quo ad sui institutionem, sed quoad fori interni iurisdictionem à Christo Domino esse immediatè, prout paulò superius dicebamus.

10 Atque hinc explicandum est id, quod supra *q. 1. cap. 1.* asseruimus, omnes nimirùm Ecclesiæ Catholicæ Presbyteros ex vi ordinationis, & characteris iurisdictionem absoluendi Christi fideles à peccatis accipere, & consequenter à Christo Domino illam habere immediatè, sed habitualiter, seù virtualiter: quod dico *habitualiter*, non intelligo asserere, id quod docuit Nauarrus *in Summa cap. 4. num. 20. & Cap. 7. num. 259. & num. 206. & in cap. placuit de pœnit. dist. 6. à principio* & præsertim *num. 48. Paludanus in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 3. casu 4.* & *Syluester uerbo Confessor 1. quæsito 2.* & Abulensis *in suo defensorio par. 2. cap. 62.* vbi distinguit duplicem iurisdictionem scilicet in habitu, & in actu, & priorem, ait, dari in ipsa ordinatione Sacerdotis, esseque omninò immutabilem per Ecclesiam, & non distingui à potestate ordinis. De posteriore autem, inquit, haberi à Sacerdotibus cum eliguntur vel deputantur ad munus absoluendi, addit nihilominus, stando in iure diuino, omnes Sacerdotes habuisse iurisdictionem expeditam, & actualem ex vi suæ ordinationis, quandiù nulla Ecclesiæ interuenit prohibitio; siue quia ipsis directè datur per ordinationem, siuè quia per solam electionem, seù voluntariam pænitentis subiectionem, quicunque Sacerdos habet in actu hanc iurisdictionem, non quia datur ab ipso pœnitente, sed quia ad eius electionem, vel designationem datur à Christo Domino. Verùm hæc opinio est falsa, & rectè impugnatur à Patre *Suarez lib. 4. de legibus cap. 4. num. 80. & tom. 4. ad 3. partem disp. 16. sec. 3. num. 15. & sequentibus.* Sed dico virtualem, & habitualem, quatenus potestas iurisdictionis aliquomodo datur, vel inchoatur in ipsamet ordina-

dina-

dinatione,& vt sic neque distingui potest à potestate ordinis,nec auferri,vel immutari per Ecclesiam: aliqua vero ex parte cōpleri valet extra Sacramentum ordinis per aliquod Ecclesiasticum munus,vel hominum concessionem,& secūdum eam rationem potestatem hanc mutari posse,augeri,vel minui, vel omnino auferri iuxta arctam aut amplam materiei applicationem;eo quod sacerdotes in sua ordinatione vere, & realiter iudices constituuntur ad ferendam de hominum peccatis sententiam: vt patet ex efficaci verborum illorum significatione; *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; ergo ex vi ordinationis aliquam recipiunt iurisdictionem: eo quod iurisdictio nihil aliud importat ex se, quam ad ferendum iudicium,seu sententiam potestatem; nec per aliud constituitur quis Iudex, nisi per iurisdictionem.

11 Verum ad maiorem horum intelligētiam obseruare oportet; presbyteros omnes in sua ordinatione hanc veram potestatem accipere iurisdictionis,inchoatam tamen, & incompletam eam vero compleri in ratione iurisdictionis per materiei applicationem, seu subiectionem. Et quamuis in ijs videamur conuenire cum opinione *Nauarri*, & *Vasquez*, discriminamur nihilominus, eo quod dicimus prædictam applicationem materia non esse positam in sola penitentis voluntate, neque ex iure diuino esse factam,seu commissam omnibus Sacerdotibus vel pœnitentibus,etiam ante omnem Ecclesiæ ordinationem,& prohibitionē; sed affirmamus esse summo Romano Pontifici commissam,& alijs Ecclesiæ Prælatis per Pontificem maximum.Ita vt nisi ipsi materiā applicent, seu subditos conferant,non possint presbyteri ex vi solius ordinationis validum actum huius potestatis efficere. Ex quo oritur peccatorum reseruatio,vt paulo superius dictum est,& insinuare videntur *Maior in 4. dist. 19. q. 1. in fine, Sanctus Antoninus 3.p. tit. 17. Angelus verbo confessio 3. n.4. Abbas in Clement.1. de priuilegijs n.16.* Hostiensis *in summa titulo de pœnit. & remiss. §. cui* Ex certe fundari potest hæc doctrina quo ad primam partem ex ijs, quæ paulo antea tetigimus; eo quod potestas ad remittenda peccata, quæ in ordine confertur,iudiciaria est, & principium per se dicendi ius, ideoque vera iurisdictio.Vnde per illam constituuntur Iudices.Iure optimo ergo præallegati authores, qui nostrę sunt sententię, atque etiam *Nauarrus*, & *Paludanus*, vt P. *Suarez loco quo supra* aduertit,comparant Presbyteros cum Iudicibus,qui iure vocantur cartularij, qui non erant mere arbitri, sed ab Imperatoribus designabantur, & accipiebant potestatem, vt iudicare possent eos, quos illi vellent eis subijcere,quamuis nō possent eos ad iudicandum cogere vt notauit etiā *Syluester v. Iudex 1. quæsito 1.*& gloss. *Bartol.*& alior. *in l.1.ff.de iudicijs*. Veluti ergo illi iudices cartularij ab Imperatoribus obtinebāt potestatē,ita nūc presbyteri illā à Christo Domino habent. Et sicut illi ex sola Imperatorum concessione subditos habebant, atq; applicatam materiā,ita nunc Sacerdotes habent à Christo Domino ex vi solius ordinationis. Nec ex hoc cōuenit nostra sententia in hoc cum *Nauarro*, & alijs paulo superius citatis Doctoribus;eo quod in hoc discrepat, quod in Iudicibus cartularijs materi ei applicatio,ac subiectio iudicandorum erat ab Imperatoribus commissa; at in nostra sententia à Christo Domino est summo Pontifici,alijsque Ecclesiæ Prælatis commissa facultas, & autoritas applicandi materiam, & subiectionem iuxta ea, quæ dicta sunt. Et est altera pars doctrinę, quam pro intelligentia nostra opinionis adducimus. Pro qua re possunt afferri nonnulla argumenta, quę P. *Suarez tum lib. 4. de legib.cum de pœnit.disp.16.n.15.* aduersus *Nauarrum*,& alios conglomerat.

13 Neque ex hoc ab opinione *Scoti*(quam etiam docet *S. Thom. 2.2.q.39.art.3.& 4. contra gentes c.72.& in 4.dist.17.q.3.art.3. quæstiuncula 4. & distin.19.q.1. artic.3. quæstiunc.1. Sanctus Bo*-nauentura *ibidem art. 3. q. 1.* præcipue in argumentorum solutionibus,*Soto in 4.distin.18.q.4. art.2. Ledesma 2.p.4. q. 22. art. 1. P. Suarez vbi supra n.7. & 26. Cano Relectione de pœnitentia q. 1. Medina Codice de confes. q. de alieno sine licentia proprij absoluente, Turrecremata in Summa de Eccles.lib.1.q.98. Alexander de Ales 4.p. q.79.80.81.* & alij apud *Couarr. lib.1.variar.resol.c.10.n.1.*) discedimus;quia licet affirment, iurisdictionis potestatem esse distinctam ab ordinis potestate,tam in essentia,quam in modo, seu tempore, quo confertur; Nam ordinis potestas per characteris impressionē datur;ideoq; est necessarium quod comparetur per ordinationem Sacerdotis, & immutabilis ac indelebilis permanet: Potestas vero iurisdictionis Moraliter dumtaxat, Et per extrinsecam concessionem præstatur,aut alicuius ecclesiastici muneris collationem,per quam aliquis Pastor vel superior aliorum constituitur, alij vero subditi efficiuntur: ideoque potestas hæc extra Sacramētum Ordinis datur,&(infra Summum Pontificem) immediate per hominem confertur; nostra tamen opinioni non contradicunt; solum enim, si aliqua differentia assignari potest, est in vocabulorū vsu;nam iure, neque aliam, neque maiorem potestatem sacerdotibus conferri ex solius ordinationis,aut diuino iure concedimus, quam *Scoti*, & aliorum sententia cōcedat neq; aliud docemus per Ecclesiam dari, nec minus necessariam esse ad huius iudicij valorē solum discriminamur, quia *Scotus* noster, alijque Doctores ipsum sequentes vocant potestatem ordinis supra corpus Misticum, nos vero appellamus iurisdictionem inchoatā, vel incompletam, & quam illi potestatem iurisdictionis in foro pœnitentia vocant, nos dicimus ma-

materiei applicationem, seu actualis iurisdictionis complementum. Quare non multum nostra sententia differt à communi in substantia, vtimur nihilominus hoc dicendi modo, quia est facilis captu, & valde pro dicendorum intelligentia accommodatus.

CAPVT QVINTVM.

Vera sententia statuitur.

SVMMARIVM.

1 *Omnium Ordinum Præpositi, qui sibi possunt reseruare casus, iure humano dumtaxat habent hãc potestatem.*

2 *Regularium Præfecti ex vi prælationis præcise non possunt sibi aliqua peccata reseruare.*

3 *Prælati Regulares ex vi præfecturæ solam dominatiuam potestatem habent.*

4 *An Monachorum Abbates in antiquis temporibus excommunicandi habuerint potestatem?*

5 *Regularium Prælatorum dignitas ex subditorum subiectione constituitur.*

6 *Regularium exemptio à iurisdictione Episcoporũ est iure humano.*

7 *Priuilegium exemptionis, quo Regulares ab Episcoporum eximuntur iurisdictione, potest ex causa reuocari à Papa.*

8 *Regularium exemptio ab Episcoporum iurisdictione quo tempore cæpit integrè & complete.*

9 *Potestatem reseruandi casus Regularium Præfecti non habent iure communi, sed speciali.*

10 *Potestas reseruandi peccata, quatenus residet in Regularium Prælatis, & iure humano sumpsit initium.*

1 Vera igitur sententia est (quam sequendam proposuimus secũda in ordine adductam in c. 2. huius quæstionis) peccatorum reseruationem ordinum Regularium Præpositis iure dumtaxat humano cõpetere. Hæc assertio rationibus in duobus præcedentibus capitulis factis optimè probatur. Rursus ostẽdi potest euidenter. Primò; reseruatio peccatorum eodem iure regularium Prelatis iurisdictionẽ Episcopalem, seu quasi Episcopalẽ habentibus, cõpetit quo munus Pastorale: atqui hoc munus solo Iure Pontificio ipsi obtinent; igitur & peccatorũ reseruationem. Maior est certa; quia ex vi proprij muneris habent reseruandi peccata facultatem. Consequentia est nota. Minor ex dictis patet; quoniam minus conuenit Regularium Prælatis pastorale munus, quam Ecclesiæ Prælatis, id est Episcopis; sed istis (vt supra demonstrauimus) solo iure humano competit; igitur, & illis.

2 Secundò; peccatorum reseruatio non oritur ex ordinis potestate incompleta quatenus incompleta, sed à potestate completa per materiei applicationem ab eo, qui ordinariam potestatem habet talis materię faciendi applicationem: atqui Regularium præfecti, iure humano secluso, non habent facultatem, seu potestatẽ ordinariam materiam applicandi; igitur ex vi prælationis præcisæ non possunt sibi reseruare casus. Cõsequentia est euidens: Maior ex dictis superiori capitulo patet: Minor probatur; quoniam ex vi præfecturæ Regularis, quod ad summum pretendi potest, est dominatiua potestas

3 quæ eis competit ex vi voti obedientiæ, quam Regulares illis præstant: hæc autem potestas distinguitur a iurisdictionis potestate, iuxta P. *Suarez* doctrinam *lib. 1. de legib. c. 8. n. 4. & tom. 2. de Relig. lib. 6. c. 1.* & aliorum, quos citauimus, & reiecimus *lib. 1. de triplici libert. Ecclesiast.* igitur ex eo, quod sunt Prælati, seu ex vi præfecturæ præcise, nulla potestas iurisdictionis eis conuenit; applicatio autem materiei est actus iurisdictionis completæ, quam iure humano obtinent; igitur isto secluso, non habent facultatem applicandi materiam, & consequenter neque reseruandi casus.

Potest totus iste discursus illustrari exemplis. Et primò, Monialium, in quibus nulla est iurisdictio spiritualis, iuxta D. Thomæ doctrinam *in 4. distin. 19. & 25.* Et *P. Suarez tom. 5. de censur. disp. 2. sect. 3. n. 5. & tom. 4. de Relig. lib. 2. c. 1.* Et nihilominus in illarum conuentibus est aliqua cœteris Præfecta, siue Abbatissà, siue Priorissa, in qua est sufficiens potestas gubernatiua, seu dominatiua ad religiosum statum necessaria. Argumento *cap. 2.* de his, quæ fiunt à Prælato, & ibi *Abbas*, & alij, illa tamen potestas certum est quod non extenditur ad proprios actus spiritualis iurisdictionis, sed ad actus præcipiendi, corripiendi, & instruendi quantum conueniens est ad paternum, & quasi domesticum regimen, vt eleganter docuit *Victoria relect. 2. de potestate Ecclesiæ q. 2. n. 3. P. Suarez vbi supra*, & alij, quos ipse citat, & sequitur *nu. 5. Sanctus Thomas loco quo supra qu. 2. art. 1. Thomas de Argentina in 4. distin. 45. art. 3. ad secundum contra secundam conclusionem, Sanctus Antoninus 3. p. tit. 16. c. 7. §. 2. Nauarrus in summa cap. 27. n. 6.* Summistæ omnes, verbo Abbatissa; igitur ex vi præfecturæ regularis iure humano non est ei facultas reseruandi casus.

Secundum exemplum est de antiquis Monachis qui regulariter non erant Clerici, vt sumitur ex *Dionisio c. 7. de Ecclesiast. hierarch. Hieronymo epist. 1. ad Eliodorum, 4. ad Rusticum, & lib. contra Vigilan.* & ex alijs, quæ referuntur 18. *q.* 1. Et tamen inter antiquos Monachos erant præfecti ac Superiores potestatem sufficientem ad gubernandum religiosum statũ habentes: vt constat de illis antiquis Patribus Antonio, Hylarione, & Pacomio, qui etiam de Sãcto Benedicto, quem Sacerdotem fuisse non constat, immò non fuisse, docuit Seraphinus noster Sancti *Bonauentura in exposit. nostræ regulæ c. 7.* & testatur *Suarez lib. 2. de relig. c. 1. n. 3.* fuisse autem verè Abbatem, id est Monachorum patrem superiorem, satis constat. Adduci potest etiam tertium exemplum optimè explicans nostrum in-

Intentum, quòd habetur apud *D. Gregor. lib. 1. dialog. c. 4. de Equitio*, qui cum sacris ordinibus initiatus non esset, etiam multorum monasteriorum Pater à Gregorio appellatur; igitur ex vi præfecturæ præcisè nō habent Regularium superiores iurisdictionem, seu potestatem applicandi materiam, ex qua oritur peccatorum reseruatio seu (quod idem est) reseruandi peccata facultatem.

Neque obstat si dicas, in illis fuisse potestatem excommunicandi, vt ex Regula S. Benedicti, &
4 alijs colligi potest: nō obstat, inquam, quoniam in nomine excōmunicationis esse æquiuocationem, docemus; Nam illa, de qua Benedictus in sua Regula loquitur, nō erat Ecclesiastica censura, sed externa quædam separatio à fratrum conuersatione, vel in Choro, vel in alijs occupationibus, seu exercitijs, vel in communibus colloquijs, quæ separatio solum erat per ordinationem, seu prohibitionem obedientiæ. Vnde neque ipsum Religosum, neque alias personas eo modo ligabat, quo nunc ligat Ecclesiastica censura.

5 Præterea tertiò; subditorū subiectio quæ constituit Prælatorum dignitatem in ordine Iurisdictionis in Religionibus, non est iure diuino, sed iure priuilegiorum, quatenus Religiosi Regulares ab Episcoporum iurisdictione eximuntur, Prælatisque proprijs subijciuntur; igitur peccatorum reseruatio, omniumque actuum iurisdictionis administratio iure diuino in ipsis non residet, sed iure humano. Consequentia tenet: quia peccatorum reseruatio perse, & intrinsecè (vt ita dicam) requirit regularium exemptionem ab Episcoporum spirituali iurisdictione; nàm alias clauium potestate carerent, subditorumque crimina ab Episcopis, eorumque Vicarijs cognoscerentur: atqui hæc exemptio iure humano (vt statim dicemus) est; igitur, & peccatorum reseruatio. Antecedēs declaratur,
6 simulque minor posterioris discursus ostenditur; nam Religiosorum à iurisdictione Episcoporum exemptio tantum abest, quod sit de iure diuino, quod potius videtur esse quædā quasi dispensatio, vel limitatio iuris diuini, quod de se erat indifferens; igitur quod Prælati regularium habeant in suos subditos spiritualem iurisdictionem, non potest esse iure diuino. Consequentia tenet, quia hac non existente exemptione iure diuino, regulares sub Episcoporum iurisdictione subiacerent (vt multis Doctoribus placuit, saltem consecutiuè; igitur spiritualem iurisdictionem, quam suos habent in subditos religionum præfecti, esse iure humano, certū est. Antecedens probatur; quoniam hæc exemptio fuit quoddam voluntarium priuilegium, quod proinde multo tempore concessum non est: & incepisse videtur aliqua ex parte temporibus Gregorij I. qui Monachos Sancti Benedicti vel omninò, vel magna ex parte à iurisdictione Episcoporum exemit; vt colligitur manifestè ex Concilio Lateranense sub eodem Gregorio I. & *in lib. 7. Epis. eius epis. 18. & ex c. hoc tantum, & cap. quam sit necessarium 18. q. 2.* Alexander verò tertius postea exemit Carthusianos, & Honorius ordines Sancti P. N. Francisci, & P. nostri Sancti Dominici, & deinceps hæc exēptio amplificata est: antea enim nō erat sic vniuersalis, etiam vsque ad tempora Innocentij tertij: vt ex Concilio Lateranensi sub eodem Innocentio patet manifestè, & ex *c. cum dilect. de Religio. Dom.*

7 Quod exemptionis priuilegium adeò voluntarium existimauit P. Suarez loco quo supra, vt possint Summi Romani Pontifices ad libitum reuocare, quamquam causam iustam exposcat quæ si nulla adsit, factum quidem tenebit, licet non rectè.

8 Potest autem hic quæri; quādo inceperint religiosorum Præfecti hanc haberi ecclesiasticā iurisdictionem? Respondetur de hoc initio non satis constare, neque idem pro omnibus posse assignari: nàm cùm non sit fundamentum in iure communi, debet ad speciales concessiones reuocari: quæ concessiones factæ sunt aliquibus Religionibus statim a principio earū. Aliquando verò longa post tempora, quæ in certa omnino sunt; ac propterea propria singularum religionū indulta, vel historiæ, & antiquæ consuetudinis sunt consultādæ. videtur autem hæc iurisdictio in Sancti Benedicti religione (vt paulo superius tetigimus) modo aliquo tempore diui Gregorij incepisse: vt significatur in dicto capitulo, quam sit necessarium, 18. q. 2. quamquam neque ibi expressè eis concedatur iurisdictio, sed aliquæ exemptiones, vel immunitates, quas violare Episcopis interdicitur omninò. quandiu ergo religiosi Episcopis subditi fuere, non videntur propriam habuisse iurisdictionē, saltem ab Apostolica sede, sed quam eis Episcopi delegare volebant. vnde tūc propriè hæc iurisdictio videtur incepisse, cum primū exemptio religiosorum à iurisdictione episcoporum incepit. Exemptio autem quo ad integras religiones initium habuisse videtur à temporibus Alexandri tertij, Innocentij tertij, & Honorij tertij. Etenim Carthusianensem ordinem Alexander tertius exemit, Innocentius verò, & Honorius prædicantes ordines, & deinceps Sūmi Romani Pontifices similia alijs religionibus concessere priuilegia: ante hæc verò tempora aliqua videntur fuisse Monasteria exempta, quamquam alia eiusdē ordinis episcopo Diœcesis essent subiecta, vt colligitur ex dicto *cap. cum dilectus de Relig. domi 6. & ex c. in singulis, & c. vlt. de statu monachorum.*

9 Ex quibus duo colligo: primum, facultatem, quam habent nunc religionum præfecti reseruandi casus propriè & rigorosè loquendo, non habere iure communi, sed iure speciali, seu priuilegiorum. potest nihilominus huiusmodi facultas aliquo modo fundari in iure communi,

tàm

tàm canonico quàm ciuili, saltem ex suppositione, dixi, ex suppositione, quia talis facultas, cùm spiritualis sit, clarum est, nō posse oriri directè ex iure ciuili, potest autem ei tribui, vel quatenus in eo explicatur aliqua naturalis ratio, quæ hoc exposcit, vel quatenus in eo aliquid disponitur, quod à iure Canonico acceptatur, eo ipso quod non reijcitur, vt exempli gratia; in lege vltima de iurisdictione omnium iudicum statuitur, vt qui in aliqua sunt connumerati militia, ijs iudicibus subsint, qui eis in tali iurisdictione præsunt; eo quod videtur hoc naturalis æquitas, & ratio postulare facit inde Capitulum, *communem Ecclesiarum de officio ordinarij*, quatenus significat vnumquemque Prælatum in suam plebem, seu sibi subiectam cōgregationem habere iurisdictionem ex quibus iuribus fundari posset talis facultas, quamquam non satis; quia nullum datur ius, a quo immediatè colligatur, saltē quo ad vniuersum statū; vt paulò superius docebamus. Posterius, quod hæc reseruandi peccata facultas non iure
10 diuino, sed humano habet suum initium, negare tamen nō possumus, prædictam facultatem, licet in se non sit de iure diuino, esse tamen cōsecutiuè multū conformis iuri diuino. pro qua re facere possunt ea quæ docet *P. Suarez lib. 4. de legib. c. 3. n. 2. & seq.*

CAPVT VI.

Aduersariorum argumentis satis fit.

SVMMARIVM.

1 *Verba illa Christi Domini* Matthei 18. si Ecclesia non audierit, *non demonstrant Prælatorum Regularium iurisdictionem esse iure diuino.*
2 *Dilucidantur illa verba Christi Domini* Matthęi: *quæcunq; ligaueritis, &c.*
3 *Si Episcoporum iurisdictio esset ex iure Diuino, non ex hoc sequeretur quod Regulares Prælati in suos subditos ex Diuino iure spiritualem haberent iurisdictionem.*
4 *Status Religionis, vt sic, est à Christo Domino institutus.*
5 *Status Religionis, quatenus modò ab omnibus profitetur Regularibus, nō est immediatè à Christo.*
6 *Ad hunc Religionis statum conseruandum non sunt Prælati regulares necessarij: Declaratur.*
7 *Exponitur textus in Clementina 1. de Electione, & alia iura in c. 1. n. 6. adducta.*

1 FVndamenta ab aduersarijs adducta nullius sunt roboris: ad primum enim respondetur negando consequentiam: fit enim illatio virtualiter in quatuor terminis; immediatè enim solùm infertur, Religionum Præfectos iurisdictionem illam habere, ratione cuius dixit Christus: *si Ecclesia non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus*: inde autem nihil infertur, quoniam Christus non dixit, omnes Ecclesiæ Prælatos dictam iurisdictionem ab ipso immediatè habituros: Vnde si ratio illa aliquid valeret, probaret vtique, omnes, qui in Ecclesia potestatem habent excommunicandi, etiā Archipresbyteros, Archidiaconos, Priores, Abbates, & similes inferioris dignitatis illam diuino iure habere: quod profectò falsum est apertè: quia ferè in his omnibus iurisdictionem ex Pontificio Priuilegio constat manasse.

2 Et per idem respondetur ad secundum; cognoscimus enim verba illa; *quæcunque ligaueritis, & solueritis, &c.* pro omnibus dicta esse Prælatis; dicimus nihilominus adimpleri, vel in multis, vel in omnibus, infra summum Romanum Pontificem, per iurisdictionem immediatè ipsi concessa Pontifici. vnde in his argumentis aduertere oportet cum *P. Suarez loco citato*, aliud esse, Prælatum iurisdictionem habere, aliud, quod obediendum sit Prælato iurisdictionem habēti. Primum non semper est immediatè à Christo Domino, nec ex eius præcepto: posterius verò est diuinum præceptum Matthæi 14. Explicatum, ibi; *si Ecclesia non audierit*, quod suo modo naturale est, pro vt latè illustrauimus *lib. 1. de triplici libert. Eccles.* veluti obedire Regibus. Similiter clauiū participatio nō semper est immediatè Diuino iure, sed per hominis concessionem; & nihilominus clauium participatione supposita, quod habeant effectum aperiendi, & claudendi de iure Diuino, est explicatum illis verbis; *quæcunque ligaueritis &c.* hic autem non agitur de clauium effectu quasi in sensu composito, sed de ipsa clauium participatione per iurisdictionem quasi Episcopalē.

Ad tertium respondeo, negando antecedens; probabiliùs enim opinamur, Episcoporum iurisdictionem non esse iure Diuino; vt disputatione prima pro iuris Pontificij defensione *quæst. 1. c. 1. & disput. 6. q. 2. c. 4.* probauimus. Aliter secundò responderi potest, negando consequētiam; tùm quia argumētum à simile debile est, maximè vbi tanta differentiæ ratio facile assignari potest; tum etiam quia ex illo antecedente potius contrarium inferri debuisset. Itaque si Episcopos negemus (prout negamus) iure diuino habere iurisdictionem, inde à fortiori infertur, idem esse dicendum de omnibus inferioribus Prælatis, tàm sæcularibus, quàm Regularibus. Si verò de Episcopis, id admittendum esse concedamus, quod minimè concedimus, inde etiam colligimus, de inferioribus non esse admittendum. Primò quidem, quia hoc tamquā speciale habet aliquam in Episcopis rationem, quia horū dignitas est de iure diuino; eo quod diuinum præceptum est, vt Ecclesia Dei per Episcopos regatur, iuxtà illud actorum 20. *posuit vos spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei.* aliæ verò inferiores dignitates quantū spectat ad iurisdictionis fori contentiosi potestatem, nec ex Christi Domini institutione sunt, nec ex eius præcepto.

4 Ad

4 Ad quartum respondeo distinguendo maiorem; nàm status Religionis, præcisè in quantùm vota substantialia respicit; est à Christo Domino immediatè institutus: ad illum autem vt sic, non sunt Præfecti necessarij, qui sint Religiosi, ne dum eiusdem ordinis, & habitus. Id enim ex eo patet, quoniam non est de talis status essentia, vt sit in communi vita, seù congregatione, pro qua necessaria sit dicta Prælatio. Status autem Religionis quoad omnes circumstantias, quas nunc habet, non est ex Christi Domini immediatè institutione, sed & adiuncta Ecclesiastica prudentia & dispositione: & ideò quamuis in illo statu, prout nunc est, simpliciter necessariam cognosceremus dictam iurisdictionem non sequitur, datam esse immediatè à Christo Domino, sed pertinere potest, vt realiter pertinet, ad eas circumstantias, quas Ecclesia addidit.

6 Secundò aliter responderi potest, dicendo etiã, in hoc statu, prout nunc est in vita communi, vel sub vno Prælato, iurisdictionem ordinariam in eo existentem, non esse simpliciter necessariam ad ipsius conseruationem, vt patet in Monasterijs Monialium, quæ Episcopis immediatè subduntur, & in Monachorum antiquis Monasterijs, vt supra docuimus. Quo circa ratio illa, qua iura vtuntur, non fundatur in absoluta necessitate, sed in maiori congruitate, & prudentiori Gubernio; aliàs illorum iurium dispositio non esset noui iuris constitutiua, sed declaratiua dumtaxàt iuris Diuini, quod est contra illam particulam, de cætero, quæ in dicta Clementina habetur.

7 Quibus eleganter addit *Pater Suarez locis citatis*, illa Decreta supponere, religiosum statum, prout nunc est, ab Ecclesia institutum, & non mero iure Diuino. Supposito enim quod Ecclesia voluerit Religiosos proprios, & immediatos habere ordinarios Præfectos ab Episcopis distinctos, valdè rationi consentaneum est, ac ferè necessarium ex natura rei, vt sint Religiosi, & eiusdem ordinis: at verò id, quod supponitur, non est de iure Diuino; quoniam Episcopi proximi Religiosorum Prælati esse possent. Vnde etiam nunc, ex communi Doctorum sententia, ad Ecclesiam Regularem, si sit Cathedralis, potest in Episcopum sæcularis eligi Clericus, iuxtà *Capit. Nullus de elect. 6.* & *Clement. 1. de elect. & cap. quod Dei timorem de statu Regularium*; & notat *Panormitanus in capit. cum causa eodem tit. in 6.* & reddit rationem, quia Episcopus, propter suæ dignitatis excellentiam, dici potest Religiosus: Quamobrem Religiosis immediatè præesse potest. Igitur idem potuisset instituere Ecclesia de quocunque Religioso conuentu, etiam si Cathedralem non habet Ecclesiam. Vnde ex his clarè patet, iurisdictionem spiritualem quam, nunc Religionum Præfecti habent, ex qua immediatè oritur reseruandi peccata facultas, non esse iure diuino, sed humano dumtaxàt.

DISPVTATIO SECVNDA

De Regularium Superiorum, inferiorum reseruandi peccata, authoritate.

DE Prælatorum Generalium ac Prouincialium reseruandi peccata facultate supra fecimus tractationem, nunc specialem de aliorum Religionum inferiorum, vt sunt Abbates, Guardiani, Priores, Doctores, Præpositi, &c. authoritate, circa peccatorum reseruationen, necessariam faciendam esse disputationem existimauimus; Vt hac in materia nulla contingere possit dubitatio, quam non expendemus.

QVAESTIO I.

Vtrum Regularium Conuentuales Superiores, nimirùm Abbates, Guardiani, Priores, & alij eiusdem generis, Episcopalem habeant iurisdictionem?

CAPVT PRIMVM.

Ponitur sententia negatiua cum suis fundamentis.

SVMMARIVM.

1 *Generales Prouinciales Ordinum omnium Regularium habent Episcopalem iurisdictionem ad reseruationem peccatorum faciendam necessariò.*

2 *Superiores Conuentuales non habent iurisdictionem Episcopalem.*

3 *Superiores Conuentuales respectu Prouincialium æquiparantur Archidiaconis, & Archipresbyteris respectu Episcoporum.*

4 *Qua ratione iura antiqua Abbatibus iurisdictionem quasi Episcopalem tribuebant.*

1 AD peccatorum faciendam reseruationem requiri necessariò ordinariam extra sacramentum spiritualem iurisdictionem, quam Episcopalem, vel quasi Episcopalem appellamus (vt sequenti capitulo, fusiùs declarabimus) illamque in Superioribus Supremis, veluti sunt Generales, ac Prouinciales esse, in præcedenti disputatione demonstrauimus, Hæc autem cùm in alijs non adsit inferioribus Præfectis, certum quidem erit, hos reseruandi peccata facultatem non habere. querendum igitur est, an Abbates, Guardiani, Priores, Rectores, Præpositi, &c. ex vi pro-

proprij muneris hanc ordinariam, & quasi Episcopalem iurisdictionem obtineant; qua iure negatiua sententia, quam nonnulli Authores, (quos sub tacito nomine *Pater Suarez tom. 4. de Religione lib. 2. cap. 2.* citat) defendunt, esse iurisdictionem quasi Episcopalem necessariam ad peccatorum reseruationem faciendam, eamque Præfectos religionum supremos dumtaxat habere, vt Doctores omnes *in Clement. 1. de rebus Ecclesiasticis non alienandis in verbo Præpositi docent*, & colligitur *ex cap. Abbates de priuilegijs in 6.* ibi, *in quos Ecclesiasticam, & quasi Episcopalem iurisdictionem obtinent*, vbi *Glosa* notat, vocari quasi Episcopalem, eo quòd ad actus, ad
2 quos potestas ordinis, seù consecratio Episcoporum attingit, non se extendit, seù necessaria est. Eo ducuntur fundamento, quoniam licet ex his iuribus rectè colligatur, Prælatos superiores ordinis mendicantium, vt sunt Generales, & Prouinciales iurisdictionem quasi Episcopalem habere, non tamen sumi potest argumentum adiddem sentiendum de conuentualibus Prælatis earundem religionum, vt sunt Guardiani, Priores, &c. quia hi sunt inferiores Præ-
3 lati, qui comparantur ad Prouinciales, sicut Archidiaconi, vel Archipresbyteri ad Episcopum. hi autem Prælati minores iure communi non habent Episcopalem iurisdictionem; nàm de quibusdam minoribus dumtaxàt per se iudicare possunt; maiora verò ad Episcopos perferre debent, vt constat ex toto titulo de officio Archidiaconi, & Archipresbyteri, cum ibi adnotatis. Ita ergo Præfecti Conuentuales, saltem religionum mendicantium, iure communi non habebunt Episcopalem iurisdictionem, sed inferiorem quasi Archidiaconi, vel Presbyteri, quibus comparantur.

4 Confirmatur, quoniam nullum assignari potest ius canonicum, ex quo rectè colligatur, superiores inferiores mendicantium prædictam habere iurisdictionem, quamquam sit Abbas Benedictus, si proprium in eadem Religione habeat superiorem. Iura enim antiqua ideo Abbatibus iurisdictionem quasi Episcopalem tribuunt, quia tunc singuli Abbates erant quasi supremi, & superiorem non cognoscebant Generalem. *Vnde in capitulo, nullam 18. quæst. 2. Pelagius Papa* inquit; *ad Abbatem potestas tota pertinere conuenit*; quia nimirùm eo tempore vnusquisque Abbas totam sui monasterij curam habebat, nec generalem superiorem cognoscebat, at qui Religionum omnium conuentuales superiores Prælatum supremum, præter Generalem, à quo dependent, recognoscunt: igitur ex iuribus colligi non potest aliquod robustum fundamentum, quo ostendi potest, Prælatos conuentuales Religionum iurisdictionem habere Episcopalem. hæc sunt potiora fundamenta, quibus fundatur allata opinio, quam *Pater Miranda tom. 2. quæst. 18. art. 3.* defendit.

CAPVT II.

Allata sententia reijcitur.

SVMMARIVM.

1 *Prælati Conuentuales comparantur ad Generales, seù Prouinciales, veluti Archidiaconi ad Episcopos.*

2 *Exponitur Textus in cap. Nulla 18. q. 2.*

3 *Abbates Monachales antiquis temporibus Episcopis subdebantur.*

4 *Subordinatio, quam Prælati conuentuales ad Generalem, vel Prouincialem habent, cur non obstat ad hoc vt de iure Episcopalem habeant iurisdictionem?*

5 *Abbates Monachales iuxtà antiquorum iurium dispositionem quantam in subditos Monachos habuerint potestatem.*

6 *Conuentualium Præfectorum iurisdictio tam iure antiquo, quàm moderniori, est quasi Episcopalis.*

1 VErùm horum doctorum opinio nullo mihi modo probatur; quoniam differentia illa, quam ex iuribus illis inferunt, deduci minimè potest. Etenim iure communi nullum cognoscimus discrimen, quod assignari possit inter Abbates, vel Priores Monachales, Guardianos, Priores, & alios mendicantium Prælatos. nihil enim de his posterioribus Prælatis iure communi circa hoc dispositum inuenitur, vt eleganter adnotauit *Pater Suarez tom. 4. de religione l. 2. c. 2. n. 10.* Et quamquam illa anologia Archipresbyteri, & Episcopi in aliquo similis sit, non tamen in omnibus. Quamobrem ex illa robustum aliquod sumi non potest fundamentum; eò quod si statum, ac modum regiminis consideremus, quem nunc Monachales habent religiones, & iam in eis Abbates particulares ad Generalem possunt comparari sicut Archidiaconi ad Episcopum. Si autem sermo sit iuxtà antiquorum iurium dispositionem, non possumus secundùm illam in religionibus aliquam constituere differentiam in mendicantibus Religionibus, cùm nondum essent institutæ, sed potius cum proportione de illis esset loquendum.

2 Textus verò, qui ad confirmandum ab Aduersarijs adducitur, eos adiuuari non potest; eò quòd incertum est, an loquatur de propria spirituali iurisdictione, vel de sola dominatiua potestate, per quam Prælato totius conuenit Monasterij administratio, quod ad spiritualia, & temporalia, etiam præuia propria spirituali iurisdictione. Quòd enim hoc satis sit ad illius textus verificanda verba, ex eò colligi potest, quòd (iuxtà communem expositionem doctorum) dispositio illa etiam ad Abbatissas extenditur: vt ibi notat *Nauarr. comm. 3. n. 4. de regularibus*, & sequitur *Suarez supra*, qui multa adducit ex regula diui Augustini ad confirmandam decisionem illius textus, quæ planè intelliguntur de Præposito, qui tunc iurisdictione carebat, sed tantùm dominatiua gaudebat potestate,

te, vt idem *Suarez* rectè *probat lib. 2. de religione cap. 2.* Cùmque Pelagius Pontifex noster multò post sederit Augustinum, & ferè eodem, quo sanctus Benedictus floruit tempore, incertus fuit an própria iurisdictio spiritualis esset tunc concessa Abbatibus, vt colligitur *ex cap. cùm sit necessarium 18. q. 2.* maximè cùm non constet (vt paulò superiùs adnotauimus) vel Benedictum ipsum, vel Abbates illius temporis fuisse clericos.

3 Quod si ille Textus ad spiritualem extendatur iurisdictionem, pro vt communiter extendi solet, (quod profectò negandum non est, quoniam ostendi facilè non potest illam tunc non habuisse, vt disputatione præcedenti docebamus, eo quòd iura indifferenter loquuntur;) dicimus nihil obstare, nàm Abbates illi, de quibus iura Canonica dicunt habere quasi Episcopalem iurisdictionem, Episcopis subdebantur, vt eadem testantur iura; igitur erant illis inferiores non solùm dignitate, sed etiam iurisdictione sub ordinatione, ac dependentia; ergo comparabantur ad illos veluti nunc ad suum Generalem, vel

4 Prouincialem; ergo hæc subordinatio non impedit, quominùs nunc habere dicantur iurisdictionem quasi Episcopalem; nec iura antiqua fundantur in hoc, quod illi Abbates tunc in sua Religione supremi erant; hoc enim parùm refert, vt si eorum potestas adeo esset limitata, vt ad nullos Episcopalis iurisdictionis actus extenderetur: quod esse posset, etiam si infra eandem religionem alium supremum recognoscerent Superiorem, nam subiectio ad Episcopos sufficeret. immò nec citat. cap. nullam, etiam si de potestate iurisdictionis intelligatur, satis illam iurisdictionem colligitur tunc fuisse tantam, vt quasi Episcopalis dici posset. Nàm verba illa, ad *Abbatem potestas pertinere conuenit*, accipienda minimè sunt absolutè, sed intelligi debent respectiuè, id est ad aliquos Monachos, facta comparatione, cum quibus ibi fit collatio, vt sequentia illa verba clarè demonstrant, nimirùm; *quia nulla auctoritas remanebit Abbati, si Monachorum potestati cęperit subiacere.* sic ergo dicitur tota potestas esse in Abbate, quoniam tota, quanta est, in illo solo est, & semel collata iam non pendet à subditis; quanta autem sit, ibi non explicatur, sed dumtaxat dicitur; *vniuersa, quæ vel ad diuini cultus reuerentiam, vel ad vtilitatem Monasterij pertinent, Abbatis sollicitudo debet adimplere*. ad hæc autem duo sufficere posset iurisdictio inferioris Prælati, vt Archipresbyteri, &c. igitur quòd iurisdictio Abbatis sit quasi Episcopalis, non tàm iure antiquo, quàm nouo citato *ex lib. 6.* sufficienter ostenditur; ergo illis quo ad hoc alij Conuentuales Religionum mendicantium æquiparantur Prælati, non resistente saltem iure communi, immò aliquo modo adiuuante, saltem per rationis similitudinem. nàm si verum fateri velimus, nulli eorum ex iure communi, sed ex proprijs priuilegijs, & quasi iure speciali illam obtinent, vt statim dicemus: nec in dicto *cap. Abbates*, illis confertur hæc potestas, sed collata supponitur vtique per priuilegia. vt *Pater Suarez de Religione tom. 4. lib. 2. cap. 8.* latè ostendit, & nos sequenti cap. docebimus.

CAPVT III.

Authoris sententia declaratur, & probatur.

SVMMARIVM.

1 *Iurisdictio quasi Episcopalis quæ sit, declaratur.*
2 *Iurisdictio Prælatorum Regularium dicitur quasi Episcopalis, eo quòd ad actus ad Episcopos spectantes se extendit.*
3 *Actus Episcopalis iurisdictionis enumerantur.*
4 *Statuitur discrimen inter Archidiaconos, & Religionum Prælatos.*
5 *Dictio*, Quasi, *quid in proposito importat.*
6 *Omnes conuentuales Præfecti omnium ordinum Regularium in suos subditos habent immediatam iurisdictionem.*
7 *Priores, Guardiani, Præpositi, Rectores, & alij immediati conuentuum, seù Monasteriorum Prælati in suos subditos habent quasi Episcopalem iurisdictionem.*
8 *Prælati Conuentuales tantam habent iurisdictionem spiritualem in suos subditos, quantam Generales in toto Ordine, & quomodo.*
9 *Prælati Generales in rigore ex priuilegiorum iure habent Episcopalem iurisdictionem.*
10 *Prælati Conuentuales, licèt coarctatam habeant suam iurisdictionem, est nihilominùs quasi Episcopalis.*

1 VT nostram veram determinemus sententiam, nonnulla hic scitu digna priùs declarare oportet. Et primò declaranda venit vox illa (*quasi Episcopalem*) dupliciter enim potest aliqua iurisdictio dici Episcopalis: primo modo ratione subiecti; scilicet quia est iurisdictio per se debita muneri Episcopali, & quasi iure suo personam consecratam in Episcopum tanquam proprium subiectum suum exposcens. posteriori modo dici potest iurisdictio Episcopalis ratione actuum; quia scilicet extenditur ad actus, qui communi, & ordinario iure sunt proprij Episcoporum iurisdictionis. sunt enim quidam actus spiritualis iurisdictionis Episcopis per se conuenientes, alij autem non, nisi quatenùs aliquid de eorum participant iurisdictione. Iurisdictio ergo Prælatorum Religionis quasi Episcopalis appellatur, eò quòd re vera ad actus Episcopalis iurisdictionis circa talium Prælatorum subditos se extendit. huiusmodi enim actus sunt excommunicatio, aut suspensio maximè si ordinaria fiant iurisdictione: item absolutio ab eisdem censuris presertim ab homine latis: item absolutio à casibus; & censuris reseruatis præsertim Papæ in aliquibus euentibus: item dispensatio in votis, & in nonnullis irregularitatibus: & similes, quos prædicti Religionum Prælati participant: nàm licèt fortè non quilibet illo-

illorum Prælatorum, omnes quilibet tamen eorum potest plures illorum actuum efficere; & in eis excedunt ordinariam Archipresbyteri, & Archidiaconi iurisdictionem: hi enim licèt possent aliquando excommunicare, non tamen

4 tàm generali potestate, sicut Religionum Prælati. Et propterea in votis dispensare nequeunt, &c. hæc ergo ratio sufficiens est, vt iurisdictio horum Prælatorum Episcopalis vocetur, non tamen simpliciter, sed cum diminutione; quamobrem illa particula additur quasi.

5 Vnde obseruandum est, quòd huiusmodi particula duo significare potest. Primum, quòd illa iurisdictio est in alieno subiecto, id est, in non Episcopo, & hoc modo talis diminutio communis est omnibus Prælatis non Episcopis, & ad illam pertinet, quod non sufficit in tali persona ad omnes Episcopales actus exercendos, saltem eos, qui Episcopalem requirunt consecrationem, vt notat *Glossa in c. Abb. de priuilegijs*, quamquam hoc non semper ex iurisdictionis limitatione proueniat, sed ex ordinis defectu potestatis secundum, potest per illam particulam diminutiuam, quasi, intrinseca iurisdictionis Episcopalis potestas significari; quia nimirùm in Religionis Prælato non se ad omnes actus extendit, etiam puræ iurisdictionis, quos potest Episcopalis iurisdictio elicere, & hoc modo etiam illa particula sumitur in præsenti, & maximè locum habet in Præfectis Conuentualibus ordinum Mendicantium, qui iurisdictionem habent magis limitatam; & ideò sine dubio non possunt omnes actus iurisdictionis Episcopalis exercere, vt v. gr. dare dimissorias litteras ad ordines suscipiendos, & alia, de quibus statim dicemus: sufficit autem, vt aliquos actus eiusdem Episcopalis iurisdictionis exercere valeant, vt in rigore teneatur, eos iurisdictionem Episcopalem habere: rationi enim consentaneum est, in Prouincialibus etiam habere locum hanc diminutionem, quia non possunt omnia circa suos subditos, quæ possunt Episcopi circa suos: quoniam aliquid semper est Generalibus reseruatum, & nihilominus certum est, etiam in opinione *Patris Mirandæ*, eos Episcopalem habere iurisdictionem; igitur ex quo hæc iurisdictio sit diminuta in Guardianis, alijsque Ordinis Mendicantium Conuentualibus Præfectis, non potest sumi argumentum robustum, quo ostendi possit, prædictos Præfectos non habere quasi Episcopalem iurisdictionem: de Generalibus autem ipsis hæsitari potest, quia plenissimam sub Summo Romano Pontifice habent iurisdictionem, & nihilominùs in eis inuenitur aliqua limitatio, seù diminutio, & saltem hæc nunc occurrit, quòd interdictum locale ponere nequeunt, vt cum pluribus Doctoribus docuit *P. Suarez de censuris disput. 36. sect. 1. num. 2.* item ea, quæ possunt Episcopi specialiter, vt Pontifices Delegati, non cadunt sub Prælatorum Religionis Generalium iurisdictione: igitur ex vi huiusmodi limitationis non rectè colligitur, non esse in Superioribus Conuentualibus Episcopalem iurisdictionem.

6 His ergo dictis, dico primò, omnes Conuentuales Prælatos Mendicantium Ordinum immediatam iurisdictionem in omnes Religiosos sibi subiectos habere: hæc conclusio est certa; nàm sunt immediatè Prælati, vt idem *Pater Miranda loco supra citato artic. 2.* fatetur, habentes iurisdictionem in subditos, & inter illos, & subditos non mediat alius Prælatus; ergo necessè est, vt illorum iurisdictio immediatè, sit in sibi subiectos; nàm ad alios nullo modo extenditur; nàm Prælatus inferior in eos, qui non sunt sui Collegij, seù Conuentus, aut Monasterij, non habent iurisdictionem, *arg. in l. vlt. C. de iurisd. omn. iudic. & cap. cùm ab Ecclesiar. de offic. ordinar. vbi Gloss.*

7 Dico secundò, hanc immediatam iurisdictionem, quam in suos exercent subditos Guardiani, Abbates, Priores, Præpositi, Rectores, & alij quocunque vocentur nomine, esse quasi Episcopalem; ita *Suarez loco citato; Sotus libr. 7. de iustitia, & iure quæst. 4. art. 3. vers. Abbates, Graff. p. 1. Decisionum lib. 2. cap. 51. n. 28. Clau. Reg. lib. 6. cap. 11. n. 89. Sanchez lib. 8. de matrimonio disp. 7. n. 9. Aragonus 2. 2. q. 88. Fr. Martinus à Sancto Ioseph in expositione Regulæ ca. 16. n. 10.* & in *opuscul. de autoritat. Guardianorum n. 1.* ex Canonistis *Abb. in cap. atsi Cleric. de iudicijs nu. 16.* vbi Benedictus & Federicus hæc conclusio patet ex dictis; ostendi autem potest primò, quia prædicti Conuentuales Præfecti ex vi spiritualis iurisdictionis possunt suos subditos excommunicare, suspendere, à Censuris absoluere, dispensare in votis, & alia his similia: atqui huiusmodi actus per se primò sunt Episcopalis iurisdictionis, igitur horum Prælatorum iurisdictio immediata, quam in suos exercent subditos, est quasi Episcopalis. Maior est certa, nàm qui habent facultatem ferendi censuras, habent quòque facultatem suspendendi; igitur si ex mente *P. Mirandæ loco quo supra, conclus. 2.* ex iure Guardiani nostri ordinis, & consequenter aliarum religionum, conuentuales Præfecti habent iurisdictionem excommunicandi, igitur & suspendendi, prout ostendi *Pater Suarez lib. 2. de Religione tom. 4. cap. 9. num. 6.* minor est per se nota, nàm actus ferendi censuras, suspendendi, &c. sunt actus principaliores iurisdictionis Episcopalis. ita *Suarez loco citato num. 6. &* communiter Doctores.

8 Secundò probatur, quòniam nostri ordinis Guardiani, Priores præclarissimi ordinis Prædicatorum, alijque Religionum Præfecti, locales priuilegium habentes communicationis iure priuilegiorum, tantam habent spiritualem iurisdictionem in suos subditos immediatè, quantam habent Generales in totum ordinem, & Prouinciales in totam Prouinciam; atqui Generalium, ac Prouincialium superiorum iurisdictio spiritualis, quam plenissimè habent, est quasi Episcopalis; igitur Guar-

Guardianorum, aliorumque Mendicantium ordinum Conuentualium Prælatorum iurisdictio spiritualis est quasi Episcopalis. Consequentia (maiore, & minore ostensis) est euidens. Maior igitur probatur primò, ex innumeris, priuilegijs Religionum Præfectis concessis, quæ habentur in monumentis, ordinis, & referuntur in compendio verbo, *Prælati*, & verbo, *Guardiani*, in multisque alijs titulis, quibus conceditur auctoritas, ad absoluendum, & dispensandum, ad correptiones, & ad alia similia, in quibus ad marginem apponitur hoc nomen, *Prælati*, sub quo nomine (vt ipsemet *P. Miranda* fatetur, *tom. 2. quæst. 8. art. 4.*) non solùm Prælati Generales, & Prouintiales compræhenduntur, verùm etiam & Præfecti conuentuales, vt sunt Priores, & Guardiani, vt declarauere Clemens Quartus, & Sixtus Quartus constat quoque maior huius discursus ex decreto Iulij secundi, cuius Mentionem facit collector Priuilegiorum *in compendio verbo, Guardiani §. 4.* quo concessit, quòd omnia priuilegia, & indulta Apostolica concessa ordini fratrum Prædicatorum spectantia ad Priores conuentuales dicti ordinis pertinerent etiam ad Guardianos conuentuum ordinis Minorum; sed certum est, quod auctoritas prædictorum Priorum conuentuum Prædicatorum ita magna est, vt æquiparetur atq; adæquetur Priorum Prouincialium autoritati, vt idem collector loco quo supra testatur; igitur si illa Prouincialium est quasi Episcopalis, igitur & ista. Minor verò primi discursus docetur à *Patre Suarez de Religione tom. 4. lib. 2. cap. 2. per totum & cap. 8. & 9. Miranda loco citato art. 3. conclusione* 1. & habetur communiter à Canonistis *in cap. Abbates de priuilegijs in 6.*

9 Neque discrimen, quod idemmet *Miranda* assignat, quòd nimirùm iurisdictio, quam habent *Guardiani*, alijuè ordinum Mendicantium Præfecti ita amplissimam in sibi subiectos immediatè religiosos, est iure priuilegiorũ, & non iure communi, aliquid obstat; nàm reuera Generales Prçlati, ac Prouinciales quorumcunque Mendicantium, & non Mendicantium ordinum, Episcopalem iurisdictionem, quam in suos habent subditos non obtinent iure communi, sed speciali priuilegiorum. ita eleganter docet *Suarez cap. 8. lib. 2. tom. 4. de Religion.* & insinuat *cap. 2. num. 12. in fine*; Verùm enim verò quid referre potest ad hoc, vt Guardianorum auctoritas, seu iurisdictio non sit quasi Episcopalis, ex eo quòd habeant iure speciali Priuilegij, & non iure communi? certè nullam cognoscimus rationem ex allata differentia; qua ostendi possit, illam Prælatorum Generalium, ac Prouincialium spiritualem iurisdictionem esse quasi Episcopalem, non verò hanc Guardianorum, aliorumvè Mendicantium ordinum iurisdictionem spiritualem.

10 Minus obstat id, quod ipsemet *Miranda* affert scilicet quòd Guardianorum iurisdictio sit à iure coarctata; quia ad hoc, vt horum iurisdictio spiritualis dicatur quasi Episcopalis, satis est, vt se extendat ad principes actus Episcopalis iurisdictionis, qui sunt excommunicandi, absoluendi, ac dispensandi, vt ex paulò antedictis in nostris notabilibus sufficienter constat.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum Abbates, Priores, Guardiani, Præpositi, Rectores, alijque ordinum Mendicantium conuentuales immediatè Præfecti aliquorum peccatorum sibi valeant reseruare absolutionem.

CAPVT VNICVM.

Hos Regularium Conuentuales Superiores ex vi suæ spiritualis iurisdictionis præcisè sibi nonnullorum peccatorum reseruare posse absolutionem, ostenditur.

SVMMARIVM.

1 *Omnium Ordinum Præfecti conuentuales possunt sibi reseruare peccata.*
2 *Priuilegia, quibus Prælatis conuentualibus conceditur facultas reseruandi peccata.*
3 *Facultatem reseruandi peccata, quam Prælati cõuentuales habent, esse restrictam & limitatam à Capitulo Generali, ostendit* Miranda.
4 *Priuilegium duas habet rationes formales; & quęnam illæ sint.*
5 *Capitulum Generale an possit reuocare Priuilegia?*
6 *Quæ Priuilegia reuocare potest Capitulum Generale; & quomodo.*
7 *Priuilegia concessa Prælatorum dignitati completam habent priuilegij formalem rationem.*
8 *Superiores locales non possunt priuilegijs renuntiare; & quare.*
9 *Priuilegium concessum superioribus conuentualibus non est renuntiabile.*
10 *Priuilegium respiciens ius succedentium dignitati non est renuntiabile; & quare.*
11 *Capitulũ Generale nostri ordinis Assisijs celebratum quid circa auctoritatem Guardianorum quo ad reseruandi casus disposuit.*
12 *Author circa hanc Constitutionem quid senserit.*

1 OMnes Regularium Præfectos conuentuales facultatem sibi, reseruandi peccata habere, indubitatum est. Sed aduertito nihilominùs antequam nostram probemus assertionem, quam indubitatam existimamus, nos hic sermonẽ de horum Prçlatorũ facultate facere, vt sic; quatenus nimirũ eam Clementis VIII. Constitutionem præscindimus: nam hac existente (sicut postea dicemus) Generales Prælati, & Prouinciales absque Generalis capituli, & Prouincialis consensu reseruare peccata nõ possunt, & ita nec conuentuales Superiores. Loquimur de eorum duntaxat auctoritate in vniuersum considerata, seù ante Clementis Octaui decretum. Hoc supposito, ostenditur primò nostra assertio. Ad peccatorum præseruatio-

uationem faciendã requiritur necessariò quasi ab intrinseco (vt ita dicam) completa spiritualis iurisdictio: Atqui Abbates, Priores, Guardiani, &c. habent hanc spiritualem completam iurisdictionem; Igitur in eis residet facultas reseruandi peccata. Consequentia tenet: Maior, & Minor ex supradictis sunt notæ. Secundò; Præfecti Conuentuales omnium Regu-
2 larium ex his, quæ superiori capitulo docuimus, speciali iure in suis domibus possunt totum id, quod Generales in toto ordine, & Prouinciales in tota Prouincia: constans autem est, hos supremos Religionũ Præfectos ex vi spiritualis iurisdictionis, quam immediatè in suos exercent subditos, reseruare posse peccata, igitur & conuentuales Prælati, nimirùm Abbates, Priores, Guardiani &c. consequentia est manifesta: Maior, & Minor ab Aduersarijs admittuntur. Tertiò probatur ex speciali priuilegio Guardianis nostri ordinis concesso ab Alexandro Quarto, quod habetur in monumento ordinis secundæ impressionis *fol. 56. & in supplemento fol. 3. concl. 2.* & refertur *in cõpendio verbo, Absolutio ordinaria quoad fratres* §. 17. quo declarauit, & decreuit quod Generales, & Prouinciales, atque Guardiani nostri ordinis reseruare sibi possent casus de occultis intra Religiosos, & quod absoluentes à talibus post huiusmodi reseruationem nullam faciant absolutionem, & incidant in pęnam absoluentium à casibus non concessis.

3 Verùm *Pater Miranda in suo Manuali tom. 2. q. 19. art.* 5. ad duo priora argumenta conatur respondere verum esse, prædictos Conuentuales Superiores iure priuilegiorum tantum habere auctoritatẽ, & iurisdictionem in suos sibi subditos; nihilominùs tamen hanc iurisdictionem esse à capitulo Generali restrictam, ac limitatam. Quod si dicas, Generale Capitulum talem limitationem facere non posse, eo quòd inferior tollere non potest ea, quæ concessa fuere à Superioribus, iuxtà communem regulam; Respondet, quòd prædicta Regula habet locum quando priuilegium tollitur contra voluntatem concedentis, aut etiam contra voluntatem illius, cui concessum est: Porrò quando Capitulum Generale hanc facit restrictionem, vtraque deficit ratio: Nàm primò iam supponitur, quod huiusmodi limitatio, & coarctatio ex voluntate, licentia, & permissione Summi Pontificis fuit facta, & de ipsius auctoritate, & licentia expressa. Quin immò addit, quod ad hoc forsan satisfuerit præsumpta, vel interpretatiua. Secundò, quia neque hoc factum fuit contra eorum voluntatem, quibus huiusmodi sunt concessa priuilegia: Nàm omnes Fratres ad Capitula Generalia, & Prouincialia se compromittunt, vt illa faciant, & disponant pro suo arbitrio, & voluntate de omnib. quæ pertinent, & spectant ad commune totius ordinis bonum regimen, & gubernıũ, siuè illud sit circa priuilegia concessa, siuè circa quodcunque aliud: quo fit, vt ex voluntate saltem interpretatiua totius ordinis per Capitula Generalia, & Prouincialia respectiuè Prælatorum quorumcunq; potestas, & iurisdictio potuerit, & possit restringi, limitari, & auferri ab eis vsus quorumcunque Priuilegiorum, hactenus *Miranda*.

4 Mihi verò hæc non probantur; semper enim difficile mihi persuadere potui, quonam pacto capitulum Generale potuerit Prælatorum iurisdictionem restringere: Ex eo quam maximè, quia ipsemet Pater *Miranda* probat esse de iure diuino, & iure communi. Dato nihilominùs iurisdictionem, quam immediatè in suos Religionum Prælati exercent subditos, esse iure priuilegiorum dumtaxat; est valdè difficile persuadere, quomodo Capitulum Generale illam coarctare, restringere, ac limitare posset. Pro cuius intellectu nonnulla hic notanda specialiter veniunt. Et primò, priuilegium, quod dignitati conceditur, non semper vnam priuilegij habere rationem formalem, nimirùm quatenùs iuris communis respicit dispensationem, seù læsionem: sed aliquando præter hanc, aliam continere altiorem, quæ bonum Religionis commune intendit, siuè Gubernij faciliorem dispositionem, & iuxtà istam habet vim legis vniuersalis, saltem respectu finis, & obligationis, qua omnes obligare intendit.

5 Secundò supposito, quod Capitula Generalia, quæ Papæ facultate celebrantur, haberent auctoritatem circa priuilegia, quatenùs possint illa non solum secundùm aliquam partem restringere, verùm etiam secundùm totum reuocare (quod non est facile credendum, eo quòd huiusmodi priuilegia clausulas priuilegiatas continere solent, scilicet, vt nunquam cassata, seù derogata intelligantur per quascunque reuocationes, seù clausulas vniuersales, si de illis expressa mentio non fiat, & huiusmodi) per talem tamen generalem facultatem Capitulis Generalibus a Summo Pontifice concessam valdè à ratione alienum est, credere posse, priuilegia huiusmodi illa reuocare, aut restringere, seù limitare; & eò fortiùs, quoniam Sancta Romana Ecclesia non solet ad reuocanda priuilegia largitiones aliquas priuatis præstare personis, sed per se ipsam hoc facere; igitur Capitula Generalia si expressam non habent reuocandi, & restringendi facultatem omnia priuilegia quocunque modo, & sub quibus suis clausulis concessa, profectò non possunt Guardianorum auctoritatem restringere, si iure dumtaxat priuilegiorum oriatur. Hæc consequentia colligitur manifestè ex *cap. cum inferior de maiorit. & obedien. & ex Clem. ne Romani de elect. & cap. inferior. distin. 21. ita Manuel Rodriquez tom. 1. quæst. Reg. q. 22. art. 8. Suarez de censuris disput. 7. sect. 14. n. 1. & disp. 29. sect. 1. n. 21. & lib. 6. de legib. cap. 14. n. 4. & lib. 4. cap. 8. nu. 15. Aduersus Regem Anglicum Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 7. n. 6.* ex Canonistis *Ancharanus cap. vlt. de consuetudine Couarr. 4. decretal. cap. 6. nu. 15. in 2. parte, Rodericus Acuña 1. p. decreti in cap. inferior, & Doctores omnes in cap. & si Clerici de iudi-*

cijs

tijs §. de adulterijs ex Ciuilistis *Dueñas regul*. 148. *Gregor. Lopez 1. p. tit. 5. lege 5. Glossa A quiè huuiesse descomulgado, & tit. 9. lege 7. Glos. 6. & 7.* ergo minùs possunt ex præsumpta auctoritate, vel interpretatiua: vt falsò imaginati sunt Patres nostri *Miranda loco quo supra, & Fr. Martinus à S. Ioseph.* Quod intelligitur de priuilegijs dumtaxat quæ solum primam priuilegij continent rationem. Ratio esse potest, quoniam huiusmodi priuilegijs capitula Generalia renuntiare valent: vel de illis solummodo, quæ in ordine personales inducunt exemptiones, quæ sæpe sæpius in Religionum destructionem intendere videntur: non verò de illis priuilegijs, quæ duas illas habent rationes; nàm tunc videretur, quod lex vniuersalis Summi Romani Pōtificis in se æquitatem non haberet, saltem eam, quæ desiderari potest, & ipsa lex ex sua intrinseca ratione exposcit; neque ratio motiua ferendi leges per modum priuilegij fuisset à principio recta; eo quod capituli Generalis iudicium restringentis, seu limitantis iurisdictionem ex vi talis legis ortam existimaret, tunc non esse suæ Religioni conuenientem, quando Summus Pōtifex aliud intendit. Et certè Patres Capituli Generalis intenderent, quod Papa non rectè illud concesserit, quod ipsi reuocant, & contrarium statuunt.

7 Quod verò priuilegia, quæ Prælatorum dignitati conceduntur in ordine, & dispositione iurisdictionis spiritualis, quam administrant, illas duas quas paulò superiùs dicebamus, contineant rationes, facilè ostendi potest: Etenim gubernium, & regimen Religionum respiciunt, quatenùs nimirùm faciliori, ac accommodatiori, modo remedia adhiberi possint, quæ subditorum salus exposcit, quod si illam non haberent iurisdictionem ita expeditam, atque completam, magno profectò periculo se exponerent, & aliquando tota corrueret regularis disciplina, si esset expectanda supremorum Prælatorum auctoritas: vt sæpè nos experientia docuit, & in dies multa inconuenientia ob talis iurisdictionis defectum videmus; igitur ex quo habent huiusmodi priuilegia, hanc rationem vniuersalis legis pro communi ordinum Mendicantium bono conditæ nullo modo possunt Capitula Generalia cuiuscunque ordinis, etiam auctoritate apostolica celebrata (huiusmodi restringere) seu reuocare priuilegia.

8 Tertiò, non posse locales Superiores huiusmodi renūciare priuilegijs, vt P. N. *Miranda* imaginatur; eò quod hæc non sunt personis, sed dignitati concessa. Et quamuis priuilegio, vt priuigiū est, nō repugnet renunciatio, *c. ex terra, c. accidentibus de priuilegijs, & c. ad Apostolicam de regul. iuris, & l. si quis conscribendo C. de pactis, & l. quod fauore C. de legib. quibus locis, Glossa, & Doctores* alia referunt iura, vt eleganter aduertit *P. Suarez lib. 8. de legib. cap. 33. n. 2.* & ratio esse potest quia hoc postulat priuilegij natura, si ad ipsum priuilegiorum proprium, & quasi adæquatum, (vt ita dicam) comparetur; nàm respectu illius priuilegij beneficium non est coactum, nec cōfertur inuito, ideòque ab eodem renuntiari potest, si velit: contingit nihilominùs priuilegium aliquando non posse renuntiari ab eo, qui illo gaudet: vel quia non est proprium subiectum, cui datum est priuilegium, & propter quod est datum: vel quia non pendet adæquatè ex volūtate eius, priori modo non potest renuntiari à particularibus personis priuilegio in communitatis gratiam concesso, vt est priuilegium Cleri tàm fori, quàm Canonis. sic *Panormitanus in cap. si diligenti de foro competenti nu. 7. Salas de legibus disp. 17. sect. 3. n. 24. Azorius instit. moral. lib. 5. cap. 22. quæsito 10. Suarez lib. 8. de legibus cap. 6. n. 2. & cap. 23. n. 2.* & communiter Doctores. Posteriori autem modo non potest aliquis renuntiare priuilegio sibi concesso, quod continet etiam ius alterius, cui per talem renuntiationem præiudicaretur, vt idem *Abbas, Panormit. cap. si diligenti de foro competent.* & ibidem *Felin. & alij, quos*

9 *P. Suarez loco quo supra* refert affirmant: ex quibus colligitur, quod priuilegium Superioribus Conuentualibus concessum non est renuntiabile; eò magis (vt paulò superiùs dicebamus) quod in commune bonum Religionum videtur concessum. Vnde hac stante ratione, non solùm ipsi Guardiani dicto priuilegio renuntiare non valēt, verùm etiam nec Religio tota, vt in nostris disputationibus pro iuris Pontif. defens. *disp. 1. q. 3. c. 4. art. 2. vsque ad 26.* latè demonstrauimus. Potest ex his sic formari ratio priuilegio communi, seù priuilegio concernenti bonum communitatis regimen non potest a priuatis personis (etiam collectiuè tentis) renuntiari: atqui priuilegium Prælatorum localium officio, seu dignitati concessum est huiusmodi, igitur ab ipsis Prælatis localibus (etiam in capitulo Generali congregatis) non potest ei renuntiari. Item priuilegium, quo aliqua gaudet persona, si ius alterius respicit, non est renuntiabile ab eo, qui illo gaudet:

10 atqui priuilegium officio Prælatorum localium concessum respicit ius successorum, ergo in eorum præiuditium non potest renuntiari. Maior ex dictis potest, & probatur ex cap. cum tempore de arbitris, vbi habetur, quod Prælatus non potest renuntiare libertati Ecclesiæ ad ius Romanæ Ecclesiæ pertinenti. Minor, & consequentia sunt notæ.

11 Tertio verò nostro principali fundamento occurrit *P. Miranda tom. 2. directorij Prælatorum q. 34. art. 10.* ex capituli Generali Assisij celebrato anno Domini 1526. vbi inter alia Patres nostri hāc sequentem statuere Constitutionem. *Ordinatur, & mandatur auctoritate Apostolica, & totius capituli Generalis, quod nullus Guardianus possit sibi aliquem casum reseruare, sed solus Minister Prouincialis id poterit:* quamquam igitur vi priuilegiorum Guardiani nostri Ordinis sibi reseruare possint casus nihilominùs eis auctoritate Apostolica, & capituli Generalis videtur tale priuilegium reuocatum, ac subindè eorum auctoritas restricta.

12 Atqui hæc responsio reuera viro docto satisfacere

cere

cere non potest; quia in primis constare debet de facultate Apostolica Capitulo Generali illi præstita reuocandi officio Guardianorum concessa priuilegia, quam nec *P. Miranda*, nec tota nostra Religio facilè constare faciet. Secundò, quia supposito, Capitulum illud Generale Assisij celebratum plenam habuisse Apostolicam facultatem disponendi omnia ea, quæ ad reformationem ordinis pertinere possent, existimo nihilominùs (saluo semper meliori iuditio) statuere non potuisse illam Constitutionem. Moueor ad ita sentiendum, quoniam reseruādi casus potestas, & auctoritas oritur à iurisdictione completa, seù Episcopali, vel quasi Episcopali; sed iurisdictio, quam in suos exercent immediatè subditos Prælati Religionum Conuentuales, est quasi Episcopalis, ex in præcedenti Capitulo dictis, illamque habent iuris communis beneficio, ex *cap. nullam 18. q. 1.* vt *Fr. Martinus à S. Ioseph loco supra citato, Manuel Rodriquez tom. 1. quæst. Regular. q. 17. art. 6.* inclinat *Suarez tom. 4. de relig. lib. 2. cap. 1.* & quamplures alij: igitur auctoritas Prælatorum ordinum Mendicantium, seù non Mendicantium Conuentualium reseruandi casus restringi, seù limitari à generalibus Capitulis facultate Apostolica celebratis non potest. Cōsequentia tenet, ex eò quòd ius commune tolli non potest nisi à Summo Pontifice, & de hoc specialiter mentionem faciendo. Idem dicendum est de priuilegijs in corpore iuris contentis, vt communis Theologorum, Canonistarumq; sententia docet; igitur, cùm auctoritas Prælatorum Conuentualium ad casus reseruandos de iure Communi oriatur, tolli non potest, nisi immediatè à Sum. Rom. Pont., vel ab eo, qui ab ipso obtinuit facultatem peculiarem ad tollendum tale ius in specie: atqui non constat (vt dicebamus) de speciali hac facultate Capitulo generali illi Assisij concessa ad tollendum ius cōmune, igitur censendum est, Guardianorum auctoritatem reseruandi casus non esse restrictam, aut limitatam ex allata Constitutione.

Et quamquam veram hanc nostram existimemus sententiam saltem speculatiuè, propter nihilominùs Patrum Capituli Generalis reuerentiam, in praxi ab opinione *Patris Mirandæ* non esse recedendum volumus. Est enim valdè rationi cōsentaneum ipsis præfati Capituli Patribus præstari fidem; non enim est imaginabile, Patres doctrina, sanctitate, zeloque Religionis præditos illam voluisse statuere Constitutionem, si accessoriam non habuissent ad deroganda tùm priuilegia officio Guardianorum concessa, tum ius commune, Apostolicam facultatem.

QVAESTIO III.

Vtrum Religionum Conuentuales Præfecti, etiam post Decretum Clementis VIII. reseruare sibi possint Censuras per eos latas?

CAPVT PRIMVM.

Doctissimi Patris Magistri Suarez sententia breuiter refertur.

SVMMARIVM.

1 *Post Decretum Clementis Octaui Præfectos Conuentuales posse sibi reseruare censuras, ostendit Suarez.*

2 *Censura lata à Prælatis Conuentuum est de se reseruata.*

3 *Prælatus Conuentualis potest suam intentionem reseruando censuram declarare.*

4 *Author olim Suarez sententiam secutus est.*

1 Tomo tertio ad tertiam Diui Thomæ partem doctissimus *Franciscus Suarez disp. 29. sect. 3. n. 13.* sentit, hos Prælatos Conuentuales censuras à se latas sibi reseruare posse, etiā pòst Decretum Clementis VIII. fundat suam hanc sententiam primò; quia Clemens expressè loquitur de culparum reseruatione: verba enim eius (inquit) sunt; *nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutionem sibi reseruet, exceptis ijs, &c.* atqui quando Conuentuales Præfecti reseruant sibi à se latas censuras, non reseruant peccatorum absolutiones; sunt enim longè diuersæ peccatorum absolutiones, & censurarum; eo vel maximè quia ad diuersum forum, atque
1 iurisdictionem spectant, igitur, &c. Secundò: Prælati Religionum Conuentuales, constans est apud omnes, quod possunt ferre excommunicationes, sicut ante huiusmodi decretum poterant: talis autem excommunicatio est ab homine cuius absolutio, veluti ex natura sua, Iudici ferenti est reseruata; ergo sicut per hanc Clementis Constitutionem non est eis ferendi excommunicationem ab homine ablata potestas, ita nec prohibita talis censuræ reseruatio. Tertiò, quoniam superior, qui fert censuram, certū est, quod suam potest declarare intentionem, nimirum se tantum reseruare censuræ absolutionem, non peccati: & tunc non est dubium, quin id operetur præcisè circa censuram, & non circa culpam; ergo, &c. Idem sentiunt *Villalobos in summa tom. 1. tract. 9. difficult. 58. n. 5. Tamburinus de iure Abbatis tom. 2. disp. 13. n. 1. Fagundez de præcept. Ecclesiæ lib. 8. cap. 4. n. 5.*

4 Hanc *Patris Suarez* sententiam olim probabilem existimaui, cum essem iuuenis, & in praxi eam non solum esse sequendam docui, verum etiam & adsecutus sum: quando autem euacuaui ea, quæ iuuentutis feruor, ac intellectus acuties administrare solent, oppositum firmiter esse sentiendum existimaui. Et certè secundum *Suarez* argumentum tunc valdè me conuicit; ita vt mordicus illam sustentaui opinionem, quam nunc abhorreo, vt sequenti cap. dicetur.

CAPVT II.

Ostenditur Religionum Conuentuales Præfectos, absque

absque Capituli Prouincialis saltem consensu, non posse sibi censuras à se latas reseruare.

SVMMARIVM.

1 *Nullus Superior Conuentualis post Decretum Clementis VIII. absque Capituli Prouincialis consensu, sibi potest reseruare censuras.*
2 *Reseruare censuras est quædam peccatorum reseruatio.*
3 *Peccati absolutio, & censuræ reseruatio quomodò discriminantur.*
4 *Absolutio peccatorum, quæ per accidens reseruatur, censetur verè reseruata ad hoc vt sit prohibita.*
5 *Peccatorum reseruatio quibus modis fieri potest.*
6 *Reseruatio peccati facta ratione censuræ non differt à reseruatione facta ratione culpæ dumtaxat.*
7 *Esse in Ecclesia Christi Domini potestatem reseruandi peccata ex eò colligitur, quia Episcopi in antiquis temporibus sibi censuras reseruabant.*

1 POst Clementis VIII. Constitutionem nemo Regularium Superiorum censuras à se latas reseruare, absque Capituli Prouincialis consensu, potest. Ita sentiunt quamplures Doctores, quos sub tacito nomine citat *Pater Suarez loco citato*. consentit noster *P. Coriolanus de casibus reseruatis p. 1. sect. 1. art. 6.* inclinat quoq; idem *Suarez*, dum non solùm probabilem hanc nostrã putat sententiam, verùm etiam consulit, in facto non esse sua opinione vtendum, ibi; *quare si ita fiat, non censeo hoc per se prohibitum ex vi huius Cõstitutionis, quamquam meliùs censebimus id non facere, sine speciali Capituli consensu, ad omnem dubitationem tollendam*. hactenùs *Suarez. Sygismundus à Bononia in tract. de elect. p. 3. cap. 4. dub. 123. nu. 9. Peyrin. in priuil. minim. to. 2. const. 10. Vrban. VIII. §. 61. Mezala in 1. p. lib. 1. cap. 12. n. 8. Molfes. in sum. tom. 1. tract. 7. cap. 3. nu. 17. Leo tract. de offic. & potest. confessor. tom. 2. recolet. 11. n. 5.* vbi ita determinasse Sacram Cardinalium Congregationem die 7. Iulij 1617. testatur *P. Diana in tract. 2. de dub. regul. resolut. 49.*

2 Ostendi autem potest primò; quia per Clemẽtis VIII. Constitutionem non solùm Religionum omnium localibus Prælatis, verùm etiam Prouincialibus, atque Generalibus est casuum interdicta reseruatio: atqui reseruare censuras est quædam casus reseruatio; igitur est eis interdicta, ac subinde absque Prouincialis Capituli consensu fieri nequit. Maior, & consequentia sunt notæ. Minor ex eo probatur, quia excommunicatione reseruata, nullus religiosus ab alio, quàm à suo potest Superiore à culpa absolui, igitur hæc remanet reseruata.

3 Occurrit huic rationi *Suarez loco citato*, negando minorem propositionem, & ad probationem ait, per accidens hoc euenire, vt Religiosus, stãte censuræ reseruatione, à sua culpa à nemine absolui possit, nisi à suo Superiore: nàm per cẽsurarum reseruationem peccati non reseruatur absolutio. Discriminantur enim hæc duo; nimirũ peccati absolutio, & cẽsuræ reseruatio: nàm prima ad forum pertinet internũ, secunda ad externũ, & ab vna ad aliam non est extendenda prohibitio, præsertim cum respectu Superiorum sit onerosa, & vsum restringens iurisdictionis.

4 Atqui hæc responsio non satisfacit; nàm peccati absolutio, si per accidens reseruetur, est vera reseruatio; igitur fieri nequit absque Capituli Prouincialis consensu; nàm parum refert, quod sit per se primò, aut per accidens reseruata; satis enim est, quòd ratione censuræ Religiosus ab alio, quam à suo superiore peccati commissi absolutionis beneficium obtinere non valeat, vt censeatur reseruata. In tali profectò casu certum est, nullum presbyterum Prælatis Conuentualibus inferiorem talem Religiosum absoluere posse, ac proindè indirectè est ab eis ablata iurisdictio ad absoluendum, in qua peccatorum consistit reseruatio, vt idem met *Suarez sect. prima n. 1.* ostendit.

5 Sed, vt vim huius rationis intelligamus, notandum est, peccatorum reseruationem bifariam fieri posse. Primò, ratione censuræ, & excommunicationis, secundò ratione culpæ. primò modo reseruatur peccati absolutio, reseruata excommunicatione: vt eleganter aduertit *Vasquez to. 4. ad 3. p. q. 91. art. 3. dub. 1. n. 12. Sanchez in opere morali lib. 2. cap. 8. nu. 5.* & insinuat *Durandus, & Caietanus apud Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 29. sect. 2. n. 1.* quoniam peccatum nequit absolui, nisi excommunicationis absolutione præmissa. posteriori modo quando ita culpæ secundum se fit absolutionis reseruatio, vt ab alio fieri non possit, quàm ab eo, qui sibi reseruauit. Modi isti re-
6 seruandi peccatorum absolutionem, quamquã in se discriminari videantur, nihilominus ratione effectus, & respectu finis, quin immò, attenta rei natura, sunt eiusdem rationis, & contra Summi Pontificis intentionem militant; possent quippè Religionum Prælati omnes hoc modo, & quasi indirectè, quosquos vellent sibi, præter illos, quos statuit Clemens VIII. reseruare casus, si sub pœna excommunicationis prohibeant, sibi reseruando talis censuræ absolutionem, vt de se patet. Nàm supposita sententia, quæ docet casus reseruatos Summo Romano Pontifici non esse reseruatos, nisi ratione censuræ, & non ratione culpæ (vt *Caietanus in summa verbo casus, Nauarr. in summa cap. 27. n. 261. Suarez loco quo supra sect. 2. & Vasquez loco citato* docuere) constans est, nullum Papa inferiorem potestatem habere absoluendi à criminibus, quibus Papalis reseruata censura est annexa; igitur ex vi reseruatæ censuræ sunt reseruata crimina, quibus annexa est excommunicatio reseruata; ergo parũ refert, quòd per se, aut per accidens fiat reseruatio peccatorum.

Secundò, in Ecclesia Christi Domini fuisse semper reseruandi peccata facultatem, & potestatem, probat *Suarez ad 3. p. tom. 3. disp. 29. sect. 1. num. 2.* quoniam *in Concilio Carthaginensi 3. Canone 31. & African. canon. 10. & cap. vlt. 26. q. 6.* habetur ita; *presbyter pænitentem non absoluat inconsulto Episco-*

piscopo, nisi necessitate cogente in ipsius Episcopi absentia. Verùm in istis, & similibus decretis non est sermo (vt ipsemet *Pater Suarez* fatetur) expressus de pœnitentiæ Sacramento, sed de pœnitentia publica publicis imponenda peccatoribus; & nihilominùs conijcit, ex quo pœnitentia illa erat Episcopis reseruata, fuisse quoque reseruatam culpam; igitur ex eo quòd Prælati Cõuentuales possunt sibi reseruare censuram, possent quoque reseruare peccata, quibus illa annexa est, saltem indirectè; quod est contra Clemẽtis VIII. dispositionem, & *P. Suarez* non concederet; igitur interdicitur ex vi decreti facultas reseruandi censuras. possemus multis alijs rationibus, & congruentijs nostram sententiam probare, quas breuitatis causa omittimus.

CAPVT III.

Contrariæ sententiæ fundamenta diluuntur, nostraque opinio illustratur.

SVMMARIVM.

1 *Reseruatio censurarum, & peccatorum reseruatio sunt eiusdem speciei.*
2 *Prohibitio, qua peccatorum interdicitur reseruatio, an se extendat ad censurarum reseruationem?*
3 *Verus Clementis Octaui Constitutionis intellectus.*
4 *Sententia excommunicationis lata ab homine quibus modis sit.*
5 *Censuras, quæ fertur per generalem sententiam pro peccatis futuris æquiparatur censuræ à iure latæ, & cur.*
6 *Sententia excommunicationis generalis lata à superioribus localibus non est reseruata, & cur.*
7 *Facultas ferendi censuras per modum generalis sententiæ, quam habent Superiores Conuentuales, non est eis interdicta in hac Clementis Octaui Constitutione, sed solùm prohibetur illarum reseruatio.*
8 *Sententia particularis lata à iudice de sua intrinseca ratione ita est reseruata, quod à nullo inferiore absolui potest.*
9 *Facultas ferendi censuras quo pacto à Clem. VIII. restringitur.*
10 *Declaratio facta à Superiore locali, qua affirmat se nolle reseruare sibi peccatum, sed censuram dumtaxat, non tollit quin peccatum remaneat reseruatum.*

1 MAgis illustrari nostra potest sententia, si contrariæ opinionis rationum pondera soluamus. pro quarum faciliori solutione nonnulla hic scitu digna primò esse notanda, monemus. Obseruandum igitur est primò, censuræ reseruationem, quamquam modaliter discriminari à peccatorũ reseruatione videatur, eo quòd illa externum respicit forum, ista internum; nihilominùs eiusdem esse speciei, ac naturæ, constans est. Nàm censuræ reseruatio ita (vt paulò superiùs tetigimus) iudicis spiritualis impedit iurisdictionem, vt nullo modo peccatum, cui est excommunicatio annexa, absoluere valeat. Quamobrem saltem indirectè tale peccatum verè & realiter Superiori censuræ sibi reseruanti absolutionem remanet reseruatum. Censura enim in omni sententia peccatum, cui inhæret, ita afficit, vt in sui conuertat naturam: hinc fit, vt eodem modo sit reseruatum, velùti ipsamet.

2 Ex quo infertur primò, quod prohibitio, qua peccatorum interdicitur reseruatio, extenditur quoque ad censurarum reseruationem; eo quòd in ipsa (vt ita dicam) imbibitur peccatorum, quibus inhærent censuræ, reseruatio. Secundò; quia Decretum Clementis Octaui, cùm absolutè, & in vniuersum Prælatorum Religionum restringat iurisdictionem circa peccatorum reseruationem, quatenùs intendit, vt nullum peccatorum genus, illis dumtaxat exceptis, quæ in dicto continentur decreto, absque Capituli Prouincialis, seù Generalis consensu, reseruetur; voluit certè nullam reseruationem esse faciendam, siuè illa supra peccatorum cadat absolutionem directè, siuè indirectè. Etenim voluit Religiosorum saluti animarum necessaria adhibere remedia, vt illa verba clarè demonstrant; *qui iam pridem accuratè perpendit, & reipsa comperit, pænitentes à quibusdam grauioribus, &c.* Et infra; *quo circa, vt huic malo Sanctitas Sua opportunè prouideret, decreuit, vt nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi reseruet*. Quæ remedia non optimè applicarentur, si in Prælatorum potestate esset censurarum pro quolibet crimine reseruatio facienda; sequeretur enim, quod omnia peccata; saltem indirectè, nullo Capituli Prouincialis, seù Generalis expectato consensu, possent reseruari, & sic necessariò oporteret, vt se proprio Prælato Religiosi pro beneficio absolutionis præsentarent, quod est contra mentem Pontificis.

4 Obseruandum est secundò, quòd excommunicationis sententia lata ab homine duplici modo ferri solet, primò pro peccatis futuris, & dicitur sententia generalis; secundò pro peccatis præteritis. Ista, certum est, quod ex sui natura (prout idem *P. Suarez* docet) semper est Iudici ferenti reseruata; ex eo quod ab alio inferiori iudici absolui non potest *cap. inferior distin. 12. vbi Gloss. & capit. verùm de pænit. dist. 1. & cap. præcedentiam §. 6. de offic. deleg. & cap. ad reprimendam, & cap. pastoralis §. præterea de offic. ordinarij*, & Doctores omnes in materia de censuris: at qui prior ex propria sua natura nemini reseruatur, poteftque à quolibet absolui Sacerdote; quia de hac censura lata à iure. Ita sentiunt quam plures Doctores, præsertim *Nauar. in cap. ita quorumdam de Iudæis num. 25.* cum *Philon. Imol. & alijs.* Idem *Nauarr. in summ. cap. 27. n. 44. Couarr. in cap. Alma Mater p. 1. §. 12. n. 4. Villad. in tract. de Irregularit. q. 12.* vbi innumeros citat Authores. consentit *Suarez tom. 5. ad 3. partem disp. 7. sect. 2. n. 21.* potest hæc veritas fundari ex cap. ex frequentibus de institutione, vbi sermo est de quadam excommunicatione lata per Generalem Archiepiscopi sententiam, supponiturque, ab Episcopis tolli posse suffraganeis. ratio vero solum est, quia ex sententia, generalis cum sit, in pluribus æqui-

æquipollet Canoni,& Statuto,vt ex *c. à nobis primo de sent. excommun.* rectè argumentatur *Couarr.*

3 Si verò quæras;cur censura, quæ fertur per generalem sententiam pro peccatis futuris, æquiparetur censuræ à iure latæ.

Respondetur; quia sententia generalis non est propriè sententia,sed potiùs præceptum; & ideo nō manat à ferente vt à Iudice,sed vt à præcipiente; quia propterea cum authore Iudicis, seù Canonis æquiparari potest. neque aliquid obstare potest Capitulum, Nuper de sententia excommunicationis, nàm ibi solùm distinguuntur sententia Iudicis,& sententia Iuris, & hæc generalis nō est propriè,& in rigore sententia Iudicis:Quamobrem sub iuris sententia comprehenditur, maximè cùm fauores ampliandi sint.

Obijcies; ergo si censura feratur pro delicto commisso sub satisfaciendi conditione, si in generali feratur,poterit ad illam extendi illa concessio dicti cap. Nuper patet consequentia, quia etiam illud est quodam præceptum potiùs, quàm iudicis sententia. Respondetur negando sequelā; nàm quando censura pro delicto fertur commisso,propriè est à superiore vt à iudice puniente delictum, & in rigore est particularis senten-
6 tia: nàm quòd persona sit cognita, vel occulta, non impedit,quo minùs in eam in particulari feratur sententia. quando igitur domorum Præfecti aliquid faciendum, vel non faciendum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ præcipiunt,talis censura non est reseruata, & à quolibet absolui potest Sacerdote: vt eleganter docet *Suarez tom. 3. ad 3. p. disp. 29. sect. 3. n. 6. Angelus verbo, casus, Syluestr.*

7 Ex quibus infero primò,facultatem,quam Prælati Regulares ferendi censuras per modum generalis sententiæ habent, non esse per Clementis VIII. Constitutionem restrictam, aut limitatam, at solùm limitari in ordine ad eas reseruandas, non solùm respectu Præfectorum Conuentualium,verùm etiam & Prælatorum Prouincialium, atque Generalium. Vnde dicendum est, neminē Religionū Prælatorum posse censuras, quas pro futuris peccatis fert sibi reseruare, sine Capituli Prouincialis, aut Generalis consensu. Ducor, quia ex legis proœmio semper colligitur finalis ratio suæ decisionis,vt iuxtà ea, quæ in eodem continentur, extendenda,aut restringenda est adæquata eiusdem legis decisio:vt eleganter docuere *Tiraquellus tract. cessante causa, limitat. 1. n. 55. Riminaldus cons. 540. n. 78. volum. 5. Burgos de Pax cons. 32. n. 6. Molin. lib. 1. de primog. c. 5. n. 34. & 35. Bursatus cons. 76. n. 9. Guttierez lib. 3. practicar. quæst. q. 17. n. 90. Salas de legib. disput. 17. sect. 9. n. 13.* atqui in proœm. 20. dictæ Clementis VIII. Constitutionis continetur ratio animum Summi Pōtificis mouens ad Prælatorum restringendam reseruandi casus iurisdictionem, quæ consistit in hoc;ne detur Religiosis subditis, qui sunt animo infirmiores,occasio in laqueos æternæ damnationis,& condemnationis cadendi: ex eo quòd præstare se debent suis Prælatis ad absolutionis beneficium obtinendum, quæ ratio, (vt aduertit Carissimus frater noster *Martinus à S. Ioseph in expositione nostræ Regulæ cap. 6. n. 2.*) non solùm militat in directa peccatorum reseruatione,verùm etiā in indirecta, quæ oritur à censurarum reseruatione: de quarum absolutionibus, (vt dicebamus) pendet vtriusque casus reseruatio; igitur cùm necessarium sit adire Superiores pro absolutione, remanet sine dubio reseruatū peccatum,cui censura inhæret: vt docet *Sanchez lib. 6. oper. moralium cap. 1. n. 16. & Peyrinus in priuileg. minimor. tom. 2. constit. 10 Vrbani VIII. §. 61. num. 10. Megala in prima parte lib. primo capit. 12. n. 10. Molfesius in summa tom. 3. tract. 7. cap. 20. nu. 17.* & ita determinatum fuisse à Sacra Eminentiss. Cardd. Congr. die 7. Iulij anno 1617. *Petrus de Leone testatur tract. de officio, & potest. Confessoris P. Diana tract. 2. de du-bijs Regular. resol. 49.*

8 Infero secundò, sententiam particularem à iudice latam ita esse de sua intrinseca ratione reseruatam, vt nullo inferiore nequeat absolui, vt paulò ante dicebamus, & Doctores omnes in cap. ad reprimenda docent: de qua re latiùs dicemus *tom. 2. totius Theol. moralis* omnium controuersiarum,securiores sequendo decisiones.

9 His habitis, ad Suarez argumenta à faciliter responderi potest. Ad primum respondeo,certum esse, per Clementis Constitutionem non esse Religionum Prælatis ferendi censuras facultatē ablatam,solùm enim restringitur in quantùm interdicitur earum reseruatio: eò quòd imbibunt in se peccatorum, quibus sunt annexæ,absolutiones: vt expresè colligitur ex eius verbis,quæ *P. Suarez* in sui fauorem inducit; nàm verba illa *peccatorum absolutionem sibi reseruet*, certè omne reseruationis genus compræhendunt: et enim reseruatio censuræ ex sua natura reseruationem peccati includit; quamobrem (vt supra dicebamus) est quædam casus reseruatio.

Ad secundum respondeo, totum illum discursum (vt ex supradictis patet) esse falsum;nàm ferendi censuras auctoritas per Clementis VIII. Constitutionem (vt dictum est) Religionum Prælatis non interdicitur; Vnde veluti ante Decretum ferre poterant censuras,ità & post. Quod enim prohibetur,est censurarum reseruatio; eò quòd indirectè peccatorum,pro quibus fertur absolutio, indirectè remanet reseruata. Ad minorem propositionem, in qua tota potest esse difficultas, respondeo, censuram à Superioribus latam esse vtique ab homine; sed quia fertur pro futuris euitandis culpis, habet vim generalis sententiæ; & ideò nō est reseruata ex sui natura,sed tātū reseruabilis: vnde neganda est consequentia.

10 Ad vltimum respondeo, quod licèt iudex, qui fert excommunicationis sententiam, possit suā declarare intentionem; nimirum habere intentionem dumtaxàt censuræ absolutionem reseruandi, & non peccati; nihilominus non ex eo peccatum, cui annexa est censura, non remanet reseruatum; quoniam semper indirectè suspenditur presbyterorum inferiorum iurisdictio ad illud absoluendum, ex qua talis peccati oritur absolutionis reseruatio.

DIS-

DISPVTATIO TERTIA.

De auctoritate Prælatorum Religionum reseruandi sibi peccata interna, seu mentalia.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum Religionum Superiores de consensu Capituli Prouincialis, seu Generalis possint sibi reseruare peccata lethalia merè interna, quæ sola cogitatione consumantur.

CAPVT PRIMVM.

Refertur communis Doctorum sententia cum suis fundamentis.

SVMMARIVM.

1 *Peccata purè mentalia posse reseruari, qui docent.*
2 *Peccata purè mentalia, quamquam non sint ab Ecclesia punibilia, sunt nihilominùs reser nabilia.*
3 *An sit conueniens reseruare peccata purè mentalia.*
4 *Reseruare peccata merè interna esse errorem, docet* Sotus.

1 PEccata lethalia, quæ sola cogitatione consumantur, ab omnibus Prælatis Religionum de consensu Capituli posse reseruari, docet communis Doctorum sententia. *ita Caietanus 2. 2.q.11.art.5. Sotus dist.18.q.2. art.5. Ledesma in 4. 2.p.q.8.art.2.dub.10. Pater Suarez ad 3.p.tom.4.disput.29.sect.3.num.3. vers. Secundo dubitari potest. Vasquez tomo 4.ad 3.p.q.91.art.3.n.3. Reginal.lib. 1.cap.11.nu.128. Miranda in suo Manual. Prælator. tom.2.q.34.art.3. Castro.de iusta Hæretic.punit.lib. 2.cap.28.& de lege pænal.lib.2.cap.15. Nauarrus de simonia n.20.& 21. Couarruuias in regul. peccatum 2.p.in principio*: citari etiam possunt *Adrian.quodlib.8. art.1. littera H. & I. Medina C.dè orat.q.15. Albertus Pighius lib.6.Hierar.Ecclesiast.cap.16.*& nouissimè *Aloysius à Cruce in exposit. Bullæ Cruciatæ disp.1.cap.3.concl.3.n.13.* Et omnes, qui asserunt hæresim mentalem esse reseruatam; quia volunt, illam habere excommunicationem annexam. Hæc sententia nonnullis rationibus probari solet. Primò, quia omnis iurisdictio in hoc foro inferioribus per Superiores Pastores communicatur, tàm ad absoluendum ab externis, quam ab internis culpis; Ergo circa vtrasque si vellent, possent illam limitare iurisdictionem, atque ita peccata etiam interna sibi reseruare.

2 Secundò, quia licèt Ecclesia in foro interiori nihil possit circa prædicta peccata, & ideo nec specialiter illa prohibire, aut punire valeat, tamē in hoc etiam foro iurisdictionem habet, vt de eis iudicium ferat, & ipse peccator teneatur iure Diuino ea deferre ad iudicium, & in eo esse accusator sui ipsius, & testis contra se ipsum. Quod cum ita sit, quid obstat, quominus Ecclesia possit iudicium de prædictis peccatis etiam internis designatis iudicibus committere; cum hoc non sit iurisdictionem in actus interiores exercere, sed illam non alteri conferre? cum enim omnis Ecclesiastica iurisdictio (vt de se patet) originaliter à Christi Domini Vicario oriatur, constans est, quod, si ipse absolutè diceret, nolo vt quispiam facultatem, & potestatem habeat absoluēdi eū, qui etiam mente in aliquod grauissimum huius, vel illius, aut hæresis crimen inciderit, talis reseruatio teneret; Igitur, &c. Hæc sunt potiora fundamenta, quibus hæc communis sententia inhæret.

3 Addunt nihilominus prædicti Authores, præsertim *Maior. in 4. dist.17.q.3.§. quia iam propos.2.* non expedire saluti animarum, si Superiores reseruent sibi interiora peccata. Imo *Sotus* loco citato docet, esse errorem intolerabilem, vt hæc
4 peccata reseruentur. quomodo autem veniat intelligendus declarat *Vasquez* omninò videndus loco citato *dubio 4.n.1.*

CAPVT II.

Authoris sententia declaratur, ac stabilitur.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia habet potestatem reseruandi tàm crimina, quæ opere complentur, quàm interna solo corde retenta.*
2 *Ecclesia nullo tempore interna sibi consueuit reseruare peccata.*
3 *Ecclesiæ Prælatis est interdicta iurisdictio reseruandi peccata.*
4 *Consuetudo, quatenùs vim legis habet vniuersalis, stringit, & ligat homines.*
5 *Obseruantia subsequta declarat ius dubium.*
6 *Ex antiquissima Ecclesiæ obseruantia censetur lex emanata prohibens peccatorum mere internorum reseruationem.*
7 *Hæresis mentalis an sit Summo Romano Pontifici reseruata?*
8 *Hæreticus pure mentalis excommunicationem contra Hæreticos lata non incurrit.*
9 *Hæreticus purè mentalis potest à quacunque absolui Confessario.*
10 *Instructio prima Hispalensis cap.6. pro Inquisitoribus statuens Hæreticum occultum esse occultè reconciliandum, & absoluendum, declaratur.*
11 *Tria necessariò requiruntur ad peccatorum faciendam reseruationem; & quæ illa sint.*
12 *Peccata merè interna & solo corde retenta non habent illam grauitatem atque atrocitatem, quæ exposcitur ad reseruationem faciendam.*
13 *Quæ incommoda sequerentur ex peccatorum mentalium reseruatione.*
14 *Peccatorum reseruatio pro statu Religiosorum conseruando fieri debet.*
16 *Mentalium peccatorum reseruatio non potest Ordinari ad Religionis statum conseruandum.*
17 *Peccata merè interna, & solo corde retenta nullus Prælatorum, etiam accedente Capituli Generalis, vel Prouincialis consensu, pot[...] sibi reseruare.*
18 *Ex quo Ecclesia nunquam c[...]it peccata merè inter-*

interna, & solo corde retenta reseruare, non possunt reseruari, quamquam ex sua natura sint reseruabilia.

19 *Obseruantia legibus contraria iures legum, earumque pœnas, & censuras abrogat.*

20 *An lethaliter peccent Regularium Superiores, qui sibi reseruauerint peccata purè mentalia.*

21 *Quo pacto Ecclesia valet sibi reseruare peccata purè interna?*

1 VT in re tàm graui quid re vera sit sentiendũ statuamus, nonnulla priùs præmittere oportet. Obseruandum igitur est primò; Ecclesiæ integrum esse peccata interna, ac solo corde retenta reseruare; eò quod peccatorum reseruatio veram ac propriam pœnæ non habet rationem, cùm sit quædam negatio, seu ademptio (vt ostẽsum est) iurisdictionis absoluendi in foro interiori. Quamobrem peccata merè interna per se, & ex sua natura, absolutè loquendo, sunt reserua-
2 bilia. Id, quod allegati Authores in præcedenti capitulo statuunt, & nos libenter admittimus. Obseruandum est secundò, quod nullo tempore consueuit Ecclesia hæc interna peccata quãtumuis enormissima reseruare Prælatis. Ita *Miranda, Sotus, Suarez, Reginaldus, Sanchez*, & omnes ferè Doctores. Quæ consuetudo duo necessariò operatur; Primum, peccata merè interna non esse reseruationis capacem materiam. Ita *Suarez*
3 *loco citato n.3. vers. hoc autem non obstante, Miranda*, vbi supra *conclus.2. Sotus*, & alij. Secundum, esse Prælatis reseruandi peccata merè interna interdictam iurisdictionem, quia consuetudo vniuersalis, ex eo quòd habet vim legis vniuer-
4 salis, ligat ac stringit omnes: *Cap. Ecclesiasticarum dist.11. Nauarr. in 3.p. Summæ, Glossa de pœnitent. distin.5.n.32. Acuña in dict. cap. num.3. Suarez de legibus lib.7. cap.3. num.10. & Doctores omnes in cap. vlt. de consuetudine.* Quamquam ergo Prælatis omnibus quocunque conueniat iure reseruare peccata merè interna, consuetudine stante in oppositum immemoriali, censetur esse talem reseruandi peccata merè interna facultatẽ interdictam, eò quod per vsum non subsequtum per tempus immemoriale declaratum censetur fuisse per Sum. Rom. Pont. in quibus casib. scilicet possint Ecclesiastici Prælati potestatem, quã habẽt circa peccatorum reseruationem, exercere; nimirum in externa dumtaxat: Nàm per obser-
5 uantiam declaratur etiam ius dubium, quia dicitur consuetudo interpretatiua. Ita *Nat. cons.406. n.26. Curt. de consuet. n.150. Crauet. cons.839. n.10. Sim. de Pret. cons.78. n.16. Surd. dec.129. n.19. Ceph. cons.129. Ludouicus tit. de consuet. cõcl.38. ampliat. 3. Marta dec.136. n.4. Mant. de tacit. & ambig. lib.3. tit.9. nu.29. Piagg. de consuet. q.4. n.95. & 98. Tusch. litt. C. concl.796. n.39. & 45. & concl.898. nu.11. Grat. dec.234.* & alij innumeri, quos citat, & sequitur *Salgadus de supplicationibus ad Sanctiss. à litteris Apostolicis in 1.p. cap.9. n.9.* & certè quia obseruantia subsequta dicitur non solum optima legum interpres, verum etiam facit ius, omnemque dubium tollit: Igitur cum in Ecclesia Christi Domini semper fuerit obseruatum, vt nullus Prælatorum sibi aliquando reseruauerit merè interna peccata; euidens est, Sum. Roman. Pont. restringere iurisdictionem, vt non valeant huiusmodi sibi reseruare crimina; quia nulla est melior legis latoris mentis interpretatio, quam ea, quæ ex subsequenti obseruantia confirmatur. *L. quia in aliorum, sed si non aduertit ff. de acquir. hæredit.* Quin imo addo, ex vi talis obseruantiæ esse emanatam legem prohibentem talem peccatorum reseruationem. Consequentiæ sunt notæ. Primum antecedens habetur à *Farinacio nouissimarum Rotæ Romanæ anni 1618. decis. 365. num.1. & 2. prima parte Tomi secundi, Ioanne Antonio Bellonij consil.80. num.8. & 9. Burgos de Paςe in proœmio legum Tauri nu. 225. & ab alijs, quos retuli in nostris disputationibus pro iur. Pont. defens. disp.5. q.2. c.4. n.31.*

7 Obijcies, Hæresim mentalem Summo esse Romano Pontifici reseruatam, ergo Ecclesia consueuit peccata merè interna sibi reseruare. Consequentia patet. Antecedens probatur: Quia Hæreticus purè mentalis in excommunicationem contra Hæreticos latam incurrit. At qui huiusmodi æxcommunicatio est Romano Pontifici reseruata; Igitur, & hæresis mentalis. Consequentia tenet ex dictis in præcedenti Quæstione, vbi ostensum est, peccatum reseruari ob censuræ reseruationem. Maior habetur à *Glossa Clementina prima §. Verum verbo, eo ipso de Hæretic. Vbi Cardinalis numero 80. quæstione septima Glossa numero 2.* Idem docet *Abb. Panorm. in proœmio decretal. versicul. Rex pacificus numero 6. in fine, & capitul. extirpandæ in repetitione §. qui verò numero 21. de Prabend. & capitul. final. numero primo de Hæret. & capit. 2. numero 13. de officio Ordinarij, Felinus eodem capitul. final. statim in principio, & capit. Porrò de sententia excommunicat. Glossa in capitul. Captatiores versiculo patitur de pœnitentia distinct. prima Imol. Clementina prima numero 18. de Hæreticis, Baldus leg. si quis non dicam numero primo versicul. venio ad oppositiones Cod. de Episcop. & Clericis, Auan. capit. si quis Episcopus numero 7. istud tamen de Hæreticis, Hyppolitus leg. qui falsam numero 13. ff. de falsis Felin. capitul. primo nu. 7. de præsumptionibus & tract. quando conatus puniatur numero 6. versiculo fallit tertio in casu 4. Rosell. in summa versiculo Absolutio prima numer. 26. & verbo excommunicatio prima casu 1. numer. 1. & verbo Hæret. num. 14. Adrianus in 4. quæst. 3. de confess. quæ incipit; restat nunc inquirere §. alij probant, versiculo sed huius rationis, & quodlibetho 8. quæstione prima littera G. Albertinus de agnoscend. asser. quæstione 33. numero 27. & 29. & alij quamplures apud Sanchez in oper. moral. libr. 2. capitulo 8.*

8 Respondeo negando antecedens, simul, & cõsequentiam. Ad probationem vero nego Maiorem: Etenim falsum est, Hæreticum purè mẽtalẽ incurrere in excomm. contra hæreticos latã,

quia non potest excommunicatio fieri in actum interiorem: Ecclesia siquidem non potest cognoscere, seù punire actus merè internos. Ita Theologi communiter; *Paludanus in 4. distinct. 13. quæst. 3. art. primo concl. 8. num. 15. Maior in 4. distinct. 25. q. 3. Diuus Antoninus 3. parte titul. 24. cap. 4. statim in principio, Driedo de libert. Christiana lib. 3. capit. 5. ad finem Bannes 2. 2. quæstione 11. artic. 4. dub. 2. conclusione prima Aragon. ibid. articul. 3. folio 341. §. propter hæc argumenta versiculo ex his colligitur, Suarez tom. 5. ad tertiam partem disput. 21. sectione 2. num. 2. Valentia secunda secundæ disputatione 1. quæst. 11. punct. 3. ad finem, Vasquez 1. 2. quæstione 96. artic. 4. & disput. 160. capitul. 5. num. 22. & tom. 4. ad 3. part. quæstione 91, dubio 3. in fine, Sayrus de censuris lib. 3. capit. 4. Castro lib. 2. de iusta Hæreticorum punitate capit. 12.* paulò post principium. *Et de leg. pænal. lib. 2. capit. 15. Caietanus in Summa verbo, Hæresis, & secunda secundæ quæstione 11. artic. 3. Sotus in 4. distinct. 27. quæstione 2. artic. 2. conclusione 3. versiculo hoc autem supposito, Syluester verbo, excommunicatio 7. casu 2. nu. 4. notabili 2. final. Armilla verbo excommunicatio inter casus excommunicationis, Tabiena verbo excommunicatio supra in casu 4. num. 4. Martinus de Ledesma 2. parte quart. quæst. 21. articul. 6. conclus. 3. versic. sed hæsitabis, Palatius in 4. distinct. 5. disputatione 1. conclusione 4. Cardinalis Toletus in fine Summæ in excommunicatione prima Bullæ Cænæ num. 8. Rodriquez in Bulla Cruciatæ §. 1. numero 71.* & in motu proprio Pij V. interdicentis ingressum fœminarum in Monasteria virorum, *& primo tomo parte Summæ in 2. dict. cap. 131. numer. 1. Henriquez lib. 6. de pænitentia capit. 14. Emmanuel Sà in summa verbo excommunicatio in casibus Bullæ Cænæ, Azorius tom. primo instit. moral. lib. 8. capit. 10. quæsito 3. & lib. 5. capit. 10. quæsito vnico verbo, his constitutis, Sanchez in oper. moral. lib. 2. capitul. alter, Ledesma de confessione dubio 16. fundamento secundo, Lopez prima parte instr. conscientiæ capitul. 41.* paulò post principium; Ex Canonistis *Nauarrus in capitulo cogitation. numero 8. & 10. de penitentia distinct. prima, & in Summa latin. cap. 11. num. 22. Couarru. regul. peccatum 2. parte in principio numer. 7. Azeuedo lib. 8. recopil. titul. 3. leg. prima nu. 155. Villagut de extensione legum tit. de iudice, & iudicio, multipliceque eius specie §. 10. numer. 56. & tit. de extensione legum pæn. inflictarum Hæreticis ad eorum filios num. 96. Guttier. quæstion. Canon. lib. primo cap. 13. num. 28. Bursatus consil. 289. num. 13. volum. 3. Vgolinus de censuris Pontifici reseruatis parte secunda cap. primo §. 1. num. 16. & tractat. de censuris Ecclesiast. tab. 1. cap. 9. §. 12. num. 3. Perez lib. primo ordinam. titulo 2. leg. prima columnn. penultima versicul. dubitari etiam potest, & lib. 8. titul. 4. versic. Quæri insuper solet, vtrum hæreticus occultus, & alij quamplures, quos breuitatis causa omitto, videri tamen possunt apud Sanchez loco citato.*

9 Hinc inferunt Doctores stati citandi, Hæreticum purè mentalem à quocunque posse absolui confessore; quia ratione solius censuræ, hæresis reseruatur Pontifici; at Hæreticus purè mentalis eam non incurrit, vt in proprijs terminis tradunt *Sotus in 4. distinctione 18. quæstione secunda artic. 5. versic. vtrum vero, Rodriquez in Bulla Cruciatæ, Caietanus in summa verb. hæresis, Suarez, Guttierez, & alij.*

10 Dices *in instructione prima Hispalensi capitulo 6.* pro Inquisitoribus habetur, Hæreticum omnino occultum secretò esse reconciliandum, & absoluendum, Igitur signum euidens est, quòd incurrit in censuras contra Hæreticos latas. Respondeo, esse intelligendum non de Hæretico omninò mentali, sed qui hæresim externè, occultissimè tamen, manifestauit; Nam Hæreticus purè mentalis, nec reconciliatione, nec Inquisitorum absolutione indiget, sed à quouis confessario absolui potest. atque ita illam instructionem explicant *Couarruuias regula peccatum 2. parte initio numer. 7. Simanc. de Catholico instituto titulo 32. numero 7. Guttierez quæstionum Canon. lib. primo cap. 13. num. 8. Aragon. 2. 2. q. 11. art. 3. vers. ad vltimum.*

11 Obseruandum est tertiò, ad hoc vt peccatum aliquod reseruari possit, etiam Capituli Prouincialis, seù Generalis accedente consensu, ex Clementis Octaui Decreto tria requiruntur necessariò. Primum quòd crimina reseruanda debeant esse grauia, & atrociora, pro vt sacrosancta *Tridentina Synodus cap. 7. sess. 14.* determinauit, ibi; *atrociora quædam, & grauiora crimina,* & Clemens VIII. quoque in sua Constitutione, ibi; *quòd aliud peccatum graue, &c.* Ex quo inferret benè noster *Coriolanus de casibus reseruatis art. 5. 1. partis sect. 1.* reseruationem fieri non posse de omnibus peccatis mortalibus externis, nisi sint grauia, & atrociora, eo quòd tunc venit contemptus, & præsectatio redditur plus quàm odiosa. Adducit ad hoc Emin. Card. S. Congr. Decretum habitum die 9. mensis Ianu. 1601. vbi ita habetur; *Et ne locorum ordinarij, quibus ius reseruandorum casuum competit, plus quàm opus sit, reseruatione subditis, aut confessario in animarum salute procurauda cooperatoribus sint onerosi, monentur omnes, vt paucos, eosque tantùm, quos ad Christianam disciplinam retinendam, animarumque sibi creditarum salutem pro cuiusuis Diœcesis statu, & qualitate, necessariò reseruandos esse iudicauerint, reseruent.*

12 Atque hinc à fortiori sequitur, peccata merè interna, & solo corde retenta reseruari non posse; ex eo quod atrocitatem, seù grauitatem illam, quæ requiritur ad reseruationem faciendam, non habent: Nam ad illam habendam requiritur necessariò, vt externo opere compleantur. Hoc rationi consentaneum exemplis optimè illustrari potest. Homicidium v. gr. mentale quocunque modo determinetur faciendum, dum solo corde retinetur, non continet talem deformitatem, ac atrocitatem, quam habet post quam opere completur. Hæresis mentalis est quidem graue peccatum, sed nõ adeò atrox, sicut illa, quæ ore cõfitetur: patet quia ista punitur Gladio censuræ; & insuper ob illam incurritur quoque in alias pœnas, atque in amissionem bonorum; illa verò nec censura punitur, neque ratione ipsius incurritur in pœnas con-

contra Hæreticos in iure latas, vt Doctores paulò ante allegati docent.

Secundum, quod reseruatio oportet, quòd concernet non solum ex sacrosancto *Conc. Trid.* vbi supra, verum ex dicta Constit. Clementis, animarũ subditorum salutem, ibi; *Pro conscientiæ puritate reseruandum videbitur*: Atqui peccatorum reseruatio purè mentalium nunquam in animarum commodum cedit, quinimò multoties in graue damnum; quia multa essent dubia inextricabilia; eo quòd peccata cordis sunt tum frequentissima, tum etiam occultissima, vt vix homo secum discernere valeat, consenserit nec ne; & ideò intolerabile est cum huiusmodi scrupulis ad Romanum Pontif. vel ad alios superiores recurrere.

14 Tertium, quod reseruatio fiat pro statu conseruando Religionis, vt ibi decernitur; *Si quod aliud peccatum graue pro Religionis conseruatione reseruandum videbitur*: verum mentalium peccatorũ reseruatio nõ potest ad Religionis conseruationem ordinari; tum quia huiusmodi scelera cum pure mentalia sint, lædere Religionis statum mi-
16 nimè possunt; tum quia esset valdè alienum à prudenti & suaui Ecclesiæ gubernatione hoc reseruationis genus peccatorum.

17 His obseruatis, dico, peccata merè interna, etiã ex consensu Capituli Prouincialis, & Generalis, nullum Religionum Prælatorum reseruare sibi posse. Hæc assertio ex dictis est manifesta, quæ ad formam syllogisticã reduci potest. Primò sic: Peccata merè interna reseruationis capax materia non sunt, igitur reseruari nequeunt. Consequentia tenet: Antecedens probatur. Ecclesia nullo vnquam tempore hæc crimina, quantũuis atrociora existimauerit, reseruare consueuit; Igitur signũ euidens est, semper iudicauisse huiusmodi crimina non subiacere reseruationi, seù non esse reseruationis capacem materiam; Nã credibile nõ est, quòd si vniuersalis Ecclesia aliquandò pensauerit, interna peccata esse, ac fuisse reseruabilia, aliquod (saltem hæresim mentalem) Superioribus non reseruauerit.

18 Secundò, supposito quod hæc crimina ex sua natura (vt primo notabili cum *Vasquez*, & alijs docebamus) sint reseruabilia, absolutè loquendo; Ex quo tamen Ecclesia nunquam illa reseruare consueuit, iam sequitur esse per legem vniuersalem declaratum, nunc ea à nemine reseruari posse. Consequentia tenet; Nàm consuetudo habet vim legis vniuersalis omnes obligantis magis quàm quodlibet statutum: *Felin. in c. 1. de sponsalib. n. 4. & seqq. Connan. in comment. iur. ciuilis lib. 1. c. 10. Marta de iurisdict. p. 4. cent. 1. casu 63.* & alij supra allegati; Igitur ex vi talis consuetudinis cùm non sint huiusmodi crimina reseruabilia, nullus Prælatorum ea reseruare potest.

19 Tertiò redit in idem; Obseruantia subsecuta ex supradictis facit nouum ius: atqui semper in Ecclesia fuit obseruatum, vt nullum crimen purè internum aliquis Prælatorum sibi reseruauerit; Igitur hæc obseruantia subsequta constituit, vt nullum peccatum merè internum à Prælatis reseruetur: ac subinde iurè cõmuni censetur esse interdictam huiusmodi iurisdictionem reseruandi peccata purè interna. Confirmatur; quoniam obseruantia contraria legibus paulatim iures legum, earumque pœnas, & censuras abrogat, & eneruat, etiam si à principio irrationabiliter, ac cum peccato fuerit introducta: iuxta doctrinam *Panormitani in c. 1. de tregua, & pace, Syluestri verbo, consuetudo q. 6. Caietani p. 2. q. 97. art. 3. Soti lib. 1. de iust. & iure q. 7. art. 2. ad 2. Auila de censuris 1. p. dub. 8.* & colligitur *ex cap. cum venerabili de consuetudine, vbi Glossa Io. Andreas, & Panorm. nu. 5. Ancaran. Hostien. Alexander*, & alij quam plures, quos refert, & sequitur *Couarr. in c. quamuis pactis p. 1. §. 6. n. 12. Iason in leg. de quib. n. 8. ff. de legib. Tiraquel. de pœnis temperandis causa 42. n. 1. Antonius Gabriel lib. 2. commun. concl. tit. de maleficijs concl. 8. num. 16. Card. Tusc. verbo, consuetudo concl. 448. Solorzan. in tract. de iure Indiarum cap. 24. num. 81.* Igitur etiam si à principio Ecclesia reseruauerit hæc crimina merè interna ex vi alicuius legis, per contrauentionem, & obseruantiam contrariam continuò subsecutam iam abrogata est lex seù constitutio, qua poterant Superiores reseruare crimina mentalia.

20 Quartò, peccatorum reseruatio (etiam de peccatis externis) non est de omnibus facienda, sed de grauioribus ac atrocioribus dumtaxat, pro Religionis conseruatione, ac animarum salute, ex supra notatis: Atqui reseruatio peccatorum merè mentalium ad nullum ordinatur istorum; Igitur fieri nequit. Consequentia, & Maior patent: Minorem probo; nàm reseruare huiusmodi peccata non solum est erroneum, vt *Pater Coriolanus de casibus reseruatis p. 1. sect. 1. art. 5.* asserit, verùm etiam & peccatum lethale, vt benè tradit *Sotus in 4. dist. 23. art... Barthol. de Ledesma summ. Sacram. vbi de confess. dub. 16. in fundam. 2. ad finem*, & alij supra citati, præsertim *Sanch. lib. 2. c. 8. n. 4. in fine in opere moral.*

Superest, vt argumenta contrariæ sententiæ soluamus. Ad primum respondeo, nihil aduersus nos probare; Ostendit enim dumtaxat, integrum esse Ecclesiæ peccata mentalia solo corde retenta reseruare, quatenus in sua remanet potestate iurisdictionem spiritualem in foro conscięntiæ, quam inferioribus iudicibus delegauit, pro suo arbitratu reuocare, seù limitare, non solum respectu eorum, qui eam ex delegatione obtinuerunt, verùm etiam eorum, qui iure Ordinariam habent in suos subditos potestatem. Quo verò nam pacto sit hoc intelligendum, *disputatatione sequenti q. 1.* fusiùs dicemus. Ad secundum, & tertium idem dicendum est; Nàm solùm probant, esse in Ecclesia Christi Domini potestatem reseruandi peccata non solùm externa, verùm purè mentalia, & interna, absolutè loquendo, quod nos admittimus.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum Religionum Præfecti, etiam ex consensu Capituli Prouincialis, aut Generalis, peccata venialia reseruare possint?

CAPVT PRIMVM.

Quid hac in re senserit doctissimus Pater *Suarez*, refertur.

SVMMARIVM.

1 *Peccata venialia sub reseruatione comprehendi, qui docuere.*
2 *Presbyteri ex vi suæ ordinationis non habent actualem iurisdictionem absoluendi venialia.*
3 *Per peccatum veniale potest incurri censura.*
4 *Illustratur, quonam pacto peccata venialia possint reseruari.*
5 *Ad tria puncta Author reducit* Suarez *sententiam.*

1 PRæfectos omnium Religionum aliquod posse sibi reseruare peccatum veniale, maximè si Capituli Prouincialis, seu Generalis adsit consensus, statuit *P. Suarez tom. 4. ad 3. p. D. Tho. disp. 29. sect. 3. nu. 1. & 2. quem adsecutus est P. Miranda in Manuali Prælator. tom. 2. q. 34. artic. 4. conclus. 4.* citari potest etiam pro hac sententia *Ioannes Medina C. de confes. q. de confess.* non necessitate, sed voluntate facta. Probat hanc suam sententiam *Suarez* primò; quia nullus Sacerdos ex vi suę ordinationis habet actualem iurisdictionem absoluendi à peccatis venialibus, sed illam a Summo Romano Pontifice, à quo emanat, recipit mediatè, aut immediatè. Ex quo planè
2 sequi videtur, posse hanc iurisdictionem limitari; Igitur potest aliquod peccatum veniale reseruari alijs, qui ordinariam habent iurisdictionem in
3 hoc foro. Secundò, quia propter peccatum veniale certum est, posse incurri aliquam censuram, scilicet excommunicationem minorem; Igitur possunt Pastores Ecclesiæ sibi absolutionem à tali censura reseruare; Igitur, & absolutionem culpæ, propter quam imponitur.

Declarat deinde doctissimus Pater n. 2. quonam pacto hoc sit intelligendum. *Respondeo*, inquit, *breuiter, non repugnare peccatum veniale reseruari quo ad hoc, vt non possit sacramentaliter remitti, nisi à tali, vel tali Ministro, vel* (quod perinde est) *vt non possit ex confessione talis peccati confici hoc Sacramentum, nisi coram tali iudice fiat. Et hoc probat posterior ratio. Nihilominùs non possunt peccata venialia ita reseruari, vt maneat obligatio ea confitendi Superiori reseruanti; quia simpliciter nulla est obligatio confitendi hæc peccata, possunt que tolli alio modo sine vllo ordine ad hoc sacramentum. neque hoc potest Ecclesia impedire: in quo est magnum discrimen inter venialia peccata, & mortalia. Atque hinc tandem fit, vt talis reseruatio venialium peccatorum sit ferè inutilis, ideòque non sit in vsu Ecclesiæ; quia licèt reseruetur hoc peccatum, poterit à pænitente in confessione taceri sine culpa, vel etiam si dicatur, & confessor nolit ab illo absoluere, poterit cogi à pænitente, vt ab alijs absoluat, quod satis illi est, cum non maneat ei obligatio tale peccatum iterum confiteri. Meritò ergò talis reseruatio non est in vsu, præter quam quod est in proportionata cum toto genere peccati venialis: Nam reseruatio introducta est propter grauitatem delictorum, à qua longè distat totus ordo venialium peccatorum. Atq; hæc doctrina locum etiam habet in peccatis mortalibus semel confessis: illa enim simpliciter reseruari non possunt, ita vt pænitens maneat sub obligatione illa iterum confitendi: Suppono enim fuisse absolutè, & per se remissa: Reseruare autem illa solùm, vt per absolutionem Sacerdotis sacramentaliter iterum non remittantur, inutile esset, & infructuosum, vt ex dictis à fortiori patet. Et ideò hæc est sententia omnium, quod postquam peccatum reseruatum semel est per absolutionem per se & absolutè ablatum, ampliùs reseruatum non manet.* Hæc Suarez.

Ad tria igitur puncta hæc sententia reducitur. Primum est, Prælatos Ecclesiæ posse (absolutè & per se loquendo) sibi reseruare peccatum aliquod veniale quantum ad hoc, vt non possit sacramentaliter absolui, aut remitti, nisi à tali, vel tali Ministro: vel (quod idem est) quod non possit ex confessione peccatorum venialium sacramentum confici pænitentiæ, nisi coram tali, vel tali iudice. Secundum, quòd peccatum veniale nequit reseruari tali modo, vt maneat obligatio illud confitendi Superiori reseruanti. Tertium, quod in praxi hæc reseruatio non sit faciēda, eo quòd est inutilis & infructuosa.

CAPVT II.

Sententia *Vasquez* proponitur sequenda.

SVMMARIVM.

1 *Peccata venialia non possunt reseruari.*
2 *Quæ potest Sacerdos ex vi Ordinationis circa peccata venialia.*
3 *Limitatio iurisdictionis, quam circa venialia habent Sacerdotes, si fieret à Superioribus, non esset vera peccatorum reseruatio.*
4 *Absolutio peccatorum venialium contra Summi Romani Pontificis præceptum data an esset valida.*
5 *Presbyteros iure Diuino habere potestatem absoluendi venialia, qui docent.*
6 *Peccatorum venialium reseruatio si à Superioribus fieret, esset inanis, iuxtà* Suarez *opinionem.*
7 *Presbyteri iurisdictionem absoluendi peccata venialia non habent à Papa.*
8 *Prælati Ecclesiæ si possunt reseruare sibi minorem excommunicationem, non possunt reseruare peccata venialia.*
9 *Peccatum, cui annexa est censura, si de sua natura non est reseruabile, non remanet reseruatum, censura reseruata.*

1 VEruntamen *P. Gabriel Vasquez tom. 4. ad 3. p. q. 91. art. 5. dub. 2.* affirmat, nullum se legisse, qui sustineat, venialia aliqua reseruari posse. Vnde dicendum esse arbitratus est, & optimè, repugnare, vt peccata venialia possint reser-

reseruari, etiam quo ad hoc, vt nō possint sacramētaliter remitti, nisi à tali, vel tali Ministro, seù (quod idem est) vt non possit ex confessione ta-
2 lium peccatorum sacramentum fieri pænitētiæ, nisi coram tali iudice fiat; quia omnis præsbyter in sua ordinatione accipit non tantùm potestatē absoluēdi, quæ est clauis & character Sacerdotalis, sed etiam vt actualiter eā exercere possit circa quoscunq; in absolutione à venialibus, & ita verissimum est, quod hæc potestas à nullo, neq; à Summo Romano Pōtifice, restringi, seu limitari potest, etiam in ordine ad conficiendum sacramentum; ergo peccata venialia non possunt reseruari quo ad hoc, vt non possint sacramentaliter remitti, cū nō sit in Ecclesia talis potestas.

3 Item si *P. Suarez* concedamus necessarium esse, vt Sacerdos actu exerceat potestatem circa venialia, accipere iurisdictionem à superiore, & facultatem, ita vt possit ei superior limitare facultatem, vt absoluere non valeat ab aliquo genere venialium, vt v. g. mendacio, &c. tamen hæc nō esset propria reseruatio; quoniam reseruare peccati absolutionem nō est dumtaxat negare inferiori Sacerdoti facultatem absoluēdi ab illo peccato, sed sibi iudicium, & absolutionem reseruare, pænitentem obligādo ex huius sacramenti institutione, ex qua quisque tenetur confessionis iudicio peccatum suum subijcere, & coram ipso reseruante comparere in iudicio cōfessionis, vt absoluatur, itaut aliàs præcepto confessionis non satisfiat: & ita reseruatio tantùm est eorum peccatorum, quorum tenemur in confessione subire iudicium: hæc autem sunt tantū mortalia. Cum ergo veniale, cuiuscunque generis sit, nemo teneatur ad iudicium confessionis deferre, sequitur, quod nec alicuius fieri potest reseruatio propriè, etiam si posset negari facultas absoluendi.

4 Rursus si à Summo Romano Pontifice præcipiatur, vt nullus simplex Sacerdos à peccatis venialibus absoluat quemquam, tamen si, hoc stāte præcepto, aliquis simplex presbyter sacramētaliter audiat alicuius confessionem de solis venialibus, impendatque absolutionem, profectò validè absoluit, & fit sacramentum, quamquam mortaliter contra præceptum Papæ peccet; igitur nequeunt peccata venialia reseruari, etiam in hoc, vt non possint sacramentaliter remitti. Consequentia tenet: Antecedens ostendunt Doctores, qui probant, iure Diuino esse concessum cuilibet Sacerdoti sine alia commissione, vt possit absoluere à peccatis venialibus. Hi sunt *Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 2. ad 3. Ruard. Tapper. art. 3. contra Cal. fol. 100. circa finem Caietanus in summa verb. Absolutio cap. 2. & tom. 1. opusculor. tract. 7. q. 1. Canus 5. p. relect. fol. 143. §. 3. Ledesm. 2. parte quarti q. 22. art. 1. Paludanus in 4. dist. 19. q. 2. art. 3. nu. 25. Capreolus in 4. dist. 19. q. 2. art. 3. ad primum contra tertiam conclusionem, Gabriel Vasquez to. 4. ad 3. p. q. 90. art. 1. dub. 2. nu. 8. & q. 91. art. 3. dub. 2. & q. 93. art. 1. dub. 6. sub n. 5.*

6 Haud minus nostra ostendi potest sententia ex *R. P. Iuniperi à Drepano de Casib. reser.* secundo dicto *P. Suarez*. Hæc peccatorum reseruatio venialium si fiat, est inanis; Atqui hæc inanitas non solum prouenit, quia neminē obligare potest, vt ad suum recurrat superiorem, aliquod peccatum veniale sibi reseruātem pro absolutionis beneficio obtinendo; quia ratione horum peccatorum venialium non sumus foro pænitentiali obnoxij, sed arbitrio nostro relictū est à Christo clauibus ea subijcere, ex *Conc. Trid. sess. 14. c. 5.* verum etiam, quia stante tali reseruatione, Sacerdos validè, & sacramentaliter absoluit; Igitur euidēs signum est, quod Sacerdos, ex quo ex sui institutione, & ordinatione ei cōpetit absoluendi ius à peccatis venialibus; impediri non potest eius iurisdictio quo ad venialia.

7 Ex his patet, quid ad fundamenta *Suarez* sit respondendum. Ad primum respondeo negando antecedens. Etenim falsum est, Sacerdotes omnes à Sum. Rom. Pont. accipere iurisdictionem absoluendi peccata merè venialia; Nàm (vt Doctores allegati paulò ante asserunt) eam ex vi ordinationis, & à Christo Domino immediatè ipsi recipiunt. De qua re videndus est *Vasquez*, & alij locis veritatis.

8 Ad secundum negatur consequentia; Quoniā licèt Pastores Ecclesiæ reseruare valeāt sibi Minorem excommunicationem, non ex eo in opinione eiusdemmet *Suarez* possunt reseruare culpam venialem, ob quam incurritur illa censura; Quia in eadem *sect. n. 13.* statuit, (vt visum est supra) Prælatos Regulares posse sibi reseruare cēsuras, peccatorū absolutione non reseruata. Secundum verò nostram sententiam aliter respōdēdum est, nimirum, quoties peccatum aliquod habet annexam excommunicationem, quod de sua natura non est reseruabile, vt est peccatum veniale, licèt reseruetur censura, nō remanet illud reseruatum ex vi censuræ; quia excommunicatio minor non valet efficere, vt peccatum veniale sui transeat naturam, quemadmodum est excommunicatio maior. Verum si minor excōmunicatio sit reseruabilis, nec ne, aliam petit difficultatem alibi oportunius examinandam.

QVAESTIO III.

Vtrum peccata reseruata legitimè confessa sola Superiorum voluntate possint iure reseruationis iterum reseruari?

CAPVT I.

Titulus quæstionis dilucidatur.

SVMMARIVM.

1 *Peccata reseruata iam in confessione sacramētali absoluta non posse reseruari, qui senserint.*
2 *Peccata reseruata in confessione iam absoluta sub cōditione quomodo possunt reseruari.*
3 *Superior potest cōcedere facultatem absoluendi reseruata cōfessario illam petenti cum hoc, vt Religioso pænitenti imponat pænitentiā vt suo iterū Superiori se repræsentet pro illorū absolutione recipienda.*
4 *Superior subdito præstans facultatem, vt à quocunq; valeat absolui Sacerdote à reseruatis, potest obligare illum sub iuramento, vt iterum sibi fateatur reseruata.*

C 3 5 *Su-*

5 *Superior potest negare licentiam absoluendi à reseruatis quousque subditus spondeat se iterum illi fassurum peccata reseruata.*

1 HAnc quæstionem hic opportuniùs duximus præmittendam, quia ad Prælatorum ius reseruandi casus pertinere videtur. erat quippè secunda huius tractationis parte examinanda. Ratio dubitandi illa esse potest, quam *P. Suarez, Miranda, Reginaldus, Vasquez.* & alij adducunt, nimirū quoniam inanis videretur alicuius peccati mortalis reseruatio, quod iam in confessione absolutum est: ita vt si aliquis Superior concedens audiendi confessionem licentiam, eam limitaret circa tale genus peccati mortalis, iam absolutio videretur inanis; tùm quia non tenetur pœnitens peccata mortalia confessa iterum confiteri; nàm virtute primæ absolutionis liber manet, vt cui voluerit Sacerdoti se subijciat absoluendum; tùm quia auctoritas, seù potestas reseruandi videtur extendi non posse ad illa peccata, quæ in pœnitētis voluntate manent clauibus subiacenda. Nihilominùs talis reseruatio valdè vtilis esse potest, tùm pro Religionis statu conseruando, tùm pro pœnitentis medela, vt statim dicemus. Pro cuius intelligētia nonnulla sunt præmittenda. Moneo igitur primò; peccata mortalia in confessione iā absoluta, multifariam reseruari posse, vt pœnitēs obligatus maneat ad illa iterū confitēdū Superiori reseruanti, vel alij Sacerdoti deputato ab ipso: primò, cum Superior licentiam absoluendi à reseruatis alicui inferiori concedit, sub conditione, vt iterum illa sibi tempore congruo confiteatur, & tunc certum est, ex vi talis conditionis iam acceptatæ, quòd tenetur suum Superiorem adire, pro reseruatorum absolutione, quamquā peccata sint in confessione absoluta: ita *Palud. in 4. dist. 17. q. 3. art. 1. Vasq. to. 4. ad 3. p. q. 91. art. 3. dubio 7.* Secundò, quādo Sacerdos pro peccatis reseruatis absoluendis petit à Superiore facultatē, à quo conceditur sub ea conditione, quòd ipse Sacerdos imponat ei hanc pœnitentiam virtute clauiū vt Superiori se repræsentet tempori opportuno: quam pœnitentiam imponendam pœnitēti præcipere posse Superiorem, cōstans est ex decreto Clem. VIII. & *Vasq.* addit *q. 93. art. 1. dub. 6.* quòd ipsemet Sacerdos quoq; valet illam imponere, quæ pœnitentia salubris esse poterit pro pœnitētis medela, & ipse illam acceptare tenetur, maximè si cum ea conditione Sacerdoti cōcessa fuerit facultas audiēdi illius confessionem: & ita tenetur pœnitens se præsentare Superiori iuxta præceptū sibi impositum à Sacerdote. licèt hic modus reseruandi non careat sua difficultate, vt capitulo sequēti fusiùs dicemus nihilominus fieri posse opinamur. Tertiò reseruari possūt, ita vt obligatus remaneat pœnitens iterum illa cōfiteri superiori iuramento, aut voto, quod emittat, & Superior negare poterit facultatem quousq; ille votum, aut iuramentū emittat, quo emisso, nulli dubium esse potest, quin ipse pœnitēs obligatus maneat peccata reseruata iterū cōfiteri suo Superiori reseruāti ex vi voti, aut iuramēti. Quartò, obligari potest aliquis solo verbo, & mutuo cōtractu, siuè iuramento, ita vt Superior, non cōcedat facultatem hanc absoluendi à reseruatis, nisi subditus promittat se iterum iuxtà reseruata ipsi Sùperiori confessurum; & sic inquit *Vasq. loco citato*, quòd potest esse regula, aut statutum in religione, quòd pactum est implicitū, quoties superior non concedit facultatem absoluendi à reseruatis, nisi sub onere cōparendi, & subditus vtitur tali facultate, tenetur iterum illa peccata suo Superiori confiteri. Simile statutū inquit *Nauar. in c. placuit de pœnitent. dist. 6. n.* 106. factum fuisse in Religione Cisterciensium, quo præcipitur, vt Fratres confessi in anno ordinarijs suis confessoribus iterum Abbatibus in fine anni ea confiteātur, quod (vt in sequentibus dicemus) confirmatum fuit à duobus Pontificibus. De his reseruandi peccata mortalia iā confessa modis in presenti quæstione non inquiritur: quod enim quæritur est, an solo iure reseruationis, nullo ex his modis, quos hactenus diximus, sed sola voluntate, & precepto supérioris, possit subditus ita obligari, vt iterum confiteatur illa peccata, pro quibus facultatem obtinuit absoluendi, & in cōfessione absoluta fuere, velit, nollit inferior?

CAPVT II.

Authoris sententia.

SVMMARIVM.

1 *Iure reseruationis soli Superiores peccata lethalia in confessione absoluta possunt sibi reseruare.*

2 *Superior potest facultatem absoluendi à reseruatis ad tempus concedere, cum conditione, vt sibi iterum confiteantur.*

3 *Abbates Ordinis Cisterciensis absoluendi à reseruatis inferioribus confessoribus concedunt facultatē, cum conditione, vt in fine anni illa reseruata ad ipsos deferantur.*

4 *Patrum Capuccinorum Cōstitutio à Sacra Eminentissimorum Cardinalium Congregatione aduersus hæreticam prauitatem confirmata statuit, & determinauit, quod Fratres possint absolui à reseruatis cum onere se præsentandi proprio Superiori.*

5 *Pœnitente ab obligatione se præsentandi proprio superiori iudicio confessarij absoluto, Confessarius ipse pro illo se præsentare adstringitur.*

6 *Patres Capuccini commendantur.*

7 *Superiores Sacrosanctæ Religionis sapientissimorū Patrum Societatis Iesu consueuere facultatem à reseruatis absoluendi ea Lege communicare, vt absolutus teneatur ad Superiorem in confessione sua deferre peccata.*

8 *Author Religionem Societatis valdè de doctrina, & Sanctitate commendat.*

9 *Onus impositum pœnitenti se præsentandi Superiori pro sacramentali obtinenda absolutione à reseruatis iam confessis & absolutis non est imponendum per modum satisfactionis.*

10 *Sacerdos inferiori imponens pœnitenti onus per modum satisfactionis se superiori suo præsentandi, vt*

ab

ab ipso iterum à reseruatis absoluatur, potest postea illud in alium opus virtutis commutare.

11 *Incommoda, quæ sequuntur, si conceditur posse inferiorem Sacerdotem pœnitentem à reseruatis absoluentem per modum satisfactionis imponere onus se coram suo superiori præsentandi.*

1 SOlo reseruationis iure, ac nuda superioris voluntate, nulloque subditorum expectato consensu, posse peccata lethalia in confessione iam absoluta reseruari, existimo. quod sic declaro. Potest ita concedi absoluendi à reseruatis facultas, vt pœnitens maneat obligatus suo superiori eadem peccata confiteri Iure Diuino, ac si ea nunquam confessus fuisset. hoc autem puto fieri posse, non tantùm à supremo Prælato, qui legem possit ferre, sed à quocunque proprio Pastore Iure reseruationis; sine præiudicio tamen superioris Pastoris, qui reseruationem inferioris omninò auferre potest. Tunc ergo iure reseruationis potest Prælatus hanc obligationem inijcere anteaquam pœnitens confessus fuerit, vt confiteatur cui voluerit, quem eligere ille potest, sed manet obligatus eadem

2 peccata iterum sibi confiteri. Quod verò id fieri possit, sic ostenditur: quoniam qui reseruauit sibi peccata aliqua, potest pro tempore facultatem alteri concedere, vt absoluat, aut inferiori, vt eligat quem velit: ita tamen vt interim obligatus maneat sibi confiteri, aut superiori Prælato; ergo vniuersaliter omnibus poterit concedere licentiam confitendi peccata, quę reseruari possunt, qualia sunt lethalia, cum obligatione illa, vt tandem illa confiteantur ipsi. hoc enim est condere legem reseruantem peccata illa superiori, & pro tempore concedentem facultatem alijs confessarijs.

3 Hoc assumptum probari potest primò ex nonnullarum Religionum Constitutionibus, ac praxi, ita enim in ordine Cisterciensi fuit statutum, & confirmatum à duobus Pontificibus, pro vt testantur *Nauarrus, & Vasquez supra*. Cùm ergo Abbates Cistercienses potuerunt sibi reseruare omnia lethalia inferiorum, aut aliqua; ne quotidie in omni occasione necessarium esset ad ipsos recurrere: committere potuerunt iudicium hoc, & facultatem absoluendi communibus confessarijs in Religione assignatis, vt tandem ad ipsos deferrentur illa peccata, & sic etiam potuit concedi fratribus Mendicantibus potestas absoluendi, vt qui vellet, interim ab illis absolueretur, sed tandem suo tempore ad proprium Pastorem recurreret, & reseruata illi essent illa peccata tandem ei confitenda.

4 Aliam huic similem ediderunt Patres nostri Congregationis Capuccinorum in quodam Capitulo Generali Romæ celebrato Constitutionem, quam postea confirmauere Eminentissimi Domini Sacræ Congregationis aduersus hæreticam prauitatem, cuius tenorem hic inserere placuit. *Quoniam in nostra Congregatione Fratrum Minorum S ancti Francisci Capuccinorum iuxtà Seraphici Patris Regulam cap. 7. casus non superioribus localibus, sed Prouincialibus, aut Generalibus pro tempore existentibus reseruantur, qui cùm absentes vt plurimum sint, & quæ adeò occurrente casu reseruato pœnitentes pro absolutione, aut confessarij pro absoluendi licentia recurrere ad eos non facilè possint; Idcircò nos infrascripti Generales, & Deffinitores præsentis Capituli Generalis ad Decretum Sãtissimi Domini Papæ Clementis VIII. super casuum reseruatione respicientes, ac simul bono communi Religionis, & quieti conscientiæ fratrum consulentes, decernimus; vt iuxtà antiquam nostræ Religionis consuetudinem, & probatorum Doctorum communem sententiam, confessarij à Superioribus deputati ad audiendas fratrum confessiones eos, etiam à casibus reseruatis, absoluere valeant, ea tamen lege, vt si confessarius iudicauerit, pœnitentem debere Superiori præsentari, teneatur pœnitens, habita opportunitate, ad talem Superiorem recurrere, vel vt iterum sacramentaliter absoluatur, vel vt remedium recipiat.*

5 *Si verò id non expedire confessario visum fuerit, liber omninò à tali obligatione pœnitens remaneat, ita tamen vt confessarius ipse tempore congruo ad Superiorem recurrat, & saluo confessionis sigillo, ac sine aliqua pœnitentis nota, se à reseruatis illum absoluisse manifestet. Tùm vt hic Prælatus in communem statum Religionis cognoscat: Tùm vt de salutaribus remedijs, si opus fuerit, confessarium instruat.*

Illud etiam addimus, vt quotiescumque pœnitens aliquem confessarium ex deputatis elegerit, iuxtà nostrarum constitutionum ordinationem, sua sponte illum mutare, ac alium sibi eligere, absque Superioris licentia, minimè possit.

Fr. Paulus à Lesena Generalis.
Fr. Clemens à Noto Diffinitor.
Fr. Michael Angelus Ariminensis Diffinitor.
Fr. Hieronymus Harniensis Diffinitor.
Fr. Laurentius à Brundusio Diffinitor.
Fr. Sanctus Romanus Diffinitor.

Insuper cùm modum istum à Patribus præscriptum Sacræ Congregationi Cardinalium Sancti Officij iudicandum obtulerimus, eo fine, vt si sit exspediens, nec aliquid contineat Iuribus, & decretis Pontificum contrarium, comprobaretur, sin minus, corrigeretur, & ad debitam formam Sacræ Congregationis beneuisam reduceretur: dicta Congregatio post debitam discussionem, & naturam in his omnibus considerationem, sensit, modum istum, vt iacet, tanquam iustum comprobandum esse, & de facto comprobatum fuisse Illustrissimus Cardinalis Bellarminus vnus ex Cardinalibus dictæ Sacræ Congregationis à nobis requisitus disseruit, & certiores nos fecit.

Hinc notum facimus confessarijs, ita se gesturos in futurum, cùm dicti casus occurrerint, sicut in præteritis est consuetum; cùm modus olim habitus, vt iustus, & rationabilis, & ad mentem Sacræ Congregationis, sit comprobatus. Vnde in horum fidem prę sentes fieri decreuimus manu nostra subscriptas, & sigillo Officij nostri munitas. Datum Romæ die 6. Mensis Martij 1615.

Fr. Clemens à Noto procur. & Commiss. Generalis.

Ex

6 Ex qua Patrum Capuccinorum Generalis Capituli auctoritate non parui ponderis pro nostræ sententiæ ostendenda veritate sumitur ratio. Etenim credibile non est Patres illos doctrina, Religione, animarum salutis zelo præditos, ex tota Europa Romæ congregatos, suæ Congregationis status, ac regiminis bonum respicientes, statuere voluisse, vt peccata lethalia in confessione absoluta ex vi solius reseruationis, iuxtà Clementis Octaui decreti formam, Ministris Prouincialibus reseruarentur, nisi forti ac robusto ducerentur fundamento; Et eò quam maximè quia Eminentissimi Domini Cardinales aduersus hæreticam prauitatem Sacræ Congregationis post maturam, ac debitam discussionem, eam approbauere constitutionem, quòd si non esset illorum Patrum certa opinio, profectò eam non Canonizarent.

7 His addo, Sapientissimos, ac Religiosissimos Societatis Iesu Patres, quorum doctrinam vniuersus admiratur Orbis; nostræ esse sententiæ. Nàm in eorum Sacrosancta Religione ita consuetum fuisse testatur Vasq. vt Superiores facultatem à reseruatis absoluendi absolutè nō committerent, nisi ea lege, vt absolutus tandem teneatur ad Superiorem in confessione sua deferre

8 peccata. Et certè si nostra sententia omni careret probabilitate, mihi satis est, vt non solùm probabilem existimem, verùm etiam vt certam: Cùm Patres tantæ Religionis in praxi illa vtantur. Quis enim hæsitare potest in hac re, quando omnium Scientiarum Magistri Mundum exemplo, & praxi docent quid tenendum sit?

9 Neque tenendum est, hanc Superioris potestatem sibi illa reseruandi peccata tandem ad ipsum in confessione deferenda, ea esse ratione, qua aliqui existimarunt; nimirùm quia Superior inferiori potestatem præstet absoluendi sub ea conditione, vt hanc pœnitenti imponat obligationem iterum illa confitendi in modum satisfactionis, veluti aliud opus virtutis imponere potest, & ita inferior Confessarius illud imponit satisfactionis opus, vt obseruet conditionem; hac enim ratione tantùm minimè dicendum est, id fieri posse. primò, quoniam sic esse potest locus fraudis, & tota reseruandi casus facultas eneruaretur: sic enim inferior Sacerdos, qui absoluit, posset post ea illam tollere impositam pœnam, in aliam commutando: ille enim non habet à Superiore præceptum non tollendi eam pœnam, aut non commutandi; potest enim inferior ille confessarius non esse subditus illius,

10 qui concessit facultatem: vt si Religionis Superior inferiori subdito iter agenti concedat, vt à quocunque voluerit etiam sæculari Sacerdote approbato absoluatur, cum obligatione tantùm comparendi in reseruatis peccatis: tunc ille Sacerdos, quia sub conditione illam accepit facultatem, tenetur, ne iniuriam faciat Sacramento, eam pœnam imponere: quod si non imponat, non poterit absoluere, cùm aliàs non concedatur ei facultas: sed postea non habet aliud præceptum illius, qui sibi casum reseruauit. mutata ergo postea voluntate, optimè illam poterit pœnitentiam commutare: aut quare non? & ita satis erit initio habeat ille intentionem ponendi pœnitentiam; sine hac profectò facultatem non haberet absoluendi; sed postea absolutio iam impensa ex pœnitentia illa non pendet, vt opere compleatur: poterit igitur pœnitens commutationem illius ab eodem petere Sacerdote, & forsan ab alio, & illam concedere Sacerdos valebit: vt *Syluest. v. confessio 1. quæsito 27. Rosella eodem verbo 2. Vasquez tom. 4. ad 3. p. q. 93. art. 3. dub. 7. n. 33. & q. 94. art. 2. dub. 3. à n. 7. docent.*

11 Secundò sequeretur hac ratione, inferiorem Sacerdotem, qui sibi reseruandi casus potestatem non haberet, quia non habet nisi delegatam iurisdictionem, quam subdelegare minimè valet, dum alicuius audiret confessionem, si illi hanc imponeret pœnitentiam iterum illa peccata suo ordinario Superiori confitendi, diceretur reseruare illa peccata, quod est manifestè falsum: alius enim presbyter eandem habens delegatam potestatem, audita illa confessione, posset illam pœnam in aliud opus commutare, quòd certè non posset, si esset reseruatio: non igitur hæc comparendi coram Superiore obligatio oritur quando inferiori conceditur facultas absoluendi cum eo tamen onere, vt inferior obligatus maneat, nisi ex potestate Superioris, non ex eo quòd inferior confessarius illam imponat pœnitentiam, ad quam, si rationabilis est, cogere potest virtute clauium, vt probabiliter quamplures doctores existimant, præsertim *Sanctus Thomas in d. dist. 18. q. 1. ar. 3. quæstiunc. 3. Riccar. ibidem distin. 11. art. 1. q. 5. Paludan. dist. 20. q. 2. n. 5. Maior q. 1. & dist. 17. qu. 2. Alexander de Ales 2. p. q. 24. membro 4. art. 5. consentit Durandus dist. 20. q. 1. & 2. & idem docet dist. 17. quæst. 3. ad secundum Roffens. art. 3. contra Lutherum, Ledesma 2. p. q. 20. art. 3. Ruard. Taper. art. 6. §. diximus secundum rationem, Canus relect. de pœnit. p. 5. Sotus distinct. 20. quæst. 2. art. 2. Petrus Soto lect. 2. de satisfact. Vasq. loco citato dub. 1. num. 5. & alij*; sed ex Superioris potestate immediatè, quam habet in conscientiæ foro sibi reseruandi iudicium illius peccati vltimum in confessione. Vnde sequitur, quòd si inferior aliquis à suo Prælato hanc accipiat facultatem, vt iter agens à reseruatis a quocunque approbato presbytero absoluatur, maneat tamen obligatus comparere coram suo Superiore; etiam si pœnitens nihil de hac reseruatione dicat illi confessario, nec ille eam in confessione imponat pœnam, sed tantùm bona fide absoluat, valet absolutio: & ille pœnitens obligatus manet comparere coram suo Superiore; quia obligatio prouenit non ex Sacerdote imponente pœnam, sed ex Superiore reseruante sibi vltimum iudicium, & ad illud obligante: nec obligandus est inferior ille dicere Sacerdoti, cui ad tempus sit commissio, illud esse peccatum reseruatum, vt ei eam imponat pœnitentiam iterum Superiori confitendi. quòd si ex pœna

fa-

satisfactionis illa proueniret obligatio, teneretur profectò id dicere. Ita obligare potest quicunque Superior, qui sibi reseruare potest casus, aut alteri tribuere absoluendi ab eis facultatem.

CAPVT TERTIVM.

Allata Authoris sententia magis illustratur, Referturque, quid Magister *Vasquez* hac in re senserit.

SVMMARIVM.

1 *Potestas, qua Superiores obligare possunt inferiores, vt ad ipsos teneantur adire pro reseruatorum obtiuenda absolutione, oritur ex natura Sacramenti pœnitentiæ, eiusque institutione.*

2 *Pœnitens iure reseruationis obligari potest à Superiore ad sua confitenda peccata, quæ priùs fuerat confessus.*

3 *Absolutus à censuris reseruatis ob instantem necessitatem tenetur Superiorem adire pro absolutione obtinenda.*

4 *Non posse Superiores solo reseruationis titulo sibi reseruare peccata iam confessa, atque absoluta, sentit Vasquez, & quare, declaratur.*

5 *Nullus Sacerdos potest ferre vltimum iudicium de peccatis, si careat ordinaria iurisdictione, atque materiei applicatione, quæ ab eo fieri debet, qui sibi reseruauit peccata.*

6 *Vltimum iudicium de peccatis reseruatis fieri nequit à Sacerdote, cui subditorum facta est subiectio, & materiei applicatio, nisi eo modo, quo fuerit applicata.*

7 *Vltimum iudicium de peccatis reseruatis ex consensu pœnitentis potest Prælatus sibi reseruare, iuxtà* Vasquez *opinionem.*

8 *Idem posse absolutè fieri à Superioribus, ostendit Author.*

9 *Reseruatio peccatorum in confessione absolutorum esset inanis & infructuosa, si fieret post absolutionem: potest esse vtilis, si ante quam absoluantur peccata, fiat. an verò in praxi sit facienda, vide quid consuluit Author in fine num. 8.*

1 NOstra hæc sententia magis illustrari potest, si obseruetur id, quod supra tetigimus: nimirùm origo, & principiũ casuum reseruationis. Notandum igitur est, hanc potestatem obligandi inferiorem, vt ad suum teneatur redire Superiorem, & iterum confiteri, iure reseruationis in foro confessionis prouenire, & hanc potestatem competere Superioribus ex natura, & institutione huius Sacramenti, ac iudicij. Certum enim est, *vt disp. 1. docebamus ex Concil. Trid. sess. 14. capit. 7.* cùm huius Sacramenti absolutio vera sit iudicij sententia, postulare iurisdictionem in absoluente, & consequenter Iudicem Superiorem huius iudicij, cui ex munere competit reseruare sibi, aut alteri, posse peccatorum quorundam iudicium in foro pœnitentiæ, ita vt non satisfaciat præcepto Diuino confessionis, donec ab illo iudicentur peccata, qui ea reseruauit, aut cui similem commisit reseruationem. Vnde cùm obligatio huius Sacramentalis iudicij sit non tantùm vt remittantur verè peccata, siquidem iam remissa per contritionem adhuc obnoxia manent huic iudicio; sed vt tandem hæc peccata iudicentur à suo Iudice; parum refert, si interim ex commissione ad tempus absoluta, & iudicata sint ab alio: quia reseruatio ex natura iudicij hoc operatur, vt tandem causa illa ad Superiorem deferatur; non quia absolutio à culpa pendeat vsquequo Superior, qui reseruauit, absoluat: quia iam diximus, ex huius iudicij natura etiam remissis peccatis quoad culpam manere obligationem deferendi peccata ad illud, vt tandem iudicentur; sic ergo reseruans sibi quasi iudicium peccatorum potest obligare, vt ei vltimò fiat confessio illorum ex potestate tantùm reseruationis, etiamsi alteri ad tempus concesserit facultatem iudicandi.

2 Neque, obstat si dicas, quòd si potest aliquis obligari ad iterum confitendum peccata, quæ confessus fuerat, sequeretur, multoties ad id obligare posse: non obstat, inquam, quoniam ratione reseruationis dumtaxàt potest homo iterum obligari ad sua confitenda peccata, quæ priùs confessus fuerat; eo quòd reseruatio tantùm est ad vltimum Superioris iudicium, aut alterius, quem ipse assignauerit: & ita vt iterum tantùm confiteantur obligari quis iterum poterit: imò verò ex hoc sequeretur, non satis esse, si facta reseruatione hac, ipse postea audiens peccata illa reseruata liberè sine vltima confessione dimittat pęnitentem: sed opus est, vt ipse, vel alius ex eius commissione sacramentaliter absoluat, quia cùm ipse sacramentaliter in foro conscientiæ reseruauerit vltimum iudicium, adhuc peccata illa obligata manent, vt iudicium subeant pœnitentiæ, & hoc est iure Diuino sic modificato per Superiorem; eo quòd vnusquisque suo Sacerdoti, seù Pastori iure Diuino confiteri teneatur, & si ille commisit alteri ad tempus, ius habuit reseruandi sibi, obligationemque imponendi, vt vltimò ad se illa peccata deferantur, & ita maneant adhuc sub confessionis obligatione; quare ipse tenetur absolutionem impendere sacramentalem, aut alteri committere: & ita implebitur confessionis præceptum; quia reuera peccatorum reseruatio ad iudicium fit confessionis, non verò ad iudicium exterius. Vndę non sufficiet sine confessionis sacramento, illa audire peccata, & absque absolutione sacramentali dimittere pœnitentem. Secùs est quando absolutè alicui committitur inferiori potestas absoluendi à reseruatis; sic enim ipse fert vltimum confessionis iudicium: vnde postea non potest accedere Superioris reseruatio obligans iterum illa peccata confiteri iudicanda in confessione: ideoque cùm aliquis ad tempus absoluitur à reseruatis cum illa adhuc reseruatione, non remanet obligatus alia confiteri, quàm quæ reseruata erant: ad ea enim dumtaxàt se extendit reseruantis potestas.

Ad

3 Ad probandam efficaciter hanc nostram sententiam valdè robustum potest sumi argumentum *ex cap. eos qui de sententia excommunicationis in 6. & cap. de cetero, & cap. ea noscitur, & cap. quod de ijs de sentent. excommunic. & extrauag. inter cunctas de priuilegijs*, vbi decernitur, absolutum ab inferiori ex commissione propter instantem necessitatem teneri iterum Superiori reseruata confiteri, aut cui ipse commiserit. sic *Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. Canus in relect. de pœnit. 5. part. §. 2. conclusio Biguer. in Summa cap.* 16. §. 4. hoc non solùm intelligendum venit de excommunicatione reseruata, verùm etiam de peccato, cui annexa est censura, vt *P. Vasq. l. c. dub.* 8. *n.* 7. docet, & ita nostram sententiā de potestate reseruationis allegati authores apertè sequuntur, cùm doceant de facto, ita esse, quòd inferior ita absolutus tenetur iterum confiteri, etiam in Episcopali reseruatione, & quacunque alia, quæ annexam habet excommunicationem.

4 Verùm Magister *Vasq.* postea quàm nostram hanc probabilem existimauerit sententiam, quin imò conatus est eam probare *tom. 4. ad 3. p. q. 91. art. 3. dub. 6. 7. & 8. q. 93. ar. 1. dub. 6. nu.* 11. eam vt falsam reijcit. falsum (inquit) est, Superiores posse solo reseruationis titulo peccata reseruare aliàs est in confessione absoluta; quia (inquit) duobus modis intelligere possumus id fieri posse: Primò iure reseruationis, itaut semper maneat obligatio confitendi illa peccata Superiori tanquam supremo Iudici, & ita per reseruationem manente obligatione confitendi, quæ erat iure Diuino imposita, vt vsque ad secundam confessionem maneat obligatio confitendi iure Diuino; & hoc fieri non potest, quia quamuis omnes Sacerdotes nō habeant iure Diuino applicatā debitam materiā, in qua ferāt sententiā absolutionis, nisi illis applicetur à Superiore, & ita vnus ab alio eam accipiat; tamen quod attinet ad potestatem actiuam iurisdictionis, omnes sunt pares, & immediatè à Deo illam accipiunt, neque vnus ab alio. vnde sententia, quam vnus fert absoluendo à peccatis, & imponendo pœnitentiam, & ita medendo peccatis alicuius, qui iam ei constituitur subditus, immediata est sententia Christi, & authoritate Christi immediatè, non verò Superioris, absoluit, & medetur. nec alteri etiam supremo Sacerdoti subijci poterit tanquam vltimo Iudici, sed cuicunque in ea ferenda alteri non subordinato; ergo ex ordine ipso huius iudicij causa illa reseruari non potest iterum iudicanda alteri Sacerdoti; cùm enim vnus ab alio non accipiat potestatem iudicandi, sed à Christo, vnusquisque est iudex in illa causa.

5 Atqui hac ratio minimè conuincit, etenim consequentia omninò neganda est: ad antecedens verò dicimus, quamquam Sacerdotes omnes ex vi suæ institutionis æquales sint, vt *disp.* 1. dictum est, eo quòd immediatè quo ad principiū actiuum à Christo Domino illud accipiunt: nihilominùs quoad iudicium ferendum materiei necessarium requiritur applicatio, quæ per potestatem fit iurisdictionis in Prælatis iure Diuino saltem remotè, seù materialiter (vt placuit non nullis) existentem. Vnde tale iudicium fieri nequit, nisi eo modo, quo materia fuerit applicata, à qua essentialiter (vt ita dicam) dependet. Quamobrem si materiei applicatio, & subditorum subiectio à superiore fiat absolutè, inferior Sacerdos absolutè fert, imposita pęna, absolutionis sententiam.
6 si verò cum conditione illi applicet, non valet absolutè ferre illam sententiam, nisi sub modo, quo illi est facta pęnitentis subiectio, ac materiei applicatio, ob iudicij dependentiam; ac sub inde si iudex superior ex vi suæ iurisdictionis ad tempus applicet materiam, certè manebit obligatio iure Diuino pœnitentem obligans ad se coram suo superiore præsentandum, qui sibi vltimum reseruauit iudicium: ex eo quòd hoc aliter non sit faciendum, quàm iuxtà modum applicationis; igitur non impedit principium actiuum ad ferendam sententiam, & faciendum iudicium de peccatis in confessione explicatis, ex quo immediatè Sacerdotes in sua ordinatione à Christo Domino accipiunt illud, quin possint superiores sibi reseruare vltimum ad confessionem faciendam iudicium: igitur solùm iure reseruationis potest superior reseruare peccata in confessione absoluta, vt saltem efficax remedium adhibeatur, & pastoris sui oues cognoscant vultum.

7 Neque me effugiet Vasquez, quia *num.* 11. fieri posse concedit, vt superior reseruet vltimum iudicium ex pœnitentis consensu: vt si superior inferiori subdito facultatem concedat confitendi cuicunque voluerit Sacerdoti, vt à reseruatis absolui valeat, sub conditione, vt iterum se præsentet coram ipso, vt à suis iterum recipiat peccatis reseruatis absolutionem, in quo casu inquit Vasquez tenebitur pœnitens Sacerdotem certiorem facere de hac conditione, vt illi imponat pœnitentiam, nimirùm vt tempore opportuno suum adeat superiorem pro suorum peccatorum absolutione obtinenda, & ipse pœnitens obligatus
8 remanebit ad comparendum. Si ergo vltimum iudicium ex pœnitentis consensu superior sibi reseruare potest, quare non absoluet? nàm aliàs videretur aliquo modo peccatorum reseruatio pendere ex penitentis consensu, & non ex natura iudicij, quod planè concederet *Vasquez*: parùm enim infert, quòd consentiat, aut non consentiat pœnitens, quando sententia ferenda ab actiuo principio à Christo Domino Sacerdotibus concesso dependet, ex materiei applicatione, quæ arbitratu superiorum fit vel absolutè, vel sub conditione.

Quòd hoc fieri possit, hac ratione reseruationis in foro confessionis, constans est, vt ipsemet *Vasquez* fatetur, quia de facto ita factum videtur in Sacrosancta Religione Societatis Iesu, vt absolutus interim teneatur tandem ad superiorem in confessione sua peccata deferre, quod (vt paulò ante diximus) non ex potestate imponentis pœnam, & satisfactionem in confessione prouenit;

nit;sed ex natura iudicij: Et licèt hoc optimè fieri possit, consulerem tamen cum *Paludano*, vt non fiat; quia minùs conueniens, & multa oriri possunt inconuenientia. Qui nimò addo, subditorum quieti, ac saluti animarum absolutè non conuenire. Ex qua forsan ratione motus *Vasquez* primam sententiam, quam tenuerat, reuocauit.

9 Satisfaciendum superest argumento in principio quæstionis pro ratione dubitandi posito: Ad quod breuiter respondeo, reseruationẽ peccatorum in confessione absolutorum esse siquidem inanem atque infructuosam, si fiat postquàm peccata facere absoluta, vt petit argumentum: erit valdè vtilis, & fructuosa, si fiat ante quàm peccata absoluantur; aut ab inferiore absoluta sint ex vi concessionis sub conditione factæ, vt ad superiorem iterùm in confessione deferantur, iuxtà reseruationis modum per eundem, quando licentiam absoluendi reseruata præstat, factum.

DISPVTATIO QVARTA.

De auctoritate Superiorum Regularium reseruandi pro eorum arbitrio peccata mortalia.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum peccata possint reseruari pro arbitrio Superioris, absque legitima causa?

CAPVT VNICVM.

Nulla rationabili existente causa, Religionum Superiores sibi reseruantes peccata mortalia, etiam respectu illorum, quibus delegata est facultas, quomodo lethaliter peccent, ostenditur.

SVMMARIVM.

1 *Ad licitam & honestam à Superioribus faciendam reseruationem requiritur iusta & rationabilis causa.*

2 *Mortiferè peccarent Religionum Præfecti, qui in subditorum perniciem sibi reseruante casus.*

3 *Facta suæ iurisdictionis delegatione, possunt validè respectu Delegati Superiores sibi reseruare peccata, etiam licita causa rationabili non existente.*

4 *Quæ requirantur ad hanc faciendam peccatorum reseruationem.*

5 *Prælati Ecclesiæ potestatem sibi reseruandi peccata non habent vt Domini absolutè, sed vt Christi Domini Vicarij.*

6 *Reseruatio peccatorum absque causa facta respectu eius; cui Delegata est, an sit valida?*

7 *Prælati Regularis potestate reseruandi peccata abutentis, peccata sibi reseruando, reseruatio est nulla.*

8 *Prælati Ecclesiæ potestatem reseruandi peccata iuxtà Christi Domini intentionem exercere debent.*

1 HVius quæstionis duplex potest esse sensus. Vnus est, an hoc possit fieri licitè? alius, an validè? Prior sensus difficultatem, per se loquendo non habet, vt *P. Suar. to.4. de pœnit. disp.29. sect. 4. n.1. Vasq. to.4. ad 3. p. q.91. art.5. dub.4. Miranda tom.2. q.33. art.2. concl. 1. notauere.* Nàm constans est superiores non licitè facere hanc reseruationem, si nulla iusta, seu rationabilis existat causa; tùm quia per se onerosa est, ac subditis difficilem vsum reddit Sacramenti, ideòque licitè fieri non potest pro superiorum voluntate, sed pro subditorum vtilitate, ad quàm hæc potestas principaliter ordinatur; tùm quia *Conc. Trid. ses. 14. c.7.* determinat, licere Episcopis, & superioribus aliqua sibi reseruare crimina: hoc tamen fieri debet in ædificationem, & non in destructionem; quæ enim à Deo sunt, ordinata sunt; inquit Con-
2 cilium. Vndè quando esset in detrimentum subditorum, esset quidem peccatum reseruare illa, vt eleganter probat *Vasquez loco quo supra*; quia esset abuti clauium, in foro conscientiæ, potestate. Vt ergo de alio dicamus sensu, distinguendum est de hac reseruatione facta tantùm in ordine ad Delegatum, vel in ordine ad alios inferiores Pastores: de quibus in sequenti quęstione erit sermo; Nàm respectu Delegati certum est (inquiunt *Suarez, ac Miranda*) ex Doctorum om-
3 nium consensu, validam esse reseruationem, quamuis solo arbitratu sine rationabili & iusta causa fiat; cuius fundamentum est, quia qui alteri committit iurisdictionem suam, ad quam committendam non tenetur ex debito iustitiæ, sed ex sua mera voluntate, potest certè illam committere non totam, sed partem, ex eadem dumtaxàt voluntate; ergo potest dare iurisdictionem ad quædam peccata, & non ad alia: quod est illa sibi reseruare.

Opinantur nihilominùs nonnulli hoc esse verum, si in prima fiat concessione iurisdictionis; tamen post quàm tota delegata est, non posse per reseruationem sine causa, saltem rationabili, coarctare. Quæ sententia displicet *P. Suarez*; quia, vt ipse inquit, absolutè loquendo, non est talis limitatio necessaria; quia delegatio non est absolutè donatio, sed quædam concessio, quæ semper à Delegantis pendet voluntate: & ideò sicut eam potest absolutè reuocare, ita potest limitare, seu coarctare.

4 Ad hoc tamen faciendum duo exposcit *P. Suar.* Vnũ est, quòd licèt ex parte Delegati per se non fiat iniuria in hac reseruatione, cũ quotidie & iurisdictionẽ totã auferre possit, & sibi omnia mortalia reseruare; Ex parte tamen subditorum, propter quos hæc iudicia delegantur, poterit esse illicita, si absque (saltem rationabili) causa, & im-
5 prudenter fiat. Nam Prælati Ecclesiæ hanc non habent potestatem tanquam absoluti Domini, vel propter suum commodum, sed vt Christi Vicarij propter bonum Ouium, vt sacrosanctum Concilium Tridentinum paulò ante allegatum decer-

decernit. Quamobrem si per hanc reseruationem nimium onerosi sint subditis, vel exponant eos aliquibus periculis, lethaliter peccabunt contra Charitatem, vt dicebamus, abutendo potestate sua: sicut etiam malefacerent non delegando absolutè hanc iurisdictionem. De qua re infrà in proprio quæsito dicemus.

6 Verùm huiusmodi reseruatio an sit irrita, nec ne, *P. Suar.* non audet affirmare. Ita enim inquit; nunquam tamen auderem dicere, talem reseruationem esse irritam, vel nullam, propter similem imprudentiam reseruantis; quia nunquam est contra iustitiam, nec deest absoluta potestas. Et sæpe accidit, vt vsus potestatis habeat effectum, etiam si minus prudens sit, & rationabilis; vt in superioribus tactum est, & patet in dispensationibus, & similibus: Et maximè in effectibus negatiuis, qualis est reseruatio; Tantùm enim est non concessio iurisdictionis quo ad aliquam partem. Cauendum præterea est postquàm semel facta est delegatio, ne illius coarctatio, aut reuocatio sine rationabili causa facta cedat in infamiam ipsius Delegati; Nam ex hac parte posset esse illicita. Quod præsertim continget, quando ad certum tempus commissio facta est, & ante illud elapsum reuocatur: tamen hoc totum accidentarium est. Hactenus *Pater Suarez*.

7 Mihi verò (saluo semper meliori iudicio) videtur dicendum, peccatorum reseruationem nullam ac irritam esse, si in euidentem fiat perniciem animarum à Religionum Prælatis. Moueor; quoniam hæc reseruandi peccata facultas, quam Prælati Regulares habent, siue illam immediatè à Christo Domino recipiant, vt nonnulli voluere, quos in superioribus impugnauimus; siue à Romano Pontifice, vt docet nostra sententia: ordinatur per se ad animarum salutem: Ergo cùm hac abutantur, contra intentionem concedentis, videtur, quòd effectus sit nullus, & ipsa iurisdictio interpretatiuà saltem sit suspensa. Confirmatur primo; Nam Pastores Ecclesiæ potestatem hanc reseruandi peccata non habent (vt tactū est) tanquam absoluti Domini, sed tanquam Christi Vicarij propter bonum animarum; Igitur iuxtà Christi Domini intentionem illam exercere debent: Atqui si ex vsu talis potestatis animarum sequuntur pericula, contra intentionem Christi Domini illam exercent, ideò non solùm lethaliter peccant, verùm etiam ex eadem Christi Domini intentione tenendum est, talem reseruationem esse nullam. Confirmatur secundò, quoniam hæc reseruatio valdè est iniuriosa subditis, & contra iustitiam. Igitur est irrita, & nulla. Consequentia est certa, & ab omnibus admittitur. Antecedens ex eo ostenditur, quoniam tota spiritualis Prælatorum iurisdictio ad bonum ouium ordinatur per se; ergo ex vi talis ordinationis, & institutionis ius habent oues ad illam, vt non alio vtatur modo, nisi quo earum bonum exposcit; Ergo si abusus fuerit talis, vt cedat in ouium euidens damnum, erit contra iustitiam; quia Oues habent ius acquisitum ad hoc vt possint à Prælatis petere, vt illam non alio modo exerceant, nisi eo, quo Christus Dominus, vel eius Vicarius communicauit.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum Prælati Religionum reseruare valeant quæcunque lethalia pro eorum arbitrio, etiam respectu Prælatorum localium, qui habent ordinariam iurisdictionem?

CAPVT PRIMVM.

Varia Doctorum Placita referuntur.

SVMMARIVM.

1 *Reseruationem factam respectu inferioris Prælati absque vlla causa esse nullam, qui senserint.*
2 *Constitutio de Reseruatione facta absque legitima causa Pastor inferior, sine Superioris licentia, ex munere proprio potest absoluere à reseruatis, & quare.*
3 *Nemo potest suo Episcopatu, aut beneficio priuari sine causa.*
4 *Reseruationem factam respectu illius, qui ex munere habet facultatem absoluendi à reseruatis, etiam absque causa esse validam, qui docent.*
5 *Papa respectu omnium Prælatorum absque causa potest sibi reseruare peccata.*
6 *Episcopi non possunt absque legitima causa respectu Parochorum sibi reseruare peccata.*

1 NOn parua difficultas in hac quæstione se offert examinanda, ob Doctorum varias opiniones. Nam quando reseruatio fit respectu inferioris Pastoris ordinariam habentis iurisdictionem, nullam esse, docet prima sententia, si absque iusta, seu rationabili causa fiat. ita *Sotus in 4. dist. 14. q. 2. ad 2. Ricard. art. 3. Vasq. tom. 4. ad 3. p. q. 91. art. 3. dub. 2. n. 4.* Vndè quando constaret de reseruatione sine legitima causa facta, inferior Pastor, sine superioris consensu, ex proprio suo munere, quod de iure sibi competit, posset absoluere ab illis reseruatis.

Probant hanc sententiam hi Doctores; quia Pastores inferiores saltem ex suppositione proprij muneris intrinsecum habent & naturale ius ad suam iurisdictionem; ergo saltem hoc titulo non possunt sine causa illa priuari, nec licitè, nec

3 validè. Confirmatur; quia postquàm aliquis recipit Episcopatum, aut beneficium, sine iusta causa non potest illo priuari. Similiter nullus potest suspendi ab officio, vel beneficio sine causa, & solo arbitrio superioris; eritque talis suspensio nulla, si fiat; ergo similiter in præsenti.

4 Secunda sententia affirmat absolutè, talem reseruationem esse validam. Ita sentit *Syluest. verb. Confessor 1. q. 3. & Henri. quodlibet 1. q. 27.* Fundamentum est, quia superior semper confert iurisdictionem dependentem à sua voluntate; & ideò si illam auferat circa aliquod peccatum factum, tenet, etiam si fortasse sine rationabili causa id faciat.

5 Tertia sententia distinguit inter Summum Roma-

manum Pontificem respectu omnium inferiorum, & Episcopos respectu Parochorum: & de Pontifice approbat secundam opinionem propter eius fundamentum: Etenim omnis iurisdictio à Summo emanat Pontifice. In Episcopis verò primam approbat sententiam. Ita sentit *Maior in 4.dist. 17.quæst.5. & Angelus verbo, casus*; Ratio verò posterioris partis est, quia institutio & iurisdictio Parochorum non est ab Episcopis; & ideò nec Parochias diuidere, aut mutare, neque aliquid simile facere possunt Episcopi propria auctoritate, nisi delegentur à Pontifice. Et sumi etiam potest *ex Concilio Tridentino session. 21.c.4.de Reformation.*ibi;*Episcopi, vt Apostolicæ Sedis Delegati, &c.* ac proinde si absque legitima causa reseruent, nihil faciunt.

CAPVT SECVNDVM.

Magistri *Francisci Suarez* sententia cum suis fundamentis refertur.

SVMMARIVM.

1 *Quæcunque peccatorum reseruatio à Summo Romano Pontifice absque vlla causa facta est valida atque firma.*
2 *Papa creare potest Episcopum cum limitata iurisdictione.*
3 *Papa cuiuscunque causæ in foro contentioso potest sibi validè atque firmè reseruare iudicium, absque legitima ratione.*
4 *Papa potest quemquam ab Episcoporum iurisdictione eximere validè, absque vlla causa.*
5 *Doctores Catholici semper affirmauere, quamcunque peculiarem reseruationem à Summo factam Pontifice sine causa esse validam.*
6 *Sententia Summi Pontificis semper timenda.*
7 *Multitudo reseruatorum casuum non est sufficiens ratio, vt Prælati inferiores, absque Supremi licentia, valeant à reseruatis absoluere.*
8 *An Episcopi respectu Parochorum sibi ad libitum possint reseruare casus.*
9 *Prælati omnium Ordinum Generales respectu Prouincialium, & isti respectu Priorum, seu Guardianorum possunt validè, etiam absque causa, sibi reseruare causas.*

1 Vlla harum trium opinionum absolutè placuit doctissimo Magistro *Suarez to. 4. ad tertiam partem disput. 29. sect. 1.* Quamquam tertiam probabilem existimet, secundam nihilominus probabiliorem, & securiorem esse, docet. Sentit tamen, quòd proposita difficultas tractari potest speculatiuè, & practicè. Et quidem (inquit) de Summo Romano Pontificè tàm speculatiuè, quàm practicè censendum est, quamcunque reseruationem ab ipso factam, etiam si absque legitima causa fiat, firmam ac validam esse. Priorem partem ostendit ex eo quòd hęc iurisdictio confertur à Summo Pontifice, ab illoque pendet. Vndè non est de illa iudicandum veluti de re, quæ transit in dominium absolutum alterius, ita vt non possit illa priuari: sed potius vt de quodam inferiori iure à Superiore dependente, & ad bonum Subditorum magis ordinato, quàm ad vtilitatem habentis: & ideò ita datur à Supremo Pastore, vt tamen semper pendeat ab illo, quia Supremus Pastor manet semper, & potest per se ipsum curare, vel iudicare Oues, si velit. Quod fundamentum sumpsit *Pater Suarez* ex Doctoribus secundæ sententiæ, vt intueri clarè patet.

2 Confirmatur nihilominus primò ab eo in hunc modum; quoniam si à principio voluisset Summus Pontifex Episcopum instituere, illi tantam præstando iurisdictionem, & non maiorem; profectò teneret factum, quia in effectibus priuatiuis sufficiens ratio eorum est, vt causa non influat siuè licitè, siuè illicitè faciat; Ergo idem erit in reseruatione, quæ fit post priorem institutionem; Est enim eadem ratio, præsertim quia Pontifex à principio potuit hac lege & conditione iurisdictionem conferre, vt ab ipso semper penderet, nec se priuaret iure suo, & potestate. Quod autem id fecerit, constat tùm ex vsu, tùm etiam quia expedit bono communi ad tollenda schismata.

3 Confirmatur secundò, quia in alijs actibus iurisdictionis semper est efficax actus Pontificis: vt in foro contentioso Ecclesiastico si Pontifex ad se reseruet cuiuscunque causæ iudicium, valida est reseruatio, etiam si sine vlla alia ratione eam reseruet, sed solùm ex sua suprema potestate; vt constat *ex cap. ad nostram de appellatione*. Deinde si Summus Pontifex aliquem eximat à iurisdictione Episcoporum, factum tenet, etiam si sola voluntate id faciat. Similiter si Pontifex abroget legem ab Episcopo latam, vel impediat & irritet ferendam, vel aliquid præcipiat contra præceptum Episcopi, semper actus iurisdictionis manans à Pontifice est efficax, dummodo versetur circa materiam licitam, quamuis fortasse sine causa, vel imprudenter id faciat: quia licèt Pontifex cum Episcopis communicet iurisdictionem suam, semper tamen manet proprius & Supremus Pastor, & Iudex, à quo cæteri inferiores pendent, & potest si velit per se ipsum curare oues suas, vel iudicare causas earum; ergo reseruatio à Pontifice facta nunquam est censenda irrita ipso iure.

5 Manifestius (inquit) hoc ostendi potest, si practicè res hęc consideretur. Et signum est in primis, quia nullus Catholicus Auctor hactenus ausus est dicere, reseruationem aliquam in particulari factam à Summo Pontifice esse nullam, licèt interdum fuerint nonnulli de reseruationum multitudine conquesti. Secundò, quia in re dubio semper est sententia Pastoris timenda, præsertim Supremi. Numquam autem potest esse certum in particulari, reseruationem sine legitima fieri causa, quia hæc non est semper grauitas peccati, sed aliæ multæ in pectore possunt esse Pontificis, quamuis ignoretur à Subditis; ergo nunquam potest

aliqua eius reseruatio in particulari iudicari prudenter nulla. Tertiò, hoc declarat in hunc modum; quia *Sotus*, & alij tunc maximè censent nullam esse hanc posse reseruationem, quando nimia est multitudo reseruatorum casuum. Hæc verò causa nunquam practice potest esse sufficiens. Interrogo enim, (ait) an statim tota collectio nulla sit, ita vt nullus casus validè maneat reseruatus? & hoc dici non potest probabiliter; tùm quia decem casus V. G. validè possent reseruari; ergo per multitudinem aliorum non fit statim inualida tota reseruatio; tùm etiam quia hæc reseruatio omnium casuum non fit simul tota, sed paulatim; Priores ergo reseruationes validæ sunt; non ergo fiunt inualidæ solùm quia superadduntur aliæ. Vel dicitur reseruatio nulla quoad aliquos casus determinatos, & hoc etiam practicè dici non potest, quia vel non est maior ratio de ijs, quam de illis; vel certè quia non potest homo designare, quantus sit ille numerus casuum reseruatorum, quo impleto reseruationes, quæ posteà adduntur, nullæ sunt.

De his autem Prælatis Papa inferioribus, vt sunt Episcopi respectu Parrochorum, res (inquit) est magis dubia; quoniam hoc pendet ex modo institutionis, & dependentiæ, quam ex vi illius, & ex voluntate Pontificis Parochi iurisdictio habet ab Episcopo. Rationes autem factæ si cum proportione applicentur, videntur suaderes, etiam hoc seruare proportionalem subordinationem, & dependentiam: Nam semper Episcopus manet ita Superior, vt possit causam aliquam sibi reseruare: & quamuis in conscientia teneatur id prudenter & ex causa facere, tamen si semel faciat, videtur magis expediens, ad tollendas occasiones Schismatis, & ad cauenda pericula animarum, ad quarum vtilitatem omnis hæc potestas ordinatur, vt reseruatio semel facta rata & valida censeatur. Hactenus *Suarez*.

Ex quibus illud colligitur; applicando cum proportione ad Ordinum Regularium Superiores omnes has *Suarez* rationes, Prælatos Generales Respectu Prouincialium, & Prouinciales respectu Domorum Præfectorum, absque vlla legitima & rationabili causa posse quæcunque sibi reseruare peccata lethalia. Quæ reseruatio si ita fiat, erit rata & valida. *Ita Conich. disp. 8. de Ministro Sacramenti Pœnitentiæ dub. 11. n. 79.*

CAPVT TERTIVM.

Tertia sententia in primo Capitulo allata proponitur.

SVMMARIVM.

1 *Summum Romanum Pontificem absque vlla legitima causa posse peccatorum sibi reseruare absolutionem respectu omnium Ecclesiæ Prælatorum est certum.*

2 *Episcopos respectu Parochorum pro eorum arbitrio certum est, non posse sibi peccatorum reseruare absolutionem.*

3 *Superiores Generales respectu inferiorum ordinariam habentium iurisdictionem non possunt quæcunque sibi libuerint reseruare peccata, & quare.*

4 *An quando Superior iuxtà Clementis Octaui Decretum sibi reseruat aliquem casum, censendum sit, esse reseruatum respectu Præfectorum Domorum.*

5 *Declarantur verba illa Decreti Clementis Octaui;* Superiores singulis domibus deputent duos, aut tres confessarios; &c.

QVam maximè nobis semper hæc *Patris Suarez* displicuit sententia; Etenim de Summo Romano Pontifice, quamquam non hæsitemus, posse quæcunque sibi libuerit reseruare peccata, etiam absque legitima causa, ita vt si talem faciat reseruationem, validam, & rata censenda sit; ex eo quòd etiam Episcoporum iurisdictionem ab eo pendere existimauimus; quia immediatè illam (pro vt alias docebamus cum *Abbate Panormitano, Felino in cap. translato de Constitut. Turrecremat. in cap. in nouo testamento distinct. 21, Azorio 2. p. Institution. moral. lib. 3. cap. 30. quæsito 13. Suarez de legib. lib. 4. cap. 4. Bellarmin. li. 1. de Romano Pontifice cap. 23.* & alijs) ab ipso Summo Pontifice obtinent; Nihilominus neque rationes, quas affert (vt ipsemet *Suarez loco citato numer. 8.* fatetur) conuincunt; ac minoris roboris certè sunt apud eos, qui voluere, Episcopos, atque Parochos iure Diuino suam habere iurisdictionem; ac proinde, nisi iusta interueniat causa, eos priuare Pontifice non valere: vt *Reginaldus li. 1. c. 11. sect. 1. & Vasquez p. 2. disput. 152. cap. 3. & ad 3. par. D. Thomæ disput. 140. cap. 4. num. 41. & disput. 143. cap. 2. num. 21.* affirmant.

2 De Episcopis verò respectu Parrochorum certum est, non posse pro eorum arbitrio sibi reseruare peccata; prout inclinat *Suar.* sed quę expedierint ad commune Ecclesiæ bonum, subditorumque ædificationem. Discriminis ratio sumitur etiam in eorum opinione, qui docent, omnes Ecclesiæ Prælatos iure Diuino suam habere iurisdictionem. Quoniam Summus Romanus Pontifex multa potest circa ius Diuinum, saltem per modum declarationis, vt latè *lib. 1. de triplici libert. Ecclesiastica demonstrauimus*: maximè quando totius Ecclesiæ vniuersalis bonum commune, animarumque salus id exposcit, vel similis ratio; quia cùm sit Supremus Pastor, Ecclesięque Catholicę Episcopus, satis esse potest, vt iusta & legitima causa existimetur, vt licitè id faciat, si iudicabit sic expedire, quamquam nulla nobis innotescat causa. Secùs verò de Episcopis, qui omnem suam iurisdictionem ab eo cognoscunt.

3 Quamobrem tertia sententia in primo capitulo adducta mihi probatur, quæ Soto non displicet: cuius sententiam non carere probabilitate opinamur: quam amplectitur *Vasquez to.* [illegible] *ad ter-*

ad 3.p.D.Thomæ quæst.91.art.3.dub.4.n.4.

Dico igitur, Superiores Generales respectu inferiorum habentium iurisdictionem Ordinariam, nimirùm respectu Prouincialium, & Domorum Præfectorum; Superioresque Prouinciales etiam respectu inferiorum, non posse quæcunque sibi libuerint peccata reseruare, sed quæ expedierint ad commune bonum Religionis, subditorumque ædificationem. Qua ratione non existente, huiusmodi reseruatio inualida ac nulla censenda est. Hæc assertio est Doctorum, quos pro prima sententia, ac tertia in primo huius Quæstionis c. adduximus: eamque ostendit *Reginaldus loco quo supra*, & *Pater Miranda tom. 2. Directorij Prælator. quæst.34. art.2. conclus.2.* & patet ex dictis in prima quæstione huius disputationis. Ostendi verò potest ex fundamentis tùm primæ, tùm tertiæ sententiæ in primo capitulo huius quæstionis allatæ; Et certè (vt benè Vasquez arguit) sicut Superiores sine legitima iustaque causa non possunt inferiores tota sua priuare iurisdictione, vt factum teneat, ita nec illam coarctare. Solùm ijs addendum esse puto, quòd euidenter constare debet de reseruatione sine legitima causa facta, ad hoc, vt Præfecti Domorum sine Superioris licentia, sed tantùm ex munere proprio, quod eis de iure competit, absoluere valeant ab illis reseruatis: Atqui si de abusu Superioris euidenter non constaret, in tali casu semper pro illo præsumendum est.

4 Quæres, quando Superior ex vi etiam Decreti Clementis Octaui reseruat sibi aliquem casum, V. G. Iuramentum falsum in iudicio legitimo factum, intelligitur ne esse reseruatum etiam respectu inferiorum Prælatorum? Respondeo negatiuè, quia Prælati Domorum ex munere habent Ordinariam in suos Subditos iurisdictionem, quæ si specialiter non restringitur ex causa iusta, semper censendum est, nullum esse reseruatum peccatum respectu illorum; vt colligitur ex allegatis Doctoribus.

5 Dices in Decreto Clementis præcipitur Superioribus Prælatis, vt suam committant auctoritatem pro reseruatorum absolutione illis tantùm confessarijs, quos pro non reseruatis absoluendis ipsi pro numero, & qualitate fratrum instituerint, ibi; *Superiores singulis domibus deputent duos, tres, aut plures confessarios pro Subditorum numero maiori, vel minori: ijque sint prudentes, & charitate præditi, qui a non reseruatis eos absoluant, & quibus etiam reseruatorum absolutio committatur, &c.* Ergo isti tantùm habent facultatem à Superioribus absoluendi à reseruatis, & non Præfecti Domorum. Respondeo negando consequentiam; Nam Clementis Octaui Decretum est intelligendum iuxtà iuris communis dispositionem. Cùm enim de iure qui habent Ordinariam iurisdictionem, possint absoluere à quibusuis peccatis suos subditos, nunquam reseruatio facta, quæ solùm respicit restrictionem delegatæ iurisdictionis respectu inferiorum, censetur esse facta respectu illorum, qui ordinaria gaudent iurisdictionis potestate. Ad hoc enim vt huiusmodi reseruatio respectu istorum suum sortiatur effectum, duo necessariò exposcuntur; primum est, vt Superiores, qui sibi reseruant aliquod graue peccatum, explicent, illud etiam esse reseruatum respectu Prælatorum localium: Secundum, vt ex causa legitima (vt suprà dictum est) id faciant: aliàs reseruatio esset nulla.

QVAESTIO TERTIA.

Vtrum Prælati Religionum possint sibi aliquod reseruare peccatum pro speciali aliqua Domo?

CAPVT VNICVM.

Opinione affirmatiua allata, constituitur quid sit sentiendum iuxtà Authoris sententiam.

SVMMARIVM.

1 *De consensu Capituli Prouincialis posse Prouinciales sibi reseruare pro particulari Domo aliquod peccatum, docent aliqui.*

2 *De solo Capituli Conuentualis consensu posse Superiores pro aliquo Conuentu reseruare sibi aliquod crimen, tenet Ioannes à Trinitate.*

4 *Qui in nostro Minorico Ordine dicuntur Capitulares Conuentuales.*

4 *Non possunt Prælati Religionum pro aliqua Domo, seu particulari Conuentu, etiam de consensu Capituli Prouincialis, sibi aliquod speciale reseruare peccatum.*

5 *Potestas Prælatorum reseruandi sibi aliquod speciale crimen est limitata aut pro toto Ordine, si fuerit Generalis, aut pro tota Prouincia, si fuerit Prouincialis.*

6 *Clausula,* non aliter fiat, *quid ex natura sua importat.*

7 *Declarantur discrimen, quid sit agere pro tota Prouincia, & quid in Prouincia.*

8 *Impugnatur, atque reijcitur Opinio* P. F. Ioannis à Trinitate.

9 *Falsum est, quod prædictus Author docet, posse Ministros Prouinciales, si Capituli Conuentus Capitulares non consentiant, præcipere sub excommunicatione sibi reseruata.*

1 PAter *Franciscus à Coriolano in tractatu de casibus reseruatis prima part. sect. 1. articulo 4. Versiculo, ex quibus verbis Sapientissimum Franciscum Suarez tom.4.ad 3.part. Diui Thomæ disputat. 29. sect.3.n.11.* assecutus sustinet, posse Superiores Religionum, si bonum regimen alicuius Conuentus id expostulauerit, pro illo aliquem

casum reseruare. Hoc tamen fieri nequit (ait) ex solo Superioris arbitratu, sed ex Capituli Prouincialis consensu. Ratio esse potest, quia Clemens VIII. in suo Decreto tantùm prohibet, vt peccata non reseruentur absq. Capituli Generalis vel Prouincialis cōsensu; Igitur si aliquod peccatum sit necessariò reseruandū pro subditorum conscientiæ puritate, non interdicitur facultas reseruandi illud, quando accedit Capituli Prouincialis consensus.

2 Verùm amicissimus noster ac Charissimus *Frater R. P. Ioannes à Trinitate in sua casuum*, qui in nostro Seraphyco reseruantur Ordine, *exposit. dub. 1. num. 5.* Opinatur, id non solùm fieri posse ex consensu Capituli Prouincialis, verùm etiam ex solius consensu Capituli illius Domus, pro qua facienda sit reseruatio. Ducitur doctus iste vir, quoniam iuxtà Decretum Apostolicum ad validam reseruationem toti Ordini conuenientem sufficit consensus Capituli Generalis, & ad reseruationem conuenientem vni Prouinciæ sufficit Capituli Prouincialis consensus; eo quòd supradicti Capitulares quod vtile sit Ordini, aut Prouinciæ, optimè agnoscunt, & voces, ac vices habent totius Ordinis, aut totius Prouinciæ: Ergo simili ratione asserere (inquit) debemus, Ministrum Prouincialem aliquos posse casus in vnius Conuentus vtilitatem reseruare, solo præcedente eiusdemmet Conuentus Capituli consensu; cùm Fratres Conuentuales claram & certam notitiam, imò clariorem, & certiorem habeant eorum, quæ vtilitati, aut necessitati ipsius Conuentus inseruiunt, quàm vocales Capituli Prouincialis; ac præterea voces, ac vices totius Conuentus habent. Voco Capitulares Conuentuales in præsenti negotio omnes illos, qui secundùm Ordinationes antiquas nostri Ordinis erant electores Guardiani in defuncti locum subrogati, & discreti ad Prouinciale Capitulum mittendi: hi autem sunt omnes Sacerdotes, & qui sacris sunt Ordinibus initiati, si post emissam professionem duos habent annos completos, vt constat ex statutis *Toletanis cap. 7. §. de Guardianis*. Quod si expedit huiusmodi reseruatio, & capitulares fraudulenter nolunt suffragari; tunc Prouincialis Minister, nullis expectatis suffragijs, ferat excommunicationem sibi reseruatam; nam (vt supra diximus) non prohibetur Prælati per se solos censuras reseruare. Hactenus *Frater Ioannes à Trinitate*.

4 Atqui veriùs dicendum est, non posse, etiam de Capituli Prouincialis consensu Religionum Superiores pro aliqua Domo, seu particulari Conuentu, sibi aliquod speciale reseruare peccatum, quod non sit in tota reseruatum Prouincia. Hæc assertio ex Decreto Clementis Octaui patet euidenter ibi; *Si aliquod aliud peccatum graue pro Religionis conseruatione, aut pro conscientiæ puritate, reseruandum videbitur; id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in Prouincia matura discussione, & consensu.*

5 Quæ verba expressè nostram demonstrant assertionem; eo quod Religionis Superioribus non relinquitur reseruandi potestas pro aliquo particulari Conuentu, sed dumtaxàt pro tota Religione, seu pro tota Prouincia: & tunc potestas non conceditur Generali, aut Prouinciali per se, sed cum consensu Capituli Generalis, aut Prouincialis.

Nec obstat horum verborum *P. Suarez* interpretatio; quia (inquit) Pontifex ibi non præscribit, vt peccatum necessariò reseruandum sit pro tota Religione, aut pro tota Prouincia, sed solùm ait; *si peccatum aliquod graue pro Religionis conseruatione, aut conscientiæ puritate reseruandum videbitur*; Potest autem pertinere ad conscientiæ puritatem, vt in vno locus fiat reseruatio, quamuis non fiat in alijs, vt V. G. si locus sit expositus maioribus periculis, & ideò necessarium sit aliquid in eo seueriùs præcipi, & obseruari; Non obstat profectò, quoniam perperam interpretatur ipse verba Decreti; Nam determinat Summus Pontifex: *Si peccatum aliquod pro Religionis conseruatione, aut pro conscientiæ puritate reseruandum videbitur, non aliter sit reseruandum, quàm in toto ordine de consensu Capituli Generalis, aut in tota Prouincia de consensu Capituli Prouincialis.* Clausula enim illa, *non aliter fiat*, ex sui natura nullam recipit modificationem, neque intellectum. Ita *Alexander cons. 3. num. 4. vers. viso instrumento, Iason in leg. stipulatus non damna ff. de verbor. obligat. & in leg. 1. ff. de iurisdictione omnium Iudicum*. Igitur prædicta verba nullam aliam admittunt interpretationem. Verùm si pro aliqua fiat Domo specialis reseruatio, iam non est pro tota Prouincia: ac subinde talis reseruatio nulla censenda est; quia prædicta clausula, *non aliter fiat*, importat formam, ita vt ea non obseruata, actus sit nullus. *Ceph. cons. 158. n. 13. lib. 1. Card. Tusch. litt. C. to. 2. conclus. 811.* Et certè, quia Superiores huiusmodi carent potestate; quoniam per tota esset facienda Prouincia reseruatio.

7 Neque aliquid valet quod *P. Suar. subdit loco citat.* Nec refert, quòd id non fiat pro tota Prouincia; Nam satis est, vt fiat in aliqua parte eius: quidquid enim Prouincialis agit in aliqua Domo Prouinciæ suæ, verè dicitur agere in sua Prouincia: neque aliud Summus Pontifex requirit; Non valet, inquam, quia aliud est, pro aliqua Domo aliquid constituere, aliud verò constituere aliquid pro tota Prouincia. Et certè quando Prælati statuunt, seu decernunt aliquid faciendum, aut non faciendum pro alicuius Conuentus bono, non ordinant illud esse faciendum in tota Prouincia: oportet enim vt dicatur agere in tota Prouincia, vt omnes indifferentes subditos, qui in illa degunt, astringant. Verùm quando aliquid speciale pro particulari aliqua Domo præcipiunt, sanè in Prouincia agunt, sed non in tota.

8 At-

8 Atque hinc patet error *P. F. Ioannis de Trinitate*; Nam dispositio hec Apostolica, cùm clausulam habeat, *non aliter*, qua Prælatis omnibus quicunque alius reseruandi peccata interdicitur modus, etiam ex vi censurarum reseruationis extendi nequit, ob rationis similitudinem dumtaxàt. Concesso nihilominus, hanc constitutionem ad alios casus extendi posse, non satis est rationis similitudo; quoniam (vt latè demonstrauimus in nostris Disputationibus pro Iuris Pontificij defensione *disp.1.q.2.cap.3.*) sola similitudo per æquiparationem, seu æquiualentiam, præcisa identitate, non sufficit, vt constitutio ex vno casu ad alium similem extendatur. Id, quod docuerunt *Suarez de legib. lib.6.cap.3. num. 4. Salas disp.21.sect.3.num.26. Bonacin. de legib. disp. 1.q.1.pun.8. Paulus de Castro cons.358. Rocchus Curtius tractatu de consuetud. ad cap. vlt. sect.4. num.23. Alex. cons.75. Cordub. lib.1.qu.11. Opin. 12. ad tertium, & multi alij*, quos ibi citauimus. Quamobrem ex æquiparatione, & similitudine Capituli Prouincialis ad Capitulum Conuentuale non potest constitutio extendi Apostolica. Addo, reseruationem alicuius peccati grauis respectu vnius tantùm Domus non comprehendi sub proprietate verborum istius Constitutionis, vt de se patet; Igitur solam reseruationis similitudinem non satis esse, vt dispositio hæc Clementis possit extendi, vt imaginatur doctus iste Pater.

9 Displicet quam maximè id, quod addit, nimirùm, si Capitulum Conuentuale nequiret præstare consensum ad talem faciendam reseruationem, posse Ministros Prouinciales, suffragijs vocalium talis Capituli non expectatis, ferre excommunicationem sibi reseruatam. Displicet certè non solùm ex ostensis suprà proprio quæsito, verùm etiam quia hoc modo illuderetur Lex, & intentio Pontificis. Vide quæ suprà docuimus, cùm de hac re egimus.

DISPVTATIO QVINTA.

De his, quæ requiruntur necessariò iuxta Clementis Octaui Decretum ad hoc, vt possint Prælati Regulares sibi de nouo reseruare peccata.

QVAESTIO I.

Vtrum totius Capituli Generalis, aut Prouincialis requiratur consensus, ad hoc, vt aliquis casus de non contentis in Decreto possit per Superiores tàm Generales, quàm Prouinciales reseruari?

CAPVT PRIMVM.

Explanatur, quid sit consensus, & quomodo à consilio discriminatur.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit consensus.*
2 *Consensus ita describitur: Est multorum voluntas, ad quos pertinet, simul iuncta.*
3 *Theologi Scholastici putant, consensum esse voluntatem cum iudicio rationis concordem.*
4 *Consensus vsurpatur à Scholasticis ad significandum quendam voluntatis peculiarem actum circa media iam rationi proposita & iudicata, conuenientia.*
5 *Consensus in quo discriminatur à Consilio.*
6 *Consensus non solùm est exposcendus, quando apponitur clausula, vt fiat* de consensu Patrum; *verùm etiam & sequendus.*
7 *Quando in aliqua dispositione consilium apponitur pro consensu, tenentur Superiores non solùm exposcere, verùm etiam & sequi.*

1 Consensus propria significatione animorũ aut iudiciorũ concordiam importat, vt propria vocabuli indicat Ethimologia; consensus quippè (vt inquit *Consales ad Regulas Cancellariæ Gl.47.n.23. & 15. Acuña in 1.p. decreti dist.63. cap. obeuntibus*) est similis sensus, & hoc modo non vnum actum, sed plures, vt sibi similes, significat; *vt ex cap.1. de rebus Eccles. non alienand. colligitur*. Vnde *Glos.* communiter recepta in verbo, tractatus, inquit, consensum esse multorum voluntatem, ad quos pertinet, simul iunctam: tamen hinc Scholastici hoc nomen ad significandum voluntatem concordem cum iudicio rationis in eodem homine vsurpant, ita vt sit actus, quo voluntas approbat sententiam consultatione rationis iudicatam, tanquam sibi placentem. propter quod Seraphicus noster *Bonauentura in 2. sentent. dist.28. q. vlt.* dicit, istum actum non esse voluntatis, neque intellectus, sed vtrique mutuò conuenire. Verùm ex communi vsu aliorum Theologorum, consensus propriè actum significat voluntatis. Cuius rationem tradit *Diuus Thomas p.2. qu.15. art. 2.* Et alia esse potest iuxtà mentem *Patris Suarez ibidem disp.8. sect.2. nu.10.* quia iudicium intellectus actum præcedit voluntatis, & est quasi naturalis: In potestate autem voluntatis est illi assentiri, vel non; & ideò illa, dum liberè operatur, est, quæ perficit consensum, quamquam interdum consensus ad intellectum referatur, iuxtà ea, quæ docet *Philosophus 6. Ethicorum cap.10.*

4 Quarum ratione hoc nomen cuicunque tribui potest voluntatis libero actui, quatenus ac-

acceptat bonum ab intellectu propositum, quomodo dicitur peccatum perfici consensu; & sic non est specialis actus: & non solùm circa media, sed etiam circa finem versatur. Quia tamen consensus propriè fieri videtur post perfectam deliberationem, & consultationem, ideò particulariter vsurpatur ad significandum quendam voluntatis peculiarem actum circa media iam rationi proposita, & iudicata conuenientia. In hac vsurpatione in præsentiarum non vtimur nomine consensus, sed ea, qua vtuntur Iuris periti, nimirùm quatenùs dicit multorum voluntatem, ad quos res pertinet, simul iunctam.

5 Et quamquam consensus sub hac acceptione consideratus vsurpari soleat pro consilio *cap. 1. & 2. distinct. 65. Gonsales ad Regulas Cnacellariæ, Gloss. 46. num. 80. & 81. & Gloss. 48. num. 15. & cap. 10. de foro competenti, Abbas Panormit. in cap. cum olim de arbitrio citari potest Bart. in l. 1. §. si plures ff. de exercit. Pater Mirand. tom. 2. qu. 17. art. 2.* & alij, quos ipse citat, & sequitur *tom. 1. qu. 15. art. 2.* discriminantur nihilominus ex suis proprijs formalibus rationibus, vt ita dicam; nam inter consensum, & consilium maxima intendit differentia: aliud enim est consilium, aliud verò consensus, aliud consiliari, seu consilium sumere aut exposcere, aliud verò consilium huiusmodi à maiori parte adhibitum sequi, quod est aliquid cum consensu facere.

6 Quæres in quoniam consistit discrimen, seu differentia inter ista duo? Respondeo in hoc consistere, quòd consilium necessariò expostulatum, quando apponitur in aliqua Pontificia dispositione, V. G. si dicat; fiat de consilio Patrum, non tenetur iam petitum sequi, *cap. cùm olim de arbitrijs capitul. licet de regul. iur. cap. cùm in veteri de elect. leg. fin. Cod. de iur. emph. leg. quidam decedens §. Papinianus de administr. tutor. leg. 1. ff. vbi pupill. educ. debent. Gonsales vbi supra, Glos. 46. num. 61. Panormitan. in cap. ad Apostolicam de Regularib. Acuña vbi suprà, Menoch. Consil. 69. num. 17. & 18. Gratian. Regul. 10. num. 1. Sanchez de matrim. lib. 10. disp. 34. num. 24. P. Miranda locis citatis conclus. 1. Enriquez lib. 11. de matrim. cap. 6. nu. 6. Rodriquez tom. 1. Summæ in 2. editione capit. 133. num. 6.* secùs verò se habet consensus, nam quando iubetur aliquid fieri de consensu, non solùm est exposcendus, verùm etiam & sequendus: quòd si aliter fiat, actus est nullus. Ita *Panorm. vbi suprà*, & omnes allegati authores. *Syluest. verb. consil. quæsit. 1. & verb. Religio 3. q. 2. num. 4.*

7 Ex quibus infertur, quòd quandocunque ponitur in aliqua dispositione consilium pro consensu, tenetur Superiores non solùm illum exposcere, verùm etiam & sequi: vt eleganter *Abbas Panormit. ex cap. Venerabil. de officio Delegati* ostendit. Vbi habetur, quòd Prælatus, cui adiutor datus est, nihil debet facere absque coadiutoris consiliò, quo loco consilium vsurpatur pro assensu, seu consensu, aliàs supradicti coadiutoris officium omninò supernacaneum videretur esse. Ex quo etiam colligit *Abbas*, quòd quando is, qui habet impendere consilium, est eiusdem muneris Particeps, in tali casu idem valet ac pollet consilium, atque consensus, nec solùm est petendum & requirendum, verùm etiam & sequendum. qua in re videndus est *Syluester vbi suprà*, qui his multa connectit, quæ consultò breuitatis causa omitto. Solùm addo cum *Miranda*, quòd quando in iure, seu dispositione siue rescripto clausula apponitur, qua disponitur, vt aliquid fiat de consilio, assensu, siue consensu alicuius, seu aliquorum, in tali casu consilium non solùm est petendum, & requirendum, verùm etiam & sequendum, etiam in casu, quo verba ad sensus, siue consensus prætermittuntur, & verbum dumtaxàt, consilium apponitur: Nam si illud iubetur peti ab aliquo tanquam à Collega, & comparticipe officij, sequendum est, vt de mente *Bartol. in lege 1. §. si plures de extitit. act.* expresè tenet *Nauarrus lib. 1. consilio 9. numer. 13.* itaut si aliter fiat, actus erit nullus.

CAPVT II.

Expenduntur verba illa, vt nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutionem sibi reseruet, exceptis ijs, quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot pro vt subditorum vtilitati expedire in Domino iudicauerint.

SVMMARIVM.

1 *Clemens Octauus cum Prælatorum Regularium restrinxerit reseruandi peccata iurisdictionem.*
2 *Casus in Decreto Clementis VIII. contenti non sunt reseruati, sed reseruabiles.*
3 *Clemens Octauus hac sua constitutione non attulit à Superioribus Regularibus reseruandi peccata potestatem, sed restrinxit. Et quid sit de Prælatorum Conuentualium iurisdictione circa peccatorum reseruationem.*
4 *Clemens VIII. hac sua constitutione capitulis nouam non concedit facultatem in ordine ad peccata reseruanda.*
5 *Quid nomine Capituli intelligat Summi Pontifex, & an Diffinitorium Congregatum habeat vim Capituli Generalis, vel Prouincialis, respectiui è loquendo.*
6 *Constitutionem hanc Clem. VIII. non esse vsu receptam in nostra Religione, tenet* Rodriquez.
7 *Lex Pontificia obligat absque Populi acceptatione.*
8 *Legis continuata transgressio non satis est ad legem reuocandam.*
9 *Reseruatio peccatorum facta contra huius constitutionis Clementis VIII. dispositionem sub prætextu, quòd non fuit vsu recepta, non est valida.*

1 Regularium Prælati olim plus nimio erant prolixi ac rigidi in sibi reseruandis peccatis, & tanto eorum creuit rigiditas, vt reseruandi casus abuterentur potestate. Quapropter Clemens VIII. existimauit huic malo opportuna adhibere reme-

remedia ideò statuit pro cūctis Regularibus cer-
tos determinatosq. casus dumtaxàt fore reseruā-
dos, quos recensebimus in tertia huius tractatio-
nis parte. Quo circa inquit; *vt huic malo Sancti-
tas Sua opportunè prouideret, decreuit, vt nemo ex
Regularium Superioribus peccatorum absolutiones si-
bi reseruet, exceptis ijs, quæ sequuntur;* in quibus
verbis notandum est, nullum esse præcipiens, vt
ij casus reseruati sint, sed solùm prohibens, ne
Religionum Superiores alios reseruent, & nihil-
ominus permittens, vt ex ijs, quos ibi Pontifex
numerat, quot expedire iudicauerint, sibi reser-
uare possint. Vndè infero primò, vndecim ca-
2 sus in Decreto contentos esse reseruabiles dum-
taxàt, pro vt adnotauere *Pater Suarez tom. 4. ad
tertiam partem disp. 39. sect. 3. n. 11. & tom. 4. de
Religion. lib. 2. cap. 8. n. 14. Miranda tom. 2. Manuali
Prælatorum q. 34. art. 7. in principio, Fr. Ioannes à
Trinitate in expositione casuum, qui in ordine, Sera-
phici P. N. S. Francisci de Obseruantia reseruantur,
dub. 1. n. 3. Fr. Martinus à S. Ioseph in expositione no-
stræ Regulæ cap. 6. de los casos reseruados in comun.
& Coriolanus de casibus reseruatis p. 1. sect. 1. art. 4.*
quapropter expedita manet facultas Prælatorū
circa huiusmodi casus, ita vt omnes, vel aliquos,
pro vt subditorum vtilitati expedire iudicauerint
ad libitum sibi valeant reseruare.

3 Infero secundò; per huiusmodi verba non au-
ferri à Superioribus reseruandi casus potestatē,
sed ad talem materiam limitari. Et quoniam in
prædictis verbis de Superioribus Pontifex indefi-
nitè loquitur, puto ex vi illorum non solùm Ge-
neralem, vel Prouincialem, sed etiam Prælatum
Conuentualem posse prædictos casus, vel quē-
libet eorum sibi reseruare: quamuis in Religio-
ne reseruati non sint; vt eleganter loco citato
aduertit *Suarez*. quòd non ita intelligendum est,
vt Pontifex Prælatis dare censeatur nouam ali-
quam potestatem, sed solùm non auferre. Ita
vt si Guardiani, vel Priores antea ex vi priuile-
giorum reseruandi casus habebant facultatem,
pro vt proprio quæsito demonstrauimus, etiam
nunc habent eandem potestatem, sed limitatā,
& restrictam ad vndecim illos casus à Pontifice
designatos. Addit *Suarez*, ex potestate ordina-
ria, seu ex vi muneris proprij Conuentuales Præ-
latos idem facere posse, nisi aliàs per suam Re-
gulam sint prohibiti, eò quòd sunt veri Prælati
ordinarij, & habent altiorem iurisdictionis ratio-
nem, quàm Parochi.

4 Præterea pro maiori horum verborum intelli-
gentia obseruandum est, quòd licèt Pontifex
Prælatorum potestatem ad illos vndecim casus
restrinxerit, non abstulit omninò à Religionibus
alios reseruandi potestatem, sed voluit id solum
fieri posse, vel à Capitulo Generali pro tota Re-
ligione, vel à Capitulo Prouinciali pro sua Pro-
uincia, ibi; *Si quod aliud peccatum graue pro Religio-
nis conseruatione, aut pro conscientiæ puritate reser-
uandum videbitur, id non aliter fiat, quàm Generalis
Capituli in toto ordine, aut Prouincialis in Prouincia;*
Vbi etiam moneo, non fuisse mentem Pontificis
Capitulis nouam præstare potestatem; sed solū
non auferre, quam iuxtà sua priuilegia, vel Con-
stitutiones habebant.

5 Rursus obseruandum est, quòd nomine Capi-
tuli intelligit Pontifex Congregationem voca-
lium, & Capitulariū vocem actiuam ad eligendū
Generalem, vel Prouincialem habentium, res-
pectiuè loquendo. Vndè multa sunt inferenda.
Primum; Generalem Ministrum cum toto Ge-
nerali Diffinitorio congregato ad aliquid pro
Religionis conseruatione determinandum non
posse aliquem casum in vndecim non conten-
tum sibi reseruare, etiam per modum censuræ.
Idem dicendum est de Prouinciali Ministro cū
suo diffinitorio. ratio esse potest, quia non inte-
grant, neque componunt Capitulum. Quam-
obrem Diffinitorij consultatio, & eiusdem con-
sensus non satis est ad nouam reseruationem fa-
ciendam. Quod dico de Ministro Generali, &
Prouinciali nostri ordinis, tenendum est de Præ-
latis aliorum Religionum. Secundum; Congre-
gationem Capitularem, seù (vt alij vocant) Ca-
pitulum Prouinciale intermedium, in quo Diffi-
nitores, & nonnulli ex Grauioribus Patribus vo-
tum habent consultiuum, & electiuum, non ha-
bere potestatem reseruandi alios casus, præter il-
los vndecim in Pontificio contentos Decreto;
quia non est verè Capitulum. Tertium; infert
Suarez, Congregationum Prouincialem in socie-
tate, iuxtà suum institutum, ex quo non habet
iurisdictionem ad huiusmodi actus ex vi dumta-
xàt decreti, non posse aliquod reseruare pecca-
tum. Et quamuis nullum huius illationis *Suarez*
assignet fundamentum, nihilominus illud, quod
paulo superiùs adduximus, satis esse potest.

6 Neque obstat, quod *P. Emanuel Rodriquez tom.
1. quæst. Regular. q. 21. art. 2.* obijcit, nimirum hanc
prohibitionem, seù limitationem non esse vsu
receptam in aliquibus Religionibus, præsertim
nostra; quia sæpe euenire contingit casus parti-
culares, qui propter bonum gubernium neces-
sariò statim reseruandi sunt, Capitulo Generali,
7 aut Prouinciali non expectato; aliàs maxima se-
querentur Religioni incommoda. Non obstat
profectò; quoniam lex Pontificia non pendet ex
acceptatione, sed ipsa obligat, vt acceptetur: vt
latè ostendimus *disp. 6. q. 4. cap. 2.* pro Iuris Ponti-
ficij defensione. Quamobrem primi trangresso-
res post sufficientem promulgationem non ex-
cusantur à culpa: vt docent communiter Theo-
logi; *Suarez lib. 3. de legibus cap. 19. nu. 9. & lib. 4. c.
16. n. 1. & 2. Lorca 1. 2. tract. de legib. disp. 20. Vas-
quez 1. 2. tom. 2. disp. 156. cap. 5. n. 36. Malderus in 1.
2. q. 90. art. 3. dub. 2. Didacus Granado in 1. p. controu.
7. tract. 3. p. 1. disp. 7. n. 3.* & alij quamplures, quos
ipse eadem *disp. q. 2. cap. 3.* allegaui. nec conti-
nuata transgressio satis est ad legem reuocandā,
8 donec valdè frequens sit, & ab ipso legislatore
scienter tolerata: quod in præsenti nullatenùs
videtur dicendum, tum quia talis consuetudo
huic legi contraria ostendi non potest: tùm quia
Summus Pontifex scienter non tolerat illam:
ma-

maximè verò hoc habet locum (vt aduertit *Suarez loco citato*) *in Constitutione Pontificia inhibitoria*, qualis est hæc; aufert enim potestatem, & cõsequenter reddit nullam reseruationem aliter factam; tum quia Paulus Quintus præcepit hanc Clementis Octaui Constitutionem; prout testãtur *Ximenez in expositione nostræ Regulæ cap. 7. Politius in expositione Regulæ cap. 70. n. 51. Fr. Ioannes de Trinitate vbi suprà*, ab omnibus Regularibus inuiolabiliter obseruandam. Quamobrem sine scrupulo reseruationem peccatorum factã contra dispositionem huiusmodi Decreti sub prætextu, quòd nõ fuit vsu recepta, possunt subditi non timere; vt *Suarez tom. 4. lib. 2. cap. 18. de*
9 *Religion. affirmat. nu. 16.* Quod verò *Pater Rodriq. de incommodis Religionis* dicit, vel probat, Pontificiam prohibitionem esse contra commune Religionum bonum, (quod affirmare profectò plus quàm temerarium esset, quin imò erroneum:) vel certè nihil probat, quia vel nulla sunt talia incommoda, quibus alijs medijs occurri nõ possit, præsertim pro breui tempore: vel si aliquod interdum sequatur, est rarũ, & particulare, quod lex humana minimè considerat.

CAPVT III.

Determinatur Quæstio.

SVMMARIVM.

1 *Absque Capituli Generalis, aut Prouincialis consensu, nullus Prælatorum Regularium potest aliquem, præter vndecim illos in Põtificia dispositione enumeratos, sibi reseruare casum.*
2 *Consensus Capituli necessarius ad casuum faciendam reseruationem debet esse maioris partis eiusdem Capituli, & quare.*
3 *Ad reseruationem licitè faciendam non est maior suffragiorum pars respectu minoris sufficiens, sed requiritur maior pars respectu totius Capituli.*
4 *An satis sit illa pars vocalium, quæ requiritur ad veritatem Constitutionis, seù Statuti.*
5 *Iuxtà nostras Generales Constitutiones ad valorem Constitutionis maior pars vocalium requiritur respectu totius Capituli.*
6 *Prælati tàm Generales, quàm Prouinciales cuiuscũque ordinis, ad hoc vt sibi licitè reseruare possint peccata, præter maiorem partem vocalium totius Capituli requiritur matura discussio, seù examinatio.*
7 *Clausula*, non aliter fiat, *est taxatiua, & irritatiua; & quid operatur, quando ponitur in Pontificia dispositione.*
8 *Prælati Regulares, ad legitimam faciendam peccatorum reseruationem, tenentur sequi Capituli discussionem, & consensum: secùs reseruatio facta esset nulla.*

1 HIs, quæ in duobus præcedentibus Capitulis docuimus, prælibatis, Quæstioni per sequentes conclusiones satisfaciendum est. Dico igitur primò, neminem Prælatorum cuiuscunq; ordinis Regularium posse aliquem casum, præter vndecim illos in Pontificio Decreto anumeratos, absq; Capituli Generalis, seù Prouincialis, (respectiuè loquendo) consensu, sibi reseruare. Hæc assertio est certa, & euidens, tum ex Decreto, tùm etiam ex dictis supra, eamque communiter docent allegati Doctores, præter *Emmanuelem Rodriquez.*

2 Dico secũdò, quòd consensus Capituli necessariò requisitus ad talem faciendam reseruationem debet esse maioris partis eiusdem Capituli; ita *Fr. Ioannes à Trinitate loco citato*; quia non est faciliter persuadendum, ad faciendam huiusmodi reseruationem maiorem vocalium partem requiri, quàm in electionibus Canonicis; atqui in istis satis est, vt maior numerus concurrat vocalium; igitur & in illa. Confirmatur primò, quia non est præsumendum, de mente Pontificis aliũ numerum maiorem fuisse exposcendum ad faciendam peccatorum reseruationem, quàm ad eligendum totius Religionis Generalem, aut totius Prouinciæ Prouincialem; igitur &c. Antecedẽs patet; quoniam grauius negotium est electio Generalis, aut Prouincialis, & fortiori iure Religionis conseruationem, subditorumque salutem respicit, quàm peccatorum reseruatio, sine qua potest multis alijs remedijs puritati conscientiæ occurri; igitur si ad electionem Generalis, aut Prouincialis faciẽdam satis est maior pars Capituli, à fortiori sufficere potest consensus maioris partis Capituli ad reseruanda peccata.

3 Verùm, pro maiori huius conclusionis dilucidatione, moneo, ad validitatem peccatorum reseruationis non sufficere maiorem suffragiorum partem respectu minoris, sed vlterius requiri maiorem partem respectu totius Capituli. Ita *Panorm. in cap. quia propter, & in cap. quia Ecclesia Vestra primo de elect.* vbi docet, non solùm in electionibus Canonicis id necessariò exposci verũ etiam in omnib. casib. explicandis per vniuersitatem spectantibus ab aliquos Iure Collegij, nõ vt singulorum, sed vt Collegij, cùm igitur ad Capitulum Generale, vel Prouinciale, quatenùs Capitulum spectet præstare consensum ad determinandum, si tale, aut tale peccatum pro toto ordine, siuè per tota Prouincia sit reseruandũ; non satis erit maior pars Capituli respectu minoris, sed operę pretium est, vt maior pars Capituli, seù suffragiorum Capituli concurrat. de qua re videri potest *Syluester verb. electio 2. q. 9. Miranda to. 2. q. 23. art. 27. 2. concl.* Vnde firma est regula, quòd quotiescunque actus spectat ad plures vt ad Collegium, seù vt ad Capitulum, ad validitatem ipsius requiritur dispositio maioris partis Collegij, seù Capituli.

4 Sed obijcies; ad validitatem Statuti, seu Constitutionis tàm Generalis, quàm Prouincialis satis est maior pars vocaliũ respectu minoris; igitur ad reseruationem faciendam alicuius peccati sufficit etiam maior pars respectu minoris. Consequentia tenet: Antecedens patet ex *Glossa finali in cap. si cui de electione in 6. & cap. ne Sede vacante lib. 6.* Respondeo negando consequentiam; Nã Sta-

Statutum validum esse potest ex consensu maioris partis respectu minoris: quoniam actus pertinet ad Collegium non vt Collegium, sed vt ad singulos: pro vt decernitur in *cap. quoniam de electione*: verùm ad reseruationis validitatem ideò maior pars suffragiorũ respectu totius Capituli exposcitur; quia actus consentiendi pertinet ad Capitulum, vt Capitulum: vt patet ex verbis eiusdẽ Constitutionis, ibi; *id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto ordine, &c.* Et ex dictis in primo huius quæstionis capitulo, vbi docebamus, consensum esse multorum voluntatem, ad quos res pertinet, simul coniunctam; simultas enim indicat maiorem partem respectu totius multitudinis: vt Doctores omnes annotauere.

5 Confirmatur secundò nostra assertio à fortiori *ex cap. nostro Toletano cap. 7. de electionib.* vbi statuitur, ad valorem cuiuscunque ordinationis non sufficere maiorem partem vocalium respectu minoris, sed requiri maiorẽ respectu totius Capituli; pro vt obseruat *P. F. Ioannes de Trinitate loco citato*; igitur ad reseruationem faciendam requiritur maior pars totius Capituli suffragiorum.

6 Dico Tertiò; vt Prælati tàm Generales, quàm Prouinciales cuiusuis Ordinis Regularium de consensu Capituli tàm Generalis, quàm Prouincialis, (respectiuè loquendo) valeant sibi reseruare aliquorum peccatorum absolutiones, non sufficere maiorem vocalium partem, sed vlterius requiri eiusdem Capituli maturam discussionem, seu examinationẽ. hęc assertio patet ex illis verbis; *matura discussione, & consensu.* Etenim ly, &, est dictio, quæ æqualiter copulat illa duo verba, scilicet, *matura discussione, & consensu*: ita vt idem sit de vna, ac de altera sentiendum. *Lege si mihi, & Titio de verbor. obligat. & in leg. Reos §. cùm in Tabulis, & in l. si hæredi Plures ff. de cond. instru. Iason in lege 1. nu. 3. & sequent. ff. de iust. & iur. Decius cons. 89. n. 2. & cons. 417. n. 1. Nat. cons. 573. n. 14. tom. 4. Parisius cons. 95. num. 6. volum. 1. Guido Papa dec. 527. n. 1. Barbosa tract. de dictio. dict. 110. n. 9.* & quamplures apud ipsum; igitur reseruatio peccatorũ, si fiat sine maiori parte Capituli Generalis, siuè Prouincialis, est nulla: ita si fiat absq; matura discussione: ac subinde vtraque conditio est necessaria ad eius validitatem. Rursus clau-

7 sula illa; *id non aliter fiat*, cùm sit taxatiua, & irritatiua, quoties dispositioni Apostolicæ opponitur, ad aliquid non faciendum formam, & solẽnitatem ita inducit, vt ipsius transgressio actum vitiet. Ita *Parisius cons. 19. n. 9. volum. 2. Mandoss. in Regul. 8. Cancellar. q. 6. Cænedus dicto singular. 18. n. 4. vers. similiter Augustinus Barbosa vbi supra*, & alij apud ipsum; Igitur cùm Apostolica dispositio fieri peccatorum reseruationem decernit de matura discussione Capituli Generalis, seù Prouincialis; si talis non seruetur forma, reseruatio talis erit nulla, ac subindè veluti requiritur Capituli consensus, ita quoque & discussio facienda per vocales totius Capituli.

8 Dico quartò, ad validam faciendam peccatorum reseruationem in Capitulo Generali pro toto ordine, & in Prouinciali pro tota Prouincia non satis esse exposcere vocalium consensum, etiam facta priùs illorũ matura discussione, sed requiri necessariò, quòd Prælati sequantur Capituli discussionem, atque consensum: quòd si id non faciant, reseruatio ita nulla est, vt absque scrupulo possent subditi illam non timere. Hæc assertio non solùm est certa ex se, verùm etiam ostẽditur manifestè ex dictis in primo huius quæstionis Capitulo.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum in toto Nostro Seraphico Ordine Regularis Obseruantiæ, præter vndecim casus in Decreto Clementis Octaui enumeratos, sit aliquis alius casus Ministris Prouincialibus reseruatus virtute nostrarum Generalium Constitutionum.

CAPVT PRIMVM.

Refertur prima sententia cùm suis fundamentis.

SVMMARIVM.

1 *Præter vndecim casus in Constitutione Clementis VIII. enumeratos alios quatuordecim, seù 19. esse in nostris Constitutionibus Generalibus reseruatos, qui docent.*

2 *Clemens Octauus hac sua Constitutione non reuocat reseruationes in Capitulis Generalibus, aut Prouincialibus olim factas.*

3 *Casus nostris Constitutionibus Generalibus contenti post Decretum Clementis Octaui quomodo sunt reuocati.*

4 *Patres nostri nunquam hæsitauere, prædictos casus, etiam post Decretum Clementis Octaui, non esse reseruatos.*

5 *Reuerendissimi Patres Ioannes de Hyerro, & Antonius de Trejo quid circa hos casus in nostro Ordine reseruatos declarauere.*

6 *Pater Fr. Ioannes à Trinitate firmiter tenendum esse docet, casus reseruatos in nostris Constitutionibus Generalibus esse nunc verè reseruatos.*

1 Pater Fr. Ioannes de Trinitate in expositione casuum, qui in Ordine Seraphici Patris Nostri S. Francisci Regularis Obseruantiæ Ministris Prouincialibus reseruantur dub. 2. Pater Miranda to. 2. Manualis Prælatorum q. 334. art. 7. concl. 2. P. Fr. Ioannes Ximenez in expositione nostræ Regulæ cap. 7. Fr. Martinus à S. Ioseph loco vbi supra,* sustinent, nonnullos alios casus in nostro Seraphicæ Religionis Ordine, pręter illos vndecim in Decreto Clementis enumeratos, reseruatos esse, qui casus in nostris Constitutionibus Generalibus vtriusque familiæ referantur. Putant quippè, ex vi Pontificiæ Constitutionis allatæ non esse reuocatos casus in prædictis Constitutionibus Generalib. contentos, quamquam reseruati fuerint multo tempore priùs. hanc sententiam nonnullis à se excogitatis fundamentis prædictus *P. Ioannes à Trinitate* conatus est probare.

2 Et

2 Et primò; quia Clementis Octaui Decretum nō reuocat reseruationes in Capitulis Generalibus, aut Prouincialibus olim factas, sed eas solas, quæ à Superioribus extra Capitulum fiebant: nàm aliquorum ignorantia, imprudentia, & sæueritas eò peruenerat, vt omnia lethalia peccata exteriora sibi reseruauerint. Hoc (inquit) ex doctrina *P. Suarez deduco, tom. 4. de pænitent. disp. 29. sect. 1. & 3.* vbi ait, ideò Summum Pontificē tale Decretum promulgasse, vt aliquorum Prælatorum nimius excessus in reseruandis casibus hoc fræno constringeretur; huiusmodi ergo reseruationes reuocat, & annullat: factas verò in Capitulis Generalibus, aut Prouincialibus approbat, & confirmat, & vult, quòd permaneant in sua antiqua vi. Corroboratur hæc ratio; quia si hisce temporibus auctoritatem reseruandi casus Capitulis Generalibus, & Prouincialibus Pontifex committit, propter optimam de eorū prudentia, & consilio conceptam opinionem; simili modo ante acta capitula in eadem opinione à Sua Beatitudine habebantur, ac per consequens reseruationes casuum ab eis factas non intendit reuocare; validæ ergo vsque ad huc manent.

3 Secundò; quia etiam si Summus Pontifex casuum reseruationes in Capitulis ante decretum factas annullasset, (quod minimè concedendū est) nihilominùs quatuordecim casus in nostris Constitutionibus Generalibus contenti essent reseruati; eò quòd statuta Capituli Generalis Toletani an. 1583. celebrati, vbi prædicti quatuordecim casus reseruantur, in pluribus sequentibus Capitulis Generalibus, post Decretum Clementis Octaui fuere confirmata, non solùm implicitè, quia reuocata non sunt, verùm etiam expressè in Capitulo Generali Toleti quoq; celebrato anno 1606. his enim statutis pro vtraque familia *§. de cultu Diuino* statuitur, & ordinatur, quod cultus Diuinus, oratio, &c. & alia Regularem Obseruantiā concernentia restaurarentur, & inuiolabiliter obseruarētur iuxtà normā in statutis Generalibus Toletanis piè, & sanctè præscriptā. Ex quibus verbis infero, reseruationem casuum factam in illo antiquo Capitulo Generali Toletano, denuò in hoc Capitulo fuisse expressè cōfirmatam; nàm casuum reseruatio obseruantiam regularem concernit; vt inquit *Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 7.* & ad Christiani populi disciplinā partinet. Si ergo in isto Capitulo Generali anno 1606. celebrato præcipitur inuiolabiliter obseruari quæ ad regularem obseruantiam, & disciplinam in illo antiquo Capitulo Toletano statuuntur, & ordinantur; cùm reseruatio casuū ad huiusmodi obseruantiam, & disciplinam pertineat, sequitur illam antiquam reseruationem esse denuò factam, & post Decretum Clementis Octaui confirmatam, consequenterq; quatuordecim casus infrà ponendos ad huc esse pro vniuerso Ordine reseruatos.

4 Alia ratio, quæ me mouet, ait, vt credam, reseruationes antiquas nunc integras remanere est; quia cùm in ordine nostro tot, tantique sint doctissimi Religiosi, nec non omnes eius Prælati sanctitate, & doctrina semper polleant, nemo illorum de valore harum reseruationum vnquam dubitauit; immò potius toto conatu, totisque viribus vt seruarentur, vnusquisque inuigilauit. nec credendum est, dictos Prælatos, vt tanto tēpore ordo noster casibus reseruatis careret tolerare voluisse: cum reseruatio maximam cum Regulari obseruantia, & disciplina connexionem habeat; vt diximus numero præcedenti. nec valet dicere, huius decreti tenorem, & vim ignorasse patres nostri Ordinis: qui enim hoc assereret, fateretur vniuersam Religionem nostram fuisse plenam ignorantia.

5 Tandem confirmari potest, quoniām sententia *Patris Laurentij de Portel* docentis oppositum displicuit quam maximè duobus Reuerendissimis Patribus Generalibus nostri Ordinis; nimirū Reuerendissimo Patri Fratri Ioanni de Hyerro, qui Hispali non multis diebus ante eius mortem protestatus est, se scripta allati Doctoris iussurū colligere, & mandato prohibere; Reuerendissimoque Patri Fr. Antonio de Trejo Vicario Generali, qui in quibusdam specialibus ordinationibus, seù aduertentijs à se in Hispaniæ Prouincias missis declarauit, contra prædictam sententiam, permanere in sua vi reseruationem casuum in statutis Generalibus contentam: quamuis huiusmodi reseruatio præcesserit Clementis Octaui Decretum.

6 Atqui hinc concludit in fine n. 5.; firmiter ergo, & absque dubio tenendum, & asserendum est, quatuordecim suprà enumeratos casus, & illas solos secundum statuta Generalia esse in nostro Ordine Prouincialibus Ministris reseruatos. hactenùs *Ioannes de Trinitate*, & nouissimè *Franciscus de Luengo à S. Bernardino idem docet cap. 7. super nostram Regulam controuersia 20. sectione 2. nu. 1. & seqq.*

CAPVT II.

Laurentij de Portel sententia adducitur, & quid in hac re Author senserit.

SVMMARIVM.

1 *Casus reseruatos in nostro Minorico Ordine esse reuocatos, docuit Pater* Portel.

2 *Prædictam sententiam mutauit* Portel, *& quid Clemens Octauus disposuit circa peccatorum reseruationem.*

3 *Papam in hac sua Pontificia Constitutione non reuocare casus antiquos reseruatos in Religionibus per statuta Generalia facta in Capitulis Generalibus, sentit* Portel.

4 *Casus reseruati in nostro Minorico Ordine Diui Patris nostri Francisci in antiquis Generalibus Capitulis enumerati virtute & efficacitate Constitutionis Clementis VIII. nisi denuò iuxtà formam, & modum eiusdem reseruentur, non sunt reseruati.*

5 *Exponuntur, atque declarantur verba illa text.* Quo circa huic malo Sanctitas Sua opportunè prouidere decreuit, &c.

6 Cle-

6 *Clemens VIII. prius quàm hanc edidisset Constitutionem, quas diligentias fecerit.*

7 *Adducitur Reuerendiss. P.F. Aloysij à Cruce testimonium.*

8 *Aliud Patris Cappucini in addition. ad compendiũ verbo,* Absolutio ordinaria quoad Fratres p. 1. fol. 81. §. circa dispositionem affertur.

9 *Quid consuetudo nostræ familiæ Cismotanæ circa hãc materiam docet.*

1 EX opposito R. Adm. Pater Frater *Laurentius de Portel* in quodam suo libello de vndecim casibus in Decreto Clementis Octaui enumeratis reseruabilibus tenet, virtute & efficacitate dicti Decreti inualidos esse, reuocatasque omnium casuum antiquas reseruationes in Religionibus ante Decretum prædictum factas: quare vt aliqui casus nunc reseruati sint, Prælati Regulares debent iuxtà formam & tenorem illius eos de nouo reseruare. Hinc cõsequenter infert, nullum esse pro vniuerso ordine nostro reseruatum peccatum; quia post Decretum Clementis VIII. nulla facta est in Capitulo Generali reseruatio.

2 Hanc sententiam doctus iste vir in dubijs Regularium *verbo, casus reseruati*, vt minùs probabilem mutauit. Num. enim 12. sic inquit; Clemens Octauus designauit vndecim casus, quos citant varij Doctores, maximè Cappucinus in suo Compendio fol. 31. Circa quos primò aduerto, Papam ibi illos vndecim non reseruasse de facto pro omnibus Regularibus, vt aliqui malè putant; sed solùm designauit materiam; vt scilicet Prælati Regulares illos tantùm, vel aliquẽ ex illis possent reseruare: & extra illos vndecim nullus Prælatus posset aliquem reseruare, nisi fortè in Capitulo Generali, vel Prouinciali.

3 Secundò noto; Papam ibi non annullare, nec reuocare casus antiquos reseruatos in Religionibus per statuta Generalia facta in Capitulis Generalibus, si qui essent reseruati extra illos vndecim: & sic casus antiqui Religionis Franciscanæ non sunt reuocati, neque exclusi per hos vndecim. In additione posteà inquit; honoris mei causa volo hoc loco rationem reddere cuiusdam dicti, quod olim non clarè, sed virtualiter dixi in libello casuum reseruatorum Clementis Octaui. In eo libello, seù potiùs tractatu significaui, casus reseruatos in nostra Seraphica Religione in antiquis Capitulis Generalibus cessasse per Decretũ illud Clementis Octauis, nisi denuò reseruarentur iuxtà illud ipsum Decretum. Circa quod primò dico, quòd submitto me, & do manus declarationibus Ordinis nostri Prælatorum, & quod illi dicunt, libentissimè sequor, dicens, illos antiquos non cessasse. Hæc ille. ex quibus verbis apparet, quàm inconstans fuerit Author iste.

4 Atqui trepidauit Doctor iste timore, vbi non erat timor. Nullum enim video robustum fundamentum, quo temeritatis argui poterat vitio *Portel* opinio. Etenim ea, quæ *Ioannes à Trinitate* (vt sequenti cap. videbimus) excogitauit, nullius sunt ponderis. Quamobrem constantissimè tenendum est, casus reseruatos in toto Seraphico nostro ordine Diui Patris nostris Francisci in antiquis Generalibus Capitulis virtute & efficacitate Clementis Octaui Decreti, cessasse, nisi denuò iuxtà modum & formam eiusdem reseruarentur Decreti. Ita *Marcant. super Regulam nostram cap. 7. tit. 2. sect. 1. n. 6.* Ducor ad sic sentiendum primò, quia Summus Pontifex in illa sua dispositione duo intendit principaliter. Primùm determinare atrociora peccata, quæ Religionũ Præfecti ad libitum sibi reseruare possint, quæ omnia in casibus nostris in Constitutionibus cõtinentur Generalibus, tribus exceptis. Secundũ tradere modum, & formam, qua imposterum sint alia peccata eiusdem generis reseruanda; igitur tres illi casus, qui in reseruabilibus non enumerantur, non sunt reseruati, sed de consensu vocalium Capituli Generalis reseruandi. Hæc consequentia ostenditur primò, quoniam per taxationem, seù reseruandorum casuum numeri determinationem, quam statuit Summus Pontifex, certè nemo negare potest, omnia alia reseruata tollere voluisse; nàm non occurreret malo illi, quod intendebat auferre, nimirùm innumeros casus, quos sibi anteà Religionũ Prælati reseruauerant: vt ipsamet Constitutio decernit, ibi; *Quocirca huic malo Sanctitas Sua opportunè prouidere decreuit, &c.* Si enim omnia illa
5 peccata reseruata, quæ in omnium Religionum Constitutionibus Generalibus, atque Prouincialibus continebantur, virtute dicti Decreti non cessassent, seù annullata, & reuocata non essent; omnia illa incommoda; quæ priùs ex nimia peccatorum reseruatione sequebantur, stante illa Constitutione sequeretur; ac subindè suum non sortiretur effectum; vt statim dicemus. Sequelę patent; Nàm in nostro Minorico Ordine erant casus reseruati (teste *Corduba super Regula cap. 7.*) decem & septem; qui si post Decretum in suo existebant robore & vigore, & nonnulli alij, qui in decreto continentur, & in nostris Constitutionibus enumerantur; quibus alij duo casus ab expositoribus nostræ Regulæ adduntur; quorum vnus est, quando visitati, aut accusati inquirunt, aut inquirere faciunt accusantium, seù visitantium nomina; Alter, quando nomina visitantium, aut accusantium reis, vel alijs quis detegit. Et sic reseruatorum numerus adeò crescere potuit, vt in perniciem, & non in animarum salutẽ, esset reseruandi peccata facultas Religionum Prælatis commissa. Quam facultatis abusum tollere voluit Pontifex, pro vt verba eiusdem Constitutionis in principio clarè demonstrant ibi; *Sanctissimus Dominus Noster, qui iam pridem accuratè perpendit, & re ipsa comperit, quòd reseruatio facultatis absoluendi Religiosos pænitentes à peccatis quibusdam grauioribus, nisi Superiores, &c.* ac subindè illa Constitutio, si peccata, quæ reseruata priùs fuerant in omnium Religionum Generalibus Constitutionibus contentas non cessassent, suum non sortiretur effectum.

Probatur secundò ex *P. Miranda* vbi supra, & *Ioanne à Trinitate loco citato*; qui asserunt, casus illos duos

duos reseruatos, quos declarat *Corduba super Regulam cap.* 7. & casus illos duos, quorum paulò superiùs mentionem fecimus, esse reuocatos, & annullatos; eò quòd in Constitutionibus Generalibus Toleti vltimò celebratis non enumerantur; igitur à fortiori, cùm casus illi tres non sint à Pontifice enumerati, profectò censendum est, haud voluisse illos esse reseruatos. Hæc consequentia ex infrà dicendis clarè patebit.

6 Præterea certum est, Summum Romanũ Pontificem priusquam suam super casuum reseruatione ab omnibus Regularium Superioribus obseruandam edidisset Constitutionem, informari voluisse ab omnibus Generalibus omnium Ordinum Procuratoribus de numero, & qualitate reseruatorum casuum, pro vt allegata verba Decreti ostenditur; Igitur dum vndecim tantùm obseruari ab omnibus Religionum Præfecti voluit, omnes alios casus reseruatos cassauit, & annullauit. Antecedens patet euidenter ex ijs, quę *P. F. Ludouicus Beia 3. p. suarum Respons. moral. casu 16. fol. 329. pag. 2.* inquit: inquit enim doctus iste vir, quòd Romæ existens, quando illud Clementis Octaui Decretum, fuit promulgatum, vidit, quòd Summus Pontifex Clemens prius quàm suum promulgaret Decretum, petijt ab omnibus Religionum Procuratoribus, vt sibi in scriptis præsentaret quisque casus in suo ordine reseruatos: quibus (ait) per scriptum acceptis, & visis, ordinauit, hos solos (vndecim videlicet, quos ibi scribit) infrascriptos cunctis Regularibus reseruatos fore, esse, & haberi: & non alios præscripsit. hæc ille. In quibus verbis illud notandum est; *Cunctis Regularibus*, & illa alia; *& non alios*: ex quibus facilè colligitur nostræ conclusionis euidens probatio.

7 His addimus, nos, cùm Romæ Summi Romani Pontificis Pænitentiarij apud Lateranum fungeremur officio, audiuisse pluriès à nostro Reuerendissimo P. Fr. Ludouico à Cruce viro quidem docto, Religionis zelo, ac prudentia prædito, nostræ Cismontanæ familiæ omnium Reformatorum Vicario Generali, ac Sacrosanctę Lateranensis Pœnitentiariæ Præside, prædictum Romanum Pontificem Clementem Octauum, eo præsente, cùm Adm. R. P. Fr. Ioannis Baptistę Moles Commissarij Generalis in Romana Curia Vltramontanæ familiæ Ordinis nostri esset à secretis, anno 1597., super hac re interrogatũ declarasse, suæ esse intentionis nullum aliud peccatum fore reseruatum in omnibus Religionibus, præter illos vndecim reseruabiles, quos liberè vnusquisque Regularium Præfectus sibi reseruare potuerit.

8 Ad hæc faciunt quæ scribit Cappucinus in suis addictionibus ad compendium verbo absolutio ordinaria quo ad Fratres p. 1. fol. 31. §. circa dispositionem, vbi cùm mentionem fecisset de casibus antiquis nostri Ordinis reseruatis, statim subiungit in hunc modum; est aduertendum, quòd nunc per dictum Clementem Octauum aliud est ordinatum: annum enim Domini 1593. Cunctis Regularibus per publicum Breue infrascriptos casus reseruatos, fore præscripsit. sic ille: & statim transcribit vndecim illos Clementis Octaui casus. Mox sequenti folio addit, posse iuxtà idem Clementis Octaui Decretum reseruari alios casus graues in Capitulo Prouinciali, siuè sint in diuersa, siuè in eadem materia. Tũc ait; prout ab eodem Pontifice fuit nobis facta declaratio, in prædictis Capitulis poterunt reseruari alij casus à supradictis, etiam eiusdem materiæ supradictorum casuum; vt putà in materia lapsus carnis reseruare etiam tactus impudicos. sic ille.

Vbi Verba illa de futuro notanda sunt; nimirum, poterunt reseruare tactus impudicos: ex quibus clarè videtur innuere, se intelligere tactus impudicos in nostris Generalibus Constitutionibus reseruatos iam cessasse: Si enim non cessassent, non noua indigebant reseruatione, & ait, sic fuisse declaratum Cappuccinis à Clemente VIII.

9 Idem eisdem ferè verbis docuit P. F. *Franciscus Longus in suo libro de casibus reseruatis à Clemente Octauo casu 9. n. 29.* sic dicens de tactibus impudicis; vt olim fiebat, quib. verbis idem innuit, quod *P. Sorbus* priùs docuerunt.

Tandem adduci potest ratio, quæ efficaciter me mouet; nimirùm praxis nostræ Vltramuntanę familiæ, quę quam maximè viget in nostris Reformatis Prouincijs in Regno Siciliæ existentibus: Etenim ibi, extra Capituli consensum, nunquam sollicitatio ex certa scientia ad peccatum carnis fuit Prouincialibus reseruata. Quinimmò multi ex nostratibus Præfectis nonnunquam sibi, ex Capituli consensu, tactus impudicos atq; enormes reseruare voluere; quod facere minimè potuerunt; eò quòd (me ipso teste) Patribus Capituli Prouincialibus proposuerant, velle sibi sollicitationem ad peccatum venereum per impudicos enormesque tactus esse reseruatam quibus minimè consensientibus nũquam reseruati fuere. Igitur signum euidens est, non esse hos casus in nostris Generalibus Constitutionibus reseruatos ex vi Clementis Octaui Decreti: Etenim nemo persuaderi potest, Patres nostræ familiæ doctissimos; atque Religiosissimos moralem non habere certitudinem, esse videlicet hosce casus per Clementis Octaui Decretum reuocatos, annullatos, atque cassatos. Nàm si negotium secùs se haberet, vt putant oppositæ sẽtentiæ sectatores, certè in Capitulis Prouincialibus non exposcerent à vocalibus consensum ad illos reseruandos, etsi exposcunt, dicat quęso noster *P. F. Ioannes à Trinitate*, quare?

CAPVT III.

Argumentis oppositæ sententiæ satisfit.

SVMMARIVM.

1 *An omnia peccata lethalia collectiuè sumpta possint à Superioribus reseruari?*

2 *Ministri Generales, & Prouinciales, ante Clementis Octaui Decretum, absque vocalium consensu, ad*

ad libitū sibi peccatorum absolutiones reseruabāt.

3 *Peccatorum lethalium reseruatio per Regularium superiores facienda, post Clementis Octaui Decretum, quid exposcit.*

4 *Confirmatio Generalium Constitutionum facta à Capitulo Generali posteriori non habet vim reseruandi peccata illa, quæ priùs fuerant reseruata.*

5 *Semper in toto nostro minorico Ordine casus fuere reseruati.*

6 *Declarationes RR. P. Ioannis de Hyerro Ministri Generalis, & Antonij de Trejo Vicarij Generalis an sint Authenticæ?*

1 SAtisfaciendum nobis superest argumentis, quibus putat *Ioannes à Trinitate* nostræ sententiæ omnibus improbabilitatem manifestare: quę si rectè ponderentur nullius sunt ponderis. Ad primum negandum est, Clementem VIII. reseruationes in Capitulis Generalibus, aut Prouincialibus olim factas non reuocare, vt ex dictis, & probatis in præced. capit. patet. Quòd verò ex doctrina *P. Suarez 4. tom. ad 3. p. D. Th. disp. 29. Sect. 1. & 3.* deducit, non inuenio: Nàm doctissimus *Suarez in illa tertia sect. n. 4.* postquā determinauit, nullum esse peccatum externum, quantùm est ex se, & sua natura, quod reseruari non possit; & quærit vlteriùs, an sicut possunt omnia diuisiuè reseruari possit etiam collectiuè, vbi respondet sic; *Sed hoc nullam habet nouam difficultatem. Potest enim Ecclesia aliquibus Sacerdotibus non dare iurisdictionem ab vllo peccato mortali: nàm hoc modo se habet nunc circa simplices sacerdotes: illa verò non dicitur propriè reseruatio, de qua nunc agimus, sed est potiùs totalis negatio iurisdictionis ad absoluendum à peccatis mortalibus: reseruatio autem dicit limitationem, seù particularem priuationem talis iurisdictionis. Clarum est autem, non posse hoc modo totam iurisdictionem ad absoluendum ab his mortalibus auferri ab omnibus Ecclesiæ Sacerdotibus infrà Summum Pontificem, neque etiam ab omnibus ordinarijs Pastoribus: Nàm illud esset contra rationem sui muneris, & contra vtilitatem ipsorum pœnitentium, vt per se notum est. Quòd maximè verum habet respectu sæcularium. Inter Religiosos verò ferunt, interdum fuisse vsitatum, vt omnia peccata mortalia exteriora essent reseruata superiori. Sed hic modus reseruationis nimis onerosus, & periculosus esset subditis in quocunque statu existentibus, & ideò probandus non est. Nunc verò ex speciali decreto edito à Sanctissimo Domino nostro Clemente octauo anno 1594. non solùm hoc est Religiosis prohibitum, sed etiam certi casus præscripti, quos infrà numerabimus.* hæc ille. Ex quibus verbis potiùs pro nostra deducitur argumentum, quàm illud, quod *Ioannes de Trinitate* probare intendit. Non enim asserit, Clementem Octauum illud publicasse Decretum, *quia aliquorum ignorantia, imprudentia, & seueritas eo peruenerat, vt omnia lethalia peccata exteriora sibi reseruauerint.* Ob quod colligere poterat doctus iste noster amicus, Suarez annuere, illos præscriptos casus, quos ipse numerat num. 11. eiusdem sectionis, reseruare sibi posse Religionum Prælatos, omnes alios reseruandi facultatem ipsis esse interdictam; eamque ob rem reuocatos esse (præter illos vndecim) omnes, & quoscunque alios in quibusuis Generalibus constitutionibus contentos.

Ad confirmationem concedo antecedens, & nego consequentiam: non enim sequitur; ex bono conceptu, atque opinione m, quam Summus Romanus Pontifex Concipiebat de prudētia, doctrina, ac zelo capituli Generalis tàm nostri ordinis, quàm aliorum, noluisse sua dispositione cassare, atque reuocare casus illos, quos in nostris reseruantur constitutionibus.

2 Aliter respondetur ad antecedens, negando paritatem: Non enim est simile de commissione hisce temporibs Capitulis Generalibus, & Prouincialibus facta ad casus reseruandos, ac de eisdem alijs in Capitulis Generalibus reseruatis. Nā in antiquioribus Generales Prælati nō expectabant totius Generalis Capituli consensum ad casus reseruandos pro toto ordine, neque id fiebat ex eorūdem vocalium matura discussione: quapropter minùs conueniens peccatorum reseruatio existimabatur, tùm respectu Religionis conseruationis, tùm respectu subditorum Consciētiæ puritatis. Modò autem peccatorum reser-

3 uatio totum id exposcit: quapropter concipi poterat diuersa opinio de his nouioribus Generalibus Capitulis, ac de antiquioribus. Ideòque Iure optimo dicimus, reseruationes illas antiquas esse per Clemētis VIII. Decretū reuocatas.

4 Ad secundum nego sequelam: ad probationem verò respondeo, quòd licèt concedamus, constitutiones illas antiquas Toleti anno 1583. celebratas per subsequentia Generalia Capitula fuisse confirmatas etiam sub forma specifica, (quod facilè non concederemus) non ex eo sequeretur, casus in illis Generalibus Constitutionibus reseruatos non fuisse per Clementis Octaui constitutionem reuocatos. Nàm specifica statutorum confirmatio operari non potest, quatenus confirmatio est, vt illud, quod semel fuit per Summum Romanum Pontificem reuocatum, suum pristinum habeat esse, nisi denouo, iuxtà ea, quæ Papa disponit, statuatur. Igitur cùm Clemens octauus sua dispositione casus illos reseruatos reuocauerit, reseruati esse non possunt, nisi denouo, ex specifico, seù indiuiduali totius capituli Generalis cōsensu, pręuia matura illius examinatione, reseruentur. Et ita quantumcunq; & quomodocunq; fuissent cōfirmata statuta illa generalia per subsequētia alia capitula, si de nouo specificè nō reseruarētur illi casus, profectò nō censentur esse reseruati ex vi soliùs confirmationis.

5 Ad Tertium respondeo, nihil probare. Etenim certum & constans est, infinitos (vt ita dicam) esse in nostro ordine doctissimos Religiosos, eorumque Prælatos sanctitate, & doctrina preditos, qui exactam huius decreti habuere notitiam, & de valore harum reseruationum nunquā dubitauere. Neq; aliquid ex hoc inferri potest quod sit alicuius roboris; quia ad illud, quod dicit, quod non est credendum dictos Prælatos permisisse, vt

tantò tempore ordo noster casibus reseruatis careret; respondeo, id nunquam nostri ordinis Præfectos Generales permisisse, & sēper in toto nostro seraphico ordine casus fuisse reseruatos: nàm optime cognouerūt, Ministros omnes Prouinciales sibi reseruare potuisse vndecim illos casus, quos Clemens VIII. fore reseruandos statuit; & insuper nonnullos alios de Capituli Prouincialis consensu. Quapropter cùm in vnaquaque nostri ordinis Prouincia casus aliqui sint Ministris Prouincialibus reseruati, euidenter sequitur, non carere ordinem nostrum reseruatione necessaria ad regularē disciplinam sustentandam. Dicat nunc quæso *Ioannes à Trinitate*, quid refert, si in omnibus Prouincijs sint (prout expedit bono regimini illarum) peculiares reseruationes, & quòd non scribantur in Generalibus constitutionibus; vt ex hoc inferat, ordinem nostrum reseruationibus carere?

6 Ad vltimum respondeo, non constare R. Patrē nostrum Ioannem de Hyero Ministrum totius nostri seraphici ordinis Generalem voluisse colligere expositionem, quam ediderat de casibus reseruatis in Decreto Clementis octaui enumeratis Pater *Laurentius de Portel*: Concesso nihilominùs, talis fuisse voluntatis, qualē testatur Author iste, non inficit, quominùs casus illi in nostris Generalibus Constitutionibus enumerati non fuerint per Clementis Octaui dispositionem reuocati. Idem dicendum est de illa ordinatione per R. Patrem F. Antonium de Trejo totius ordinis nostri Vicarium Generalem, quæ authenticè constare debuerat. Item (cum omni reuerentia, & humilitate nostris Generalibus debita Prælatis loquor) quid poterat operari declaratio illa facta per superiorem Generalem; quando casus, qui, prius quàm Clementis Octaui Decretum fuerit promulgatum, erant in antiquis nostris Constit. reseruati, & posteà ex dispositione illa Pontificia reuocati, & cassati censentur?

QVAESTIO TERTIA.

Vtrum alij Casus Reseruati maneant, quando Religionum maiores Præfecti sibi esse reseruatos vnum, ac alterum Casus declarant:

CAPVT VNICVM.

Nullum alium remanere reseruatum, efficacissimè probatur.

SVMMARIVM.

1 *Consuetudo Patrū Reformatorum nostri ordinis de obseruantia Prouinciarum Regni Siciliæ circa modum reseruandi peccata, quæ fuerit.*

2 *Putant omnes, Casus in Clementis VIII. Decreto enumeratos esse respectu confessorum inferiorum reseruatos: atqui respectu pænitentiariorum esse duos, aut tres, quos sibi specialiter reseruent Prælati Prouinciales.*

3 *Casus vndecim in Decreto Clem. VIII. enumerati sunt reseruabiles dumtaxàt.*

4 *Prælati Prouinciales an honestè & licitè sibi omnes vndecim casus reseruare possint.*

5 *Expenduntur verba illa Textus*; in singulis Domibus deputent duos, tres, aut plures confessarios, &c.

6 *Prælati Prouinciales non possunt licitè, & honestè suam committere authoritatem pro reseruatis absoluendis Religiosis illis, qui carent conditionibus in Decreto requisitis.*

7 *Prouinciales nostri ordinis quando in capituli, seu extra declarant, duos, aut tres esse sibi casus reseruatos, cæteri omnes non remanent reseruati.*

8 *Prælati Prouinciales non debent sibi omnes XI. casus reseruare; & quare?*

9 *Prouinciales Ministri sibi omnes vndecim casus reseruent: non possunt partim sibi reseruare, & partim pænitentiarijs committere.*

10 *Consuetudo, quæ viget in nostris Reformatis Prouincijs in Regno Siciliæ existentibus circa reseruationis modum, est in irrationabilis.*

11 *Asserere, Guardianos non posse ex vi sui muneris subditos à reseruatis absoluere, est erroneum; & quomodo.*

12 *Guardianos, nec non aliorum Ordinum Prælatos cōuentuales posse sine vllo scrupulo sua vti potestate, ad absoluendos nimirùm suos subditos à reseruatis, probat Author.*

1 HAnc quæstionem specialiter duximus hìc examinandam pro fratribus nostræ Reformatæ Prouinciæ Panormitanæ, nec nō aliarū Prouinciarum Reformatarum in Regno Siciliæ existentium. Consueuerunt nostri Prouinciales Prælati, expleto Prouinciales Capitulo, sibi nonnullos casus esse reseruatos, declarare; à quibus nemo alius, quàm ipsi subditos Religiosos absoluere valeant. v. g. lapsum carnis opere consummatum, litterarum detentionem aperitionē vè declarant, sibi reseruare: nullam de alijs nouē in Clem. VIII. Decreto enumeratis faciendo mētionem. Vertitur modò inter charissimos nostros fratres in dubium, an illi nouem reseruati sint?

2 Existimant nonnulli, esse illos reseruatos quoniā de peccatorū reseruatione distinguunt. Etenim (inquiunt) nouem casus respectu omniū Presbyterorū, qui à nō reseruatis absoluere possunt; reseruatos esse non verò pro pænitentiarijs (vt ipsi appellant) in cap. destinatis pro à reseruatis absoluendo. Illos verò duos respectu istorum PP. Prouincialibus ministris dumtaxàt reseruati.

3 Quid verò in hac re sit dicēdum, apud viros doctos nulla esse potest difficultas. Vt autem conquirentibus satisfaciamus, notare hìc oportet id, quod suprà plures tetigimus; nimirùm casus illos vndecim in Decreto prædicto nullo modo esse reseruatos: ita *Suarez tom. 4. ad 3. p. D. Th. disp. 29. sect. 3. n. 11.* in medio ibi; *est autem circa hos casus aduertendum primò, non statui à Pontifice, vt omnes hi casus sint in Religionibus reseruati, sed permittit tantùm, vt superior Religionis possit hos casus reseruare*, & to. 4. de Relig. lib. 2. c. 18. nu. 10. *Mirand. To. 2. sui Manualis q. 34. art. 7. vers. circa quam Clem. VIII. Constitut. Portel. de dub. Regul. vers. casus reseruati n. 12. fol. 84. F. Io: à Trinitate* in exposit.

casuum

casuum Reseruatorum, qui in nostro Seraphico ordine reseruantur *dub. 2. n. 1. & dub. 1.* Et alij moderniores nostræ Regulæ expositores *Cap. 7.* & ita solùm præseruabiles sunt. Vndè quàm maximè falluntur nonnulli docti quidem Patres nostri, dum putant, illos casus esse reseruatos; vt expresse ex Clementis dicta constitutione deducitur, ibi; *Vt nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi reseruet, exceptis ijs, quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout subditorum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerint.*

4 Quæ verba magni sunt ponderis. Quamobrem pro illorum verò intellectu notare oportet, Prouinciales Prælatos, quamquam eis reseruandi permittatur omnium vndecim casuum reseruatio, vt valeant, ad libitum eos sibi reseruare; non posse nihilominùs licitè omnes: quoniam Summus Romanus Pontifex statuit, ibi esse reseruandos, prout subditorum vtilitas exposcit, iuxtà prudentem Prælatorum existimationem, aut (inquit) *omnibus, aut eorum aliquot prout subditorum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerint*: omnes autem casus reseruare non semper subditorum vtilitati conuenire potest: Contingere sanè aliquando posset, vt ratio mouens Pontificis animum ad Prælatorum restringendam facultatem circa peccatorum reseruationem, accidat quoque in istis vndecim, vt sæpè nos docuit experientia. Et ideò Prælatos in illis reseruandis habere oportet probabilitatem, ad subditorum salutem esse illam totam reseruationem ordinandam: aliàs enim non esset licitè facta. Quamobrem paulò superiùs dicebamus non posse licitè omnes sibi reseruare casus, quamquam validè.

5 Ad hoc insuper aduertenda sunt eiusdem Dispositionis Clementis Octaui verba illa; *Superiores in singulis domibus deputent duos, tres aut plures confessarios pro subditorum numero maiori, vel minori; hique sint docti, prudentes, & Charitate præditi, qui à non reseruatis eos absoluant: Et quibus etiam reseruatorum absolutio committatur, quando Casus occurrerit.* In quibus Pontifex summus primò tradit modum, & formam, quibus gerere se debent Prælati in pœnitentiarijs constituendis; quibus consueuerunt nostri Prouinciales Præfecti facultatem absoluendi à reseruatis committere. Etenim statuit, vt Prouinciales in vnaquaque suæ Prouinciæ Domo deputent iuxtà Religiosorum numerum duos, tres, aut ad Summum quatuor confessarios. Ex quibus verbis colligendum videtur, prohiberi atque interdici Superioribus facultatem, quā in instituendis Confessarijs habent: (verùm quid ipse in hoc puncto senserim infrà suo loco aperiam) ita vt alios, vt consueuere, deputare ad audiendas fratrum confessiones non valeant. Qui autem deputandi sunt, pollere debent doctrina, prudentia, atque Charitate. Vndè istis deficientibus conditionibus, puto non posse Prouinciales Superiores, saltem honestè, ad huius-

6 modi illos assumere munus. His iubet Papa committi facultatem Religiosos à non reseruatis absoluendi, quibus committenda est etiam necessariò reseruatorum absolutio, quando casus occurrerit, iudicio prudenti istorum determinanda. Quomodo autem sit hoc intelligendum, infrà proprio quæsito dicemus. Vndè infertur, non posse Superiores ita sibi aliquem reseruare casū, cuius absolutio destinatis atq; deputatis confessarijs pro vnoquoque suæ prouinciæ Conuentu sit committenda.

7 His igitur notatis, dico primò. Quando Prouinciales nostri Prælati in Capitulis, seu extra, sibi asserunt reseruatos esse talem, & talem casum, vllam de reliquis faciendo mentionem; v. g. si dicant; nobis reseruamus detentionem, ac aperitionem litterarum, furtum notabile de rebus Monasterij; nouem alios casus nemini esse reseruatos. Hæc assertio patet ex primo nostro notabili. Nàm cùm casus in Decreto Clementis octaui enumerati non sint reseruati, sed reseruabiles dumtaxat, quando aliquem illorum sibi Prælati superiores reseruant, reliqui in suo esse, & formali remanent ratione. Igitur nemini sunt reseruati.

8 Dico secundò, Prælatos superiores non posse honestè omnes illos casus in Decreto Clementis contentos sibi reseruare. Hæc assertio euidenter patet ex ijs, quæ paulò superiùs in secunda obseruatione, verba textus declarando, notauimus. Consultò dixi, honestè, vt intelligatur, absolutè Prælatos posse omnes illos casus sibi reseruare: Nihilominùs non esset ab eis talis facienda reseruatio, ob rationem tactam, tùm quia minùs expediens censetur esse vtilitati subditorum conueniens, tùm quia, si dura atque aspera iudicatur vnius, ac alterius casus reseruatio, ita vt nonnulli subditorum infirmiores, qui interdum Superiori suo Conscientiæ maculas detegere formidant, malint potiùs multa Sacrilegia committere, & laqueo se damnationis æternæ tradere, quàm sua peccata superioribus in confessione aperire, quid esset, si omnes vndecim reseruati forent? Cui malo certè occurrere debent ij, quibus animarum cura commissa est, vt iustà subditorum imbecillitatem, & infirmitatem animi, peccatorum faceret reseruationem: qua ratione inquit Pontifex; pro subditorum vtilitate expedire prudenter in Domino iudicauerint.

9 Dico tertiò, quòd Prouinciales Prælati, quando omnes sibi vndecim casus reseruant, nō possunt partim pœnitentiarijs Deputatis (vt ipsi dicunt) ad fratres de reseruatis absoluendos, & partim sibi reseruare. Hæc assertio etiam patet ex verbis Decreti Clementis octaui suprà dilucidatis; quia Pontifex mandat deputatis confessarijs ad fratrum audiendas confessiones committendam esse facultatē eos absoluēdi à reseruatis: atqui casus reseruati sunt illi, à quibus absoluere nullus Inferior Prouinciali valet, igitur isti sunt cōmittendi: ac subindè nō possunt partim casuū

firmat regulam in contrarium, vt Doctores omnes vtriusque Iuris infra citandi affirmant. Per hanc ergo Constitutionem Clementis omnes antiquæ illæ Constitutiones paulò superiùs allatæ, nec non Constitutiones Apostolicæ, ac Iuris Communis dispositiones videntur, quo ad hoc, annullatæ,& cassatæ: qua propter dicebamus suprà, prohibitione humana seclusa. Et certè his nostris temporibus fragilitas,& infirmitas humana adeò viget, vt hanc requirat moderationem.

7 Dico tertiò, quòd si aliqua lex, seù Constitutio fiat in aliqua religione qua per modum solius consilij statuatur,vt Religiosi omnes pro aliquo saltem tempore, suis proprijs confiteantur superioribus, non esset contra hanc Pontificiam dispositionem. Hæc conclusio patet,quia id,quod ex consilio fit,sponte fieri dicitur; ex cap. præcedenti notatis: at qui Summus Pontifex Superioribus interdicit,vt subditorum audire non possint confessiones, nisi quando ipsi spontè velint eis confiteri; ergo legem condere possunt inducentem per modum consilij subditos ad confitendum suis superioribus.

Et quamuis hoc fieri non repugnat, tamen non esse faciendum,certius,& securius est; quia talis lex potest iudicari pręceptiua;eò quòd contingere potest, vt ex timore legis quis proprio suo confiteatur superiori: timor autem habet vim præcepti saltem virtualis, quod satis est, ad hoc vt censeatur,quòd confessio sic facta nō sit libera,quod est contra rationē huius Sacramēti.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum Regularium Superiores legitimè vti possint notitia in confessione comparata ad externam subditorum Gubernationem?

CAPVT PRIMVM.

Communis Doctorum sententia ponitur, ac dilucidatur.

SVMMARIVM.

1 *Superiores Regularium notitia,quam de subditorum peccatis in confessione habuerunt,ad eorundem gubernum externum vti posse qui docent.*

2 *In quo casu secundùm Doctorem Subtilem potest superior vti notitia in confessione habita ad externam gubernationem.*

3 *Quid alij Doctores requirunt,vt notitia in confessione comparata ad externam gubernationem vti possint superiores.*

4 *Pater Suarez sententiam negatiuam approbat.*

5 *Vsus notitiæ in confessione comparatæ est simpliciter Superioribus interdictus.*

1 POsse omnium ordinum superiores notitia, quam de subditorum peccatis in confessione habuerunt nonnullis concurrentibus conditionibus, vti, tenet nonnulli Doctores. Prima conditio est,quando ex vsu talis notitiæ nulla sequitur (etiam indirectè) confessionis reuelatio, nec morale periculum eius; secunda,vt fiat sine iniusto poenitentis grauamine; tertia,vt sit talis vsus ordinatus ad communem vtilitatem, vel ad pœnitentis bonum,& quod fiat ob aliquam grauem causam. Ita *Sanctus Thomas quodlibet 5. art.13.& in 4. dist.2. q.3. art.1.* Vbi asserit posse Superiorem Religionis priuare subditum aliquo munere hac de causa,quando talis mutatio potest fieri solo arbitrio superioris: nam si officium habeat certum tempus designatum, & offerri non soleat extra illud, nisi propter aliquam causam; tunc non posset hoc fieri; quia esset reuelatio confessionis. Et idem est quandocunque in particulari timetur talis suspicio.

Idem sustinet Seraphicus noster *Diuus Bonauentura in 4. dist. 21. in 2. parte art.2. q.1.* ad vltimum dicens; superior debet ei persuadere voluntariam cessionem,& quòd ipse petat absolui ab onere officij, & quòd si non vult,non debet eum absoluere;sed debet eum sustinere; nisi sit talis Religio, in qua subditi possint transmutari, vel transferri sine diffamiæ nota.

2 *Scotus noster idem docet in 4. dist. 21. q. 2. ad penultimum* his verbis; si in collegio est consuetudo Communis, vt sine nota quilibet extra monasterium curam habens, vel sine cura moram trahens, reuocetur pro libito Præsidentis, vel etiam non possim pro libito, sed quandoque pro aliqua causa honesta,vt nunc iste quiescat in Claustro, nunc laboret cum Martha in exteriori Ministerio, & nunc ille prout vtile visum fuerit Præsidenti; tunc dico,quod Monachum confessum de crimine commisso in aliquo loco extra Monasterium, vbi moratur potest Abbas ad Monasteriū reuocare; quia in hoc in nullo peccatum commisum prodit licèt aliquis dixerit, quòd confessor nullo modo potest habere aliter se ad confessum ratione confessionis, quantùm ad quęcunque actum extra forum illum, quàm si penitùs nihil audisset. Si autem est Consuetudo in collegio, quòd non transferatur Monachus sic de loco forinseco ad claustrum, nisi ratione delicti, vel insufficientiæ illius loci, non videtur tunc licitum Abbati confessum ad Monasterium reuocare. Si dicas, non apponit remedium oui sui ad salutem. Respondeo, consulat sibi in foro poenitentiæ meliori, quo poterit modo, vt illum locum periculosum dimittat. Si noluerit, non attentet esse Deum; sed defectum occultum sibi secundùm iustitiam incorrigibilem Dei correptione Dimittat. Hæc Doctor subtilis. Idem *Ricchardus noster habet* eadem *distinct. art. 4. q. 2. ad 4. Sotus in 4. dist. 18. q. 4. ar. 5.* & ibi Doctores omnes, *Syluester verbo, confessio, 3. quæsit. 14.* & alij summistæ, *Nauarrus in cap. Sacerdos n. 124.* Ratio est,quia tunc nihil fit contra sigillum, vt constat, neque contra iustitiam, quādoquidem res pendet ex superioris arbitrio; nec illa est pœna, sed rationabilis medicina,quia indigent necessariò pœnitentes.

3 Differunt autem inter se hi Doctores; nàm Syluester,& alij dicunt,hoc licere, etiam si pœnitēs ipse suspicetur,vel intelligat se eo munere priuari ratio-

ri ratione suæ confessionis: quia, dummodò alijs non præbeatur occasio in suspicione veniendi, non est confessionis reuelatio. *Ricchardus* verò, *Angelus*, & alij oppositum volunt: quia post cōfessionem pœnitentem non licet verbis corripere, vt peccatum illi obijcere, ergo nec factis. Item quia est hoc occasio, vt homines retardentur à confessione; quia fit eis valdè onerosa per actionem extrinsecam confessoris confessioni ipsi maximè necessariam. Vnde moderniores nonnulli hanc limitationem approbant: docentes, esse securiorem, & valdè rationi cōsentaneā.

4 *Pater Suarez verò tom. 4. ad 3. partem D. Th. disp. 33. de sigillo confessionis sect. 7. n. 4. in fine* voluit, allatam hanc communem doctorum sentētiam esse probabilem quia (vt ipse inquit) ex sola rei natura, seu ex ratione, improbari minimè potest: addit nihilominùs, id quamuis per se malum non sit, ob periculum nihilominùs mali, prohiberi posse. Quare ait; si in aliqua Religione talis vsus prohibitus fuerit, Sancta erit Constitutio, & obseruanda. Imò generaliter videtur hic vsus Regularibus omnibus à Sāctissimo Domino nostro Clemente prohibitus. Nàm in decreto de casibus reseruatis pro Religiosis edito, sic inquit: *tam Superiores pro tempore existētes, quam confessarij, qui postea ad superioritatis gradū fuerint promoti, caueant diligentissimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur*. Atque ita per quoscunque Regularium Superiores, quicunque illi sint, obseruari mandauit. Vndè cùm indistinctè loquatur, non est quod à nobis limitetur, sed quod simpliciter obseruetur.

5 Ex quibus patet, quòd sapientissimus iste vir negatiuam tenet sententiam: nimirùm, illis etiā cùm superenumeratis conditionibus, non posse Regulares Superiores vti illa notitia, quam de subditorum peccatis in confessione comparauere; eò quòd talis vsus est eis prohibitus per hanc Clementis octaui Constitutionem. Quod huius fuerit sententiæ, patet ex ijs, quæ eadem *sect. n. 9. Regula 2. docet:* nàm ibi sic ait; secunda Regula est, quando ex vsu confessionis nulla sequitur indirecta reuelatio, nec morale periculum eius, non est per se malus talis vsus, immò poterit sæpe esse honestus, & licitus; nisi specialiter prohibeatur. Ita docent omnes. Et paulò inferiùs addit; nisi specialiter prohibeatur; propter superiùs citata ex decreto Clementis octaui, quę videntur prohibitionem continere, saltem pro Regularibus, & eorum gubernatione, ita obseruanda sunt. Et tamen *to. 4. de Relig. lib. 8. c. 5. de vsu reseruandi peccata n.* 13. talem vsum non improbat, quinnimò honestum esse voluit; licèt posteà ex Constitutionibus societatis *in instr. 5. & cap. 2.* ordinationum communium toti societati consulat, non esse eo vtendum; non quia decreto Pontificis aduersetur, sed quia ita exigit hoc tempore subditorum infirmitas. Idem prorsus habet *Coriolanus de casibus reseruatis 1. p. sect. 1. art. 13.*

CAPVT II.

Pro dicendorum intellectu, expenduntur Verba Decreti Clementis Octaui §. V.

SVMMARIVM.

1 *Explicatur Textus Constitutionis Clementis ibi;* tàm Superiores pro tempore existentes, &c.

2 *Vsus notitiæ in confessione comparatæ ad externam gubernationem potest esse licitus, si nulla confessionis sequatur reuelatio.*

3 *Externa Gubernatio quæ dicatur?*

1 SVmmus Romanus Pontifex in §. v. suæ dispositionis Regularium Præfectis interdicit vt vllo modo notitia, quam in confessione comparauere, ad extrinsecam Religiosorum vtantur gubernationem, his verbis; *Tam Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarij, qui postea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, Caueant diligenter, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad externam Gubernationem vtātur*. Pro quorum intellectu notare oportet, quòd duplici modo possunt Regularium Superiores vti notitia, quam de peccatis in confessione habuere. Primò, quia præcisè necessaria est ad vitandum peccatum, de quo agitur, vel scandalum, aut pœnitentis, aut aliorum ex peccato illo præcisè ortū. Secundò, rebus alijs, actionibus, vel muneribus. De hoc posteriori modo certum est, absque vlla controuersia, vti non posse Superiores Regularium notitia de peccatis

2 quam habuerunt in confessione. De priori autē voluere nonnulli Doctores, quos subsequenti Cap. citabimus, Prælatos Regulares posse, qui rem in confessione nouerunt, vti illa notitia ad illum finem, si tamen obseruent, vt ille vsus talis sit, vt nulla reuelatio directè, vel indirectè nasci possit: vel si hæc timeri possit, nullus sit talis vsus sine expressa pænitentis licentia; nàm si hæc obseruentur, nulla est inordinatio contra iustitiam pænitentis, vel contra Sacramenti Religionem, quæ ex tali vsu excogitari possit.

3 Hic autem vsus minimè sub prohibitione Clementis Octaui comprehenditur, in qua interdicitur Religionum Superioribus, ne notitia in confessione comparata ad exteriorem vtantur gubernationem. Non comprehenditur certè sub illis verbis, & præcepto; quia hic vsus non potest dici ad externam gubernationem, sed internam dumtaxat, & spiritualem medicinam pænitentis conscientiæ: nàm peccatorum reseruatio propriè, & per se ad id tendit, vt peccatorum sanetur infirmitas. Nàm ipse pænitens vitare tenetur moralem occasionem mortalis peccati, vel non præbere alteri scandalum, vt secum tale committat peccatum; Igitur vsus, qui tantùm ordinatur ad similem tollendam peccati occasionē, vel scandali non potest dici exterior gubernatio: Nā, licèt sit quædam actio, vel priuatio exterior, ordinatur solum ad animæ internum bonum ipsius pænitentis; adeò vt, licèt ordinetur etiam ad bonum

bonum complicis, hoc solùm sit in quantum bonum pœnitentis cum illo coniunctum est, & non potest vnum ab altero separari. Hoc enim supponendum est: Nam si iam omninò non ageretur de remedio pœnitentis, nec de adimplenda aliqua obligatione, ad quam ipse in conscientia teneatur, sed tantùm de remedio alterius; iam ille vsus dici posset ad exteriorem pertinere gubernationē, & non esset vsurpandus sine libera ac spontanea pœnitentis voluntate, ac facultate: & ita omnis vsus, qui aliquo modo ad politicam religionis conseruationem, aut subditorum gubernationem (etiam indirectè) tendere potest, comprehenditur sub hac speciali prohibitione superioribus facta. Quando igitur Clemens præcipit, Religionum Præfectis non vti notitia, quam de peccatis in confessione habuere, non prohibet potestate illa vti in gubernio, & directione animarum intrinseca, & spirituali.

CAPVT TERTIVM.

Opinio Authoris probatur.

SVMMARIVM.

1 *Peccatorum reseruatio, tàm ex parte Religionis conseruandæ, quàm pœnitentis, est spiritualis medicina.*

2 *Finis reseruationis est, vt Superiores subditorum sciant infirmitates ad hoc, vt opportuna valeant applicare remedia.*

3 *Superiores Regularium ex fine reseruationis non repugnat, posse vti notitia in cōfessione habita, etiam ex mente Clem. VIII. & quo pacto.*

4 *Vsus notitiæ in confessione comparatæ, quatenus ad intrinsecam subditorum tendit gubernationem, non interdicitur in Clementis constitutione, quæ dilucidè expenditur.*

5 *Superior potest ex notitia in confessione habita, absque scrupulo, subditis socios assignare: item aliquam facere ordinationem pro suæ Religionis conseruatione.*

6 *Expenduntur illa textus verba;* Caueat diligēter, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis, &c.

7 *Ad internam subditorum gubernationem possunt Superiores Regularium vti peccatorum notitia, quam de per confessionem comparauere.*

8 *Possunt Regularium Superiores vti ad gubernationem Religionis externam notitia peccatorum in confessione habita; quando, & quomodo.*

9 *Peccatorum reseruatio est in Ecclesia, vt prudentiores fiant superiores.*

10 *Causa reseruationis, secundùm aliquos, est, vt subditi à peccatis arceantur.*

11 *Causa vera reseruationis est non solùm, vt superiores in foro sacramentali saluti consulant subditorum, verùm etiam vt Religionis status in sua conseruetur perfectione.*

12 *Difficile valdè esset Religiosum spirituale regimen, si superiores aliquando honestè non possent vti notitia in confessione habita.*

1 PRæterea, quæ pro Apostolicæ vera constitutionis intelligentia præcedenti cap. *ex Suarez loco citato* ponderauimus, rursùs ad nostrā constituendam opinionem aliqua notari oportet. Et primò moneo, peccatorum reseruationem quandam esse spiritualem medicinam, tùm pro Religionis statu, tùm pro religioso. Et pro Religione est medicina præseruatiua; nam multi si non amore virtutis, saltem ex hoc retardantur ne talia committant peccata, quæ Prælatis reseruantur: pro Religioso verò est medicina curatiua, vt post *Suarez tom. 4. de Religion. lib. 8. cap. 10. n. 8. Coriolan. de casibus reseru. sec. 1. p. 1. art. 5.* notauit. Medicina autem applicari nequit, nisi medicus priùs infirmitatem, ac omnia eius Synthomata cognoscat. Vndè casuum reseruatio fieri non tantùm ab Ecclesia consueuit, vt superiores suas cognoscant oues, verùm etiam vt earum valeant curare infirmitates; nàm in magnis morbis peritiores adhibentur medici, qui opportuniora sciant applicare remedia, pro vt infirmitatum exposcunt qualitates, & quia superiores peritiores, atque prudentiores præsumuntur, propterea ad ipsos recurrendum est pro remedio, & medicina. Id totum colligo ex Decreto Clementis, ibi; *si aliquod aliud peccatum graue pro Religionis conseruatione, aut pro conscientiæ puritate reseruandum videbitur*. Et paulò inferiùs, ibi; licebit tamen superiorib. &c. Vnde S. Synod. Triden. *sess. 14. cap. 7. Atrociora crimina*, inquit, *non quibusuis, sed Summis dumtaxat Sacerdotibus semper Ecclesia reseruare consueuit*.

2 Atque hinc aduerto primò, aliqua atrociora peccata superioribus, atque maioribus Prælatis reseruari, tàm ex fine ipsius reseruationis, quàm ex Summi Pontificis mente; vt constat ex illis verbis; *Nisi aliquod peccatum reseruatum commiserint*, quæ id tendunt, vt superiores suarum ouiū notitiam habeant, & ita earum infirmitates, & imbecillitates cognoscere valeant, ad remedia necessaria applicanda, quæ status pænitentis non solùm permittit, verùm etiam exposcit: & vt etiā suo incumbere poscit muneri: aliàs esset futilis

3 est supernacanea casuum reseruatio. Vndè fit, quòd notitia, quam de subditorum peccatis in confessione comparauere, vti ad hanc gubernationem optimè possunt, quoniam ad exposcit rei natura, & pastorale munus, dummodò (vt supra docebamus) confessionis sigillum non lædatur, & pænitenti nullum sequatur damnum, aut inferatur iniuria.

4 Aduerto secundò, verba illa Constitutionis Clementis Octaui; *Caueant diligenter, ne ea notitia quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt ad exteriorem gubernationem vtantur*, non cōprehendi in intrinsecam, atque necessariam gubernationem subditorum salutem, atque conscientiæ puritatem concernentem. Idemque asserendum esse moneo de gubernatione extrinseca, si prudenter, & honestè tali vsu vtantur superiores; nam illius Pontificiæ Constitutionis finis adæquatus est; vt Religiosi ex illo timore non retardentur à confessione, ne in peius ruant; vt ex proemio eiusdem constitutionis videtur colligen-

colligendum, & ex inde alliquod ininstum pænitentibus sequatur damnum, & hujusmodi. Istis tamen cessantibus, alijsque his similibus incommodis, non video, quo nàm pacto vti non possint Religionum Præfecti huiusmodi notitia. Totus iste discursus nõnullis potest illustrari exemplis. Primò, si supperior ex notitia, quam in confessione comparauit, attentiùs inuigilet, & si priùs remissiùs se gerebat vt suo satisfacere valeat muneri, se emendet: ac subinde si antea liberaliter, & benignè in subditis præstanda licentia egrediendi de Monasterio se exhibeat, posteà non ita. Secundò, si libenter gratum socium aliquibus concedebat, posteà assignet vnicuique socium in extra Monasterium exeundo. Tertiò, si aliquam ordinationem, seù aduertentiam in communi faciat necessariam ad suæ Religionis conseruationem, qua nullum sequitur pænitentibus graue damnum. Quæ omnia ad extrinsecam gubernationem pertinent, & nihilominùs commodè eis superiores vti possunt, quia sub illis verbis non comprehenduntur; quia totalis, atque adæquatus finis illius constitutionis cessare videtur.

6 Quæres, quid ergo intelligit Summus Pontifex per illa verba; *Caueant diligenter, ne ea notitia quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur?*

Respondeo per exteriorem gubernationem, omnia ea, quæ fieri possunt à superioribus in graue pænitentium damnum, siuè illud directè, siuè indirectè sequatur, seù iniuriam, aut læsionem aliquam Sacramenti Sigillo ex vsu talis notitiæ sequtam, intelligi. v. g. si superior subdito paret insidias, vt illum capiat in simili casu sibi confesso, per se vel per alios: si procuret superiorem supremum extrahere illum de monasterio: aut si neget egrediendi à Monasterio licentiam, quàm prius illi libenter præstabat: si ordinationem faciat, vt non intret talem, vel talem domum, in qua intrare solebat; Ex qua ordinatione faciliter oriri possit suspicio: vel si acriter ergà illum se habeat aut si talem pænitentem nõ ita benignè, veluti priùs faciebat, respiciat: & his similia.

7 His, & alijs in præcedenti capitulo obseruatis. Dico primò, omnium Religionum Præfectos ad internam, atque spiritualem subditorum gubernationem vti posse notitia, quam de ipsorum peccatis habuere. Hæc assertio patet ex dictis, & notatis in præcedenti capitulo. Ostendi autem potest; quia si Regularium superiores vti nõ possunt notitia illa, quam de subditorum peccatis in confessione comparauere, hoc quammaximè esset, quia talis vsus in hac Clementis VIII. constitutione ipsis prohibetur: atqui sub eius verbis, seù prohibitione non comprehenditur; Igitur legitimè illa vti possunt. Consequentia tenet, ostensis maiore, & minore. Maior docetur communiter ab omnibus Doctoribus in primo huius quæstionis cap. citatis. Minor patet, quoniam Summus Pontifex dumtaxàt prohibet ex paulò superiùs adnotatis vsum talis notitiæ ad gubernationem extrinsecam, non quidem simpliciter, vt statim dicemus.

Secundò probatur, quia peccata atrociora ad superiorem in confessione ex vi reseruationis deferuntur, non solùm vt superior suæ ouis cognoscat vultum, verùm etiam vt remedium iuxtà negotij atque status exigentiam adhibeat; at si vti non possit tali notitia, saltem quo ad internam pænitentis gubernationem, casuum reseruatio esset inutilis, & non necessaria in Ecclesia Dei, quod affirmare est erroneum; Igitur. Et certè ad quid esset necessaria, aut quid prodesse poterit, vt superioribus dumtaxàt talia reseruentur peccata, si aliud non valeant, nisi absolutionem de illis præstare? vel quale remedium pænitentes subditi ex hac reseruatione assequuntur? assignent profectò, si assignare possunt.

8 Dico secundò, vsu notitiæ in confessione comparatæ vti posse Regularium superiores, etiam ad externam gubernationem, si illo prudenter, atquè honestè vtantur: hoc est, si illæ tres conditiones, quas communis Doctorum requirit sententia in primo adducto Capitulo, concurrant. Hæc assertio probatur primò, quia vsus talis non est per se malus, sed honestus, & quandoque ad Religionis conseruationem, atque ad procurandam subditorum salutem pernecessarius: potest autem esse malum, quatenùs prohibitus: atqui huiusmodi vsus sub illa prohibitione, qua omnibus Regularium superioribus prohibetur, ne ad externam gubernationem notitia in confessione comparata vtantur, minimè comprehenditur; ergo liberè hoc ad id vti possunt. Consequentia tenet. Maior est ex se euidens, & colligitur *ex Diuo Thoma D. Bonauentura, Scoto, Ricchardo, Syluestro, Angelo, & alijs communiter*. Minor patet ex dictis Probari tamen potest, quoniam vsus notitiæ in confessione comparatæ eò quammaximè interdicitur, vel quia in graue pœnitentis damnum cedit, vel quia Sacramento pænitentiæ irrogat iniuriam; Igitur quando istæ causæ totaliter cessant, non habet locum lex illa Pontificia: ac subindè, si honestè fiat, iuxtà ea, quæ notauimus, sub illa prohibitione non comprehenditur.

9 Secundò, quia casum reseruatio ideo est in Ecclesia, vt superiores ex notitia per confessionem habita ad externam subditorum gubernationem prudentiores fiant; igitur vsus talis notitiæ prohiberi non potest, nisi ex allatis incommodis; ergo istis deficientibus, censendum est, nõ comprehendi sub illa prohibitione.

10 Ad hanc rationẽ responderi potest, vti nonnulli respondent, negando, eã esse causam reseruationis faciendæ: nàm, inquiunt, causa est, vt subditi à peccatis arceantur, videntes difficiliorem esse absolutionem; & quia præsumitur, Prælatos esse prudentiores; & fore, vt meliùs consulent saluti grægis sibi commissi in eo foro Sacramentali.

11 Verùm hæc responsio argumento non satisfacit, vt ex supradictis patet; nàm casuum reseruatio in Ecclesia non est solùm vt superiores in foro

foro

foro sacramentali subditorum saluti consulent, verùm etiam vt Religionis status conseruetur in sua perfectione: conseruari autem nequit sine extrinseca gubernatione: Igitur casuum reseruatio ad vtrumque ordinatur. Antecedens patet ex Clementis Constitutione, ibi; *si quod aliud peccatum graue pro Religionis conseruatione reseruandum videbitur*; ergo reseruationis causa est, vt superiores ex notitia per confessionem acquisita ad externam gubernationem prudentiores fiant.

12 Rursùs, si superiores vti non possent notitia illa in cõfessione habita ad externam subditorum gubernationem, quomodò saluti eorundem cõsulere poterunt, quando exigentia negotij, seu pœnitentis status id exposcit: & maximè quando pœnitentis tantùm spirituale sequitur commodum, & nullum temporale incommodum, neque iniuria? Igitur causa reseruationis peccatorum & salutem subditorum, & exteriorem gubernationem respicit.

QVAESTIO TERTIA.

An possit, propter scientiam solam confessionis, elector negare suffragium ei, qui exterius reputatur dignus, ipse autem per confessionem scit, esse indignum?

CAPVT PRIMVM.

Prima Doctorum sententia refertur cùm suis fundamentis.

SVMMARIVM.

1 *Suffragium, ex sola confessionis notitia, negari posse, qui docuere.*
2 *Sacerdos, ratione sigilli, non priuatur iure, quòd priùs habebat circa electionem.*
3 *Sacerdos potest detegere peccatum, quod extra pœnitentiæ sacramentum nouerat.*
4 *Sacerdos confessione tecta, potest vti illius notitia.*
5 *An Sacerdos, qui ex confessione nouit, Petrum se necaturum, possit illi negare illius ensem apud se depositatum.*
6 *Sacerdos, ex quo cognouit peccata vt Deus, an illa notitia possit esse humana, & illa humano vti modo.*

1 ID licere, affirmant quam plures graues DD. statim citandi, quando effici posse absq; periculo detectionis confessionis: quãdo cũ in gratuitis sumus, vbi liberam sacerdos habet facultatem, nulla denegandi causa requiritur, sed mera voluntas sufficiet ad posse sacerdotem omninò iuuari ex confessionis scientia, & facere aliter ea, quæ facturus non esset, aut denegare quæ alias concederet: vt in gratuita electione non eligere quẽ in confessione nouit indignum: secùs verò quando res non est gratuita, sed alius habet ius; cũ requiratur alia causa, non posset ex sola confessionis notitia, nisi alias allegare valeat causas, denegare suffragium: vt si quis præsentetur à patrono, & ex sola confessione nouerit Prælatus, eum esse indignum, non potest illum priuare Iure suo, quod ex præsentatione acquisiuit; & sic illi non conferre beneficium disparitas est, quia cùm in priori casu causa non desideretur, nulla potest esse rationabilis suspicio peccati detecti in confessione. In posteriori verò, cùm necessariò exigatur causa iusta, nullaque alia allegari possit, potest esse rationabilis suspicio alicuius indignitatis illius, quæ tamen ex sola confessione cognita est. Ita sentiunt Doctores ferè omnes, ex Theologis *Alexander Alensis 4. p.q. 88. art. 1. membro 2. ad Octauum, D. Bonauentura in 4. dist. 21. in 2. p.* vbi agit de sigillo confessionis *art. 2. q. 1. n. 62 Scotus in 4. dist. 21. q. 2. ad 3. & 4. Diuus Thomas eadem dist. q. 3. art. 1. quæstiuncula 1. ad 3. & meliùs quodlibeto 5. art. 1. ad tertium, Durandus in 4. dist. 9. q. 5. Altisiodorensis lib. 4. suæ summæ tract. 6. cap. 3. q. 4. vers. quæritur posteà, Paludanus in 4. dist. 21. q. 3. art. 3. n. 6. Gabriel ibidem q. vnica art. 3. dubio 1. ad secundam, Capreolus ibidem q. 2. art. 3. ad octauum, Adrianus 4. de confess. quæst. 5. post dubium 9. paulò ante dubium*, quod incipit; *ex dictis emergit aliud dubium versicul. ad tertiam principale ergo cõsequentiam, & quodlibeto 3. art. 3. versiculo, pro responsione dico primò; & tit. 17. cap. 22. §. 1. Medina tract. 2. de confessione quæst. de ijs, quæ à confessore cælanda sunt §. Corolariè sequitur, Victoria in summa de Eucharistia n. 80. Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 5. ad finem versicul. de ijs autem subditorum officijs, & de secreto membro 3. q. 5. post quintam conclusionem dub. 10. Ledesma 2. p. n. 41. q. 10. art. 5. dub. 4. Nicolaus in tract. Sacerd. de Sacramentis tit. de Eucharistia q. de cautelis seruandis ex parte Sacerdotis*. Pro hac sententia citatur quoque *Suarez tom. 3. ad 3. partem D. Thomæ q. 80. disp. 67. sect. 3. vers. inter has sententias*: Verùm quid Author iste senserit, *cap. 3.* dicemus, *Enriquez lib. 6. de pœnit. c. 23. n. 3. Bartholomæus à Ledesma de pœnit. dub. 32. concl. 7. ad medium, Ludouic. Lopez 2. p. instruct. de confess. c. 96. dub. 1. in fine, Rodriquez tom. 1. summæ 2. edit. cap. 68. concl. 6. n. 6. & alij quamplures. Ex Iurisperitis Rebuff. cap. omnes vtriusque sexus de pœnit. & remiss. super §. suscipiens reuerenter vers. 8. non debet, & seqq. Rosella verb. confessionis celatio nu. 2. Angelus ver. confessio, vlt. n. 12. Syluester eod. verbo 3. quæsito 14. & sequenti §. 9. & verbo, Eucharistia, 3. quæst. 5. §. 7. Tabiena verbo confessionis celatio n. 5. Turrecremat. cap. Sacerdos de pœnit. dist. 6. art. 1. n. 10. ad 1. & 2. Nauarrus ibidem n. 146. ibidem Nauarrus cap. humanæ aures 22. quæst. 5. n. 6.* Probari autem solet hæc sententia multis rationibus: & *1. ex cap. finali 6. quæst. 2.* vbi reprehenditur Episcopus, eò quòd publicè vitarit eum, qui sibi soli crimen fassus est; ergo e contrario sensu, non deliqueret secretò vitans, & ita confessionis notitia vtens.

2 Secundò, quia sicut confessio non tribuit ius nouum confessori in aliquo alio foro, ita nec aufert antiquum, quod habebat: atqui confessione non audita liberè eum eligere potest, aut non eligere, amouere, vel non amo-

uere ab officio ad nutum amouibili, Euchariſtiam non miniſtrare, caſu quo non teneretur; Ergo ex eò quod per confeſſionem nouerit illum eſſe indignum, hoc non poteſt priuari iure: aliàs ſequeretur, quòd confeſſio audita priſtinam tolleret libertatem.

3 Et confirmatur primò, quia ex eo confeſſori detegere licet peccatum in cõfeſſione auditum alia via à ſe cognitum, quia confeſſio non priuat iure illo priſtino, quod detegẽdi peccatũ habebat extra confeſſionem notum. Confirmatur ſecundò, quia ſi confeſſor non audiuiſſet confeſſionẽ, irrationabiliter pœnitens de illo conquereretur, ſuffragium omninò gratuitum & liberum denegante; ergo audita confeſſione, irrationabilis erit querela, & ſuſpicio denegationis ob confeſſum crimen confirmatur tertiò, quia aliàs indignus hac cautela vti poſſet, vt eligeretur, aut permitteretur in officio ad nutum amouibili, nempè confeſſione facta electori.

4 Tertiò principaliter probatur, quia ſacerdos ſolùm obligatur, ex confeſſione ad illam detegendam; ergo ea tecta, vti poteſt illius notitia ad bonum commune, aut proprium aut pænitentis.

5 Quartò, quia ſi ſacerdos ex alicuius confeſſione noſſet animum ipſum interficiendi, haberetque illius enſem apud ſe depoſitum, poſſet pœnitenti denegare: quòd tamen etiam pro vita tuenda nullo modo liceret, ſi confeſſionis ſigillum ex illius notitiæ vſu offenderetur. Similiter ſi petijſſem à Petro, vt meam audiret confeſſionem, & ipſe ſtatim mihi fateretur, ſe, cùm ſacerdos non ſit confeſſiones audire, poſſem ob eam confeſſionis notitiã illi non fateri; igitur poſsũ vti ſcientia cõfeſſionis ad actus dirigẽdos humanos.

6 Quintò, quia quamuis confeſſor vt Deus nouerit peccatum, neceſſariò tamen admittenda eſt notitia illa eſſe in homine, & ex hoc capite eſſe humana; igitur illa vti poterit ad humanos dirigẽdos actus, quando abſq; alterius iniuria, aut iuſto & rationabili ſcandalo, vti poteſt. Hoc autẽ contingit hoc in caſu propoſito, quia apud alios (vt ſupponimus) non eſt peccati confeſſi ſuſpicio, nec ſequitur pænitenti iniuria; cùm ius non habeat petendi rem gratuitam, nec etiam rem aliàs debitã, quando petit occultè, & ei negari poteſt, eò quòd eſt indignus, abſq; aliorum ſuſpicione: quòd ſi indè aliquo ſuffundatur pudore ipſe pænitens, non eſt alicuius momenti damnum; præſertim quia opus non eſt, vt ſacerdos directè pænitenti confeſſum peccatũ objiciat· poteſt enim aliam allegare rationem: & tunc cõmodè poteſt Sacramentum non miniſtrare, vel non conferre officium. Nec refert, ſi illa virtualis videatur objurgatio peccati, eò quòd licèt Sacerdos cauſam taceat, pænitens tamen moraliter loquendo, eã intelligit: non refert, inquam; tùm quia hoc magis oritur ex pænitenti diſcurſu, quàm ex ſacerdotis actione; tùm etiam quia ſi aliqua ſit confuſio, & pænitentis rubor, non id Sacerdoti ſuo iure vtenti, ſed pænitentis iniquitati rem, cuius eſt indignus, retinentis, aut intendentis, tribuẽdum eſt.

Hæc ſunt potiora fundamenta, quibus allegati ducuntur authores ad aſſerendum, non ſolùm indigno ex confeſſionis notitia negari poſſe ſuffragium, verùm etiam & teneri.

CAPVT II.

Quid negatiuè nonnulli alij graues doctores hac in re ſenſerint, adducitur.

SVMMARIVM.

1 *Nemini licere vti notitia in confeſſione comparata, qui aſſirmant.*
2 *Conſtitutio Patrum ſacroſanctæ Religionis ſocietatis refertur, qua ſtatuitur, vt nemo ex ſocietatis docet, poſſe quemquam vti notitia peccatorum in cònfeſſione habita.*
3 *Explicatur Textus in capitulo, ſi Sacerdos de officio Ordinarij.*
4 *Sigillum confeſſionis obligationem inducit, tàm reſpectu aliorum, quàm pænitentis.*
5 *Sacerdos, qui errauit in confeſſione, non poteſt iterùm pænitentem cõueuire in confeſſione; & quare.*
6 *Sacerdoti nõ licere, propter pænitẽtis ſpirituale bonũ, loqui cũ eo de peccato in cõfeſſione audito; & quare.*
7 *Non poteſt, propter peccatum in confeſſione auditum, negari ſuffragium, ſeù Euchariſtia.*
8 *Sigilli confeſſionis præceptum ex eo inuiolabiliter obligat, quia aliàs pænitentiæ ſacramentum redderetur odioſum, & valdè oneroſum; quod eſt contra Chriſti Domini conſtitutionem.*
9 *Prælatus remouens ab officio aliquem ſubditum ob ſcientiam, quam ex confeſſione comparauit, facit contra communitatis vtilitatem.*
10 *Concilij Tridentini præceptum ſeſſ. 14. cap. 7. quomodò redderetur in adſeruabile.*

1 Negatiuè ex oppoſito alij docent, non licere nimirùm extra confeſſionem vti notitia per confeſſione comparata; ſed ita ſe habere debere confeſſarium ac ſi nihil in confeſſione ſciret. Hanc ſententiam tenet *Armilla verbo, confeſſor n. 7. vbi* ſic inquit; Nil agere poteſt confeſſarius, propter quod poſſit pænitens retrahi, & aliter ſe debet habere confeſſor, ac ſi nil de eo vnquam audiuiſſet: *Bannes 2. 2. q. 33. art. 8. ad finem §. ad confeſſionem reſpõdetur: Layman in theologia morali lib. 4. tract. 6. cap. 15. n. 22. Fagundez in quinque Eccleſiæ præcepta lib. 6. c. 3. n. 1. & ſeqq. Bira p. 3. caſu 10. Coninchius de Sacr. diſp. 9. dub. 4. n. 64. Malderus tract. de ſigillo confeſſ. & nouiſſ. P. Diana tract. 4. de ſacram. reſolut. 76.*

Quam ſententiam R. Pater Claudius Aquauiua Societatis Ieſù Generalis (prout refert *Sanch. lib. 3. de matr. diſp. 16. n. 3. & Suarez tom. 4. de relig. lib. 8. c. 5. n. 14.*) præcepit, tenẽdam eſſe à partibus eiuſdem Societatis; prohibẽs contrariam doctrinam publicè, aut priuatim doceri, illiuſq; vſum. Anno enim Domini 1590. ſic ſtatuit; *Tametſi non deſunt DD. qui ſentiant, ſaluo ſacramentalis confeſſionis ſigillo, iuſtis de cauſis licere nonnunquam cõfeſſario (cũ id fieri poteſt ſine vlla reuelatæ cõfeſſionis ſuſpicione) vti extra cõfeſſionẽ habita per confeſſionem notitia; tamen quoniã hæc doctrina & eam exigit in*

tanta

tanta re circumspectione, quam seruare perdifficilè sit, & interim posset aliquando retardare subditorum libertatem, quam huius fori Sanctitas, & nostræ societatis institutum requirunt in se ipsis, rebusque suis confessario aperiendis; idcircò visum est nobis, in Domino statuere, sicut & se verè statimus pro reuerentia, qua semper societas nostra coluit huius sacramenti inuiolabile sigillum, & libertatem, vt omnes superiores diligenter caueant, ne vel ipsi, vel nostrorum aliquis supradictam doctrinam vsquam introducant, nec illam publicè, aut priuatim doceant, nec ea vtantur vllo modo, (nisi fortè de pænitentis licentia) sed ita prorsus in omnibus casibus nostri se gerant confessarij, ac si in confessione nil penitùs audiuissent, sibique persuadeant, vt humanarum rerum regimen ab hoc sacramento longissimè distat, ita debere nullatenùs ab eo pendere.

Proindè multùm hæc opinio placuit *Sanchez* loco citato, quamquam primam probalissimam existimauerit; tùm quia pro ea milita tot, tantorumque virorum authoritas; tùm quia fortissimis (vt ipse ait) fulcitur rationibus; nihilominùs secundam hanc amplectendam esse persuadere conatur. Et primò ex notu Clementis Octaui de casuum reseruatione pro regularibus emisso, ibi; *Iam superiores pro tempore existentes, quàm confessarij, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentissimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur:* vbi apertè hãc sententiam decidere videtur.

3 Secundò, ex ratione textus in cap. si Sacerdos de officio ordinarij, ibi; *licèt etiam ei confessus sit sed tamen non nominatim potest eum remouere à communione, licet sciat esse reum; quia non vt Iudex scit sed vt Deus*. Vbi quamuis decisio Textus nihil conferat ad hanc confirmandam sententiam, eò quòd absolutè non dicit, non posse remouere, sed non posse nominatim, id est nomine eius coram alijs expresso; vt *not. ibi Glos. verbo nominatim:* at ratio decisionis confert: si enim non vt homo, sed vt Deus scit; ergo ea scientia vti minimè debet pro exteriori & humano foro, sed tantùm pro interno confessionis: sicut e contra, quando scit solum Iudex, & vt priuatus scit oppositum, tantùm potest vti ea scientia in iudicio.

4 Tertiò, quia sigillum confessionis obligat non solùm respectu aliorum, sed etiam ipsius pœnitentis; id est, non solùm tenetur Sacerdos alijs non detegere peccatum in confessione auditum verùm quoque de ipso nullo modo loqui cum pænitente extra confessionem, nec exprobrare, nec illi obijcere crimen, nec in memoriam reuocare: quamuis enim non sit fractio sigilli, propriè & per se loquendo, est tamen quoddam genus reuelationis, & offenditur sigillum; vt optimè docuerunt *Sotus in 4. distin. 18. quæst. 4. art. 6. versic. quòd si susciteris, & de sigillo membro 3. q. 4. post quintam conclusionem dub. 4. versic. & argumenta, Medina tract. 2. de confessione q. de ijs, quæ à confessore celanda sunt §. inde vltrà videtur sequi, Corduba sup. Sotum de sigillo membro 3. q. 4. concl. 5. dub. 1. vers. secunda regula, Ledesm. 2. p. q. 10. art. 5. dub. 6. paulò post principium §. ad hoc respondet, Nauarrus cap. inter verba in noua æditione corolario 59. n. 160. Palatius in 4. dist. 21. disp. 2. §. itidem dices fol. 458. Bartholomeus de Ledesma de pænit. dub. 34. finali, Enriquez lib. 8. de Eucharistia cap. 59. n. 3. & lib. 6. de pænit. cap. 20. n. 7. Filiarchus de officio Sacerd. tom. 1. p. 2. lib. 2. cap. 30. ante §. quòd si confessor, Bannes 2. 2. q. 33. art. 8. dub. 8. vers. Tertia ratio, quia ipse pænitens, Angles floribus 1. p. q. 3. de confess. art. vlt. difficult. 14.* Pro eadem sententia sunt *Victoria summa de confessione n. 185. Manuel 1. tom. summæ 2. edit. cap. 55. conclus. 12. n. 15. Filiarch. d. lib. 12. cap. 26. §. si Sacerdos aliquem:* qui cum *Soto de sigillo dicto dub. 4. in fine*, aiunt, nullo modo licere confessori, qui errauit in confessione, iterùm pænitentem conuenire, aliquod commemorando peccatum; quia hoc esset illi peccatum exprobrare, sed oportet priùs licentiam petere, quam si concedere nolit, liber erit confessarius ab ea obligatione: si ergo propter pœnitentis spirituale bonum, & ad præteritum confessionis corrigendum errorem, nullo licet modo cum ipso loqui pænitente, absq; eius licentia, de peccato in cõfessione detecto, essetq; exprobrare illi crimen; à fortiori nõ licebit ob hoc crimen in confessione auditum negare illi etiam
7 occultè, eucharistiam, ordines, suffragium, vel remouere eum ab officio ad nutum amouibili; quia saltem ipsi pœnitenti crimen obijcitur, de illoque facto ipse reprehenditur.

Et confirmatur primò; quia sicut confessori non licet aliquid efficere, vndè alij rationabiliter possint peccatum auditum in confessione suspicari; ita est illicitum (quamuis non in eodem gradu) aliquid facere, vndè pænitens rationabiliter intelligere possit, id ob peccatum illud fieri; cùm sigillum obliget, ne peccatum alijs, nec ipsi extra confessionem pœnitenti reueletur; ergo sicut nefas esset negare eucharistiã, vel amouere ab officio, quãdo alij meritò intelligerent, causã peccatum notum in confessione esse; ita nefas erit, quãdo ipsemet pœnitens id ipsũ intelligeret.

Confirmatur secundò, quia ob id (teste *Soto de secreto membro tertio q. 4. dub. 4. post quintam conclusionem vers. & ad argumenta*) negatur, licitum esse extra confessionem penitenti memoriam peccatum in ipsa auditum reuocare, etiam consolandi ipsum gratia; quia pudore suffunderetur, & redderetur odiosa confessio; ergo multò, minùs licebit, facto ipso, remouendo ab officio, negata eucharistia, vel suffragio, illi exprobare crimen: maiorem enim patietur verecundiam, & magis odiosa efficietur confessio.

8 Quartò principaliter probatur, quia ratio potissima, ob quam sigilli præceptum tàm inuiolabiliter adstringit, atque obligat, vt nullo in euentu id frangere liceat; dum cætera, secreta, quantumcunque grauia, & iure iurando vallata, aliquando detegere licet, teste *Medina Cod. de confess. q. de ijs, quæ à confess. celanda sunt §. inde vltrà videtur sequi* est, ne confessio reddatur odiosa, &

onerosa,& ita enim magni fecit hoc confessionis expiaculum Christus Dominus, & ita facile reddit, vt quæcunque damna,quæ ex inuiolabili sigilli custodia subsequi possent,posthabuerit, ne peccatores retrahantur ab ea , & ita subdit ibidem *Medina*, similiter vitandum esse quicquid eandem confessionem odiosam, & onerosam reddere potest, quamuis propriè fractio sigilli minimè sit : at nil ita confessionem difficilem, onerosam,ac odiosam reddit, quàm si peccatores posse intelligant confessorem, solius confessionis notitia,ipsos ordinibus,Eucharistia,officijs honorificis priuare,vel negare ad obtinenda officia,beneficiauè suffragia ; cùm hæc omnia tanti homines faciant;ergo meritò negandum est,id licitum esse.

9 Confirmatur primò ; quia data veritate prioris sententiæ,vtilitates cessant sigilli,quas *D.Th.in 4. dist.2.q.3.art.1.quæstiunc.*1. commemorat. in corpore : nimirùm vt homines ad confessionem attrahantur magis,& simpliciùs peccata detegant. Quare optimè *Ricchardus in 4. dist. 2. art. 4. q.2.* hæc ait; *Prælatus remouendo ab officio suum subditum,quem per suam confessionem scit malè vti officio suo, & si faciat vtilitatem illius,tamen facit contra vtilitatem communitatis;quia alij per relationem remoti ab officio,scientes quòd pro sua confessione remotus est, proniores reddentur, vt non confiteantur veritatem.*

Confirmatur secundò,quia esto quod nec remotus ipse ab officio possit suspicari,id ex cōfessione ortum habere ; satis est,homines nosse,ad peccata sola confessione cognita ius tribui, ad hoc vt omninò timeant confiteri, ab eaque retrahantur.

10 Quintò,nàm *Tridentinum sess.14. doctrina de sacram.pænit.c.7.* Conuenientissimum esse,grauiorem criminum absolutionem superioribus reseruari, docet ; sicque concludit;sacerdotes, Cùm nihil possint in casibus reseruatis, id vnum pænitētibus persuadere nitantur, vt ad superiores pro beneficio absolutionis accedant. Quoquidem præcepto quid quæso grauius, & intolerabilius, humana fragilitate attenta, imponi posset ; si superioribus fas esset, scientia confessionis vti ad gubernationem externam,& ad priuandum subditos honorificis officijs, & ascensu ad ea, cùm non tanto impetu lapis feratur ad centrum,quāto humana fragilitas hæc appetit? Hæc sunt potiora fundamenta, quibus conuincitur *P. Sanchez* ad hanc tuendam sententiam, quamquam (vt videbimus)limitet.

CAPVT III.

Media inter has extremas opiniones ab Authore constituitur sententia.

SVMMARIVM.

1 *Confessor potest in electione illi negare suffragium, quem ex notitia in confessione comparata cognouit indignum, si per vota secreta fiat electio.*

2 *Confessor potest negare suffragium ex notitia in confessione habita,etiam si suffragia publicè ferantur, illi;quē cognouit esse indignū,quando nulla suspicio generatur, talem notitiam ex confessione habuisse.*

3 *Confessor non potest illi suum negare suffragium,quē ex notitia in cōfessione habita cognouit indignum, si aliàs nouit aptum ad benè regendam,& vtiliter gubernandam Religionem.*

4 *Confessor,quando publicè dignum,in confessione cognoscit indignum,tenetur coniectari esse etiam secretò dignum; & quare.*

5 *Confessor, licèt in electionibus iure suo ex notitia in confessione comparata vti possit, debet tamen maxima prudentia, & considerate illo vti.*

CErtè extremæ allatæ istæ sententiæ nō paruam habent probabilitatē,quāquam priorem probabilissimā, & certiorem existimemus. Multùm quippè nostræ fauet opinioni, quam in præcedenti statuimus, quæstione ; idemque putant *Vasquez,Suarez,Sanchez*, & nōnulli alij moderniores, quos statim citabimus. Nihilominùs mediam iter has statuendam securiorem ac veriorem in re tàm graui esse sententiam, placuit.

1 Dico igitur primò, posse confessarium negare illi suffragium, quem ex notitia in confessione habita cognouit indignum, quando electio fit per vota secreta;ita *P.Suarez tom.4.ad 3.p.dis. 34. sect.7.n.12.Vasquez tom.4.ad 3.p. q. 93.art.4.dub. 8.n.8.Reginaldus lib.3.de sigillo Sacram. c.2.sect. 1. n.16.Coninch. de Sacr. vbi supr. de sigillo confessionis disp.9. dub.*4. statim in principio. Hæc assertio est iuxtà primam sententiam, & secundam. Nàm quando suffragia secretò feruntur,nullam ex his inconuenientijs, quas secunda sequi ostēdit sententia,videtur euenire. Argumenta verò primæ opinionis ita optimè probant nostram hanc opinionem, vt nullo alio indigeamus.

2 Dico secundò, si in electione suffragia publicè ferantur,potest confessarius illi,quem ex confessione nouit indignum,negare suffragium, si nulla suspicio generetur, talem notitiam ex confessione comparauisse. Hæc assertio est Doctorum primæ sententiæ contra secundam, eamque habent moderniores *Vasquez*,& alij *superiùs citati*. *Consentit Sanchez lib.3.de matrim. disp.16.n 4.* ibi non enim tenetur confessor perindè se habere, ac si nil sciret, sed in ijs solùm, in quibus non esset confusio, & pudor pænitentis: quia eius honori aut personæ in aliquo præiudicaretur: atqui quando nulla potest suspicari causa,suffragium esse negatum ob solam notitiam in confessione habitam, nullius pudor,aut confusio esse potest pænitentis; igitur potest licitè negari suffragium ex notitia indignitatis in confessione comparata. Item eligere indignum intrinsecè, & per se malum ; Igitur quando absque iniuria Sacramenti vitari potest, vnusquisque tenetur non eligere tale indignum ; Ergo confessor vti potest scientia illa, quam in confessione habuit ; quinimò tenetur illa vti, non præbendo illi suffragium, quem scit esse indignum. Id, quod docuit *Sotus loco citato in primo huius quæstionis*

Capit.

Capit. vbi ait, confessarium potiùs debere permittere, vt alij existiment, se malè eligere, aut negare suffragium ex odio vel, alia passione, quàm eligere indignum ex sola confessione cognitum. Quod est intelligendum iuxtà paulò ante dicta. Quòd verò sequi non possint illa inconuenientia, quæ secunda conatur probare sententia, ex vsu talis notitiæ, ex eo colligi potest, quoniam in Canonica electione semper multi concurrunt æquè digni. Insuper personæ publicè digniori ex confessione cognitæ indignæ negari potest suffragium absque vlla suspicione; Igitur. Probatur antecedens; quoniam, secundùm probabiliorem sententiam, dignus in superiorem eligi potest, digniore relicto; ergo nulla potest oriri suspicio, si confessor eligit dignum, & negatur digniori suffragium; quia tunc potest coniectari; confessorem illius fuisse sententiæ, & non ex notitia confessionis digniorem cognouisse indignũ.

3 Dico Tertiò; non posse confessarium illi suum negare suffragium, quem ex notitia in confessione habita cognouit indignum, si aliàs nouit aptũ ad benè regendum, ac vtiliter gubernandam Religionem. Hæc assertio est ad mentem doctorum secundæ sententiæ. Probatur primò, quia indignitas, ob quam negari potest suffragium, ita debet esse, vt iudicetur muneri, ad quod est assumendus, satisfacere minimè valere: ex peccati autem sola cognitione, quam per confessionem quis comparauit, iudicari non potest ineptus, Etenim potest homo esse intrinsecè malus, & moraliter bonus, quæ bonitas satis est ad benè, & polyticè gubernandam Rempublicam: ac proindè sine graui iniustitia, seù iniuria non potest ei negari suffragium; & eo quammaximè quia dignus publicè existimatur: eò quod tunc illi maximè infertur iniuria, & suspicio faciliter oriri potest, esse nimirùm ex aliqua causa in confessione cognita ei suffragium denegatum.

4 Præterea, probabiliter potest coniectare confessor, indignum in confessione cognitum, publicèque dignum posse emendari, & forsan ex vi sacramenti fuisse emendatum; quod certè tenere debet, maximè si illi absolutionis præstitit beneficium; Igitur non potest absque iniustitia illi negare suffragium. Patet consequentia; quia tunc iam in omni foro euasit dignus: atqui ex sola illa indignitatis cognitione non sequitur ex parte eligentis iniustitia, sed pænitenti maxima irrogatur iniuria, si illi non fertur suffragium; quod Sacramenti sigillo conuenire nequit.

5 Et quamquam, confessarium iure suo ex notitia in confessione comparata vti posse, affirmemus, esse tamen valdè prudenter, ac admodum considerare eo vtendum, & videndum diligentissimè, an pænitens aliquo modo deuenire posit in suspicionẽ, ei fuisse negatum suffragium ob peccatorum suorum factam confessionem; nam si aliqua adsit probabilitas, omninò cauendum est, ne tali vtatur notitia, quia tunc nefas est, & talis vsus valdè periculosus; quia ex illo redditur odiosa, & onerosa confessio. Ita insinuant noster *R.P. Iuniperi à Drepano de Casib. reser. Aretinus in 4. senten. tom. 2. dist. 21. q. 2. art. 12. concl. 1. Philip. faber de pænit. in 4. dist. 19. disp. 34. q. vnica cap. 14. nu. 80. Nuñus in addit. ad. 3. p. q. 11. art. 1. ad Sextum, & nouiss. Gasp. Hurtado de pænit. Sacramento disp. 12. difficult. 9.*

Cæterum quãuis ipsi ita senserimus, nihilominùs ex hoc non sequitur oppositum illius, quod in præcedẽti docuimus quæstione. Probabamus quippè, omnium ordinum Præfectos scientia per confessionem acquisita vti posse non solùm ad internam, verùm quoque ad exteriorem subditorum gubernationem. Nàm aliud est sentiendum de Prælatis, aliud verò de confessoribus. Nã Prælati iure naturali, & Diuino suo tenentur incumbere muneri pastorali, quod per se, & primariò suorum respicit subditorum salutem ac conseruationem Religionis ad quam conseruãdam quãmaximè eis necessaria est notitia vnius cuiusque Religiosi, quæ haberi faciliter non potest, ac proindè illa, quæ per confessionem comparatur; vti poterunt, vt prudentiores, diligentioresque se habeant in subditorum salute procuranda; dummodò tamen ea ita vtantur, vt nulla Sacramentali sigillo, & subditorum honori iniuria irrogetur. Quæ doctrina confessoribus applicari proportionaliter non potest.

CAPVT QVARTVM.

Argumenta Secundæ sententiæ diluuntur.

SVMMARIVM.

1 *Clementis VIII. Decreto non interdicitur confessarijs vsus notitiæ in confessione habitæ, sed Regularium superioribus; & quomodo, declaratur.*

2 *Textus in Capitulo, si Sacerdos de officio Ordinarij, exponitur dilucidè.*

3 *Confessor alicui negans suffragium in electione secreta non obijcit illi crimen, sed vtitur iure suo.*

4 *Ex vsu notitiæ in confessione habitæ non potest pænitens in cognitionem deuenire, suum sibi Confessarium negauisse suffragium.*

5 *Ex occulta omninò suffragij negatione nullum potest sequi inconueniens, quomodo hoc intelligi debet.*

6 *An Sacramentum pænitentiæ reddatur difficile, & onerosum, ex quo confessarius vti potest notitia in confessione habita ad negandum suffragium illi, quem indignum cognouit?*

7 *Prælatus, qui suum ab officio remouet subditũ, quem per confessionẽ malè illo vti cognouit, nõ solùm facit vtilitatẽ illius, verùm quoque & cõmunitatis.*

8 *Præceptum de proprijs cofitendo Prælatis, quare non sit graue, & intolerabile, declaratur.*

1 VErùm argumenta, quibus secunda fulcitur sententia, contra ea, quæ in præcedenti quæstione docui, militant. Quamobrem me illa diluere oportet. Ad primum Respondeo, verba illa Clementis in Decreto de casibus reseruatis nihil prodesse; nàm (vt suprà dictum est) vsum notitiæ in confessione habitæ non comprehendi sub illa prohibitione, qua omnium Regularium Prælatis interdicitur, ne illa ad externam vtantur gubernationem, constans

 est; &

est; & fortassis etiam ad internam gubernationem facere, si illæ concurrant limitationes; vt declarauimus. Esto nihilominùs comprehendi huiusmodi notitiæ vsum sub illa prohibitione, prodesse quoque non possunt. Etenim illa Prælatis dumtaxàt prohibetur, ne ad externam gubernationem vtantur notitia, quam de subditorum peccatis in confessione habuere; Confessoribus autem solùm quando ad superioritatis gradum promoti fuerint: Igitur possunt dum superiores non sunt, vti iure suo, ac ex scientia in confessione habita indigno negare suffragium. Item si ipsis confessoribus interdiceretur talis notitiæ vsus, (quod non concedo) possent nihilominùs indigno negare suffragium, quia huiusmodi vsus solùm in ordine ad externam gubernationem à Summo Romano prohibetur Pontifice: negatio autem suffragij vllo modo ad externam pertinet gubernationem, cùm ista non ad istos confessarios, sed ad actuales spectet superiores.

2 Ad secundùm respondeo. Textum illum esse pro nobis. Nàm sicut illa decisio nihil confert ad probandum aduersariorum intentum, vt Sanchez fatetur, ita nec decisionis ratio. Etenim ibi statuitur, posse sacerdotem eum, qui sibi confessus fuerat à fidelium remouere communione, non tamen aperto nomine, quia ipse non vt iudex tunc se habet, sed tanquam Deus; qua ratione nostra confirmatur sententia; nàm ibi non habetur, quòd ex scientia in confessione habita id efficere non possit, sed quod illa ita vtantur, vt non reueletur pœnitens, eò quòd pœnitentis crimen solum iudex in foro externo detegere valet: at confessarius, iudex cùm non sit, sed vt Deus audiat in confessione peccata, illa manifestare non potest.

3 Ad Tertium concedo maiorem, & minorem, sed nego consequentiam; tùm quia paritas non valet; tùm quia cùm ex notitia, quam in confessione habuit confessor, pænitenti negat suffragium, non sequitur, illum crimen ei obijcere, sed solùm vti Iure suo; & maximè quando occultè feruntur suffragia; quia tunc sicut (moraliter loquendo) impossibile censetur esse, scire eum, qui ipsi negauit suffragium, ita proinde coniectari non potest, fuisse confessarium.

4 Et per hoc patet, quid sit respondendum ad primam confirmationem. Nàm ex vsu talis notitiæ in confessione habitæ minimè pænitens in cognitionem deuenire potest suum confessarium sibi negauisse suffragium, vt dictum est; ac proinde si suspicauerint de illo, cùm nulla adsit causa, ipsi imputandum est: nàm tunc illa suspicio solùm ex pænitentis malitia oriri censetur.

5 Ad secundam concedo antecedens, & nego consequentiam. Etenim ex omninò occulta suffragij negatione nō potest sequi illud incommodum; eò quòd huiusmodi negatio suffragij non est pænitenti exprobrare crimen, neque illi aliquo modo verecundia, seù confusio sequitur, sed tantùm proprij iuris, quod confessarius habet, vsus. Quapropter suffragium non ferendo illi, nullam facit iniuriam pænitenti. Vndè non benè infertur ex hoc, reddi nimirùm odiosam confessionem Idem omninò dicendum est de superiore amouente subditum ab officio, quando id ex notitia in confessione comparata facit: eò quòd tūc incumbit proprio pastorali officio pænitentisque saluti. Quòd intellige, si nulla apud alios generetur suspicio.

6 Ad quartum respondeo, negando minorem, & consequentiam. Etenim ex eò quòd pænitentes intelligunt aut sciunt posse confessorem ob solius confessionis notitiam ipsos priuare ordinibus, Eucharistia, vel officijs honorificis; aut sibi negare suffragia ad obtinenda officia vel beneficia non sequitur confessionem reddi difficilem onerosam, ac odiosam; eò quòd hæc omnia in beneficium, & commodum pænitentis cedere possunt. Indignus enim omninò absque peccati mortalis conscientia obtinere, seù tenere ea non potest; quapropter si intelligant, Confessarium ob solius confessionis notitiam eis negare posse suffragium, aut superiores eos priuare officijs ad nutum amouibilibus, intelligere vtique debent confessorem facere id, quod ipsis conuenit ad salutem, & vti quoque iure suo: ac subinde cum ipsi teneantur ex propria indignitate illa relinquere, non potest eis confessio esse odiosa, nec difficilis. Nam omnis peccator obligatur ad suæ conscientiæ quærendum opportunum remedium, quod si confessarius, aut superior adhibuerit, necessarium commodū illi præstabit: eo maximè quando nulla apud alios generari potest suspicio. Quinimò hæc intelligentia multum prodesse potest ad hoc vt non facilè labantur in crimina, & in peius ruant; timore enim concepto ad propriam emendationem seduli redduntur.

7 Ad Primam confirmationem respondeo, negando assumptum. Ad illud verò Riccardi dico, Prælatum suum ab officio remouendo subditum, quem per confessionem malè illo vti cognouit, non solùm facere vtilitatem illius, verùm quoque & communitatis; ratio est, quia particularium vtilitas in communem tendit, vt in materia de legibus cōmuniter docet DD.; neque ex eò quòd peccatores proniores sunt, vt non confiteantur, secundùm veritatem sequitur illa inutilitas, quia hoc imputandum est pænitentium malitiæ. Esto nihilominùs ita in facto esse, solùm sequi potest, pænitentes retardari ad suorū peccatorum faciendam cum Prælato cōfessionem, ad quam obligari non possunt, stante humana prohibitione, vt supra docuimus; & cùm multi adsint confessarij, facilis erit additus ad eos, absq; vllo periculi timore. Et per hoc respondetur ad secundam confirmationem.

8 Ad quintum tandem respondeo, negando minorem. Nàm attenta humana fragilitate, præceptum de proprijs confitendo Prælatis non est adeò graue, & intolerabile, etiam si fas esset eis scientia vti confessionis ad externam gubernationem, vt argumentum petit cùm ad id omni iure

iure teneantur subditi; quia illa scientia in aliud non tendit, quàm in ipsorum spirituale bonum ab eis procurandum omninò, & maximè quando ex tali vsu pænitentibus nec iniuria, nec confusio, neque vllum aliud sequitur damnum. Quę omnia necessaria cognoscimus, ad hoc vt Prælati ad externam subditorum gubernationem vti confessionis scientia valeat, vt suprà dictum est. Et certè si præceptum de cum suis confitendo superioribus adeò esset graue, & intolerabile, vt ex doctoribus secundæ sententiæ videtur, ex quò subditi intelligunt, posse Prælatos confessionis scientia ad externam vti gubernationem, non minùs esse intolerabilem sequeretur (absolutè loquendo) peccatorum reseruationem, & annuę confessionis præceptum, atquè ius Diuinum peccatorum præcipiens faciendam confessionem. Nàm humana attenta fragilitate, quid durius, grauius, ac intolerabilius excogitari potest, quàm vt quis sua atrociora crimina, quinimmò & ordinaria peccata, in quæ sæpè sepiùs labuntur homines, manifestet? quæ peccatores in tantam inducunt verecundiam, & nihilominùs propter infinitum bonum, quod ex inde sequitur; nimirùm Dei amicitia, salus animarum, & conscientię puritas atque quies, suaue ac dulce (iuxtà illud Matth. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue*) redditur illud præceptum: & vlteriùs, cùm humana lege ad hoc quam plurima sint adhibita remedia.

DISPVTATIO SEPTIMA.

De Regularium Superiorum authoritate, in quantum attinet ad committendam facultatem inferioribus absoluendi à reseruatis.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum Regularium Superiores teneantur concedere subdito petenti facultatem, vt ab alijs absoluantur à casibus reseruatis?

CAPVT PRIMVM.

Ponitur sententia negatiua cum suis fundamentis.

SVMMARIVM.

1 *Prælatus Regularium quando teneatur suam delegare potestatem pro reseruatorum absolutione.*

2 *Prælatum (absolutè loquendo) non teneri ad concedendam facultatem pro reseruatorum absolutione, qui doceant.*

3 *Peccatorum reseruatio nullius foret roboris, si Prælati teneréntur pro eorum concedere facultatem absolutione.*

4 *Expenduntur aliqua verba concilij Tridentini sess. 14. cap. 7.*

1 Vittoria *in summa 4. n. 147.* de confessione partem tenere videtur negantem, quatenùs ait; Quando non interuenit specialis causa extrinseca, & quasi per accidens, sed solùm illa intrinseca difficultas, quam secum affert confessio, nimirùm erubescentia confitendi cum superiore, aut timor amittendi apud illum bonam opinionem; non teneri superiorem ad dandam facultatem subdito aut ab alijs absoluatur. Idemque sustinet *Nauarrus in sum. c. 7. n. 8. & in cap. placuit dist. 6. n.* 140. & 150. dum inquit. Quia veluti nulla est lex, neque ratio, quæ conuincat, excusari tunc pænitentem ab obligatione confitendi suo Superiori: sic dicimus, nullam esse rationem, neque legem, quæ conuincat, teneri Superiorem ad dandam hanc facultatem.

2 Nonnulli autem alij absolutè negant, teneri vnquam pastorem ad hanc concedendam facultatem. Fundari potest hæc sententia primò, quia communiter doctores asserunt, non teneri proprium Pastorum ad dandam facultatem subdito confitendi alij, nisi ex legitima causa petatur, vt colligitur ex cap. omnis vtriusque sexus de pænitentia, & remissione. Hoc enim necesse est intelligi de causa, quæ non sint intrinseca ipsi confessioni, alioquin semper illa facultas iustam haberet causam; Igitur per se loquendo, & seclusis causis extrinsecis, quæ sunt per accidens Superior non tenetur hanc præstare facultatem; ergo neque in præsenti tenetur; est enim eadem ratio proportionalis.

3 Secundò, quia superior hanc teneretur concedere facultatem, nullius esset momenti reseruatio; quia hoc ferè nullum onus esset pænitentiam, præsertim si per alium petant facultatem, & ita reseruatio nihil confert ad coercenda curandauè peccata, qui est reseruationis finis.

4 Tertiò, fundari potest ex verbis Tridentini *sess.* 14. c. 7. dicentis; *extra quem articulum Sacerdotes, cùm nihil possint in casibus reseruatis, id vnum pænitentibus persuadere nitantur, vt ad superiores, & legitimos iudices pro beneficio absotutionis accedant.* In quibus verbis primò illâ particulam, *id vnum*, expendendam esse aduerto; Nàm certè si subditus habet ius exigendi à superiore facultatem prædictam, & ipse eam concedere tenetur, vix poterit confessor suadere pænitenti, vt ad suum accedat Superiorem, sed potiùs pænitentis ipse Confessori persuadere potest, vt suo nomine (quamquam in particulari tacito) facultatem exigat, quam superior ei concedere tenetur. Deinde ad hoc idem aliam particularem, *Legitimos Iudices*, expendendam esse aduerto; quia Iudex legitimus alicuius causæ nulli iniuriam facit, si per se velit eam iudicare, neque tenetur eam alteri committere, si ipse Iudex extimetur idoneus, vt supponendum est: sed superior in hac causà vt legitimus iudex se habet, vt Concilium asserit ergo. Hæc sunt potiora fundamenta, quibus hæc sententia fulcitur.

CAPVT

CAPVT II.

Ponitur affirmatiua sententia.

SVMMARIVM.

1 *Regularium Superiores, omnibus seclusis extrinsecis incommodis, teneri suam facultatem concedere pro reseruatorum absolutione, quam plures Doctissimi docent Doctores.*

2 *Prælatorum iurisdictio non est eis collata propter eorum vtilitatem, sed propter subditorum bonum.*

3 *Regularium Prælati, ex vi sui muneris, tenentur ita vti sua potestate, veluti bonum expedit pœnitentis.*

1 EX opposito alia sententia docet teneri superiorem ad concedendam hanc facultatem, seclusis extrinsecis incommodis. Ita *D. Th. opuscul.* 19. contra *impugnantes Religionem & in* 4. *sentent. dist.* 17. *q.* 3. *art.* 3. *quæstiuncul.* 4. *ad sextum*: vbi ait, peccare superiorem, qui difficilem se præbet in danda hac facultate. Et subdit rationem; quia multi sunt adeo infirmi, quòd potiùs sine confessione morerentur, quàm tale peccatum tali Sacerdoti confiteantur: Vndè illi (ait) qui sunt nimis solliciti, vt conscientiam subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis iniiciunt, & per consequens sibi ipsis.
2 Quam D. *Thom.* sententiam sequuntur *Sotus in* 4. *dist.* 14. *q.* 2. *art.* 5. *Ledesma* 2. *p.* 41. *art.* 5. *Syluester v. Conf.* 1. *Angelus verb. conf.* 3. *n.* 31. *Armilla eod. ver. & P. Suarez tom.* 4. *ad* 3. *p. disp.* 33. *sect.* 4. *Coriolanus noster de cas. reser. p.* 1. *sect.* 1. *art.* 17. *vers. ex sent. quæ omninò est amplectenda, Laurentius Portel. in dub. Regul. verbo casus Reseruati n.* 19. *F. Io: à Trinitate in sua expos. casuum in nostro minorico ordine reseruatorum dub.* 9. *F. Martinus à S. Ioseph super Regulam nostram cap.* 16. *n.* 28. Pro hac sententia citari possunt *Villalobos tom.* 1. *tract.* 9. *difficult.* 65. *n.* 2. & alij moderniores. Ratio potissima huius sententiæ esse potest, quia hæc iurisdictio non est collata superioribus propter eorum authoritatem, vtilitatemuè, sed propter ipsius pœnitentis bonum; ergo quoties pœnitens suo nonuult omninò superiori confiteri, (hoc enim supponendum est) quamuis ad hoc nullam habeat causam, sed voluntatem dumtaxat ex intrinseca confessionis difficultate ortam, est solùm ob id facultatem petat tenetur superior illam
3 concedere. Consequentia ostenditur; eò quòd Prælatus, ex vi sui muneris, tenetur hac vti iurisdictione, velut ad bonum expedit pœnitentis: tunc autem expedit omninò illi præbere facultatem, quia hoc modo confitebitur, remediumque obtinebit: alia autem via periculo periendi exponitur, aut non confitendi integrè.

CAPVT TERTIVM.

Verba Authoris sententia.

SVMMARIVM.

1 *Superiores Regularium, & si tenetur suam authoritatem concedere pro reseruatorum absolutione, non tamen semper iuxtà Authoris sententiam.*

2 *In quibus casibus Prælati Regularium suam facultatem alijs concedere non tenentur.*

3 *Prælati Regulares suam negantes concedere facultatem quomodo proprio suo iure vtuntur.*

4 *Extrinseca confessionis difficultate non statum oritur obligatio, vt superiores teneantur concedere suam authoritatem.*

5 *Superiores Regularium aliquando titulo iustitia obligantur ad suam præstandam authoritatem.*

6 *Subditi quando, quicunque maluerint, possint confessario confiteri, & ab eo absolui.*

7 *Sola pœnitentis voluntas non est sufficiens causa, ad hoc vt superior adstringatur ad concedendam suam authoritatem.*

1 INter has duas intermediando oppositas sententias firmiter tenendum est, Regularium superiores non semper teneri ad hanc concedẽdam facultatem. Hæc assertio est pro prima sententia. *Ita Aloysius à Cruce in expositione Bullæ Cruciatæ disp.* 1. *cap.* 3. *dub.* 3. *n.* 3. vbi testatur de communi, & in generali satis probatur illa ratione; quia alias nullius esset momenti peccatorum reseruatio. Ita sentit *Pater Suarez loc. cit. n.* 5. & nonnulli alij ex Doctoribus pro secunda opinione citati. In particulari verò hoc est per se euidens si, moraliter timeant, talem facultatem non vtilem futuram esse pænitenti, sed potiùs facilitate veniæ futuram esse illi scandali, seù recidiui occasionem. Rursùs si peccatum tale sit, vt in communitatis, vel alterius tertiæ personæ vergat damnum, cui Prælati commodè adhibere poterunt remedium, si illius habeat notitiam, etiam seruato confessionis sigillo. In his enim simillbus casibus non solùm non possunt, sed nec etiã debent facultatem præbere superiores: maximè cùm vix, aut nullo modo potest talis pœnitens ad confessionem conuenienter disponi faciendam, virtute illius facultatis. Hoc eleganter notauere in particulari *Angelus dicto n.* 31. Nam dictum D. Thomæ referens, addit, quod non credo verum, nisi quando propter hoc sollicitant scire ne alios inficiant. *Sotus* etiam posuit exemplum; quando superioribus bona fide procedentibus constat, subditum nequiter talem facultatem petere vt occasionem in peccatis accipiat persistendi. Similiter *Armilla verbo, confessio, n.* 35. inquit, negari debere hanc facultatem, quando in penitentis damnum, vel aliorum est. Deinde quamuis superiores concedendo facultatem, graue damnum, seu detrimentum timeant subditi; si tamen maiorem, vel æqualem illius sperant vtilitatem, quamuis eam negẽt: possunt licitè eam negare; imò aliquando etiam maiori cũ vtilitate, si ad aliorum exemplũ & bonum commune necessarium censeatur, aut valdè conueniens. Ita nonnulli excitatis Doctoribus secundæ sententiæ sentiunt. Vndè *Angelus* ait rectè facere superiorem, quando ex hac causa negat, vt alij scientes, & videntes difficultatem

tem

tatem indanda facultate magis à peccatis perseruentur;& *Armilla* dicit, superiores multoties negare posse, si volunt, quia hoc est ex honestate, & quandoque bonum esse negarè, ne occasio præbeatur peccandi.

3 Ratio verò est, quoniam superiores in hoc suo vtuntur iure, prout argumenta primæ sententiæ ostendunt. Quòd autem id in minorem subditi cedat vtilitatem, non sunt ipsi in causa, sed ipsemet subditus, ex sua negligentia vel affectione; igitur illi imputabitur, & non superioribus, qui præferre possunt commune bonum illi vnius particularis personæ incommodo: Præsertim: quia licèt in præsenti videatur hoc esse munus vtile tali subdito, quia quodammodo coactus cum minori deuotioni confitebitur, tamen in futurum alia sperari potest vtilitas maioris momēti, nimirùm vt cautior sit in peccatis vitandis. Semper autem supponimus, hanc minorem vtilitatem (vt pulchrè aduertit *Suarez*) esse intra latitudinem fructuosæ, & dignæ confessionis; alioquin non essent minor vtilitas, sed omninò nulla, vel potiùs graue nocumentum.

4 Vndè vlteriùs sequitur, per se, ac præcisè ex munere pastorali in hoc foro:& ex intrinseca ipsius confessionis difficultate non statim obligationem oriri hanc concedendi facultatem, vt adnotauere *Victoria, Nauarrus, & Suarez locis citatis:* immò posse superiores illā negare quoties graue nocumentum subditi, quod extrinsecum, & valdè accidentarium est sacramento pænitentiæ non timuerint. Deinde sequitur, quoties superiores non sint aliundè causa talis nocumenti, sed solùm timetur ob duritiam, vel ipsius pænitentis fragilitatem, non peccare superiores contra iniustitiam respectu subditi, negando talem facultatem: hoc enim totum ostendunt argumenta pro prima opinione adducta.

5 Consultò dixi in conclusione, *non semper teneri superiores*; ad demonstrandum quandoque titulo iustitiæ obligari ad hanc concedendam facultatem: id quod secunda probat opinio; Nàm certum est plures esse casus, in quibus superiores ex iustitia tenentur hanc pœnitenti concedere facultatem, ita vt illi iniuriam faciant illam simpliciter negando, vt Authores statim citandi demonstrant. Huiusmodi sunt omnes illi casus, in quibus pænitens meritò timet aliquod graue dānū intrinsecū sibi ab ipsomet superiore inferendum: vt si sit ille confessionem reuelaturus, vel scientia illius in graue eius nocumentum vsurus, vel graues inimicitias secum gesturus. Idemque est, quoties ipse superior non sit aliàs idoneus ad ferēdum iudicium in tali causa, vel quia est ignarus, vel adeò improbus, vt loco medicinæ sit scādalum allaturus. In hoc enim conueniunt omnes Doctores citati pro vtraque opinione: & ratio est per se euidens, quia talis superior non potest iustè priuare pænitentem sacramenti pænitentiæ legitimo vsu, ne potest illum cogere, vt se periculo alicuius grauis nocumenti exponat.

6 Hinc seraphicus noster *D. Bonauentura in 4. dist. 20. in expositione litteræ, & D. Th. in additionibus ad 3. p.* & alij *apud Suarez tom. 4. ad 3. p. disp. 27. dist. 4. n. 13.* docent, in tali euentu confiteri posse subditum Cuicunque voluerit confessario absq; superioris licentia; eò quòd tunc ei negat, quod de iustitia concedere tenetur; & consequenter id, quod pœnitens iure exposcere potest à suo superiore.

7 Et quamquam ex dictis pateat, fundamentum secundæ sententiæ nullius esse ponderis, quoniam sola pænitentis voluntas (nulla alia existente rationabili causa) orta ex intrinseca confessionis difficultate, non satis sit ad cōstringēdum superiorem, ita vt titulo iustitiæ teneatur subdito petenti facultatem præbere, vt ab alijs absoluatur à reseruatis; Dici nihilominùs potest, Superioribus datam esse iurisdictionem ad subditorū vtilitatem, atque ædificationem: Negare autem facultatem absoluendi à reseruatis in aliud non tendit, nisi in bonum, & subditorum salutē; Nam (vt pluries dictum est) in superioribus reseruationis finis nil aliud est: quòd si proni essent, faciles uè ad concedendam talem facultatem, certè peccatorum reseruatio suum non sortiretur effectum.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum Regularium Superiores, ex proprio munere Pastorali, teneantur concedere subdito petenti facultatem, vt ab alijs absolui possit à casibus reseruatis.

CAPVT VNICVM.

Ostenditur quonam pacto Religionum Præfecti teneantur ex Charitate concedere subdito petenti facultatem, vt ab alijs à reseruatis absolui possit.

SVMMARIVM.

1 *Omnium Ordinum Præfecti ex debito sui muneris subditis petentibus facultatem concedere tenetur, vt à quolibet valeant idoneo Sacerdote absolui.*

2 *Superior Regularium ex debito sui muneris facultatem absoluendi à reseruatis concedere debet, quoties graue subditi timet spirituale detrimentum, si illam neget: quamquam exactè cognoscat ex subditi defectu euenturum.*

3 *An Prælatus negare teneatur facultatem absoluendi subdito petenti à reseruatis, quando ex tali facultatis negatione aliorum speratur subditorum vtilitas?*

4 *Superior in quo casu debet Subdito petenti negare facultatem pro reseruatis absoluendis.*

5 *Superior semper debet subditorum fragilitati condescendere.*

6 *Adducuntur ad hoc verba Diui Thomæ valdè notabilia.*

1 TRactauimus in præcedenti quæstione de Prælatorum obligatione, quam habent in subditis præstando facultatem, vt absolui valeant à reseruatis, quando id expostulant titulo iustitiæ. In

tiæ. In præsenti verò agendum est, an ipsi, saltem titulo charitatis, & ex proprio pastorali munere, adstringantur ad talem concedendam facultatem: Ad quam difficultatem breuiter respondeo, omnium ordinum Præfectos, ex charitate, & debito sui muneris, teneri subditis petentibus facultatem concedere, ad hoc vt absolui valeant à quolibet idoneo Sacerdote à reseruatis. Ita *Suarez loco citato Aloysius à Cruce in exposit. bullæ Cruciatæ disp. 1. cap. 3. dub. 3. n. 9. Ioannes à Trinitate Coriolanus, & alij*. Hæc assertio est de se euidens: solùm declaratione indiget; quæ
2 sic illustrari potest. Nàm Superior, ex debito sui muneris, atque fidelis dispensatoris, tenetur ad hanc concedendam facultatem quoties graue subditi timet spirituale detrimentum, si illam neget, quamquam nocumentum illud non ex iniuria intrinseca, sed ex ipsius subditi, defectu sit euenturum; vt quòd tacebit aliquod in confessione peccatum, vel quòd nimirùm confessionē differt, & licentiam accipiat peccandi, vel quid simile. Hanc conclusionem isto modo dilucidatam puto esse *D. Thomæ*, & aliorum Doctorum, quos pro secunda opinione in capitulo præcedenti citauimus. Nàm eam probat eorum ratio; quoniam hec potestas non est data indestructionem, sed in subditorum vtilitatem. Nec obstat, quòd ipse subditus sit sibi causa talis nocumenti, nàm hoc ipsum impedire tenetur spiritualis pastor, si commodè potest, vt colligitur ex *D. Th. vbi suprà in solutione ad sextum*, & pulchrè notat *Suarez*, quem sequitur *Coriolanus locis citatis*.
3 Quæres; tenetur ne Prælatus hanc negare facultatem subdito petenti, quando ex talis facultatis negatione speratur aliorum subditorum vtilitas? Respondeo, non teneri, eò quòd non debet superior illam negare cum tanto subditi detrimento. Quoniam pænitentiæ Sacramentum per se institutum est in bonum pænitentis, & ad eundem finem data est hæc potestas, & ad eundem ordinatur reseruatio. Igitur per hoc mediū non licet aliorum procurare vtilitatem tanto cum detrimento subditi; præsertim quia (moraliter loquendo) veluti ipsa docet experientia, nunquam fit sine sacrilegio, & graui ipsius sacramenti iniuria: Fit etiam ipsa confessio odiosa, & difficilis; quod est grauius incommodum, & valdè vitandum inconueniens, ad quod euitandum omnis alia parui ponenda est vtilitas.
4 Aduertendum nihilominùs est, aliud esse aliorum procurare vtilitatem, de qua loquimur; aliud verò pernicem, aut graue nocumentum eorum vitare, de quo est longè diuersa ratio: Nàm si hæc intercedat causa, negari potest, & debet talis facultas, etiam si subditus ipse malè vsurus sit tali medicina; quia hoc est iam scandalum farisaycum, vt inquit *Suarez*: & ideò quidquid ex illo sequitur, ipsius subditi malitiæ imputandum est; nàm ipse tunc suam tenetur ei aperire conscientiam, qui, & sibi, & alijs prodesse potest, & non obesse; Igitur si huic obligationi satisfacere nolit, nec potest ad confessionem esse dispositus, nec ei cōfitendi facultas, nec alteri potest esse vtilis; Igitur non debet ei concedi, etiam si obdurato animo confiteri nolit superiori.
5 Nec obstat, si dicas, quòd id ex nimia proueniat verecundia, aliaué affectione, quæ grauem ingerit difficultatem: Non obstat certè, quia tenetur illam superare, & potest cum Diuinæ gratiæ auxilio, vt suæ satisfaciat obligationi. Extra hunc casum docet *Suarez* vbi suprà, teneri superiorem fragilitati subditi condescendere, & maximè quando eius imminet periculum.
6 Faciunt ad hoc Verba S. Thomæ loco citato ad quantum, vbi sic inquit; *quòd tunc magis debet eligere confiteri laico*. Quæ verba magni sunt pōderis, quæ consultò hic transcribenda curaui, vt à superioribus ponderentur. Nam Angelicus Doctor benè sciebat confessionem laico factam non esse sacramentum: Nihilominùs in talia prorupit verba, vt Prælatis, superioribusque ostenderet, eos difficiles in hac concedenda facultate esse minimè debere. Addit quoque S. Doctor; *nec fit iniuria Sacerdoti, quia priuilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur facultate*. Et ibidem loquitur; *quamuis ex tali licentia nonnulla mali occasio nascatur, per eam tamen multis maioribus malis occurritur*. Hæc ille.

QVAESTIO TERTIA.

Vtrum sola pœnitentis Verecundia sufficiens existimetur causa, absque peccato, tam ex parte pœnitentis, quàm ex parte superioris, concedendi facultatem à reseruatis absoluendi?

CAPVT VNICVM.

Nimia verecundia sufficiens causa esse potest ad concedendam facultatem absoluendi à reseruatis.

SVMMARIVM.

1 *Nimiam verecundiam esse sufficientem causam ad præbendam facultatem pro resernotorum absolutione, qui sustinent.*
2 *An subditus extorquens à suo superiore huiusmodi facultatem ex indurato suo animo, peccet lethaliter?*
3 *Subditus persistens in suo animo indurato non aperiendi suo superiori in confessione peccata reseruata ob nimiam verecundiam, non peccat.*
4 *Subdito indurato concedenda est facultas, vt possit ab alio idoneo Sacerdote absolui, etiam si nulla alia causa adsit, & quare?*
5 *Ingens verecundia inducit moraliter impossibilitatem representandi suo superiori pro à reseruatis obtinenda absolutione.*
6 *An satis sit, vt pænitens dicat, se habere rationabilem causam petendi illam facultatem, vt pastor debeat eam concedere?*
7 *An superior teneatur absolutè Subdito concedere hanc facultatem pro reseruatorum absolutione?*
8 *Sufficiens, & rationabilis causa existimatur ad concedendam dictam facultatem subditi animi perturbatio*

turbatio, vel suspicio, qua Subditus probabiliter suspicatur, in futurum superiorem non ita benignè eum respecturum.

1 Nauarrus *in c. Placuit n. 149. P. Suarez tom. 4. ad 3. p. dis. 27. sect. 4. n. 12. & disp. 30 sect. 4. n. 9. in fine, Coriolanus de casibus reseruatis p. 1. sect. 1. art. 17. vers. addo ad hoc id;* sustinēt & benè, verecundiam nimiam pœnitentis esse aliquando sufficientem causam, vt hæc facultas præbenda sit. Nàm contingere potest, vt verecundia ingēs ita sit, quæ interdùm tantam inducere possit difficultatem, vt moralis impossibilitas existimetur. In quo casu superior absque pænitentis iniuria negare non potest ei petitam facultatem, quia non est cogendus pœnitens, vt rem moraliter impossibilem faciat, aut Sacramento pænitentiæ priuetur: quamquam *Aloysius à Cruce in exposit. bullæ Cruciatæ disp. 1. cap. 1. dub. 3. n. 11. oppositum teneat.*

2 Dices; tunc subditus peccat, volens extorquere hanc facultatem à superiore suo indurato animo; & illud met propositum non confitendi superiori, etiam si nolit facultatem dare, est graue peccatum in ipso subdito; igitur non est ei danda facultas: cur enim ex malitia reportabit commodum, neque etiam si detur, illi proderit, cùm sit ad confessionem indispositus.

3 Respondeo cum *Suarez loco citato*. Licet pænitens (absolutè loquendo) confiteri suo teneatur superiori, si ille facultatem alteri confitendi præbere nolit, & ideò semper peccet subditus habēdo absolutum propositum simpliciter non confitendi, si superior talem neget facultatem absq; alia causa extrinseca, sed ob solam intrinsecam confessionis difficultatem, nimirùm verecundiā, non peccat: & superior illam negando peccare potest; nàm non repugnant hæc duo quia subditus tenetur iure Diuino suo proprio confiteri pastori, si ipse committere nolit alteri iurisdictionem; dummodò aliam iniuriam, aliundè nocumentum propter confessionem subdito non inferat contra diuinum ius, peccat subditus illud habens absolutum propositum non confitendi in illo casu non facit autem contra hoc ius à suo petendo superiore facultatem; & ideò si abstineat ab illo proposito, quantumuis instet, & vrgeat, petendo facultatem, non peccat: quinimò honestè agere potest iuxtà causæ exigentiam, ac proinde etiam superior teneri potest ad facultatē concedendam; sæpè enim contingit, vt debitor ex iustitia teneatur soluere debitum, & nihilominùs remissionem eius honestè petat à creditore, quàm saltem ex charitate concedere teneatur; illæ enim obligationes cùm diuersarum sint rationum, simul esse non repugnant: ita ergo est in præsenti. Quamobrem ad difficultatem propositam respondeo in primis, necesse non est, vt in hoc negotio interueniat peccatum, vel praua dispositio ex parte subditi facultatem petentis, eò quòd non est necessarium, vt illud formale habeat non confitendi propositum: immò prudens superior præcauere debet, ne inducat subditum

4 in huiusmodi quasi desperationem. Et aliquando poterit hoc ipsum illi ad culpam etiam lethalem imputari, si ob negatam facultatem, subditus temerariam voluntatem, & propositum concipiat. Deinde dico; etiam si subditus in eum statum deuenerit, dandam omninò esset facultatem hanc, vt remedium aliquod malo illi adhibeatur; nàm licèt durante illo proposito, subditus sit indispositus ad absolutionem, nihilominùs facultate obtenta, potest se disponere, & de illamet culpa dolere eamque cum alijs confiteri.

5 Verùm si proposita difficultas locum habet respectu verecundiæ, quæ ex natura confessionis oritur, simpliciter loquendo non potest aliquid efficere difficultatis in casu, quòd verecundia sit adeò ingens, vt existimetur ob difficultatem, quam inducit, moralis impossibilitas; quia tunc subditus persistens in illo proposito non peccat, & ex alio capite Prælatus, vt dictum est, illi præstare tenetur petitam facultatem.

6 Quæres; an sufficiat, quod pænitens ipse dicat, se habere rationalem causam petendi illam facultatem, vt pastor illam debeat concedere.

Respondeo affirmatiuè; ne illum exponat in periculum maioris mali. *Ita Suarez disp. 27. n. 22. S. Thom. in 4. dist. 17. q. 3. art. 3. q. 4. ad 5. & 6. & in opusculo 19. Coriolanus vbi suprà, vers. Suarez in 4. tomo.* Nec etiam tunc eum cogere debet, vt causam explicet in particulari, quia vel potest ad ipsum met pastorem pertinere, vel potest ita esse cum peccato coniuncta, vt necessarium sit illud explicare, ad quod minimè cogendus est pænitens.

7 Quæres vlterius, tenetur ne pastor tunc absolutè subdito concedere hanc facultatem? Respondeo non teneri, sed potest aliquam, vel aliquas designare personas, prout prudenter expedire iudicauerit. Ita Doctores citatati. Sed de hac re fusiùs in proprio quæsito dicemus.

8 Tandem hic aduerto cum *Graffio de casibus reseruatis cap. 10. n. 29.* esse idem intelligendum, quando subditus probabiliter suspicatur, deinceps non recto, sed toruo vultu se esse à suo superiore respiciendum, vel aliquid simile, ex quo ipsi pænitenti sequi potest animi perturbatio, vel inquietas, & huiusmodi.

QVAESTIO IIII.

Vtrum Regularium Superiores faciles esse debeant ad facultatem concedendam subditis absoluendi à reseruatis.

CAPVT VNICVM.

Affirmatiua sententia probatur, & declaratur.

SVMMARIVM.

1. *Regularium Præfecti debent esse benigni, & faciles in præbenda licentia pro absoluendis Religiosis à reseruatis.*
2. *Superior non debet negare facultatem, quando subditus*

ditus nullo modo induci potest ad eum superiore confitendum.

3 *Superiores nostrarum Prouinciarum Regni Siciliæ Reformatarum in solemnioribus festiuitatibus debent concedere facultatem pro reseruatorum absolutione consequenda.*

4 *Adducitur constitutio Pij V. ad hunc finem.*

5 *Alia Constitutione Clementis VIII. ostenditur, ex præcepto teneri Prælatos Regularium benignè, & faciliter prædictam concedere facultatem.*

6 *Superiores debent facultatem absoluendi peccata reseruata solùm viris probis concedere.*

7 *Secundùm Sotum superiores non debent esse faciles, nec nimis difficiles ad concedendam facultatem absoluendi à reseruatis.*

1 OMnium Regularium Præfecti non esse debent difficiles, rigidi, & rigorosi, immò potiùs benigni, & faciles in præbenda, concedendaque licentia, suauè authoritate pro absoluendis fratribus à casibus reseruatis. Ita *Pater Suarez tom. 4. ad 3. p. disp. 30. sect. 4. n. 9. vers. atque hinc vlterius colligo*: vbi hanc asserit fuisse *Diui Thomæ* sententiam, & aliorum, quos citat eadem *sect. n. 3. P. Miranda 2. tom. sui Manualis q. 34. art. 9. Coriolanus de casibus reseruatis vbi supra Ioannes à Trinitate de casibus reseruatis in nostro minorico ordine dub. 9. n. 1. Villalobos tom. 1. tract. 9. diff. 65.* Hæc conclusio probatur, simul & declaratur, quia moraliter, & per se loquendo, minus periculum est in hac concedenda facultate, quàm in illa neganda: vndè vt concedatur, satis esse debet, quod nulla specialis ratio ad eam negandam occurat. Vt autem illa honestè negari possit, aliqua semper interuenire debet specialis ratio, quæ id postulet: non quòd semper cadat sub præcepto, sed quòd hic ordo sit conuenientior; qui aliquādo poterit esse sub præcepto, iuxtà ea, quæ in superioribus monebamus. Imò licèt aliquando videatur superiori sufficiens interuenire ratio ad hanc negandam facultatem, si tamen aliundè ex alterius ratione, vel alia ei via constiteri, subditum vllo modo superiorem adire velle, neque alijs intentatis remedijs ad id induci posse; tunc superior nunquam debet negare facultatem, nec potest licitè, excepto illo casu de aliorum damnificatione, prout in *q. 2. huius disput.* declarauimus; eò quòd non obstat quæcunque ratio, quæ hac in re occurrere potest. Et pensatis omnibus, tunc id magis expedit, immò necessarium est, iuxtà Charitatis leges. Item quia reseruatio hæc est quædam medicina subditi; ergo si cum rigore applicata in eius cedat pernicem, temperanda est, ideòque facultas concedenda benignè, & libenter.

3 His pro nostrarum Prouinciarum Reformatarum in Regno Siciliæ existentium fratribus connecto, superiores, ad supradicta præcauenda inconuenientia, Religiosorumq; sibi subditorum incōmoda debere in omnibus Domini Sabaoth solemnitatibus, sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ, Apostolorum, omniumque nostri ordinis sanctorum, nec non Sanctæ Catharinæ, & in feria quarta Cinerum, pro absoluendo à reseruatis concedere facultatem, vt tota nostra consueuit Religio, quam præstare quoque debent Guardiani in Prælatorum Prouincialium absentia, prout de istis in proprio quæsito commodiùs dicam.

4 Ad hoc magis ostendendum adduci possunt nonnullæ Pontificiæ constitutiones id expressè præcipientes. Etenim Pius V. in quadam sua bulla quæ incipit: *Romani Pontificis circumspecta benignitas interdicit, ne fratres ordinis prædicatorum eligere possint confessorem, & absolui à peccatis reseruatis virtute bullæ Cruciatæ siue suorum Prælatorum licentia*; addit: *ijsdem tamen Prælatis, vt in vsu huiusmodi potestatis cum sibi subditis benignos, & faciles se exhibeant, præcipimus*. Vbi in primis expendo illud verbum, *præcipimus*, quod importat præceptum, sicque in materia graui mortaliter videntur peccare Prælati, & superiores in hisce rebus se difficiles, & rigorosos exhibentes, & nō potiùs benignos, & faciles; & sine causa supradictam negantes facultatem; & maximè si sciant, quòd ex eiusdem negatione suorum subditorum animæ graue patientur dispendium.

5 Et Clemens Octauus in quadam sua Bulla ad Procuratoris Generalis Carmelitarum requisitionem facta die 23. nouembris anno 1599. præcipit Prælatis, vt in vsu huiusmodi potestatis sint benigni, & faciles, & quia tale præceptum, non solùm dicti ordinis Carmelitarum, verùm quoque omnes aliorum ordinum adstringit Prefectos, placuit hìc aliqua de illa transcribere. *Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati talem concessionem S. Cruciatæ, & aliorum inductorum particularium ad prædictum articulum eligendi confessorem, & absoluendi à casibus reseruatis, cum fratribus, & sororibus monialibus ordinis prædicti, ac aliorum quorumcunque ordinum, & congregationum cuiusuis instituti mendicantium, & non mendicantium, tàm Prouinciæ Hispaniæ, quàm extra eam vbi libet, locum minimè haberes neque censeri: sed nostræ intentionis existere, quòd ijdem fratres, & moniales, quantùm ad sacramentum pænitentiæ, seu confessionis administrationem, dispositioni suorum Prælatorum subiecti sint; Apostolica Authoritate tenore præsentium perpetuò declaramus. Eisdem tamen Prælatis, vt in huiusmodi potestatis vsu secum subditis benignos, & faciles exhibeant, præcipimu, & mādamus.* Quibus ex verbis notanda sunt illa, *Præcipimus, & mandamus*, quæ cùm expresè præceptiua sint, inducunt obligationem sub mortali superioribus ad se faciles, & benignos ad hanc præstandam facultatem exhibendos. Et meritò ita præcipitur; ne iugum confessionis de se suaue, ac leue, propter Prælatorum duritiam in tali concedenda facultate, euadat graue.

6 Aduerto nihilominùs cum *Patre Miranda vbi supra*, quòd non in alio extremo ita faciles, & remissi esse debent, & salutis animarum suorum subditorum parùm solliciti, vt prædictam facultatem de facili cuilibet absque discrimine committant;

mittant; prout statutum est in nostris Generalibus constitutionibus in quodam Conuentu Palenzuelæ Prouinciæ Castellæ in cap. Generali ibi anno Domini 1470. celebrato: vbi inter alia cautum est, vt Prælati non leuiter, sed aliquibus fratribus maturis & discretis committant casus sibi reseruatos: eosdem, quibus illos commiserint fulciendo fidelibus consilijs, prout secundùm Deum saluti animarum viderint expedire. Habetur in memoriali ordinis in electione noui Vicarij Generalis.

7 Oppositum profectò facere, esset omninò contrarium intentioni, quam semper in supradictorum casuum reseruatione habuit Ecclesia. Erit quoque conuertere pastorum auctoritatem, quam in ædificationem acceperunt, in excidium, & destructionem totalem vniuersæ Religionis. Vnde *Sotus in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5. ad secundum*, inquit, quòd prælati in prædicta concedenda facultate non esse debent faciles, nec nimis difficiles: Sicque communi bono prospicere debent, vt confessionis religionem grauissimam reddant. Ad quod consulit illis, vt personis circumspectis, & doctis, cùm expostulatum à se fuerit, supradictos casus facilè committant: alijs autem personis non ita.

QVAESTIO QVINTA.

Vtrum Prælatus teneatur subdito petenti generalem facultatem eligendi quemcunque idoneum confessarium, ad hoc vt possit à reseruatis absolui, concedere?

CAPVT VNICVM.

Aliorum Opinione allata, quid Author hac in re senserit, statuitur.

SVMMARIVM.

1 *Prælati Regularium non tenentur concedere generalem facultatem eligendi quemcunque idoneum confessorem, vt à casibus sibi reseruatis absoluat.*

2 *Reseruatio peccatorum, iuxta Concilium Tridentinum, eo fine fit, vt grauiora debita grauius puniantur.*

3 *Prælati Regulares, iuxtà Authoris sententiam nemini possunt absolutè à peccatis absoluendi reseruatis concedere facultatem.*

4 *Declarantur verba illa Textus* Superiores in singulis domibus, &c.

5 *Superior non potest cogi ad dandam suam authoritatem pro pænitentis electione.*

6 *Superior non obligatur statim concedere facultatem, quando petitur, & quomodo, declaratur.*

1 NOn teneri Prælatum generalem præbere facultatem eligendi quemcunque idoneum confessarium, vt à casibus sibi reseruatis absoluat, neque etiam teneri ad committendam illi sacerdoti causam, quem vult pænitens, sed illam alteri committere posse, vel inter aliquos designatos electionem dare subdito, prout expediens iudicauerit ad pœnitentis bonum; docent quam plures moderniores, præsertim *Suarez de pænitentia disput. 30. sect. 4. num. 11.* Idem docere videtur *Sanctus Thomas dicto opuscul. 19. contra impugnantes Religionem, & in 4. distinct. 17. quæst. 3. artic. 3. quæstiunc. 4. Sotus in 4. sent. distinct. 18. quæst. 2. artic. 5. Ledesma 2. part. 41. quæst. 7. artic. 5. Victoria in summa capit. 4. numer. 147. de confessione; Armilla verbo confessio num. 35. Syluester eodem verbo 1. Nauarrus in dicto cap. placuit num. 119. & 151.* præsertim *Angelus eodem verb. 3.* vbi aduertit, posse, & debere Prælatum in particulari inquirere, & scire, cui velit subditus confiteri: *& si est,* (inquit) *æquè bonus concedat: si verò non est æquè bonus, non debet dare facultatem*. Et ratio quidem in generali

2 euidens est; nàm ad hoc fit reseruatio (iuxtà *Concilium Tridentinum sess. 14. capitul. 7.*) vt grauiora delicta grauiùs corripi possint, & meliùs emendari. Ad quod necesse est, vt grauioris etiam personæ, & doctioris, ac melioris iudicio subdantur. Igitur quamuis Prælatus iuri cedat suo, causam alteri committendo, semper ius habet illam non committendi, nisi tali cautæ personæ proportionatæ fini reseruationis: hoc autem regulariter non fiet, si generalis facultas concedatur. Sæpè enim accidere potest, vt persona, quam designat pœnitens, seù quæ loco illius facultatem petit, talis non sit, Prælati iudicio: ergo non est cogendus superior ad id præstandum; nec potest subditus iustè conqueri, aut eandem difficultatem respectualiorum allegare, præsertim si ei facultas ad eligendum inter plures concedatur. Non debent tamen (inquiunt nonnulli ex allegatis Doctoribus) in hoc superiores esse difficiles, quando vel subditi prudentes sunt, & timorati, vel sacerdos, per quem facultatem petit subditus, reuera est sufficiens, vt ei committi possit causa. Tunc enim (regulariter loquendo) nisi alia causa grauis occurrat, multò meliùs consulendum est acquiescere pænitenti: & interdum posset etiam esse necessarium, ne in peius ruat subditi salus.

3 Et quamuis hæc sententia probabilissima sit, mihi tamen aliter venit dicendum: Nimirùm non solùm Prælatum non teneri hanc generalem dare facultatem quemcunque eligendi idoneum confessorem, vt à casibus sibi reseruatis absoluat, verùm quoque non posse. Moueor ad ita sentiendum, quoniam Clemens Octauus in suo Decreto prohibet, ne Regularium superiores generaliter modo iam dicto suam committant facultatem, ibi; *Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures confessarios, pro subditorum numero maiori, vel minori, iique sint docti, prudentes, & Charitate præditi,* qui à

qui à non reseruatis eos absoluant: & quibus etiam reseruatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit in quo eam debere committi ipse in primis confessarius iudicauerit. In quibus verbis illud in primis expendo, & quibus expendo; *& quibus etiam reseruatorum absolutio committatur;* quæ verba sunt præceptiua præcisam inducentia obligationem; ita vt superiores adstringantur ad suam committendam facultatem illis dumtaxàt confessoribus, quos pro non reseruatis deputauerant, etiam quando subditus per se, vel per sacerdotem petit illam sibi concedi, quo pro expendo alia verba; *quando casus occurrerit*, ex quibus videtur, quòd Prælatus non possit suam committere auctoritatem, nisi quãdo occurrit reseruatus casus, & confessor ad illum absoluendum à superiore petit facultatem, pro vt alia subsequentia verba ostendunt, nimirùm, *in quo eam debere committi ipse in primis confessarius iudicauerit*.

4 Ex quibus verbis, (vt etiam per pulchrè aduertit *Suarez tom. 4. de Religion. lib. 8. cap. 5. num. 9.*) iuxtà mentem Pontificis colligitur, non debere superiorem hanc committere facultatem facilè, & ad confessoris nutum, sed magno cum iudicio, & consideratione, & quando necessitas pœnitentis, vel maior vtilitas illam postulauerit. Et hanc ob causam vult Pontifex multum deferri in hoc iudicio confessoris, quia ipse potest magis perspectam habere conscientiam, & pænitentis dispositionem; & nihilominùs non cogi superiorem, vt statim iudicio pareat confessoris, vt planè indicat illa particula, *in primis*, quæ significat, consulendum esse confessoris iudicium & magnam, maximauè illius rationem habendam. Ex quibus omnibus euidenter constat, non posse superiorem absolutè, & simpliciter concedere subdito petenti facultatem, nisi designet personam ab eo iam determinatam, vel id faciat de confessoris iudicio, quando ipsemet Confessarius committendam esse iudicauerit. Neque ex hoc aliquod nocumentum sequi pœnitenti potest; nàm ideò Summus Pontifex præcepit, esse pro vnaquaque domo, iuxtà Religiosorum numerum, designandos ac constituendos plures confessarios, à quibus possint absolui quoties opus fuerit à reseruatis, quando ipsis subditis casus occurrerit, quo in tempore tantùm eis (vt 7. q. huius disput. meliùs & fusiùs dicemus) concedenda est facultas pro à reseruatis absoluendo.

5 Occurrere autem potest casus, in quo licebit superiori ex suo munere pastorali suam committere auctoritatem, iuxtà ea, quæ in superioribus docebamus, vt probat *Aloysius à Cruce vbi suprà numer. 6. conclus. 2.* ac propptereà illud etiam in dicto Decreto obseruare conuenit, cùm illa licentia danda est, non cogi superiorem dare illam, vel generalem pro pœnitentis electione, vel particularem pro tali persona ab ipso designata pœnitente. Nàm Pontifex Summus vult personas, quibus danda est facultas, esse à superiore ipso designandas, vt paulò superiùs tetigimus: & significat regulariter illi personæ esse remittendam, quæ gerit ordinarij confessoris officium eius personæ, quæ casum habet reseruatum. Imò supponit, licentiam hanc per huiusmodi confessorem esse à superiore petendam, & pro illo esse dandam à superiore, quando ex-

6 pedire dari iudicatum fuerit. Quòd si aliqua interueniat causa rationabilis, qua subditis non cõuenit per talem confessorem petere à superiore hanc facultatem, sed per alium, aliosuè sacerdotes, non tenetur superior statim condescendere, sed potest talem facultatem negare, vel prout conueniens iudicauerit, modificare. Hoc autem assero non ex virtute constitutionis Apostolicæ, sed ex benigna Summi Pontificis mentis interpretatione: Etenim credibile non est, eum voluisse in aliquo necessitatis casu, quo subditus mori potiùs in peccato determinet, quàm se superiori suo, vel alicui ex designatis præsentet, Prælatum ob subditi infirmitatem ad concedendam suam alteri confessario authoritatem minimè condescendere.

QVAESTIO SEXTA.

Vtrùm Prælati Regulares Confessoribus pro à non reseruatis absoluendo designatis absolutè committere possint facultatem pro à reseruatis, etiam absoluendo.

CAPVT VNICVM.

Amplius expenduntur verba textus dispositionis Clementis Octaui in quæstione præcedenti declarata atque Authoris sententia Probatur.

SVMMARIVM.

1 *Expenduntur dilucidè Verba illa Textus*; & à reseruatis, quando casus occurrerit, &c.

2 *Ad hoc superior facultatem concedat absoluendi à reseruatis, est iudicium confessarijs semper requirendum.*

3 *Non possunt Regularium Præfecti suam pro sibi reseruatorum absolutione confessarijs cuiusuis Conuentus ordinarijs committere authoritatem absolutè, nisi aliqua vrgeat rationabilis causa.*

4 *Prælatus conuentualis de iure, & ex vi sui muneris, iurisdictionem habet præstandi licentiam, quando casus occurrit reseruatus, ad hoc vt possit absolui.*

5 *Ex iusta, & rationabili causa potest Regularium superior absoluendi à reseruatis facultatem alicui Religioso committere, Constitutione Clementis Octaui non obstante.*

6 *Religiosi pænitentes ob solam verecundiam multa solent committere sacrilegia, & quid P. Rodriquez de se fatetur.*

1 Presen-

1 PRæsētem hanc difficultatem à nemine examinari vidi. Solùm enim doctissimus P. *Suarez*, qui more suo omnium ad speculatiuam, moralemque Theologiam spectantium rerum percurrit materiam, aliqualiter eam tetigit *tom. 4. de Religion. lib. 2. capit. 15. & lib. 8. capit. 5.* Pro cuius igitur determinatione, iterùm nobis verba illa Clementis Octaui, quæ in superiori quæstione, dilucidauimus, veniunt expendenda, nimirùm; *Et à reseruatis quando casus occurerit, in quo eam debere committi ipse in primis confessarius iudicauerit*. Aduertendum igitur est, virtute clausulæ confessarijs ordinarijs pro vnoquoque destinatis monasterio ad illius Religiosos, à non reseruatis absoluendos absolutè non posse committi à superioribus facultatem, vt eos à reseruatis absoluere valeant: id est, vt ipsi confessarij, absque eò, quòd à superioribus, quando sibi aliquis reseruatus occurrerit casus, veniam petant, præstare absolutionis possint beneficium, nisi pro vnoquoque petant casu, quando occurrerit. Ita enim importare videtur dictio illa, *quando*, *quæ* apud Gramaticos, bonosque latinæ linguæ authores propriè est, *quo tempore*, vt eleganter amicissimus noster *Barbosa de editionibus dictione* 307. *n*. 4. adnotauit. Ita vt solùm illo tempore, quo pœnitentes eos adeunt pro a reseruatis obtinenda absolutione, committenda est facultas, & non absolutè pro omni tempore, & omni casu, prout verba illa, *qui à non reseruatis eos absoluunt: & quibus etiam reseruatorum absolutio committatur, ostendunt*. In quibus duo necessariò aduerto. Primum, quòd Pontifex quando de confessarijs, quibus pro à non reseruatis absoluendo committendam facultatem disponit, indefinitè loquitur, vt intelligatur, omni tempore, & casu delegata auctoritas. Secundum quod, quando de reseruatorum absolutione disponit quid faciendum, non ita, sed cum clausula taxatiua, *quando*, vt censeatur superiorum auctoritas in suam delegando facultatem pro reseruatorum absolutione ita restricta, vt non possint absolutè etiam confessoribus ordinarijs committere eam, prout demonstrant illa verba; *Et quibus etiam reseruatorum absolutio committatur, quando casus occurerrit*.

2 Vlteriùs id neque sufficere, videtur, eò quòd Summus Pontifex confessoris iudicium statuit esse requirendum, ad hoc vt superior illi suam committant auctoritatem, vt particula illa, in quo debere *committi ipse in primis confessarius iudicauerit*, indicat, & quæstione præcedenti exposuimus. Constituitur igitur differentia in modo hanc facultatem ordinarijs confessarijs delegandi; Nam in primo firma, indefinitè, & omni tempore, & casu videtur mandata auctoritas absoluendi à non reseruatis: quod tamen non ita in secundo conceditur ad absoluendum à reseruatis; quia tunc dicitur concessa auctoritas, quando reseruatus occurrerit casus, confessoris iudicio interueniente. Et hoc est discrimen inter vnum, & alterum euentum constituendum, & exceptio posita in secundo firmat regulam in contrarium in primo, iuxtà regulam *in leg. nàm quod liquidè §. finali in 1. resp. ff. de priuileg. cap. 2. de coniung. Lepros.* cum alijs citatis per *Barbosam assiom.* 39. *num.* 10. non enim dispositum in primò censetur in secundò dispositum, quia datur magna differentia inter reseruata peccata, & non reseruata; iuxtà doctrinam *Glosæ verbo aduocandum in leg. Mancipia Cod. de seruis fugitiuis*: & ideò dictio, *& à reseruatis* quamquam ex sua natura sit copulatiua præcedentium cum sequentibus, vt colligitur *ex leg. si mihi & Titio ff. de verbor. obligationib. & leg. reos ff. cum in tabulis ff. de duob. reis & leg. si hæredi plur. ff. de condit. hist.* & notauerunt *Iason in leg. 1. & num. 3. & sequentibus ff. de iustitia, & iure*, *Decius in consil. 99. num. 2. & cons. 417. num. 1. Natta in consil. 573. n. 14. tom. 4. Parisius in consil. 95. n. 6. volum. 1. Thesaur. in decis. 189. num. 1. Guido Papa in decis. 527. num. 1.* & multi alij, quos ipse citaui in disput. pro iuris Pontificij defension. *disputat. 4. quæst. 4. capit. 2. numer. 2. in fine*; nihilominùs cùm ponatur inter diuersa, seu repugnantia, resoluitur in disiuntiuam, & ponitur pro, vel *Cæned. sing. 50. Barbosa de dictionib. dict. 101. num. 24.* ac subindè non colligi potest, vt idem sensus sit de primo, ac de secundo.

3 Ex his igitur dico, non posse Regularium Præfectos suam pro sibi reseruatorum absolutione confessarijs cuiusuis conuentus ordinarijs committere authoritatem absolutè, nisi aliqua vrgeat rationabilis causa ad id faciendum. Hæc assertio patet ex dictis, tàm in præcedenti quæstione, quam in paulò superiùs notatis. Probari potest in hunc modum. Superior tunc tenetur ex vi Pontificiæ dispositionis suam committere auctoritatem Confessarijs à se pro vnaquaque determinatis domo pro absoluendo a reseruatis, quando occurrit casus, & confessarius in primis committi iudicauerit; igitur non potest absolutè pro omni tempore, & casu illam committere. Totus iste discursus ex dictis est euidens.

4 Sed objicies; tunc sequerentur subditis multa detrimenta, nimirùm, absente Prælato non haberet copiam confessoris, ac subindè absque Sacramentali absolutione posset aut celebrare, aut etiam confessario facultatem non habenti confiteri: Quæ omnia incommoda, & inconuenientia semper Romanus abhorruit Pontifex: vt manifestant verba in proœmio decreti posita; Igitur potiùs Prælatus absolutè tenetur committere facultatem, quàm illam indeterminato tempore, & casu occurrente. Respóndeo, negando antecedens; Nàm semper Prælatus, à quo pro vno tantùm casu occurrente possunt confessarij ad absoluendum pœnitentem petere licentiam, est præsens, cùm conuentualis superior de iure, & ex vi sui muneris, iurisdictionem habet committendi illam, vt q. 10. dicemus ac proindè nul-

lum potest sequi absurdum, seù inconueniens, neq; ex indè aliquod detrimentum subditis Religiosis sequitur.

3 Verùm nō prohibet Pontifex in illis verbis iam explanatis, vt superior non possit aliquando, si subditi necessitas exposcerit, alijs presbyteris committere facultatem ad absoluendum à reseruatis, dummodo confessarijs, quibus illam committit, sint docti prudentes, & Charitate præditi, qui remedia necessaria adhibenda applicare sciant. Neque ipsis Superioribus interdicitur, vt non possint in solemnioribus festiuitatibus, ad spiritualem subditorum consolationem, committere totam suam auctoritatem, vt subditi quemcunque voluerint sibi eligant confessarium, a quo ab omnibus reseruatis absolui possint; hoc enim subditorum exposcit infirmitas: & Summorum Pontificum Paterna benignitas. Nàm solent nonnulli pœnitentes ob solam verecundiam multa committere sacrilegia, & mori potiùs determinant, quàm Superiores adire, & quandoque confessarios ab ipsis determinatos. Vndè *Pater Rodriquez in summa tom. 1. cap. 184. n. 16.* ait; & quidem ego fateor infirmitatem meam, & paucam meam humilitatem, quia peccata venialia, quæ communiter confiteor, pudore corripior confiteri semper eidem confessario; vndè aliquando muto eam. Quòd si doctissimus, & religiosissimus iste Pater de se ita fatetur, certè de alijs atrociora crimina perpetrantibus quid est sentiendum? Quamobrem expediens, quinimmò necessarium est, vt superiores aliquando suam modo dicto committant auctoritatem. Quod si faciant, non solùm èst rationi consonum, verùm etiam sacrosancti concilij Tridentini determinationi *sess. 25. de Regularibus cap. 10.* vbi statuitur, vt Episcopus, vel alius Prælatus ordinarius in monialium monasterijs bis, aut ter in anno constituant alios confessarios, qui Religiosas in cōfessione audiant, easq; ab omnibus peccatis absoluant, ibi; *Præter ordinarium confessorem, alius extraordinarius ab episcopo, & alijs superioribus bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat.* Est enim par in vtroque ratio.

QVAESTIO SEPTIMA.

Vtrum Regularium superioribus taxare liceat pœnitentias, quando facultatem concedunt à reseruatis absoluendi.

CAPVT VNICVM.

Statuitur, quid sit sentiendum, & nonnulla alia ad hanc rem necessaria, tàm à Prælatis, quàm confessarijs obseruanda tanguntur.

SVMMARIVM.

1 *Regularium Prælati possunt, quando suam committunt facultatem alicui confessario ad aliquem absoluendum à reseruatis, pænitentiam taxare.*

2 *Hoc idem possunt etiam pro non reseruatis.*

3 *Quanta prudentia, & moderatio sit necessaria tàm ex parte superioris genus pænitentiæ taxantis, quàm ex parte confessarij illud pænitenti applicantis.*

4 *Licitum est Prælato etiam quamcunque condignam satisfactionem taxare, quando suam committit authoritatem.*

5 *Prælato facultatem concedenti pro reseruatorum absolutione integrum est interrogare culpæ speciem.*

6 *Regularium superior congruè potest sub conditione alteri suam committere facultatem, non solum per modum consilij, verùm etiam per modum legis.*

7 *Peccatorum reseruatio est magis medicinalis, quàm vindicatiua.*

8 *Superior Regularium potest per modum consilij, seù directionis, quando alicui confessariò suam committit facultatem, illi persuadere, vt tali ac tali modo cum pænitente segregat.*

9 *Quomodo se gerere debeat confessarius, quando ei Prælatus concedit facultatem in tali loco, & tempore, vt facilè possit in pænitentis cognitionem deuenire.*

10 *Author consulit, quid in hoc casu securius sit faciendum.*

1 AD hanc difficultatem communiter respōdent Doctores præsertim *Suarez tom. 4. ad tertiam partem disp. 30. sect. 5. num. 3.* quem sequitur *Coriolanus de casib. reser. p. 1. sect. 1. art. 19. Aloysius à Cruce vbi suprà dub. 4. n. 1.* quòd quando confessarius deputatus, aliusuè Presbyter à superiore petit vt sibi potestatem tribuat ad absoluendum aliquem ab aliquo reseruato casu; superior potest liberè talem facultatem concedere, se conscientiæ ipsius confessarij remittendo: potest quoque talem concedere facultatem cum limitatione, seù cum onere imponendi, seù acceptandi talem, talemuè pænitentiam pro tali, taliuè delicto: Nàm ad hoc ius habet superior. Cùm enim sit ordinarius in illa causa iudex, potest eam non simpliciter committere, sed præscribendo modum, seù pænam ferendam taxando: & aliundè hoc ad pænitentis bonum potest expedire. Hoc enim ostendi potest ex antiqua Ecclesiæ consuetudine; Nam erant olim in Ecclesia Canones pœnitentiales, in quibus pœnitentiæ pro delictis grauioribus imponendæ taxabantur. Quarum nonnulla adsunt vestigia apud *Gratianum in fine decreti cap. latorem 33. quæst. 2.* cum *similibus*; Non ergo repugnat pœnam in hoc foro imponendam esse taxatam per eum, qui habet in Ecclesia potestatem. Non est autem cur negemus hanc potestatem superiori, qui, vt potuit sibi reseruare casus, potest quoque ad illorum absolutionem committere facultatem.

2 Accedit, quòd Clemens Octauus in Decreto super casuum reseruatione pro regularibus suprà posito, quamuis superioribus prohibeat Regularium

gularium vltrà modum ibi præscriptum reseruare casus; subdit nihilominus *in §. quinto; licebit tamen superioribus determinare pænitentias graues quibusdam peccatis, etiam non reseruatis, à confessarijs imponendas, quæ subditos ab huiusmodi peccatis perpetrandis cohibere possint*. Ex quibus verbis constat, à fortiori hoc licere in casibus reseruatis, vt illa verba, *etiam à non reseruatis*, probant, & per se est euidens ex paritate rationis; ergo possunt superiores Religionum, secundùm peccatorum reseruatorum species, taxare modum pænæ imponendę ijs, quibus facultas absoluendi ab eis committitur; ergo hoc etiam potest facere superior in particulari commissione, eam tali modo limitando.

3 Et quamquam hæc vera sint, in vsu nihilominùs huius potestatis quammaximè necessaria prudentia est, & moderatio, tàm ex parte superioris imponentis taxantisuè hasce pænas, quàm, ex parte confessarij illas pœnitenti applicantis; regulariter enim loquendo, non videtur necessaria, vt eleganter annotauit *Suarez*, nisi quando superior non multum consideret de prudentia eius, cui talem committit causam, qua in re multum cauere debent superiores, ne in taxando genus pænitentiæ aliquid suspicari possit de confessionis sigillo, vel aliquid aliud, quod resultaret in pænitentis iniuriam, vel vnde ipse met superior in personæ cognitionem posset deuenire. Tunc enim maxima pænitentiæ Sacramento abrogaretur iniuria, ipsaque confessio odiosa, ac onerosa redderetur. Vnde opinor, quòd si pro peccati, v. g. fornicationis, pænitentia facienda taxaretur sanguinis flagellatio, ieiuniumuè rigorosum, nimirùm panis, & aquæ, aliaquè huius generis, ex quibus suspicari facilè posse, pænitentem tale, taleuè peccatum perpetrasse; non posset vtique tunc superior illam taxare, aut determinare, neque confessarius tenetur illam applicare iuxtà modum, & formam, quam superior præscripsit, sed in aliam proportionaliter commutare.

4 Et idem, quod de pænitentia dictum est, intelligendum quoque venit de quacunque condigna satisfactione, aliauè conuenienti medicina, si iuxtà causæ exigentiam moraliter necessaria,
5 aut valdè conueniens iudicetur, & propter finem hunc licebit aliquando superiori interrogare culpæ speciem, aut consuetudinem, aliasuè circumstantias, in quantum sine manifestatione, suspicioneuè personę declarari possint; cum hoc enim periculo nec ipse interrogare debet, neque alter respondere tenetur: quod est maximè aduertendum.

6 Aliquando etiam poterit superior illam cautionem, seù limitationem adhibere absque delicti speciali notitia, sub conditione: videlicet, si huiusmodi fuerit delictum, imponatur hæc satisfactio. Quod quidem per modum consilij frequenter fieri solet. Et *Pater Suarez* addit, fieri etiam posse per modum legis, seù præcepti; non est tamen, inquit, in vsu, vt fiat; & ideò sine magna, & extraordinaria causa non est faciendum, & multò minùs committenda est iurisdictio tanta cum dependentia ab hac conditione, vt, nisi impleatur; v. g. nisi imponatur talis pænitentia, & acceptetur, absolutio aliàs collata sit nulla; nàm hoc & nimis rigorosum est, & periculis expositum, & in rigore quandoque esse potest iniustum, eò quòd pæna huius fori nunquam tanta necessitate præscribitur, quin committatur aliquod arbitrium iudici, vt, an sit iuxtà dispositionem, vel alias pænitentis conditiones, viderit, illumque tantæ esse pœnæ debitorem, nec ne, aut illi non expedire: posset eam (vt paulò superiùs diximus) moderari, quia huius fori pœna magis medicinalis est, quàm vindicatiua; omninò ergo priuare hoc arbitrio iudicem, iniustum esset: relinquere autem illum cum periculo faciendi sacramentum irritum, seù nullam conferendi absolutionem, esset quoque imprudentissimum, & forsan hanc ratione aliquando iniustum; ideòque nunquam est hæc conditio illo modo ponenda: Quòd si ponatur, tunc attendere debet confessor, ne illam executioni mandet: & eò maximè quando huiusmodi periculum facilè euenire posse probabiliter cognoscit.

8 Non nego tamen, posse superiorem per modum cuiusdam consilij, seù directionis, aut ordinationis ad summum, confessario persuadere, vt tali modo se tali cùm pænitente gerat, vt tale, talemuè illi imponat pęnitentiam, remittendos se prudentis confessoris iudicio, si pœnitentis conditionibus, & temporis circumstantijs consideratis, id expedire iudicauerit.

9 Quæres; quid facere debet confessarius, quando superior concedit facultatem in tali loco, & tempore, vt facilè possit in cognitionem peccatoris deuenire? Respondeo, casum occurrere posse, & similis proponitur, & resoluitur à *Rodriquez in 1 tom. summæ capit. 35. num. 15.* Quidam confessarius cuiusdam conuentus, qui confessiones audit Choristarum, seù Clericorum, à Prælato facultatem petijt ad quendam suum absoluendum pœnitentem, qui prælatus illam præstare noluit, quia sic ei visum est conuenire. Et vt in peccatoris cognitionem tempore, & hora, qua omnes Choristæ ad communiones conuenerat, deuenire posset, dixit confessario prædicto; *tibi facultatem concedo, quam mihi hodie petijsti*. Quod fecit in occasione illa, quia pro breuitate temporis putauit, confessarium vocaturum illum Religiosum ad eum absoluendum, & sic cognoscere illum. Confessarius verò sagax, & prudens non debet eo casu vocare iuuenem pænitentem, sed sufficit, quod quando dicitur confessio (scilicet *confiteor Deo omnipotenti*) pro sacra communione sumenda, simul absoluat illum ab omnibus peccatis, quæ audiuit, licèt pœnitens nesciat hanc absolutionem. Hactenus *Rodriquez*.

10 Hic absoluendi modus quamquam in praxi viderim assecutum, placere mihi nunquam potuit. Vndè aliter ipse consulerem, vt postea

capta temporis opportunitate, seriò eum absoluat: nam licèt ab excommunicatione dari possit absolutio non solùm absenti, verùm quoque & ignoranti, vt Doctores omnes tam Canonistę, quàm Theologi in materia de censuris docent; tamen hoc fieri nequit in peccatorum absolutione. Quamobrem existimo, quòd in similibus casibus melius esset ad communionem sumendam accedere, ad vitandum scandalum, & notam. habita tamen priùs contritione, ac si ibi non esset copia confessoris, & posteà capta temporis opportunitate iterùm sua confiteri peccata cum confessario, qui facultatem petierat. Et eò magis hoc mihi venit dicendum, quia in illa absolutione, quæ fit ante Sacramenti Eucharistię susceptionem, non datur, neque dicitur propria absolutione forma, nimirum, *Ego te absoluo*, sed ibi dumtaxat fit deprecatio, *misereatur tui, indulgentiam, &c.* & nihil aliud; igitur ille talis pænitens nullo modo censeri potest absolutus, & cõsequenter nec liber à præsentatione, nisi dicatur, quòd anteà confessarius iam à peccato eum absoluerat, promiseratque se à superiore pro præsentatione licentiam petiturum, illamuè absolutè consecuturum. Et in hoc quoque non deest difficultas, prout ex infrà dicendis parebit; cautius ergo erit, vt si post receptam sacrosanctam Eucharistiam cófiteatur integrè.

QVAESTIO OCTAVA.

Vtrum denegata à superiore authoritate iniustè, censeatur concessa, ita vt absolui possit subditus à quocunque idoneo confessario à reseruatis?

CAPVT PRIMVM.

Quid hac in re Moderniores senserit Doctores refertur.

SVMMARIVM.

1 *Facultas absoluendi à reseruatis iustè negata à superiore non satis est, vt subditus valeat à quocunque alio Presbytero absolui.*

2 *Facultatis petitio non sufficit ad iurisdictionem obtinendam.*

3 *Negante superiore facultatem, non statim ipso iure dat illam alius supremus Prælatus, vt nonnullis placet.*

4 *Iurisdictio absoluendi à peccatis quo sit concedenda.*

5 *Nemo potest sine proprij licentia alieno confiteri Sacerdoti.*

6 *Quid sit faciendum, quando Prælatus iniustè negat suam facultatem alicui subdito petenti?*

7 *In hoc casu subditus segerere debet ac si nulla esset copia sacerdotis.*

1 SVarez *ad teriam partem D. Thomæ tom.4. disp. 27. sect. 4. concl. 2. n. 2.* & expresiùs *n. 22. vers. 2. dicendum est Emmanuel Rodriquez tom. 1. quæst. regular. q. 20. art. 30. Expresiùs verò tom. 4. de Religon. lib. 2. cap. 29. n. 21. Portel. dub. regular. verbo, casus reseruati vers. si Prælatus iniustè neget, Vasqu. ad 3. p. q. 93. art. 2. dub. 3. n. 5. Reginald. lib. 1. cap. 8. dub. 3. n. 84.* & alij statim citandi tenere videntur, Prælatum iniustè subdito suam negantem facultatem, vt absolui valeat à quocunque alio idoneo Presbytero, non sufficere ad sacramenti validitatem petitam, & non obtentam licentiam. Addit *Suarez* ita sentire *D. Thomam in 4. dist. 17. q. 3. art. 3 quæst. 4. ad 5. & 6.* quatenùs ait; *in huiusmodi casibus se debere pænitentem gerere tanquam eum, qui non habet copiam confessoris, & opusc. 19. ob hanc causam* dicit, *superiorem negantem iniustè hanc facultatem, & sibi, & subdito damnationem acquirere, quia peccat mortaliter: Alexand. Alens. 4. p. q. 77. membro 3. art. 1. ad primum Marsil. in. 4. q. 18. art. 1. 4. p. illius conclus. 2. ad 4. & 5. contra illam, Sotus in 4. q. 7. art. 5. dub. 1. & 2.*

2 Verùm citati Doctores apud *Enriquez lib. 3. de pænitentia cap. 13. n. 6. & cap. 15. n. 5.* & apud *Rodriquez* non ita loquuntur, vt cap. sequenti videbimus. Hanc sententiam *Suarez, & Vasquez*, nec non *Reginaldus* his sequentibus rationibus alio, & alio formatis modo probare contendunt. Primò, quia sola facultatis petitio non satis est ad iurisdictionem obtinendam: quin potius eò ipso, quod negatur facultas à superiore, euidens est, ab illo non pari iurisdictionem: quandoquidē ex negatione constat, nō dare talem facultatem: nec voluntas debita, seù potius obligatio volendi sufficit ad conferendam iurisdictionem, nisi voluntas adsit, vt per se notum est, quia aliud est debere, aliud facere, seu soluere.

3 Secundò, negante superiore facultatem, non statim ipso iure, ipsoue facto dat illam alius supremus Prælatus, quia, vel hoc est ex sola præsumptione, & hoc nullius est momenti, quia ibi nullum interuenit signum talis concessionis, nec aliqua consuetudo, vel quid piam simile, quod ostendat talem in illo superiore voluntatem: vel hoc est ex virtute alicuius iuris Pontificij, & hoc nullum est; Nam si aliquod esset, esset maximè Capitulum, Placuit de pænitentia, & remissione. Illud autem non loquitur de hac re, vt per se patet: Vel hoc est ex vi iuris Diuini positiui dantis iurisdictionem omnibus sacerdotibus, vel facultatem eligendi confessorem omnibus fidelibus quandocunque, cessat obligatio proprio confitendi sacerdoti: & hoc etiam supponit falsum fundamentum; quia Christus nullam talem concessit fidelibus facultatem: neque vllus sacerdos potest hanc habere delegatam iurisdictionem, nisi mediante aliquo proprio sacerdote: vel denique quia hoc est ex vi iuris naturalis, supposita institutione, & hoc etiam est fictùm, & sine fundamento: Nam licèt aliquis iniustè re sibi debita priuetur, non statim ei conceditur ipso iure naturali.

4 Tertiò, quia hæc iurisdictio ab aliquo danda est: non aut datur ab aliquo homine, vt ostensum est: dicere autem quòd datur à Christo, fictum & voluntarium est; nam licèt casu, vel iniuria desit necessarium remedium ad salutem institutum, non statim Christus ipse dispensat, vel prouidet aliquid; vt si desit aqua ad Baptismū quantum-

quantumuis necessaria, non statim dispensat Christus, vt sufficiat vinum; sic ergo si deest iurisdictio, & per aliquam ordinariam & debitam viam non datur, non propterea statim immediatè datur ab ipso Christo propter vnius necessitatem, alteriusuè iniuriam.

5 Et confirmatur quia Generalis regula est iuris, vt nemo confiteatur alieno sine licentia proprij in cap. omnis vtriusque sexus de pænitentia, & remissione. Et in alijs iuribus solum additur exceptio de articulo mortis, vt si in eo sit necessitas Ministri alieni, confessio fieri posit cuilibet sacerdoti. Et hoc ipsum censendum est à primis Ecclesiæ pastoribus concessum, & consuetudine, ac iure firmatum; Ergo non licet nobis aliam exceptionem facere: præsertim quia (vt aiunt Iurisperiti) Exceptio firmat regulam incontrarium.

6 At si quæras, quid in hoc casu est faciendum? Respondet *Suarez loco quo supra*, recurrendum esse ad superiorem: quod si hoc neque locum habeat, differenda erit confessio, donec melior opportunitas occurrat, sibique per cōtritionem prouideat. Nec mirandum est, quòd ex iniuria,
7 negligentiauè Prælati posit interdum subditus redigi has in angustias; quia hoc morale & humanum est, nec generalis prouidentia potest omnia incommoda, atque pericula euitare. Ac proindè doctissimus *Suarez* voluisse videtur, in hoc casu ita gerere se debere subditum, ac si nulla esset copia sacerdotis; & sic si vrgeret præceptum de communione facienda, vel scandalum esset eminens, sola contritione præmissa, potest sacerdos celebrare, & alij subditi Eucharistiam sumere, ad effectum euitandi scandala.

CAPVT SECVNDVM.

Alia Doctorum Placita referuntur, determinaturque, quid sit sentiendum iuxta propriam Authoris sententjam.

SVMMARIVM.

1 *Regularium superiores non solùm negare posse suam subdito petenti facultatem, verùm etiam aliquando teneri, qui docent.*

2 *Confessor quando ex præsumpta maioris superioris, seu Papæ absentis* licentia *potest subditum absoluere à reseruatis.*

3 *Quid Pater Rodriquez sibi contrarius in hoc casu senserit.*

4 *Iniustè negata à superiore facultate, nullus inferior confessarius ex sola præsumpta alterius Superioris potest à reseruatis absoluere.*

5 *Superiore suam negante subdito petenti facultatem iniustè pro reseruatorum obtinenda absolutione, haberi pro obtenta, docet Author.*

6 *Ad hoc adducitur Pauli V. Decretum.*

7 *Decretum prædictum Pauli V. fuit in toto nostro Minorico ordine à Reuerendiss. P. Fr. Bernardino de senis Ministro Generali publicatum.*

8 *Cuique licitum est, ob proprij sacerdotis ignorantiam, alienum eligere.*

9 *Capitulum, Placuit de pænitentia dist. 6. est explicandum iuxta textum Capituli, omnes vtriusque sexus de pænitentia, & remissione.*

10 *Decretum Pauli V. quomodo sit intelligendum, explicatur.*

11 *Quando superior iustè suam negat facultatem, an habeat locum prædictum Decretum Pauli V.*

1 QVam plures verò alij Doctores sentiunt, Superiorem negare posse facultatē subdito petenti iustè; nimirum quia ex facultatis concessione interdum ruunt in maximam subditi ruinam, & peiores in dies euadunt; quinimò aliquando tenetur, prout tradunt *D. Thomas loco citato verb. confessio 1. §. 3. Victoria in summa cap. 4. n. 145. Nauarr. in cap. placuit, & alij.* Et in hoc casu à nullo subditus absolui potest, quādo ei est hoc modo denegata licentia; eò quòd hac negata, cùm inferior confessarius nihil in reseruata proprio iure persuadere debet subdito, vt superiorem adeat. Qui quando iniustè negat suam facultatem, nec quoque est inferior absoluere; Nam ideò absente superiore absoluit inferior à reseruatis indirectè, quia præsumitur tacitam illius habere facultatem. Fatetur nihilominùs, quod propter scandalum euitandum, liceret pœnitenti contrito celebrare, aut Eucharistiam sumere, si timet malum graue, eò quòd suo Prælato id reseruatum confiteatur. In quo Authores isti cum Doctoribus primæ sententiæ
2 conueniunt. Addunt nihilominùs ex hoc fundamento, quòd in periculo potest inferior absoluere à reseruatis ex tacita commissione maioris Religionis Præfecti, aut Papæ absentis, qui iniustè negatam facultatē videtur ipso iure concedere, Ita sentit *Enriquez loco citato*, & allegat pro se *Sotum in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5. ad 2. Ledesma quæst. 7. art. 5. Victoria vbi suprà, Silu. verb. confessio 1. §. 19. Caietan. in summa verbo, Confessio 10. final.* Vbi addit, meliùs esse, confiteri etiam reseruata, quàm sine confessione communicari. Fundamentum principale est, quòd si ad euitandum scandalum Doctores concedant huic maioris sacramenti communionem, cur negare possunt, licere absolutionem?

3 Hęc doctrina minimè placet nostro doctissimo *Rodriquez*, qui licet in editionibus ad summam *lib. 3. cap. 6. conclus. 6.* docuisset licentiam iniuste negatam esse ipso iure concessam, his verbis; *notetur, quod si superior neget licentiam, ad hoc vt subditus absoluatur de aliquo casu reseruato, debet indicari, ac si obtineretur à superiore illius superioris; quia si hic superior neget illam iniustè, cùm sit præsens, debet iudicari de illo, ac si esset absens, aut debet iudicari, quod superior maior, qui est absens, concedit eam.* Nihilominùs si contrarius reijcit hanc sententiā in quæstionibus Regular. *quæst. & art. citatis* & concedit, posse in tali periculo subditum constitutum cùm sola contritione celebrare, aut Eucharistiam summere, neque hoc, inquit, esse contra *Tridentinum sess. 14. de Sacramento Eucharistiæ cap. 7. diffiniens*, confessionis sacramentum præcedere debere communioni, eò quòd ibi loquitur,

loquitur, quando adest copia confessoris. Verùm necessitate vrgente, si copia non adest confessoris, licebit tunc cum contritione cuique sacerdoti accedere ad sacrum celebrandum mysterium, vel ad Eucharistiam sumendam. Quando autem negatur facultas absoluendi à reseruatis, videtur pœnitens copiam non habere sacerdotis, ac subinde potest cum sola contritione, ad euitandum scandalum, aut celebrare, aut communionem sumere.

4 Non potest tamen aliquis inferior confessarius, negata iniustè authoritate Prælati etiam in dicto periculo absoluere à reseruatis cum sola præsumpta alterius superioris; cùm ipse inferior ad ea peccata iurisdictionem non habeat; quam si concedamus, inquit, dari per licentiam præsumptam alterius superioris, Generalis nimirum, aut Papæ; sequeretur, quòd iurisdictio daretur per facultatem præsumptam, & aperietur, (vt eius verbis vtar) quædam ampla porta ad fundandam iurisdictionem ex sola præsumpta voluntate; & sæpissimè neruosum vinculum reseruationis dilueretur si liceret pænitentibus negata iniustè, & tyrannicè à pœnitentiarijs maioribus absolutione, recurrere ex præsumpta voluntate Papæ ad quemlibet confessarium. Hæc ille. Et in hoc conuenit cum opinione *Suarez*, & aliorum. Quamobrem pro illa ipsum allegari, concedit tamen in fine illius articuli, quòd negante suam dare Prælato autoritatem ad reseruata, quam habet ratione priuilegiorum, si adest aliquod graue periculum, potest tunc pænitens absolui à confessario approbato à non reseruatis, quia remanebit cum debita contritione absolutus indirectè à reseruatis cum obligatione confitendi habenti ad ipsa specialem iurisdictionem. Idem sentit *Pater Miranda tom. 2. sui Manualis quæst. 34. artic. 9.*

5 Verùm enim verò *Patris Suarez* sententia mihi quammaximè probatur, tùm ob tot, tantorumque Doctorum authoritates tùm ob fundamenta, quæ certè conuincunt. Secunda autem sententia sua etiam nō caret probabilitate; est enim benignior, & multum Pontificijs determinationibus conformis, pro vt paulò inferiùs dicemus; Igitur firmiter, constanterque tenendum est superiorem suam negando subdito petenti facultatem iniustè pro reseruatorum obtinenda absolutione, haberi pro obtenta. Ita sentiunt *Coriolanus de casibus reseruatis parte 1. sect. 1. art. 17. Fr. Martinus de Sancto Ioseph in expositione nostræ Regulæ cap. 16. n. 20. Ioannes à Trinitate in expositione casuum reseruatorum in nostro minorico ordine*, & nouissimè *Aloysius à Cruce in expositione Bullæ Cruciatæ disp. 1. cap. 3. dub. 3. num. 7. Pater Toletus* idem sentire videtur *lib. 3. summæ cap. 13.* vbi, inquit; pœnitens petere debet licentiam ab eo alteri confitendi, vel à superiore, qua non obtenta, potest cuiuis idoneo cōfiteri, iuxta *Syluestrum verbo, confessor 1. §. 6. Adrianus de confessione q. 4. dub. 3. Paludanus, Ricchardus in 4. Nauarrus in cap. Placuit* idem expressiùs tenet *Hostiensis in cap. omnium vtriusque sexus de pænitentia, & remissione.* citari quoque possunt pro hac sententia *Diuus Bonauentura in 4. dist. 19. art. 3. q. 1. in fine corporis*, & omnes Authores secundæ sententiæ, præsertim *Enriquez loco ibi citato*. Est enim hæc nostra assertio iuxta illam sententiam. Ostendi autem potest robustissimo fundamento, nimirùm Pauli Quinti decreto, qui declarauit; *vt si huiusmodi regularium confessarijs casus alicuius reseruati facultatem petentibus superiores dare noluerint; possint nihilominus confessarij, illa vice pænitentes Regulares, etiam non obtenta facultate, absoluere*, hæc verba Decreti transcripsimus ex proprio decreto de verbo ad verbum ex Generalibus decretis ad Regularium reformationem, ac nouitiorum receptionem professionem, & institutionem spectantibus aliàs factis, & publicatis ab eodem Paulo V.

7 Et Reuerendissimus Pater F. noster Bernardinus de Senis in suis Constitutionibus Generalibus mandauit, huiusmodi Decretum in toto nostro minorico ordine publicari ac obseruari, pro vt refert *F. Martinus de Sancto Ioseph loco quo suprà*; quo posito cessat hac in re omnis difficultas.

8 Nec deficit ad hoc ostendendum robustum fundamentum: quoniam, vt eleganter *Hostiensis dicit in dicto capitulo omnis vtriusque*, si licitum est eligere alienum sacerdotem, propter ignorantiam sacerdotis proprij, vt ferè omnes concedunt, neque negant authores primæ sententiæ præsertim *Vasquez loco citato*, vbi existimat, in hoc casu secundam sententiam esse verissimam, cùm sic ait; Adhuc tamen hæc sententia, mihi non placet (loquor de opinione in primo relata capite) ita vniuersaliter, quia saltem (*vt docent Ioannes Medina Cod. de confessione q. de confessione mulieris, quæ cum suo Curato fornicata est, & Nauarrus in cap. Placuit de pænitentia dist. 6. n. 75.*) in casu ignorantiæ proprij sacerdotis vera est prior opinio eadem, & non minori ratione, propter malitiam, & iniustitiam, aliàs non videretur sufficiēter peccatorum necessitati prouisum. Nam tunc ipso facto sua malitia, atque iniustitia spoliatur iurisdictione circa illum, & illa committitur alteri, quem elegerit pænitens.

9 Id optimè colligitur *ex d. c. Placuit*, vbi cōceditur facultas eligendi confessorem propter ignorantiā proprij, quæ decisio (inquit *Adrian. de conf. q. 4. dub. 8.*) est intelligenda iuxta definitionem capituli, omnis vtriusque de pænitentia, & remissione, vbi dicitur, quòd petatur licentia, & obtenta priùs, confiteri possit cuique alieno ita vt saltem in illis casibus assignatis obtinere debeat licentiam, sed ita intelligatur, si potest illam obtinere: quòd si obtinere non valeat, alium loco illius eligere potest.

10 Superest, vt duo circa Pauli V. Decretum aduertamus. Primùm est, illud Decretum habere quoque locum, quando superior subdito sibi veniam petenti, vel confessario pro à reseruatis absoluendo negat iustè, ac rationabiliter suam authoritatem, eò quòd absolutè & indefinitè

Summus

Summus Pontifex ibi loquitur; qua propter nulla est ratio, qua distinguere debemus, denegationem facultatis iustam, vel iniustam; quia vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

11 Alterum est, non posse poenitentem licitè, ac validè absolui ab inferiori sacerdote, quando Prælatus iustè suam negauerit illi concedere auctoritatem, si aliàs ipse absolutus fuerit, non obtenta ipsius venia; eò qod Summus Pontifex pro vna duntaxat vice id indulsit. Ita ostendunt illa verba, nimirum, pro illa vice; nam lv, ille pronomen, ita restringit, ac determinat facultate, vt singulariter, atque indiuidualiter intelligatur, ita vt extendi nequeat: ac proinde si malitiosè per alium sacerdotem petat sibi concedi facultatem absoluendi à reseruatis, & prælatus illam concedere negat, non satis erit, quòd fuerit facultas postulata, ad hoc vt validè ex illa negatione absolui valeat: opposito enim dato, sequeretur euidenter, quòd reseruationis finis esset futilis; etenim tunc Prælatus non posset illa adhibere remedia, quæ subditorum fragilitas exposcit, neque illam vtilitatem, quam ex peccatorum reseruatione suediti recipere possent, consequeretur. Quod est valdè notandum à confessarijs in nostris reformatis Prouincijs in Regno Siciliæ existentibus.

QVAESTIO NONA.

Vtrum Prælati supremi nostri ordinis Regularis obseruantiæ Seraphici Patris nostri S. Francisci concedere valeant subditis petentibus, vt extra ordinem à reseruatis à quocunque sacerdote absolui possint.

CAPVT PRIMVM.

Ponitur Prima sententia cum suis fundamentis.

SVMMARIVM.

1 *Prælatos nostri Ordinis non posse suis subditis concedere veniam ad extra ordinem confessorem eligendum, qui eos absoluere valeat à peccatis eisdem met Prælatis Reseruatis, qui affirmant.*

2 *Constitutio Bonifacij Octaui interdicentis facultatem superioribus præstandi suis subditis veniam, vt extrà Ordinem confiteri valeant, adducitur.*

1 NVllo modo nostri ordinis Prælatos suis posse concedere subditis licentiam ad extraordinem confessorem eligendum, siuè sæcularem, siuè Regularem, qui eos absoluat à peccatis eisdemmet Prælatis reseruatis, voluere nonnulli nostri ordinis DD. Hi sunt *Pisanus, & Vgo in expositione nostræ Regulæ.* Idem sentit *speculum fol. 16. &c.* Moderniotibus *F. Ioannes Ximenez ex nostris discalceatis super regulam cap. 7.* Fundamentum principale, quo putant hi Authores suam probare opinionem, est, quia aiunt, sic præcipi in septimo nostræ Regulæ Capit. his verbis; *si quis fratrum, instigante inimico, mortaliter peccauerit, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter fratres, vt recurratur ad solos Ministros Prouinciales, teneantur prædicti fratrês ad eos recurrere, quàm citiùs potuerint, sine mora. Ipsi verò Ministri, si Prasbyteri sunt, cum misericordia iniungant illis pænitentiam: si verò Presbyteri non sunt, iniungi faciant per alios sacerdotes ordinis sicut eis secundum Deum melius videbitur expedire.* Vbi præcipitur, quòd à casibus sibi reseruatis absoluant Prælati, vel quòd suam committant auctoritatē, vt alius ordinis sacerdos absoluat; Igitur extra ordinem ex vi Regulæ nemo Prælatorum committere potest suam auctoritatem pro à reseruatis absoluendo.

2 Confirmatur; quia Bonifacius Octauus vniuersis nostri ordinis Religiosis inhibuit, vt nullo modo extra ordinem confiterentur, prout habetur in compendio verbo, confessio n. 1. his verbis; *Inhibemus vniuersis fratribus vestri ordinis, ne aliquis eorum, nisi in necessitatis articulo, alijs, quàm Prælatis suis peccata sua confiteri præsumat, vel alijs sacerdotibus eiusdem ordinis secundùm Regulam, & ipsius ordinis statuta.* Hæc ibi. Ex quibus apertè colligitur, nullum Prælatorum, nec etiam Generalem Ministrum veniam præstare posse alicui extra ordinem sacerdoti, vt audire possit fratrum nostri ordinis confessiones; multò minùs eandem licentiam pro à reseruatis absoluendo valent concedere; quia si interdicitur id, quod est minoris ponderis, à fortiori, quod est maioris prohiberi videtur. Hæc sunt maiora fundamenta, quibus hæc innititur opinio.

CAPVT SECVNDVM.

Opinio affirmatiua vt probabilior proponitur sequenda.

SVMMARIVM.

1 *Capitulum septimum nostræ Regulæ non loquitur de fratrum peccatis occultis, sed de publicis, & manifestis.*

2 *An omnia, quæ in dicto capitulo continentur, sint præceptiua?*

3 *Declaratur prædictum capitulum, ostenditurque, ea omnia, quæ in illo continentur, non esse præceptiua.*

4 *Recursus fratrum peccantium, duntaxat ad Ministros Prouinciales cadit sub præcepto.*

5 *Non solum Reuerendissimum nostrum Patrem Ministrum Generalem, verùm etiam omnes alios Prouinciales Ministros suis posse præstare subditis facultatem ad quemlibet Prasbyterum eligendum extra Ordinem pro reseruatorum obtinenda absolutione, probat Author.*

6 *Quidquid possunt Episcopi in propria Diœcesi circa peccatorum absolutionem reseruatorum, possūt Ministri Generales in toto Ordine, & Prouinciales in tota Prouincia.*

7 *Constitutio Clementis Quarti relata cap. 6. constitutionum Generalium* Tolet. §. de absolut. *exponitur.*

8 *Confessio facta cuicunque sacerdoti extra ordinem non opponitur alicui nostræ Regulæ præcepto, seù consilio.*

9 *Bonifa-*

9 *Bonifacij octaui Constitutio quomodo sit intelligenda, declaratur.*

1 VT quid reuera in hac quæstione sentiendum sit statuamus aliqua tam ex nostra Regula, quàm ex Constitutionibus, prius sunt præmittenda necessariò. Obseruandum est primò, nostræ Regulæ Cap. illud septimum præcedenti capitulo relatum non loqui de peccatis occultis; sed de publicis, & manifestis dumtaxat. Ita seraphicus noster *Diuus Bonauentura super Regulam cap. 7. & Corduba ibidem quæst. 1.* qui allegat *Gregorium V. Innocentium IV. Vgonem, & Pisam super eodem capitulo; & serenam conscientiam cap. 9. §. 5.* & docent hi Doctores hoc cap. ad Ecclesiæ antiquam consuetudinem, facere allusionem; quando superiores publicas publicis pro peccatis imponebant pænitentias. Hinc infertur, istud Septimum Caput non loqui de pœnitentia, seu sacramentali confessione, sed de pœnitentia, & punitione à Prælatis ordinis subditis publicè peccantibus imponenda: & hoc ita esse, expressè cōstat ex Textu, vbi dicitur; *Ipsi ministri iniungant illis* (idest fratribus peccantibus) *pænitentiam, vel iniungi faciant*. Quæ verba minimè sacramentalem important absolutionem.

2 Obseruandum est secundò, quòd quamuis in illo septimo Capitulo Regula nostra de confessione sacramentali faceret sermonem, nihilominus tamen Ministris Prouincialibus non præcipiebat, quòd pro à casibus sibi reseruatis absoluendo, si Presbyteri non essent, suos remitterent subditos ad ordinis nostri dumtaxat sacerdotes. Pro cuius intellectu, cum *Ioanne de Trinitate in expositione casuum in nostro minorico ordine reseruatorum dub. 6.* moneo ea, quæ continentur in hoc capitulo, non esse omnia præceptiua: sed aliquid in eo contineri, vt obligatorium aliquid verò vt consilium, & admonitionem dumtaxat; quod discrimen ferè in omnibus nostræ Regulæ Capitulis reperitur. Quod enim cadit sub præcepto, & obligatorium est in hoc septimo Capitulo, est recursus ad Prouinciales Ministros pro illis peccatis, de quibus ordinatum est, vt ad illos tantùm recurratur; & quòd recursus iste sub precepto cadat, patet ex particula illa, *teneantur*, iuxta Clementis V. expositionem: alia verò in hoc Capitulo contenta, nimirùm, *quòd Ministri, si Presbyteri sunt, cum misericordia iniungant illis pænitentiam; & quòd iniungi faciant per alios sacerdotes ordinis, si ipsi Ministri non sunt Præsbyteri*; non præcipiunt, nec habent vim præcepti, sed consilij dumtaxat, veluti ea, quæ sequuntur, scilicet, *quòd Ministri non conturbentur, neque irascantur propter peccatum alicuius*.

3 Quod hæc sit vera, & germana huius Textus expositiò, ex omnium nostræ Regulæ expositorum auctoritate ostendi potest; Nam ferè omnes præcepta, quæ in nostra continentur Regula, numerantes, recursum dumtaxat ad Ministros Prouinciales adscribunt. Vlteriùs, si omnia in hoc contenta Capite sub præcepto essent, sequeretur, illud esse plenum præceptis, ac subinde nostra Regula plus quàm vigintiquinque, & quàm triginta includeret: essentque ad minus in hoc capite quinque obligatoria præcepta, nimirum Recursus ad ministros, imposita pœnitentia cum misericordia, quod Ministri; si Præsbyteri sunt, imponant per se pœnitentiam; si non sunt Presbyteri, pœnitentiam imponendam ordinis sacerdotibus committant, non irasci, nec conturbari propter alterius peccatum.

4 Si verò aliquis dicat, hæc quinque non habere cum præcepti, sed solùm ad Ministros Prouinciales recursum, & modum imponendi pænitentiam per Ministros, aliosuè ordinis sacerdotes; Respondet *Ioannes à Trinitate*, & benè, hoc esse voluntariè dictum; Nam verbum, teneantur, ex quo colligitur esse in hoc capitulo aliquod præceptum, omnes partes relatas antecedit; ergo si cadit super pænitentiæ impositionem per Ministros, vel per alios ordinis Presbyteros, quoque super alias similiter partes cadet: nulla enim potest esse maior ratio in illis, quàm in istis. Cùm igitur inconueniens sit asserere, hoc capitulum tot præceptis esse plenum, dicendum est, recursum dumtaxat fratrum peccantium ad Ministros Prouinciales imponi sub præcepto; ex eò quòd verbum, *teneantur*, immediatè cadit super illam partem, *recursus ad Ministros*: sic enim habetur; *teneantur fratres ad eos* (scilicet Ministros) *recurrere quàm citiùs potuerint, sine mora*.

5 His ergo obseruatis, tenendum est firmiter, non solùm Ministrum Generalem, verùm & omnes alios Ministros Prouinciales suis subditis facultatem impertire posse, vt eligant quemlibet extra ordinem Presbyterum, (siuè sit Regularis, siuè sæcularis) qui eos absoluat à peccatis, & casibus eisdem met Prælatis Reseruatis. Hæc assertio est certa de iure communi, prout nouissimè docet *P. Diana 4. p. tract. 4. miscell. Resolut. 2. in principio*, eamque docet *Ioannes à Trinitate loco citato*. Ostendi autem potest primò, quia Prælati nostri ordinis supremi, si præstare nō possent subditis facultatem vt cuilibet Presbytero extra ordinem confiteantur, etiam de reseruatis, hoc maximè esset; quia aliqua speciali lege eis interdiceretur: atqui nulla est assignabilis; igitur. Maior patet. Consequentia est euidens. Minor, in qua esse potest tota difficultas, probatur, quoniam si aliqua potest assignari ab aduersarijs lex prohibens, ne superiores supremi suam committant facultatem subditis, vt extra ordinem confiteantur, hæc esset Capitulum septimum nostræ Regulæ, prout Doctores primæ sententiæ voluere: Hoc autem minimè obstat; igitur nulla est assignabilis lex talem faciens prohibitionem. Consequentia, & Maior sunt manifestæ, minor probatur, quia, vt docent seraphicus noster *Bonauentura, Corduba*, & alij, caput illud septimum nostræ Regulæ minimè de peccatis loquitur occultis, nec de sacramentali pœnitentia, sed de peccatis dumtaxat publicis, & de pænitentia, aut punitione ad externum pertinente forum. Igitur mini-

c mob-

mè obstat hoc Capitulum septimum nostræ Regulæ, *Vt Prælati subditis non valeant concedere facultatem ad extraordinem sacramentalem faciendam confessionem*; eò quòd regula id non prohibet.

Secundò probatur, quia dato, quod capitulũ hoc septimum loqueretur de pœnitentia, atq; sacramentali confessione, nihilominùs tamen non esset eis prohibitum sacerdoti extra ordinẽ auctoritatem à casibus sibi reseruatis absoluendi committere; Etenim pars illa de iniungendo pœnitentiam per sacerdotes ordinis non habet vim præcepti, sed tantùm consilij, vt suprà ostensum est ergo.

6 Tertiò probatur, quoniam id ipsum valent cõcedere Episcopi, nimirùm facultatem sacerdoti alterius Episcopatus, vt à casibus sibi reseruatis absoluat; igitur hoc quoque possunt ministri Generales, & Prouinciales, cùm eorum dignitas, & iurisdictio dignitati, & iurisdictioni Episcopali æquiualeat.

7 Sed obijcies Clemens Quartus, pro vt referunt nostræ Generales Constitutiones Toletanæ *Cap. 6. §. de absolutione*, in quadam sua dispositione pro fratribus nostris statuit, esse conforme, & Regulæ nostræ quàmmaximè consentaneum, nos confiteri Prælatis, aut confessoribus per ipsos deputatis, non verò sacerdotibus extra ordinem; Igitur videtur esse prohibitum superioribus ex vi Regulæ auctoritatem concedere fratribus nostris, vt extra ordinem confiteantur sacerdotibus, tam Regularibus, quam sæcularibus. Respondeo, negando consequentiam; non enim benè infertur ex illa Apostolica constitutione, nam ibi Pontifex non asserit, esse Præceptum Regulæ prohibens, ne fratres extraordinem confiteantur, sed solùm dicit, esse Regulæ consonum. Sensus igitur constitutionis est, quòd iuxta consilium (non præceptum) in Regula capite septimo contentum, debemus non confiteri sacerdotibus extra ordinem, sed nostri ordinis.

8 Verùm si concedamus, quòd in hoc septimo capite sit sermo de pœnitentia, seù sacramentali confessione (quod nullo modo est concedendum) & cum communi expositorum sententia asseramus, quòd Regula loquitur dumtaxat de publica pœnitentia extra sacramentum publicis imponenda peccatis; censendum consequenter est, quòd confessio cum venia Prælatorum ordinis facta sacerdoti extra ordinem non opponitur alicui præcepto, nec vlli Regulæ consilio. Vn è ad Clementis IV. constitutionem responderi potest, quòd non confiteri extra ordinem sacerdotibus, sed Prælatis, vel ordinis confessoribus, ideò est Regulæ conforme, atque consentaneum, eò quòd secundùm eam subijci tenentur subditi in foro sacramentali pænitentiæ nostris Prælatis, qui ab ordinis principio semper statuere, quòd sic, & non aliter, id est quòd eis, vel alijs ordinis confessoribus, non verò extra ordinẽ Presbyteris, nisi de eorum Prælatorum licentia, suorum subditorum esset facienda cõfessio.

9 Et per hoc patet, quid sit dicendum ad Bonifacij Octaui Constitutionum, quam pro aduersarijs in 1. cap. adduximus. Non enim sub illa prohibitione comprehenduntur Prælati, ita vt eis sit interdictum subditis confitendi extra ordinem concedere facultatem; sed subditi facultatem, dumtaxat, hoc est, vt non possint absque suorum Prælatorum venia extra ordinem Presbyteris confiteri, sed iuxta Regulæ nostræ consilium Prælatis, seù alijs sacerdotibus per eos determinatis esse confitendum.

DISPVTATIO OCTAVA.

De Guardianorum auctoritate in quantum spectat ad facultatem pro reseruatorum absolutione ordinarijs alijs confessarijs committenda inferioribus.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum Guardiani nostri ordinis, aliorumque ordinum Conuentuales superiores habeant ex vi proprij muneris auctoritatem committendi inferioribus alijs ordinarijs confessoribus facultatem absoluendi à reseruatis, saltem quando casus occurrit?

CAPVT PRIMVM.

Quid communiter nostri ordinis Doctores de hac re senserint.

SVMMARIVM.

1 *Pro vno, ac altero casu possunt Guardiani nostri ordinis committere inferioribus confessarijs facultatem pro reseruatorum absolutione, non ex vi sui muneris, sed ex Ministrorum Prouincialium venia.*

2 *Ad hoc adducuntur nonnullæ nostri Ordinis generales Constitutiones id statuentes.*

1 NOstri ordinis omnes ferè doctores paulò inferiùs citandi autumant, posse Guardianos suam committere auctoritatem alijs inferioribus ordinarijs confessarijs pro à reseruatis absoluendo, non quidem simpliciter & absolutè, (vt dicitur) semper, & pro semper; nisi in occurrentibus dumtaxat casibus, & hoc non ex vi muneris pastoralis, sed ex Patrum Ministrorum Prouincialium speciali eis facta concessione. Ita *Emmanuel Rodriquez tom. 1. quæstionum Regularium q. 20. art. 9. Pater Miranda. tom. 2. sui Manualis q. 34. art. 14. concl. 2. F. Ioannes à Trinitate in expositio-*

expositione casuum in nostro minorico ordine reseruatorum dub. 2. n. 3. F. Ioannes Xymenez in expositione nostra Regulæ cap. 7. n. 14. F. Martinus à Sancto Ioseph super Regulam nostram cap. 16. de casibus reseruatis n. 16. Corduba super Regulam cap. 7. quæst. 29. punct. 2. & in adnotationibus ad compendium *ver. absol. ord. quoad fratres §. ibi, quoad 3. dubium, Collector priuilegiorum in compendio verbo, absolutio ordinaria quo ad fratres.* Fundamentum vndè ducuntur ad sic sentiendum doctores isti, non video. *Pater Miranda 3. concl.* supponens id certum in nostro Minorico ordine, sic inquit: hæc conclusio est certa, & manifesta, & obseruatur in communi praxi, de qua videatur pater *Corduba*, &c. hæc illæ *Rodriquez* verò sequens *Nauarrum*, quatenus in suo *Manuali cap. 27. num.* 85. docet, quòd simplex absoluēdi ministerium, etiam à Delegato ordinarij, & à subdelegato Delegati Papæ, quamuis suas delegare non posset iurisdictionem, ratione quarum id eis competit, neque etiam aliquem articulum iurisdictionalem, *capitulo superque §. quæ verò de officio Delegati, vbi Felinus*, & alij: ex qua doctrina sic doctus iste Pater concludit, ratione cuius doctrinæ dico, ipsos Guardianos posse committere suam auctoritatē in casibus particularibus, quādo ab ipsis particulariter fuerit petita, & quotiescūque occasio se obtulerit, illæ vtatur, prout tenet *Corduba*: & hoc concludit doctrina adducta per *Felinum, & Nauarrum*, & his est addendum pro nostra Sacra Religione quod in quodam capitulo Generali nostri ordinis sic diffinitum fuit: *Instituitur, quòd vniuersi confessores monialium familiæ nostræ, habeant præsenti Decreto actiuè auctoritatem Prælatorum super moniales in foro conscientiæ quo ad casus, & sententias: habeant similiter Guardiani, & eorum Vicarij in absentia ipsorum Guardianorum*. Hæc ibi & paulò inferiùs sequenti tabula sic habetur; *Declaratur, quòd illa clausula Tabulæ in capitulo Generali Albinensi præcedenti inserta, scilicet, quòd Guardiani, & eorum Vicarij habeant auctoritatem Prælatorum in foro conscientiæ, scilicet, quòd auctoritas per Patrem Prouincialem concessa Guardianis remaneat semper penes eorum Vicarij, seù Vicariorum Vicarios, ipsis Guardianis suum conuentum pro suis negotijs exeuntibus, &c.* Hæc ibi. Hactenus *P. Rodriquez*. Ex quibus manifestè patet, Doctores hos sensisse, Guardianos nostri ordinis pro vno, ac altero casu ex vi Delegationis, quam eis committunt superiores maiores, suam committere valere auctoritatem.

CAPVT II.

Vera Authoris sententia.

SVMMARIVM.

1 *Omnes nostri ordinis Guardianos ex vi sui muneris Pastoralis, quoties opus fuerit, pro reseruatorum absolutione suam committere posse authoritatem, sentit Author.*

2 *Conuentuales Præfecti iurisdictionem habent in vtroque foro Ordinarium.*

3 *Omnes conuentuales Prælati non solùm possunt, verùm etiam aliquando tenetur, suam authoritatem, quam iure proprio in suos habent subditos ad eos à peccatis absoluendos, alijs delegare.*

4 *Expenduntur verba Textus Constitutionis Clementis Octaui §. 2. ibi*; non liceat superioribus Regularium confessionem subditorum audire, &c.

5 *Ex vi Constitutionis Clementis Octaui possunt Prælati Conuentuales sibi aliquem reseruare casum ex contentis in Decreto, absque alterius superioris, vel conuentus consensu, iuxta Suarez sententiam.*

6 *Nullus potest Regulæ nostræ assignari locus, in quo Guardianorum adstringatur authoritas in ordine ad peccatorum reseruationem.*

7 *Superiores conuentuales, iuxta* Vasquez, & Reginaldi *sententiam, de iure facultatem habet suos absoluendi subditos à peccatis reseruatis.*

8 *Guardiani nostri Ordinis ex proprio Pastorali munere habent iurisdictionem omnem ad subditorum salutem necessariam.*

9 *Præfecti Domorum ordinarij immediatè tenentur suam delegare iurisdictionem, ad hoc vt subditi liberè confiteri possint.*

10 *Nostri Patres Guardiani, quando non adsunt, Ministri Prouinciales in suis Conuentibus, suam debent committere authoritatem in maioribus ac sollemnioribus festiuitatibus.*

11 *Authoritas superiorum Conuentualium absoluendi à peccatis reseruatis, ex quo Pastorali munere eis conuenit, non potest restringi, limitari, aut in totum auferri.*

12 *Reseruatio respectu Prælatorum inferiorum, vt sunt Guardiani, Rectores, Priores, Præfecti, & alij quocunque nomine nuncupentur, facta peccatorum est nulla.*

1 NVnquam mihi horum nostri ordinis doctorum Opinionem persuadere potui; quoniam à veris iuris generalibus principijs longè distat. Vndè valdè minor, doctos istos Patres minimè aduertere, conuentuales superiores, pro vt suprà latè ostendimus, habere ordinariam in suos subditos iurisdictionem, & tantam, quantam alij maiores Prælati habent, etiam in toto ordine. Quamobrem assero, posse Guardianos nostri ordinis ex vi proprij muneris pastoralis, quoties opus fuerit, suam committere auctoritatem pro reseruatorum absolutione, iuxta suorum exigentiam, necessitatemuè subditorum. Hanc assertionem firmiter tenendam esse proponimus; & certam ex principijs Iuris communis, & ex ijs, quæ quinta, & sexta huius tractatus disput. diximus, supponimus.

2 Verùm, vt eam euidenter probemus, obseruandam est, omnes Religiosorum conuentuales Præfectos iurisdictionem habere in vtroque foro ordinariam, prout latè docent *Suarez tom. 4. de Religion. lib. 7. cap. 15. num. 2. Vasquez loco infrà citando Portel de dubijs Regularium verbo, Prælati potestas in editione num. 2.* & alij, quos eadem sexta disp. citauimus: ac proinde posse illam delegare cui vo-

cui volunt. Ita *Suarez ubi suprà num. 4. vers. 3. hinc etiam certum est, Rodriquez addit: ad summ. verb. iurisdictio cap. 237. numer. 3. Nauarrus Cap. non dicatis numer. 95.* & probatur, quoniam ex munere proprio, seù ex lege Canonica iurisdictionem habent, quæ Prælatis rectè electis dat iurisdictionem suo officio competentem. De Præsidentibus verò conuentuum, qui habent vicariam iurisdictionem, innuit *Sanchez lib. 4. Decalogi capit. 24. numer. 23.* quod etiam habent ordinariam iurisdictionem. Dicit enim ibi, eos posse subditorum irritare vota, quod non competit, nisi iurisdictionem habenti ordinariam dominatiuam. Quòd est tamen limitandum, dummodò præsidentes tales in absentia superioris localis tam plenam auctoritatem habeant, quàm seperior Conuentus, ac proinde in illius absentia poterunt tales Præsidentes, etiam illi committere auctoritatem.

3 Rursus in memoriam reuocandum est id, quod in superioribus docebamus; nimirum omnes conuentuales Prælatos non solùm posse, verùm etiam & aliquando teneri suam auctoritatem, quam iure proprio in suos subditos habent ad eos absoluendos à peccatis, alijs delegare; eò quòd nulla est ratio iuridica limitandi illud generale principium, nimirum, qui habet ordinariam iurisdictionem, delegare illam potest cuicunque voluerit, de quare latè agit *Suarez tom. 4. ad tertiam partem disput. 2.* quinimmò hic est quoddam speciale adnotandum; nam inter sæculares ordinarij pastores, vt Parochi v. g. quamquam possint, non tenentur suam iurisdictionem delegare, sed possunt per se suarum ouium audire confessiones, ordinariè loquendo: at verò in Religionibus hoc non expedit: licèt enim ratione sui muneris; & potestatis, paratus esse debeat superior ad subditorum audiendas confessiones, si ipsi velint ei confiteri, non tamen debent ordinariè ad hoc illos cogere; Et ideò necesse est, moraliter loquendo, iurisdictionem hanc alicui delegari, cui Religiosi liberè confiteantur. Ita *Suarez*. Et quamquam hoc verum sit de peccatis non reseruatis, nihilominùs potiori iure est intelligendum etiam de reseruatis.

4 Pro quorum intellectu iterùm expendo illa verba Decreti Clementis Octaui de reseruatione casuum pro regularibus §. 2. ibi; *non liceat superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsemet subditi spontè, aut proprio motu, id ab eis petierint*. In quibus verbis expendo, loqui de superiorioribus indefinitè, & ita comprehendere omnes, tam conuentuales, quàm maiores, ideòque in illis causis, quibus superiores maiores, nimirum, Prouinciales, aut Generales cogere suos subditos possunt, vt sibi confiteantur reseruata, vel committere suam tenentur (saltem ex charitate) auctoritatem ad subditos à reseruatis absoluendos; in ijsdem etiam possunt superiores Conuentuales. Quòd verò sub nomine superiorum in hoc decreto veniant quoque conuentuales Prælati, ostendit *Suarez loco proximè citato numero 5. & capitulo 18. numero 56.*

5 Quamobrem cum eodem *Suarez* aduerto, ex vi huiusmodi decreti Superiores Conuentuales posse sibi reseruare aliquem casum, absque alterius superioris, vel conuentus consensu; eò quòd per hoc decretum certum est à superioribus non auferri potestatem reseruandi casus, sed ad talem materiam limitari. Vndè infert *suarez* his verbis; & quoniam in prædictis verbis, (idest, *Vt nemo, ex Regularium superioribus peccatorum absolutiones sibi reseruet exceptis his quæ sequuntur*) Pontifex indefinitè loquitur de superioribus; existimo, ex vi illorum, non solùm Generalem, vel Prouincialem, sed etiam Prælatum Conuentualem posse prædictos casus, vel quemlibet illorum reseruare, etiam si in Religione reseruati non essent. Et paulò inferiùs inquit; ita vt si Guardiani, Prioresue anteà habebant Priuilegia reseruandi casus, (quod esset concessum ab Alexandro sexto refertur in lib. monu: ordin. & in supplemento minorum) etiam nunc habent eandem potestatem, sed restrictam ad hos casus à Pontifice designatos: immò ex potestate ordinaria existimo, posse id facere, nisi aliàs sint prohibiti per suam Regulam, quia sunt veri Prælati ordinarij, & habent altiorem iurisdictionis rationem, quàm Parochi. Hæc *Suarez*.

6 Neque ex Regula nostra assignari potest aliquis locus, in quo Guardianorum restringatur auctoritas in ordine ad peccatorum reseruationem: quòd si aliquis assignandus esset, profectò esset Capitulum septimum; *si quis instigante inimico, mortaliter peccauerit, &c.* atqui ibi non fit sermo de peccatis reseruatis occultis, & ad forum simpliciter conscientiæ pertinentibus, sed de publica dumtaxat pænitentia pro publicis imponenda peccatis, vt capit. secundo quæstionis præcedentis cum Diuo Bonauentura, & alijs nostræ Regulæ expositoribus docuimus: neque aliqua Constitutio generalis restringere potui hanc eorum ordinariam iurisdictionem, vt *disp. 2. cap. 3.* latè dictum est; igitur, &c.

7 Tandem aduerto cum *Vasquez ad tertiam partem quæst. 91. articul. 3. dub. 4. Reginaldo lib. 1. capitul. 11. sect. 1. numero 127. & alijs disputat. 4. quæst. 2. capitulo 3.* citatis, Conuentuales superiores de iure facultatem habere suos absoluendi subditos à peccatis reseruatis; neque ea eos posse maiores superiores absque legitima, & rationabili causa priuare: quod si

id faciant factum non tenebit. Vide quæ ibid. diximus.

8 Quibus sic notatis, probatur nostra assertio primò. Guardiani habent ex proprio munere pastorali omnem iurisdictionem necessariam ad subditorum salutem; atqui hæc est ordinaria, vt ex supradictis patet; ergo eis competit omne ius, quod salus subditorum animarum exposcere potest; at non solùm petit, vt ipsi eos absoluere possint ab ordinarijs culpis, sed etiam ab atrocioribus, quæ ratione atrocitatis reseruari solent; ergo ex proprio munere habent iurisdictionem *à superioribus* absoluendi à quibusuis reseruatis; aliàs non esset rectè prouisum, nec ipsi censendi essent ordinarij, ac immediati suorum subditorum Præfecti. Tunc sic pro Sylogizo; Qui ordinariam habent iurisdictionem, illam delegare possunt cui, & quando voluerint, Capitulo inter cœtera de officio ordinarij, & ibi Doctores omnes: atqui Guardiani, aliorumque Religionum Conuentuales Præfecti habent iurisdictionem ordinariam à reseruatis absoluendi. Igitur illam delegare possunt quoties opus fuerit, & subditorum salus expostulauerit.

9 Secundò probatur, quoniam ordinarij domorum immediatè superiores, ad hoc vt subditi liberè confiteri possint, ordinariam debent, quinimmò tenentur suam (absolute loquendo) delegare iurisdictionem, propter erubescentiam, quæ non solùm ex intrinseca confessionis circumstantia, sed ex extrinseca, nimirum, respectu superioris, oritur; atqui hæc ingens esse solet de reseruatis; Vndè quam plures Religiosi, ex hac sola verecundia, absque sacro pœnitentiæ sacramento ad celebrandum accedunt (ò vtinam possem huic malo occurrere, veluti tenentur Prælati.) Igitur, vt opportuniùs suis adhibeant remedia subditis, non tantùm debent, verùm etiam, & aliquando tenentur suam committere auctoritatem, vt ab alijs ordinis Presbyteris absolui valeant. Hic discursus est de se euidens, & nemo eum negare potest; quinimmò in Hispaniarum Prouincijs à nostris etiam discalceatis in praxi obseruatur.

10 Hinc infero, Patres nostros Guardianos, quando non adsunt Ministri Prouinciales in suis conuentibus, debere suam committere authoritatem in maioribus ac solemnioribus festiuitatibus. Hoc rationi consentaneum est, & valdè conforma Apostolicis constitutionibus, ac fratribus concessis priuilegijs, in quibus largitur eis, vt in nonnullis sollemnioribus festiuis diebus, vt sunt Domini Sabaoth, Beatæ Mariæ absque peccati labe conceptæ, SS. Apostolorum Petri, & Pauli, sancti Patris nostri Francisci, Sanctæ Catharinæ, feria IIII. cinerum, & tota Hebdomada Sancta, absolui possint, de suorum Prælatorum licentia, ab omnibus casibus, & censuris Summis reseruatis Pontificibus; Igitur ex benigna eorundem intentione censendum est, tunc velle, vt superiores quoque pro ipsis reseruatis fratribus subditis facultatem concedant; Nam aliàs quid prodesse largitiones ipsæ possent fratribus ad illas festiuitates puriùs celebrandas, quando innodati existerent alijs criminibus Superioribus reseruatis? Igitur, vt se summis Pontificibus conforment, in illis saltem diebus committere debent suam auctoritatem, vt cuicunque voluerint ex approbatis confessario confiteantur.

11 Tertiò probatur, hanc absoluendi à reseruatis potestatem; cùm ex vi pastoralis muneris eis conueniat, non posse restringi, limitari, aut in totum auferri, vt *Portel loco citato*, & alij in vltimo nostro notabili allegati adstruũt, nisi vrgens causa aliqua interueniat, quæ respicere debet muneris pastoralis conseruationem, subditorumque vtilitatem: vndè satis non est culpa peculiaris alicuius Conuentus Prælati, & fortè multarum ad hanc faciendam limitationem, & restrictionem, quoniam hæc, cùm personalis, sit minimè inficere potest, quin pastorale munus in se, seu ratione sui, sit de iure diuino, & ex mala eiusdem pastoris administratione limitari nequeat: eò maximè quando in subditorum cedit detrimentum; Igitur semper remanet in localibus superioribus potestas à reseruatis absoluendi: ac subinde semper alteri committi potest confessori, ex vi suæ ordinariæ iurisdictonis.

12 Tandem Quartò probatur, quia respectu Prælatorum inferiorum, vt sunt Guardiani, Priores, Rectores, Præfecti, & alij quocunque alio nomine nuncupentur, nulla est peccatorum reseruatio; Igitur ipsi ex vi suæ ordinariæ iurisdictionis habent facultatem absoluendi à reseruatis, ergo eam committere possunt. Consequentiæ sunt notæ; eò quòd hoc est discrimen inter ordinariam delegatamque potestatem, ex dicto Capitulo inter cætera, quia Delegata non potest subdelegari, ordinaria verò vtique. Antecedens patet ex dictis *disputat. 4. quæst. 2. capit. 3.* Ex quibus omnibus clarè colligitur, quid sit dicendum ad fundamenta, quæ pro priori sententia adducta sunt: Etenim Constitutio illa Generalis nihil probat: quinimmò si attentè legatur atque ponderetur, nostram confirmat opinionem.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum Prælati Conuentuales ad libitum eligere sibi possint confessarium non ex deputatis, à quo absolui possint ab omnibus reseruatis?

CAPVT PRIMVM.

Reijcitur negatiua sententia, & affirmatiua verior probatur, & declaratur.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Iure communi possunt locales superiores sibi eligere quem maluerint approbatum confessarium.*
2 *Præfecti Domorum non possunt quem maluerint sibi eligere sacerdotem, qui non scit approbatus.*
3 *Sub Priuilegio Capituli vltimi de pænitentia, & remissione comprehenduntur Præfecti conuentuales, quo conceditur facultas eligendi quemcunque sacerdotem, à quo possint absolui.*
4 *Prælati conuentuales sacerdoti, quem eligant pro audienda eorum confessione, non tribuunt iurisdictionem necessariam, sed Summus Romanus Pontifex.*
5 *Exponitur textus in capitulo vltimo de pænitentia, & Remissione ibi;* nec non minoribus *Prælatis exemptis.*
6 *An Archipresbyteri, seu Parochi sub numero Prælatorum comprehendantur, ad hoc vt possint gaudere prædicto priuilegio dicti Capituli?*
7 *Archipresbyteri, seu Parochi, licèt sub nomine Prælatorum veniant intelligendi, non gaudent priuilegio de confessario eligendo.*
8 *Parochi, seu Archipresbyteri non sunt verè Prælati.*
9 *Præfecti Conuentuales altiorem habent iurisdictionem, quam habent Archipresbyteri, seu Parochi.*
10 *Expenduntur Verba illa textus;* Præter sui superioris licentiam.
11 *Quonam pacto intelligenda sint illa verba;* prouidum, & discretum sibi possint eligere confessarium:
12 *Guardianos omnes quemcunque Presbyterum non approbatum sibi eligere posse, ad hoc vt absolui valeant à peccatis omnibus, demonstrat Author.*
13 *Presbyter electus à superioribus conuentualibus eandem habet auctoritatem, quam priuilegia ipsis superioribus eligentibus præstant.*
14 *Confessor sic electus facultatem obtinet absoluendi eligentem ab omnibus reseruatis.*
15 *Confessor sic electus circa ipsos Prælatos omnes facultates Pontificias obtinet, quas ipsi superiores habent in suos subditos.*
16 *An superiores excommunicatus absoluere possint sacerdotem similiter excommunicatum per mutuam rixam, vt ab ipso absoluatur.*
17 *Si casus fuerit occultus, potest superior excommunicatus absoluere Presbyterum excommunicatum, vt ab eo ipse absoluatur.*
18 *Si casus fuerit publicus, debet superior excommunicatus extra ordinem alium eligere confessorem, à quo absolutus valeat suum absoluere subditum.*
19 *Superior excommunicatus, quare non potest subdito præstare veniam ad eligendum confessarium extra ordinem in prædicto casu.*
20 *An Prælati maiores possint hanc eligendi confessarium restringere facultatem.*
21 *An Priuilegium concedens superioribus localibus eligendi quemcunque maluerint sacerdotem in confessarium sit per non vsum derogatum?*
22 *An hæc facultas spiret, & Vnico actu finiatur?*
23 *Author consulit, vt extra ordinem nullo modo eligant sacerdotem in confessarium.*

R.P. Iuniperi à Drepano de Casib. reser.

1 Oportet in hac quæstione præmittere quod certum & constans est inter Doctores nimirùm Iure communi omnium ordinum conuentuales superiores posse sibi eligere quemuis approbatum confessarium: Hoc ita certum est, vt vix poterit esse dissentio. Quod enim vertitur in dubium est, an dicti superiores liberam habeant facultatem eligendi quem maluerint sacerdotem non approbatum, neque expositum.

2 In qua re duæ sunt extremæ sententiæ. Prima censet, non posse prædictos domorum Præfectos, quem maluerint, sibi eligere sacerdotem, ad hoc vt eorum audiat confessiones, sed arctari, vt illos eligant, quos maiores superiores deputauerint. Ita collector Priuilegiorum mendicantium titulo, Accedere ad Monasteria monialium, *Angelus verbo confessio 3. §. 5. Panormitanus in cap. ne pro dilatione de pænitentia & remissione Hostiensis, Coriolanus de casibus reseruatis p. 1. sect. 1. art. 21. vers. praxis autem in fine, & Nouiss. Aloysius à Cruce in expositione Bullæ Cruciatæ disputat. 1. cap. 2. dub. 26. num. 14.* eorum fundamentum est; quia capitulum, ne pro dilatione, loquitur de illis dumtaxat superioribus, qui ita exempti sunt, & nullum alium cognoscant superiorem, nisi Summum Romanum Pontificem, vt colligitur ex illis verbis; *pro dilatione pænitentiæ periculum immineat animarum.* Quæ Textus ratio locum solum habere videtur in ijs, qui immediatè Summo subduntur Pontifici, eò quòd ad illud facilè adire non possunt. Si verò alium cognoscant superiorem, facilè possunt conuenire illum, vel ab illo confessarium exposcere. Vndè Abbates, qui alium superiorem Abbatem habent, similiter Priores, & Guardiani, qui Prouincialem, & Generalem habent superiorem, non gaudent auctoritate de Iure communi sibi eligendi confessarium. Quibus Collector priuilegiorum loco citato addit, Ministros Prouinciales, Custodes, ac Guardianos, ex hoc, cùm non sint de numero illorum Prælatorum exemptorum, quibus ius facultatem elargitur, vt ad libitum confessorem eligere valeant, ad id faciendum non habere auctoritatem. Ratio esse potest, (Præsertim si de Conuentualibus dumtaxat fiat sermo) quia conuentuales Præfecti, ex vi sui muneris, non possunt confessarios instituere, illisque delegare iurisdictionem ad audiendas suorum subditorum peccatorum confessiones; Igitur non comprehenduntur sub numero Prælatorum, quibus ius commune talem concedit facultatem.

3 Verùm hæc sententia nemini placere potest; primò, quia aduersari videtur Iuris communis dispositioni; quoniam dictum Capitulum vltimum de pœnitentia, & remissione omnibus exemptis Prælatis largitur

H 2 veniam,

veniam, vt possint sibi eligere confessarium, sine sui superioris licentia. Sic enim statuitur; *nec non minoribus Prælatis exemptis, vt, etiam præter sui superioris licentiam, prouidum, & discretum eligere sibi possint confessorem*; quæ verba supponunt, hos Prælatos, quibus talis præstatur venia, habere superiores, quorum licentia esset necessaria hoc non existente priuilegio; igitur futile est fundamentum huius sententiæ quia contra veram textus intelligentiam; vt Glosa annuit in ver. præmittimus.

4 Minoris roboris est ratio; eo quod (vt pulchrè adnotauit doctissimus *Suarez tom. 4. ad tertiam partem disputat. 27. sect. 2. num. 4. & tom. 4. de Religione lib. 2. cap. 23. num. 8.*) Sacerdoti electo, non tribuunt Prælati Conuentuales iurisdictionem, sed ipsemet summus Pontifex; qui sicut dat ipsis facultatem eligendi, ita confessori electo dat iurisdictionem: tandem ex hac sententia sequeretur, quod nullus Prouincialis superior, etiam facultatem haberet ex vi iuris communis sibi eligendi confessarium, prout tenet collector, quod nemo doctorum concedit.

5 Verior igitur est altera opinio, quam communiter docent Doctores tam Canonistæ, quàm Theologi; ad quam aperiendam, & intelligendam expendendus venit *Textus in capit. vltimo de pænitentia, & remissione*, ibi: *Nec non minoribus Prælatis exemptis, vt etiam præter sui superioris licentiam prouidum & discretum sibi possint eligere confessarium*.

Pro cuius intellectu aduertendum est, sub illis verbis, minoribus Prælatis, Guardianos, Priores, & alios cuiusuis Religionis conuentuales superiores comprehendi; nam isti censentur veri prælati, vt habent *Miranda tom. 2. sui Manualis quæst. 19. artic. 1. conclus. 1. Corduba in dictionibus ad compendium verbo Guardianus Rodriquez tom. 1. quæstionum Regularium quæst. 12. artic. 6. Portel in dub. Regular. verb. Guardianus, Syluester ver. Prælatus 3. quæsito 2. Angelus ver. Delegatus §. 3.* & communiter omnes alij. Et constat ex declaratione nonnullorum Summorum Pontificum, videlicet Clementis Quarti, & Sixti quarti super hac refacta, quæ in monumentis ordinum habetur, refertúrque in *compendio verbo absolutio*, quo ad fratres in multis locis, in quibus huiusmodi Præfecti locales à Summ. Pontificibus vocantur Prælati; Etenim habent respectu suorum subditorum ordinariam, & immediatam in vtroque foro iurisdictionem; vt docent Canonistæ omnes cum *Glosa in cap. cum Ecclesiar. de offic. ordinar. verbo Ecclesiastica: & Panormitanus in capit. Suspicionis de offic. Delegati num. 9. Suarez tom. 4. de Religione lib. 2. capit. 2. num. 8. & 15. cum sequentibus, & q. 15. Portel vbi sup. verbo Prælatus num. 2.* qui omnes docent, quòd quando in Pontificum declarationibus, vel in priuilegijs, indistinctè Prælati nominantur, comprehenduntur etiam Prælati locales. Quamobrem sub illis verbis, minoribus Prælatis, certum est comprehendi Guardianos, Priores, & alios.

6 Dices; Archipresbyteri, seù Parochi non comprehenduntur sub numero Prælatorum inferiorum; quamobrem non gaudent Priuilegio dicti Capituli, ne pœnitentia differatur, vt *Suarez tom. 4. de pænitentia disputat. 27. sect. 2. num. 7. Vasquez tom. 4. ad tertiam partem quæst. 93. art. 1. num. 2. ostendunt. Et patet ex Clement. Dudum de sepulturis*, vbi apertè fit distinctio inter Parochos, & Prælatos: Igitur neque Conuentuales Præfecti, qui Parochis, atque Archipresbyteris æquiparantur. Respondeo in primis, quòd non est constans inter Doctores Parochos non comprehendi sub nomine prælatorum. quia in iure interdum dicuntur Parochi habere prælationem, *Cap. Tua nos de Clerico egrotante*. Item priuilegia extendi debent; igitur ex hoc Principio videtur extendendum ad Parochos etiam priuilegium hoc de confessore eligendo, vt Syluester, & Angelus cum Panormitano docent: ac proinde totus discursus est à veritate alienus; & sic negandum est antecedens simul, & consequentia. Respondeo secundò iuxta doctrinam allatam, (nimirum Parochos sub nomine comprehendi Prælatorum) non gaudere prædictos Parochos illos iuris Priuilegio, eò quòd ibi duo necessariò requiri videntur, ad hoc vt frui eo possint primum, quòd sint veri Prælati, alterum, quòd sint exempti. Atqui Parochi quantumcunque sub nomine Prælatorum veniant intelligendi; quia tamen exempti non sunt, non gaudent priuilegio de confessario eligendo. Secùs autem est de conuentualibus superioribus, qui vtrumque habent. Vndè quando Parochis, Archipresbyterisúe, Guardiani, Priores, Præfecti, & Rectores omnium ordinum Regularium æquiparantur, assimilanturue, comparatio, & similitudo non est secundùm totam suam latitudinem sumenda, sed tantùm secundùm primam conditionem in iure requisitam.

7

8 Respondeo tandem iuxta aliam probabilem sententiam, quam sustinet *Suarez loco citato*, (Parochos scilicet non esse verè Prælatos) negando consequentiam; quoniam Conuentuales superiores quamuis Parochis, & Archipresbyteris comparentur; nihilominùs altiorem iurisdictionis habent rationem; quamobrem secundùm omnia æquiparari nequeunt.

9 Quæres; in quonam Conuentualium superiorum iurisdictio Parochorum potestatem excedit? Respondeo, in multis: & quantùm ad præsens attinet, in hoc; quia Religionum Prælati Conuentuales habent in vtroque foro ordinariam iurisdictionem, quam Parochi minimè habent; est enim istorum Prælatorum potestas quasi Episcopalis, non solùm ratione proprij muneris pastoralis, verùm etiam iure priuilegiorum, in quibus eis à nonnullis Romanis Pontificibus multa sunt concessa, quæ ad Episcopale munus pertinent; quamobrem opi-

optimum sumitur discrimen inter Archibresbyteros, Parochos, & Religionum Conuentuales superiores.

10 Vlteriùs ad intelligentiam illius Text. obseruandum est, in illis verbis; *præter sui superioris licentiam*, per superiorem non esse summum Romanum Pontificem intelligendum, vt putarunt nonnulli; tùm quia ipse Pontifex est, qui hanc concedit facultatẽ; Vndè repugnat cui illa vtitur; eligere cõfessorem sine summi Pontificis venia; tùm quia loquitur de superiore, tanquam de alio distincto. Vndè per superiorem ibi intelligitur, vel Prouincialis respectu inferiorum Conuentualium superiorum, vel Generalis respectu Prouincialium.

11 Tandem expendo illa alia verba; *prouidum & discretum sibi possint eligere confessarium*: in quibus verbis Pontifex illud intendit, quòd Confessarius, qui eligitur debet esse doctus, qui sciat ligare, & soluere, *cap. qui vult distinct. 6. & cap. omnis vtriusque sexus §. sacerdos autem discretus*, & qui diligenter criminis qualitatem inuestigare valeat; *de pœnitentia eadem distinct. §. consideret, Glosa super eodem verbo, & Glosa in capit. omnis vtriusque in verbo, vel ligare*; ex quibus verbis videtur nemo Prælatorum hoc gaudens priuilegio simplicem sibi sacerdotem eligere valere, qui saltem non sciat ea, quæ ad sacramenti pœnitentiæ absolutionem pertineant, nisi Prælatus adeò sit vir doctus, & prudens vt sufficientia simplicis non requiratur præsbyteri, ad hoc vt possit ab eo absolui.

12 His obseruatis dico primò, Guardianos omnes quemcunque Presbyterum non approbatum sibi eligere posse, ad hoc vt absolui valeant ab omnibus peccatis. Ita docent communiter doctores, *Syluester ver. confess. 1. quæsit. 2. & 3. & 8. vsque ad 11. Gabriel in 4. distinct. 17. quæst. 2. artic. 3. dub. 2. & 6. Paludanus ibid. quæst. 3. art. 2. & 4. Sotus in 4. distinct. 18. quæst. 4. artic. 2. Armilla ver. absol. §. 18. & 27. Caietanus verbo, absolutio cap. 2. in summa*, ex Moderniorib. *Pater Suarez tom. 4. de pœnitentia disputat. 27 sect. 2. num. 10. Vasquez tom. 4. ad tertiam partem quæst. 93. artic. 2. dub. 4. num. 2. Enriquez lib. 6. de pænitentia cap. 13. num. 1. in Glosa litt. P.* idem *Suarez tom. 4. de Religion. lib. 2. capit. 23. num. 8. Reginaldus 1. p. lib. 1. cap. 5. sect. 2. vers. an verò comprehendantur Prouinciales, Priores, Guardiani num. 38. Egidius Coninchius de sacram. pœnitent. disput. 8. dub. 8. num. 60. Emmanuel Rodriquez tom. 1. quæstionum Regular. quæst. 20. art. 28. Corduba in additione ad compendiũ tit. Accedere ad Monasteria moralium in fine, Margarita confessor. fol. 8. Rosella ver. confess. 3. Ladesma 2. p. 41. quæst. 7. artic. 5. dub. 19.* Ex Canonistis, *Abbas Panormit.* in eo iure dicens, quòd Prælatus ibi sumitur in alia significatione: Vndè ait, quòd Rectores Ecclesiarum ibi comprehenduntur, *Nauarrus in cap. placuit num. 129. Barbat. cap. final. de iudicijs numer. 74. vbi Felin. num. 14. & seqq. Palat. Rub. capit. per vestras §. 27. num. 9. Prob. Monach. in capit. decernimus numer. 2. de sentent. excommunicationis in 6.* & alij apud *Enriquez vbi suprà*. Hæc assertio patet euidenter ex dictis in primo notabili; nam textus in illo capit. euidenter de ijs etiam loquitur superioribus.

13 Dico secundò, Confessarium per hos electũ superiores habere, virtute talis electionis, totam illam potestatem, quam priuilegia ipsis superioribus eligentibus præstant: Ita *Pater Suarez loco citato*; quia nullus alius modus est assignabilis, quo valeant priuilegijs, atque concessionibus ipsis per summos Romanos Pontifices concessi frui: & eò fortiùs, quando non esset copia confessarij.

14 Atque hinc sequitur, confessarium sic electum habere potestatem absoluendi ab omnibus reseruatis, nõ solùm in nostra sententia, verùm & in aliorum opinione existimantium, Guardianos commissiuè dumtaxat obtinere facultatem suos à reseruatis absoluendi subditos, quia (vt tradit *Caietanus 2. 2. quæst. 99. artic. 5.*) qui habet potestatem ad dispensandum cum suis subditis, habet eandem potestatem ad secum dispensandum; igitur ex hoc Principio potest quilibet conuentualis superior à confessario à se electo absolui à reseruatis, quod non negat noster *Rodriquez tom. 1. quæstionum Regularium quæst. 21. artic. 8.* quatenùs dicit, ex qua deducitur ipsos posse eligere confessorem. Verùm est tamen, quod talis confessor electus per Bullam Cruciatæ (si ipsi valet) posset absoluere à reseruatis. Et si ipsi Guardiani habent potestatem absoluendi suos subditos à casibus reseruatis, potest confessarius per ipsos electus eos ab eisdem absoluere. Hæc illæ.

15 Dico Tertiò, quòd confessor sic electus eo ipso habet circa tales Prælatos omnes facultates Pontificias, siue hoc sit, quia ab ipsis met communicatur, veluti Papa confessorem eligendo, præbet illi iurisdictionem in se ipsum, siuè (vt veriùs est) quia virtute priuilegiorum immediatè ei conferuntur, eò quòd tunc talis confessor vicem gerit illius Prælati, qui ipsum elegit in eo munere; prout doctè *Pater Suarez loco citato* aduertit.

16 Resoluendus hìc venit casus, qui occurrere potest, Cùm in Religioso Conuentu tantùm sint Prælatus, & alius simplex sacerdos, & ambo censuram Pontifici reseruatam incurrerint, v. g. per mutuam rixam censuram canonis, si quis suadente quomodo possint absolui: quia tunc nec prælatus potest absoluere subditum, cùm ipse sit excommunicatus, neque etiam illum in confessorem eligere valet, quia similiter ligatus est: quid ergo in hoc casu faciant? Noster *Emmanuel Rodriquez tom. 1. quæstionum Regularium quæst. 20. artic. 12. citans Ioannem Fabianum verb. absolutio 3. §. 6.* & nonnulli alij respondent, ob necessitatem posse tunc se mutuò absoluere, quia necessitas caret lege. Item quia excommunicatus in casu necessitatis absoluere potest à peccatis, ergo & à censuris.

17 Verùm

17 Verùm hæc opinio mihi absolutè non probatur: quamobrem opinor esse limitandam. Et in primis, si neuter illorum est nominatim excommunicatus, vel si censura fuit Canonis, *si quis suadente*; delictumque est occultum, videtur Prælatus subditum absoluere posse; quia nondum est omninò priuatus iurisdictione, & cõmunicatione cum illo, saltem in bono subditi. Nec obstat, si dicas, hoc habere locum, si non esset etiã subditus excommunicatus, quia verò excommunicatus supponitur, non videtur fauore vti posse, extrauagant. ad euitanda. Respondeo cum *Suarez*, quod licèt subditus excommunicatus sit, Prælatus non est in suos priuatus iurisdictione subditos, quantum est ex se: quamquam autem talis subditus excommunicatus sit, non peccat petendo à Prælato absolutionem, quia illa communicatio, cùm sit ordinata ad bonum animæ, & ad se liberandum à censura, non est prohibita ex vi suæ excommunicationis; neque etiam propter Prælati excommunicationem prohibetur ratione extrauagantis, ad euitanda. Et ideò in eo casu non est (inquit *Suarez*) dubitandum, quin hoc ordine seruato licitè petatur, & detur absolutio.

18 Atqui si delictum sit publicum, quid faciendum est in hoc casu, quia cessat hoc remedium? Respondeo, tunc non statim esse dandam licentiam Prælato subditum absoluendi, vel è contra; cùm hoc sit contra rationem iam factam, & cõtra iura argumẽto *Cap. audiuimus 24. q. 1. & c. Prudentiam §. 6. de officio Delegati & c. duobus de sent. excom* per argumẽtum à contrario ibi enim dicitur; duos habentes facultatem sese inuicem absoluendi, si in excommunicationem ambo incidant minorem, dicta non priuari potestate, nec eius vsu, vt ibi exponit Glosa; quia excommunicatio minor receptione priuat sacramentorũ; ergo de maiori excommunicatione tacitè contrarium exponit, quia hæc vsu priuat iurisdictionis. Et ita ibi *Glosa*, & Doctores sentiunt: quapropter in eo casu debet Prælatus extra Religionem alium eligere sacerdotem, vt ab eo absoluatur, & posteà ipse absolutus poterit subditum absoluere. Addit hìc, & optimè, *Pater Suarez*, quòd Prælatus hoc facere debet, eò quòd subditus hanc non habet facultatem, neque ipse Prælatus, dum excommunicatione innodatus existit illam præstare potest.

19 Nec valet si dicas; ergo nec ipse potest sibi cõfessorem eligere: non valet, inquam; quia subdito præstare veniam, vt confessorem eligat, est iurisdictionis actus, cuius vsu priuatus est excommunicatus: eligere autem confessorem non est vsus iurisdictionis, sed cuiusdam priuilegij, quo minimè priuatur excommunicatus. Dices; cùm Prælatus eligit confessorem, illi suam committit iurisdictionem, vt circa se vtatur illa: videtur autem ille esse iurisdictionis actus. Respondeo, non ipse, vt suprà dicebamus, sed Pontifex committit.

Quæres, quid esset faciendum in casu, quo non sit alterius Sacerdotis sæcularis copia, vel alterius Religionis, qui eligi possit? Respondeo in eo casu vtendum esse opinione *Rodriquez*, & aliorum, cum hac tamen limitatione, quòd deberet prius Prælatus absoluere subditum, & ille iam absolutus esset idoneus Minister ad Prælatum absoluendum.

20 Duo hìc restant dubia examinanda. Primum est, an superiores maiores possint huiusmodi restringere, seu limitare facultatem? Doctissimus *Suarez 4. tom. de Religione lib. 2. cap. 2. n. 23. & ad 3. p. disp. 27. sect. 2. n. 10. in fine*, affirmatiuè respondet, si tamen adsit rationabilis, & legitima causa. *Pater noster Rodriquez quæst. illa 2. art. 20. in fine*, non audet determinare hanc difficultatem, ita enim inquit, imò (vt verum fatear) dubito, an dicti Prælati possint tollere dictum Priuilegium, cùm non sit Priuilegium, sed iurisdispositio. Nihilominùs quidquid *Pater Suarez* hac in re opinetur; constanter dicendum est, Maiores superiores non posse à localibus superioribus, hoc auferre Priuilegium, neque illud restringere, aut limitare, ex tacta *Rodriquez* ratione; nam non solùm Superiores Maiores, verùm neque etiam capitulum Generale, habent potestatem tollendi, restringendiuè ea, quæ Iure communi disposita sunt prout alibi diximus.

21 Secundum, an per non vsum videatur hoc iuris priuilegium esse sublatum? Respondeo hoc priuilegium si esset merè priuilegium, non esset per non vsum sublatum, seu deperditum. Ratio est, quia priuilegia, quæ, vel sunt quasi absoluta, quatenus solùm concedunt priuilegiario aliquid circa actiones suas, siue respectu ad alios, vt sunt priuilegia missas audiendi in loco interdicto, vel tempore non concesso, vel recitandi ante horã, vel lacticinia comedendi, & similia: vel certè circa alios versantur fauorabilia, & simpliciter, reputantur respectu aliorum; quia sunt vtilia, & in rigore neminem grauant. Huius generis sunt audiendi confessiones, confessoremuè eligendi; licèt enim aliquo modo videantur in ordinarij Pastoris præiudicium; hoc tamen non cõsideratur, quia potiùs est iuuamen eius, & præcipuè, quia magis fauor consideratur animorum; huiusmodi priuilegiorum genus per non vsum non amittitur, seu deperditur: ita *Pater Suarez lib. 8. de legib. cap. 34. num. 17.* Igitur, cùm facultas Guardianis, & alijs superioribus localibus cõcessa sit huius generis priuilegium: per non vsum non intelligitur reuocatum, deperditumuè. *Dixi consultò, si hoc esset merè priuilegium* ad demonstrandum, huiusmodi indultum, seu priuilegium habere non solùm rationem formalem priuilegij, hoc est legis particularis, verùm etiam, & legis communis, ex eò quòd à Iure conceditur. Qua propter non vsus dumtaxat non satis esset, sed vltrà nonnullæ aliæ requirerentur conditiones, quæ exposcuntur ad tollendam legem, quæ in hac materia adoptari nequeunt.

His cum *Rodriquez* connecto, hoc priuilegio, etiam si per non vsum esset sublatum, posse nihilominùs

hilominùs tutè vti Guardianos, aliorumque Religionum locales superiores. Nàm Sixtus V. anno 1587. die 3. Octobris confirmauit, & de nouo concessit omnia Priuilegia Religioni Patris Nostri Seraphici Francisci Regularis obseruantiæ per suos antecessores concessa, non ponendo illam à Gregorio XIII. limitationem in confirmatione dictorum priuilegiorum positã, scilicet, quatenùs sunt in vsu. Vndè cùm ea de potestatis plenitudine, atque ex certa scientia confirmauerit, etiam ea, quæ non erant in vsu confirmare censetur; vt latè ipsemet *Rodriquez eodem 1. tom. q. 9. art. 2. probat*.

22 Quæres; an hæc facultas spiret, vnicouè actu finiatur? Id est, an tanta detur facultas eligendi semel vnum confessorem, qui postquam electus est immutabilis maneat? Ratio dubitandi esse potest, quia in ipsa facultate singulariter dicitur, vt possint eligere prouidum confessorem, & similes largitiones in iure intelligi solent, vt vno actu finiantur. Respondeo, non determinari vnico actu, sed per hanc facultatem posse Guardianos, & qui illam habent, suo arbitrio plures eligere Confessores, vel sæpe eundem. Ita post *Paludanum in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. Diuum Anton. 3. p. tit. 17. cap. 9. & Nauarrum dicto cap. Placuit n. 166. tenet Suarez tom. 4. ad tertiam partem disp. 27. sect. 2. n. 11. in fine*. Ratio est, quia hoc priuilegium, nisi ita intelligeretur, ferè nullius esset momenti, nec per illud, quod intendit Pontifex cõsequeremur. Item si confessor priùs electus impeditus sit, vel moriatur, cõstans est, posse loco illius aliũ substitui ex vi eiusdẽ priuilegij: atqui priuilegium non extenditur propter necessitatem, alteriusuè impedimentum, ergo illud fieri potest ex sola eligentis voluntate. Rursus, quia nulla est ratio, cur prima electio immutabilis maneat. Denique etiam vsus hoc confirmat; vndè in textu in singulari ponitur confessor; eò quòd electio semper in particulari fit circa vnum confessorem, non quia illa non possit sæpiùs fieri. Quòd si aliquandò in iure aliqua similia rescripta vnico actu finiri intelligantur, illud est, vt aduertunt iuristæ, quia sunt odiosa: secùs verò est in gratiosis priuilegijs, nisi aliud constet euidenter, aut ex materia subiecta, aut ex verbis.

23 Solùm hìc moneo, quòd quando contingit vti prædicto priuilegio, caueant prædicti superiores, vt non extra ordinem eligant confessarium, præsertim pro absoluendo à reseruatis, nisi necessitas adeò sit vrgens, vt ad id faciendum adstringantur. Quòd si ita vrgeat, sæcularem non eligant sacerdotem: non quia non possint, sed quia non expedit, ob Religionis honorem, ac reuerentiam. Aduertendum tamen est, hos Prælatos tandiù posse hac facultate vti, quandiù officium Prælationis tenent; quia hoc priuilegium est dignitati Prælationis concessum, non verò personæ.

CAPVT II.

An possint huiusmodi quoque vti priuilegio Præsidentes, Domorumuè Vicarij in Guardianorum absentia?

SVMMARIVM.

1 *Vicarij, seu Præsidentes Domorum Regularium in Priorum, seu Rectorum, Præpositorum, & Guardianorum absentia quemcunque sibi maluerint, eligere possunt simplicem Sacerdotem, à quo possunt absolui etiam à reseruatis.*

2 *Præsidentes, seu Vicarij domorum Regularium in absentia Priorum, Guardianorum, aliorumque conuentualium Prælatorum, quocunque nomine vocentur, sunt veri Prælati ordinariam in vtroque foro habentes iurisdictionem.*

3 *Guardiani absentes non possunt suorum Vicariorum restringere, seu limitare authoritatem, & quare.*

4 *Præsidentes, seu Vicarij Domorum, ex vi nostrarum constitutionum Generalium, in Guardianorum absentia, habent eandem authoritatem, quam illi habent.*

5 *Authoritas concessa Guardianis, & nostri ordinis superioribus, conceditur etiam Vicarijs in eorum absentia.*

6 *Omnia Priuilegia, atque facultates concessæ Vicarijs, seu Præsidentibus singularium Domorum ordinis Prædicatorum sunt concessæ Vicarijs, seu Præsidentibus nostri ordinis in Guardianorum absentia.*

7 *Vicarij, qui à Capitulo Prouinciali, seu à ministro Prouinciali non Constituuntur, sed à Guardianis immediatè eliguntur, in istorum absentia non possunt quemcunque simplicem sacerdotem sibi eligere in confessarium, & quare.*

8 *Vicarij per solos Guardianos electi morte spirant eligentis.*

1 PRæsidentes, seu Domorum Vicarij in Guardianorum absentia possunt vti priuilegio iuris, eligendo quemcunque maluerint simplicem sacerdotem, à quo absolui possint ab omnibus peccatis, etiam reseruatis. Hæc conclusio est certa ex dictis in præcedenti capitulo, eamque habent multi DD. statim citandi, præsertim *Corduba super Regulam cap. 7. q. 2. Siguenza ibidem §. 4. Suarez tom. 4. de Religion. cap. 2. n. 2. vers.* Intelligitur autem de Vicarijs, quatenus sentiunt, prædictos in absentia Guardianorum suos subditos à reseruatis absoluere valere; quamquam contrarium teneant *Ioannes à Trinitate in exposit. casuum in nostro ordine reseruatorum dub. 3. in fine*, & *Emmanuel Rodriquez tom. 1. quæst Regular. q. 27. art. 8.* licèt id non de omnibus Vicarijs, aut Præsidentibus statuant, sed de illis dumtaxat, quos Guardiani instituunt: de alijs uerò à Ministris Prouincialibus, seu à Capitulis destinatis aliud docet *q. 19. art. 2.* ut uidebimus.

2 Probatur primò nostra assertio, quia ad hoc ut frui quis possit priuilegio illo iuris *cap. ne pro dilat. de pœnitentia & remiss.* nihil aliud exposcitur, nisi

nisi prælatio, & exemptio: atqui Vicarij, seu Præsidentes domorum in Guardianorum, seu Priorum absentia sunt veri Prælati, atque exempti; igitur sub nomine Prælatorum inferiorum exẽptorum comprehenduntur; ergo eodem modo frui possunt illo priuilegio, veluti Guardiani, seu Priores. Minor quò ad secundam partem est de se euidens, quia Prælati Religionum, etiam si inter se subordinationem habeãt, omnes exempti sunt, vel potiùs totum Religionis corpus adęquatè est exemptum, vt sentit *Suarez tom. 4. ad 3. p. disp. 27. sect. 2. num. 10.* & omnes DD. absq; vlla controuersia. Quò ad primam partem verò probatur, quia de ratione Prælati est, quòd habeat aliquam iurisdictionem Ecclesiasticam in foro contentioso *ex cap. decernimus de iudicijs, & cap. cùm ab Ecclesiarum, de officio ordinarij, & cap. perlectis dist. 25. cap. nemo 2. q. 1. cap. experientia 11. q. 1. Glosa in dicto cap. decernimus, in verbo, Ecclesiarum Prælati*, cum multis alijs: Atqui Vicarij, seu Præsidẽtes huiusmodi in absentia Guardianorũ, Priorum, & aliorum Conuentualium superiorum habent ordinariam iurisdictionem in vtroq; foro veluti prælati immediati, idest Guardiani, & Priores; Igitur sunt veri Prælati. Consequentia tenet. Minor est ab omnibus communiter recepta. Ita *Suarez tom. 2. de Religione lib. 6. cap. 7. n. 17. Azorius 1. p. instit. moralium lib. 7. c. 29. quæsit. 6. Sayrus in claui Regia lib. 6. cap. 11. n. 89. Sanchez lib. 4. oper. moral. c. 33. n. 16. Portel in dub. Regul. verb. Prælati potestas versicul. de Præsidentibus verò conuentuum n. 2. Rodriquez tom. 3. quæst. Regular. q. 76. art. 1. & tom. 1. q. 19. art. 2. Miranda tom. 2. sui Manualis q. 20. art. 1. conclus. 2. Fr. Martinus à Sancto Ioseph super Regul. cap. 16. n. 10. per totum, Sanchez lib. 8. de Matrim. disput. 3. conclus. 4. n. 9.* vbi sic habet; idem censeo de Prælatis Regularibus, siue Generalibus, siue præpositis localibus, qui toti domui præsunt, & qui eorum absentium vicem gerunt, vt sunt vice Rectores, vice Priores. Et paulò inferiùs dicit, quòd hi omnes iurisdictione quasi Episcopali funguntur in suos Religiosos, ac potestate ordinaria dispensandi in ieiunijs, ac votis subditorum, atque alijs, præceptis, ratione sui muneris, instar Episcoporum cum suis subditis; quod benè docet *Azorius* statim allegandus. Et Prælatos Regulares habere auctoritatẽ quasi Episcopalem in suos subditos, probat *Nauarrus lib. 1. consilior. in 2. editione tit. de tempor. ordin. consil. 36. num. vnico. & in summa cap. 12. num. 75.* & ratio est, quia sunt Pastores ordinarij suorum Religiosorum, sicut Episcopus sæcularium; ergo idem dicendum est de ipsis, quod de Episcopis. Hactenus *Sanchez*. Ex quibus verbi sub sumo. Episcopi vtuntur illo priuilegio iuris de sibi eligendo confessorem, quem maluerint; ergo, & Præsidentes, seu domorum Vicarij in absentia Prælatorum, qui præsunt toti domui: Vndè *Bouadilla in suo Encheridion* de eiusmodi Vicarijs, ac Præsidentibus agens, inquit, quòd si Guardianus sit absens, Vicarius ipso facto in vtroque foro eandem habet auctoritatem, quam habent Guardiani, ac proptereà possunt absoluere sibi subditos à casibus reseruatis, super quibus ratione sui officij commissionem habent prædicti Guardiani; nam in eorum absentia vicarij censentur esse præsidentes beneficio legis, vt non remaneat conuentus sine Prælato. In quibus verbis illud est valdè notandum, nimirum, quod dicti Vicarij beneficio legis censentur esse præsidentes, ac proinde cum potestate ordinaria in vtroque foro.

3 Quæres, possunt ne Guardiani absentes suorum vicariorum, seu potiùs conuentum præsidentium restringere, seu limitare auctoritatem? Respondeo, non posse; quia in eorum absentia habent eandem potestatem, quam ipsi, & hoc beneficio iuris communis. Ita *Bouadilla vbi suprà, & Pater Miranda loco citato*.

Probatur secundo, quia Iulius secundus prædictis Vicarijs, seu præsidentibus in Guardianorum absentia concessit omnem potestatem, quã habent Guardiani: atqui Guardiani possunt eligere in confessorem quemcunque maluerint simplicem sacerdotem, ex cap. ne pro dilatione; Igitur hoc idem facere possunt eorum Vicarij, seu Præsidentes.

4 Confirmatur primò, quoniam in Cap. Generali Albiensi, cuius meminit collector *in Priuilegiorum compendio verbo, Vicarius §. 5.* & Refert *Rodriquez tom. 1. quæstionum Regularium q. 21. art. 8. in fine, & Miranda paulò superiùs citatq;* statuitur, Vicarios eandem in Guardianorum absentia habere auctoritatem, quam ipsi Guardiani habent; his verbis; *Vicarij habeant auctoritatem Guardianorum in absentia eorum*. Habetur in monumentis *ord. 2. impress. fol. mihi 248.*

5 Confirmatur secundò, quoniam in sequenti Generali cap. Iaballis Celebrato sequens facta fuit declaratio supradicti statuti; *Declaratur, quòd illa clausula in capitulo Generali albiensi inserta videlicet, quod Guardiani, & eorum Vicarij habeant auctoritatem Prælatorum in foro conscientiæ, &c.* sic debent intelligi; *quòd auctoritas per Patrem Prouincialem concessa Guardianis remaneat semper penès eorum Vicarios, seu Vicariorum Vicarios, ipsis Guardianis suum Conuentum pro suis negotijs exeuntibus;* quæ constitutio habetur in monumento ordinum vbi suprà, referturque in compendio, *verbo, Vicarij §. 1.*

6 Confirmatur Tertiò, quoniam de huiusmodi Vicarijs in Guardianorum absentia constitutis, siue propter eorum mortem, collector Priuilegiorum sensit esse inteligendam amplissimam illam concessionem, quam indulsit Iulius secundus in communicatione Priuilegiorum ordinis Prædicatorum ordini minorum, quandò dixit, *quòd ea, quæ spectant ad Vicarios Conuentuum, & singularum Domorum præfati ordinis Prædicatorum, similiter spectent, & pertineant ad Vicarios cõuentuum, & Domorum ordinis minorum*. Quæ concessio habetur in monumentis *ord. 2. impress. fol. mihi 228. concess. 583.* & in supplemento *fol. 74. concess. 222.* sed Vicarij, seu Præsidentes domorum,

rum,

rum, & Conuentuum fratrum Prædicatorum in Priorum absentia habent eandem omnino auctoritatem, quam Priores; igitur & Vicarij, seu Præsidentes conuentuum nostri ordinis in absentia Guardianorum: ac subinde ex vi talis potestatis possunt isti eligere quemcunque voluerint sacerdotem in confessorem.

7 Verùm hæc omnia non possunt aptari illis vicarijs, qui à Capitulo Prouinciali, seu à Ministro Prouinciali, non constituuntur, sed ponuntur à Guardianis, vt eorum vices gerant, ab ipsisque adiuuentur: Ita *Rodriquez tom. 1. q. 19. art. 2. Miranda tom. 2. quæst. 20. art. 1. concl. 3. Suarez tom. 4. de Relig. lib. 2. c. 2. n. 2.* eò quòd non sunt vere Prælati: atque ita prædicti Vicarij in Guardianorum præsentia nullam habent auctoritatem, nisi quam contulerit illis Guardianus, totaliterque illa à sua dependet administratione & regimine.

8 Quæres modo, an Vicarij per solos Guardianos electi spirent morte eligentis? Respondeo affirmatiuè, iuxta *Glosa in Clementina finali de procuratoribus verbo, contestata, & Panormitan. ibidem & in cap. extirpandæ §. quòd verò de præbendis, & dignitatibus, & Nauarrum in cap. nulla num. 22. versiculò, priùs autem.* Vnde infero, quòd interim quòd Minister Prouincialis de alio Vicario non prouideat nullam, habent auctoritatem, tam in foro conscientiæ, quàm in foro exteriori: ac subinde absoluere non possunt à reseruatis, nec vllum alium iurisdictionis actum facere, sed tantùm præsidere in conuentu, ne tumultus fiat. Hoc autem præsidendi munus habent prædicti Vicarij in nostro sacro minorico ordine, quo vsque Prouincialis respondeat. Ita *Bouadilla vbi suprà, Miranda loco citato:* quamquam non desint doctores, qui minùs probabiliter, quàm sit sentiendum oppositum docent. Hæc adnotauimus consultò pro fratribus nostris Reformatis Prouinciarum in Regno Siciliæ existentium, qui falsò semper putauere, hosce Vicarios electos habere potestatem in vtroq; foro; nam *Bouadilla, & Miranda* aduertunt, nihil facere posse, nec præcipere nec fratres ad capitulum conuentuale vocare &c. & hæc dicta sufficiant pro prima huius tractationis parte.

SECVN-

SECVNDA PARS
Tractatus de casuum Reseruatione.

EGimus in prima huius tractationis parte de peccatorum reseruatione, in quantum ad Prælatorum sibi nonnulla peccata reseruantium pertinet auctoritatem, ac de reseruationem faciendi modo: In hac secunda parte nobis discutiendæ veniunt, atque persoluendæ omnes, quæ ad peccatorum reseruatorum absolutionis modum attinent, difficultates. Et quoniam duobus modis absolui potest Religiosus, qui aliquo est innodatus peccato reseruato: primò directè, & per se, ad quod necesse est, vt absoluens circa reseruata peccata habeat iurisdictionem; quia sine illa nemo sententiam ferre potest in aliqua causa. Secundò contingere potest, vt absoluatur pœnitens casus habens reseruatos, non tamen per se ab illis, sed ab alijs peccatis non reseruatis, cùm quibus indirectè, & per accidens tolluntur reseruata; vterque absolutionis modus à nobis explicandus est. Vt autem clarè & distinctè procedamus, hanc secundam partem in duas alias minores partes diuidemus. In prima de absolutione directa, & de difficultatibus ad hanc partem spectantibus agemus: In secunda verò de indirecta absolutione reseruatorum erit sermo.

PRIMA PARS II. PARTIS.
DISPVTATIO PRIMA.

De Prælatorum Regularium ordinaria potestate, quo ad peccatorum reseruatorum absolutionem.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum absoluendi à reseruatis potestas apud ordinum Regularium Generales superiores dumtaxat resideat.

CAPVT PRIMVM.

Nonnullæ Regulæ in hac materia necessaria ponuntur.

SVMMARIVM.

1 *Quibus modis potest haberi iurisdictio pro reseruatorum absolutione.*
2 *Qui sibi reseruauit peccata, potest illa absoluere.*
3 *Superior illius, qui ex suo munere reseruauit sibi peccata, potest ab illis absoluere eum, qui est reseruatione innodatus.*
4 *An Reuerendissimus Pater noster Minister Generalis totius Ordinis S.P.N. Francisci possit à peccatis reseruatis Visitatori Generali, seu Prouinciali fratrum Tertij ordinis sub eius immediatè obedientia degentes in partibus Italiæ Religiosos absoluere.*
5 *Reuerendissimus Pater noster minister Generalis facultatem ordinariam habet in tertij ordinis S. P. N. Francisci Religiosos sub immediata obedientia eorum visitatori Generali, & Prouinciali degentes in partibus Italiæ, tam in membris, quam in capite.*
6 *Peccata reseruata directè & per se per delegatam potestatem remmitti possunt.*
7 *Quibus verbis à superioribus committi debeat potestas absoluendi à reseruatis.*
8 *An Prælatus alicui subdito concedens facultatem eligendi confessarium absolutè, intelligatur concessa facultas etiam pro reseruatis?*
9 *An Prælatus concedens facultatem ad aliquod absoluendum reseruatum, addens hæc verba;* & tibi concedo omnem meam potestatem, *censeatur tunc concessa facultas pro omnibus reseruatis?*
10 *Superiores nostri ordinis tam Generales, quàm Prouinciales, quando suam absolutè concedunt authoritatem, intelligitur esse concessam tàm actiuè, quàm passiuè, si is cui conceditur, sit capax.*
11 *Declaratur capax, quanta prudentia sit necessaria Prælatis ad concedendam suam authoritatem pro reseruatorum absolutione.*

1 COmmodè non possumus hanc præsentem difficultatem determinare, quin priùs aliquas generales Regulas, quas præsens materia necessariò postulat, præmittamus suppono igitur, iurisdictionem, quæ exigitur ad absoluendum

dum à reseruatis, duobus modis posse haberi, scilicet, vel vt ordinariam, vel tantùm vt delegatam. Rursusque delegationem hanc fieri posse, vel per concessionem directè sacerdoti factam, vel per licentiam pœnitenti præstitam ad confessorem eligendum; Nam quo ad hæc omnia eadem est ratio de iurisdictione (vt pulchrè aduertit *Suarez* loco paulò infrà citando) circa peccata reseruata, ac circa alia.

2 Duæ igitur Regulæ necessariò generales obseruandæ sunt hac in materia. Prima est, qui peccata reseruauit, & qui in hoc foro est illi iurisdictione superior, ordinariam habet potestatem ad absoluendum ab ijs peccatis. Hæc est communis, & certa in omni sententia; Nam qui reseruando iurisdictionem abstulit, eam sibi retinuit; igitur per illam absoluere poterit. Is autem,
3 qui est illo superior iurisdictionem habet vniuersalem respectu illius, quæ se extendit ad omnia, ad quæ inferioris iurisdictio; ergo ille etiam valet absoluere. Confirmatur; nam ante reseruationem vterque dictorum Prælatorum absoluere ab illis poterat peccatis: sed per reseruationem inferior auferre à superiore non potuit iurisdictionem, igitur &c. Notanter dixi, in hoc foro; quoniam non sufficit, quòd sit superior in dignitate, sed requiritur etiam, vt sit in iurisdictione, ita vt inferior ab illo pendeat, & eius subiaceat iudicio: quemadmodum sunt Generalis, Prouincialis, Prior, & Guardianus. Vndè Prælati Generales nostri ordinis, v. g. Minister Generalis potest totius ordinis nostri Religiosos absoluere à reseruatis Commissario Generali, & Ministris Prouincialibus: Commissarius autem generalis omnes fratres suæ familiæ: Ministrique Prouinciales omnes suæ dictioni subiectos Religiosos, quia Prælati isti ordinariam, & subordinatam in omnes subditos habent iurisdictionem.

4 Sed queres, potest nè minister Generalis totius ordinis nostri Seraphici Patris Francisci Regularis obseruantiæ à peccatis reseruatis Generali, seu Prouinciali fratrum tertij ordinis sub eius immediatè obedientia degentes in partibus Italiæ Religiosos absoluere? Respondeo, posse;
5 ratio est, quia Minister Generalis nostri ordinis habet ordinariam facultatem in eosdem Religiosos, etiam ex Sixti Quinti constitutione, non solùm in membris, verùm etiam in eorundem Capite; prout colligitur ex eiusdem met Sixti Quinti Constitutione; Nam Sixtus Quintus in sua Constitutione incipiente, Romani Pontificis sub die 9. Martij 1586. de qua facit mentionem doctissimus, & amicissimus noster *Barbosa de Iure Ecclesiastico lib. 1. cap. 41. num. 178.* ita statuit; *Non obstantibus litteris prædictis, quibus, ac omnibus alijs, quæ præmissis ob esse possent, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem quòd dictus visitator eligendus infrà duos menses à die suæ electionis computandos confirmationem electionis huiusmodi à Ministro Generali de obseruantia petere omnino teneatur. Qua petita, & non obtenta, denegatiuè, Idem visitator Tertij ordinis Apostolica auctoritate confirmatus censeatur: quòdque dictus Minister de obseruantia per ipsum dumtaxat vna cum duobus alijs ordinis professoribus possit singulo quadriennio post visitationem à visitatore Tertij ordinis huiusmodi factam, & non ante, tertium ordinem ac fratres, domos, loca, res, & bona prædicta visitare, eaque tam in capite, quàm in membris, prout opportunum erit, iuxta Regularia instituta dicti Tertij ordinis corrigere, & moderare.*

6 Posterior Regula est hæc, peccata posse etiam directè, & per se remitti per Delegatam potestatem, quæ delegari potest à quocunque Prælato, qui respectu suorum subditorum ordinariam habet iurisdictionem, ex Capitulo. *Inter cætera* de officio ordinarij, vbi Canonistæ omnes, & consentiunt omnes Theologi absque vlla controuersia; nam qua ratione sufficit delegata iurisdictio in hoc foro circa alia peccata, sufficit etiam circa peccata reseruata, & eadem est ratio delegandi illam.

7 Quæri hìc autem solet à Doctoribus, quibus verbis superior intelligatur concedere hanc iurisdictionem? id est, an oporteat semper in speciali declarare, se concedere potestatem super reseruata, vel sufficiant aliqua generalia verba? *Pater Suarez ad 3. p. tom. 4. disp. 30. sect. 1. num. 3.* affirmat, hac in re vix generalem posse assignari regulam, sed prudentia esse vtendum. Vndè mihi videtur dicendum, quòd quando absolutè alicui subdito facultatem eligendi confessorem, aliorumuè confessiones audiendi concedit, non intelligitur casus concedere rerseruatos, nisi expressam eorum faciat mentionem. Ita habetur in *cap. si Episc. de pænit. & remiss. in 6. Suarez vbi sup. Ioannes à Trinitate de casibus reseruatis dub. 9. num. 2.* & communiter Doctores. Ratio est, eò quòd in generali verbo non intelliguntur specialia concessa: neque quando Prælatus facultatem concedit absoluendi à reseruatis, censetur concessa facultas absoluendi à censuris; neque quando concedit facultatem absoluendi à censuris, censetur concessa facultas absoluendi à reseruatis; vt latè *cap. 27. num. 261. docent Nauarrus, & Syluester verbo*, Casus in principio. Et idem asserendum est de irregularitatum dispensatione, & de doctorum commutatione. Nam casus supponit dumtaxat pro peccato, & quid distinctum est à censuris, ab irregularitate, & voto.

9 Quæres; quando Prælatus priùs concedit suam facultatem ad aliquod absoluendum peccatum reseruatum, & deinde addit Generaliter, & tibi concedo omnem meam potestatem; an censeatur concessa tunc facultas pro omnibus reseruatis? Respondeo affirmatiuè, quia specificatio antecedens explicat generale verbum subsequens. Vndè infertur, quòd si Prælatus suam concedit auctoritatem ab vna soluendi sibi reseruata censura, & statim addat; Insuper & concedo tibi reliquos casus mihi reseruatos, tunc sub casuum reseruatorum nomine intelliguntur omnes

omnes aliæ reseruatæ excommunicationes. Similiter quando Summus Romanus Pontifex casus sibi reseruatos concedit, per casus intelligit censuras, cò quòd, (vt probabiliter nonnulli sentiunt) nullum peccatū solitariè sumptum Summi Romani Pontifices sibi reseruare consueuere, nisi ratione censuræ, vt proinde sub nomine casus censuræ necessariò intelligendæ sint, prout in materia de censuris Doctores ferè omnes sentiunt. Rursus quando nostræ Religionis Prælati tam Generales, quàm Prouinciales suam absolutè concedunt auctoritatem pro reseruatorum absolutione, intelligitur concessa auctoritas actiua, (si subditus sit capax auctoritatis actiuæ, hoc est, si sit ad audiendas confessiones approbatus) & passiua, non verò commissiua; hæc enim nunquam censetur concessa per Generalem concessionem, nisi indiuidualiter exprimatur.

11 Addit hic *Pater Suarez, quem sequitur Ioannes à Trinitate dub. 9. num. 2. in fine*, quòd hac in materia necesse est, quod maxima adhibeatur prudentia, & si concessio fit oretenus, curandum est, vt superior suam satis explicet mentem. Si autem concedatur ex priuilegio, seu quomodocunque in scripto, sunt consideranda verba, & iuridicè interpretanda.

Quæ huc vsque de confessione directè confessori facta monuimus, cum debita proportione applicari possunt facultati pœnitenti concessæ ad confessorem eligendum; quia si generatim dumtaxat cōcedatur, & non sufficienter, ac specialiter explicetur, dari cum extensione ad reseruata, illa non comprehendit: quinimmò de hac expressè facultate loquitur dictum capitulum, *si Episcopus*, vt aduertit loco suprà citato *Pater Suarez*. Quæ omnia valdè sunt aduertenda in hac peccatorum reseruatorum materia.

CAPVT II.

Allata difficultas resoluitur.

SVMMARIVM.

1 *Facultas absoluendi à reseruatis non residet solum in Generalibus superioribus, sed in omnibus alijs respectiuè, qui ex pastorali proprio munere habent sibi reseruandi peccata iurisdictionem.*

2 *Non repugnat, vt authoritas absoluendi à reseruatis in solis ordinum Generalibus resideat superioribus.*

3 *Summi Romani Pontificis minores Pænitentiarij in Romana Curia residentes facultatem habent absoluendi omnes Regulares à suis superioribus reseruatis.*

4 *Summus Romani Pontificis Pænitentiarius, ac Pænitentiarij minores, vnum constituunt Tribunal.*

5 *Legatus de latere, & Nuntius Apostolicus cum facultate de latere possunt omnium Ordinum Regulares ab omnibus suis superioribus absoluere reseruatis.*

6 *An Prælati Prouinciales possint facultatem absoluendi à reseruatis alteri inferiori committere in casu, quo per modum delegationis illam obtineant.*

7 *An respectu Prælatorum Prouincialium aliquis possit esse casus reseruatus ita, vt Generalem superiorem adire teneantur pro absolutione obtinenda?*

8 *Prælati ordinum Generales ex rationabili causa respectu Prouincialium possunt de consensu capituli Generalis sibi aliquem reseruare casum.*

1 FAcultas absoluendi à reseruatis in solis minimè residet Generalibus superioribus, sed in omnibus alijs respectiuè, qui ex proprio pastorali munere auctoritatem sibi reseruandi peccata habent. Hæc assertio patet ex dictis in Superiori capitulo in prima Regula, eamque absque vlla dissentione docent Doctores.

Notanter dixi respectiuè, quoniam superiores Generales in toto ordine facultatem habent absoluendi à reseruatis non solùm sibi, verùm etiā & alijs inferioribus Prælatis. Prouinciales quoq; eodem modo respectu aliorum inferiorum, qui ex vi Decreti Clementis Octaui, & priuilegiorum, sibi reseruare valent peccata.

Et quamquam hæc, ita in re sint vera, prout omnium Religionum communis praxis docet; nihilominus accidere potest, vt in solis ordinum

2 Generalibus superioribus resideat absoluendi à reseruatis facultas; v. g. si Generalis alicuius Religionis cum suo Generali Capitulo sibi reseruet vndecim casus in Decreto enumeratos, & nonnullos alios, iuxta suæ Religionis exigentiam, ad illius statum conseruandum: Tunc certum est, nullum alium superiorem inferiorem posse à reseruatis absoluere, ac subinde facultas hæc absoluendi penès dumtaxat residebit Generalem superiorem. Idem dicendum est de Prouinciali respectu aliorum inferiorum Prælatorum, cum hac tamen limitatione, quòd tunc non solùm in Prouincialibus illa residebit superioribus, sed apud maiores quoque superiores, hoc est Generales.

3 Dices; facultas absoluendi à reseruatis residere potest apud eos, qui à summo Romano Pontifice delegatam habent iurisdictionem absoluēdi ab omnibus reseruatis, vt sunt pœnitentiarij minores eiusdem Summi Romani Pontificis in curia Romana residentis, nec non apud maiorem pœnitentiarium, eiusque vicem gerentem; igitur nullo in casu penès solos Generales superiores Regularium absoluendi à reseruatis residebit facultas. Respondeo, quòd hic non est sermo de facultate absoluendi à reseruatis absolutè, & secundùm omnem comparationē; nam constans est, quòd si Prælatorum iurisdictio in hoc ordine comparetur ad Summum Romanū Pontificem, & ad suum Tribunal, non potest dumtaxat in illis residere, quoniam absolui subditi ab omnibus reseruatis ex Papæ Delegatione

4 valent ab alijs. Dixi consultò, ad suum Tribunal, quoniam Summus Papæ Pœnitentiarius, ac minores alij in curia Romana residentes Pœnitentiarij faciunt vnum immediatum Tribunal; nam in illo foro vicem gerunt Summi Romani Ponti-

Pontifices; sed loquimur de facultate Prælatorum, quatenus iure ordinario eis reseruare conuenit peccatorum absolutiones, & intra duntaxat limites suæ iurisdictionis, seu (vt ita loquar) infrà suæ iurisdictionis sphæræ latitudinem. Et quod de Sūmo Pœnitētiario nec non de alijs minoribus assero, dicendū quoq; venit de legato de latere ac de Nuntio cum facultate, & potestate legati à latere. Etenim tam legatus de latere, quàm Nuntius cum illius facultate sunt omnium exemptorum ordinarij Superiores, & concurrunt cum illis; vt expressè habetur *in capitulo veniens, de verborum significatione in 6. vbi Francus in cap. si Abbatem de electione in 6 & ibi Glossa, Abbas Panormitan. in cap. Conuentualis de consuetudine num. 5. in fine Felinus in cap. Graue de officio ordinarij num. 3. Romanus consil. 398. Parisius consil. 28. num. 13. & sequentibus lib. 4. Panormitanus in cap. 1. de officio legati numer. 8. Chochier in tractatu de iurisdict. ordinarij in exemptos p. 2. q. 2. num. 7. tom. 1. Villadiego in tractatu delegato p. 1. q. 8. num. 20. Salgadus de Supplicationibus ad Sanct. à litteris Apostolicis, & de earum retentione 2. p. c. 14. num. 33. & cap. 21. num. 18. Barbosa in collectanea iuris Canonici num. 10. in cap. quo ad translationem de officio legati, Rodriquez quæstionum Regularium tom. 2. quæst. 62. art. 1. & alij* communiter cum *Glosa in dicto capitulo quo ad translationem*, ac proindè non solùm potestatem habent absoluendi ab omnibus omnium ordinum Generalibus reseruatis, verùm quoque, & sibi valent tam peccata, quàm censuras reseruare.

6 Quæres; si Generalis alicuius ordinis cum suo Generali capitulo sibi aliquorum reseruet peccatorum absolutiones, valent nè tunc Prouinciales, quibus facultas ab eis absoluendi committitur, talem subdelegare facultatem?

Respondeo; si talis facultas absolutè committitur, iuxta ea, quæ paulò superiùs in priori huius quæstionis Capitulo docebamus, eam subdelegare non possunt, quoniam solùm intelligitur concessa actiuè, & passiuè, vndè si indiuidualiter in concessione non exprimatur, esse concessam commissiuè, cùm censeatur per modum cuiusdam delegationis præstita, videtur, quòd delegari minimè potest, de qua re latiùs in sequenti quæstione erit dicendum. Ita sentit *Suarez 4. tom. de Religion. c. 19. n. 17.*

7 Occurrit autem hìc peculiare dubium, quod examinauit *Coriolanus de casibus reseruatis parte prima sect. 1. art. 23.* an nimirùm respectu Prouincialis sint casus reseruati, adeo vt si ipsi in aliquem inciderint, Generali se superiori præsentare teneantur? Respondet præfactus *Coriolanus* ad hoc dubium negatiuè, eò quòd (vt ipse inquit) sunt Prælati maiores, & cùm alijs præstant facultatem, multo magis eam pro se habent. Vndè si in aliquod inciderint peccatum reseruatum, cōfiteri solùm tenentur de peccato: ad nullam autem adstringuntur obligationem de se præsentando, nisi fortassè casus annexam habeat excōmunicationem à Generali latam cum absolutionis reseruatione; Nam tunc ad Generalem, vel ad eius vicem gerentem tenetur recurrere pro absolutione obtinenda, vel vti posset eadem facultate, qua Episcopus, quando habet aliquam Papalem censuram occultam; de qua re videndum est Concilium Tridentinum. Hactenus ille.

8 Verùm hæc doctrina ad Summum locum habere posset iuxta communem omnium Religionum praxim non autem in vniuersum, & iuxta Prælatorum Generalium iurisdictionum: Etenim si Generalis, vt paulò superiùs dicebamus, sibi de consensu Generalis Capituli aliquod reseruet peccatum, vel nonnulla; tunc certè casus illi etiam reseruati essent respectu Prouincialium: ac proindè si in istorum aliquod inciderint, præsentare sanè tenerentur se Generali pro illius obtinenda absolutione. Et licèt hoc facere non consueuere Generales ordinum superiores, si tamen facerent, ex rationabili saltem causa, factum teneret, dixi ex rationabili causa, eò quòd puto, Prouincialium ordinariam iurisdictionem quoad casuum reseruationem non posse Generales superiores restringere, seu limitare: atque idem sentio de localium superiorū respectu Prouincialium, vt aliàs latè docuimus.

QVAESTIO II.

Vtrùm Prælati Conuentuales, suos subditos iure proprio absoluere valeant à reseruatis.

CAPVT PRIMVM.

Ponitur sententia negatiua.

SVMMARIVM.

1 *Ad superiores omnium ordinum locales non pertinere reseruatorum casuum absolutiones, qui docent.*

2 *Ad eos superiores casuum reseruatio pertinet, ad quos ante Decretum Clementis Octaui spectabat de iure eorundem reseruatio, ex eiusdem Clementis declaratione.*

3 *Custodes in nostro Minorico Ordine non habent facultatem absoluendi à reseruatis, nisi de Ministrorum Prouincialium authoritate.*

4 *Prælati omnium Ordinum Conuentuales sunt Prælati ordinarij cum omni iurisdictione Ordinaria in vtroque foro ad subditorum salutem necessaria.*

5 *Author dilucidè ostendit ad omnium Ordinum Superiores Domorum casuum reseruatorum pertinere absolutionem.*

6 *Prælati Conuentuales omnium ordinum ex vndecim casibus in Clementis Decreto enumeratis aliquem, vel aliquos sibi possunt reseruare.*

1 Circa hanc difficultatem senserunt nōnulli, quos sub tacito nomine citat *Pater Coriolanus loco citato artic. 7.* absolutionem à casibus reseruatis ad Guardianos pertinere, eò quòd in Decreto dicitur superiores locorum: Tales enim sunt Priores, Rectores, Guardiani, & simi-

similes. Horum doctorum placitum (quamquam verè opinati fuerint, vt infrà dicemus) falsum esse putat doctor iste, quia in Decreto, inquit, talia verba non repetiuntur (*Superiores locorum*) sed bene hæc (*Superiores Regularium*) deinde inquit, ad eos pertinere reseruatorum casuũ absolutionem, ad quos pertinet reseruare casus; eius enim est soluere cuius est ligare: porrò si ligare ad Guardianos non pertinet, sed ad solos Prouinciales cum consensu Capituli Prouincialis, & ad Generalem cum consensu Capituli Generalis; sequitur quòd apud eos resideat absoluendi à casibus reseruatis facultas.

2 Vndè *P. Sorbus* in suis adnotationibus ad compendium Priuilegiorum ait, sibi factam fuisse declarationem à Summo Romano Pontifice, quòd absoluendi facultas à supradictis casibus ad illos Prælatos pertinet, ad quos priùs ante Clementis Octaui Decreti publicationem spectabat, ad ipsos modò etiam attinet. Ita ille. Quam sententiam tuetur *Ioannes à Trinitate dub. 3. in expositione casuum in nostro minorico ordine reseruator. num. 3. Miranda, Rodriquez, & alij suprà citati.*

3 Confirmari autem potest hæc sententia ex nostris Generalibus Constitutionibus Toletanis cap. 6. §. de casibus reseruatis, vbi sic habetur; *Custodes in suis Custodijs non possint ab his casibus reseruatis absoluere, nisi prius à ministro Prouinciali licentiam expressam, & commissionem obtineant*; Igitur si Custodes, qui maiorem videntur habere auctoritatem, absque Ministrorum Prouincialium licentia non possunt à reseruatis absoluere, ergo nec Guardiani.

4 Hæc sententia mihi minimè probatur, vt *disp. 8. quæst. 1. cap. 2.* primæ huius tractationis partis abundè dixi; eò quòd isti sunt Prælati ordinarij, & ex eius ordinaria iurisdictione necesse est regulariter loquendo, habere omnem facultatem ad subditorum salutem procurandam; quòd si respectu eorum essent aliqua reseruata peccata sanè prouideri non posset de remedijs, quæ subditorum necessitas expostulat, quæque iure pro-
5 prio ab eis subditi expostulare possent. Item si pro remediãdis subditorum infirmitatibus Summus Romanus Pontifex Clemens Octauus in suo hoc Decreto statuit, confessarijs pro vnoquoque Cõuentu Deputatis ac designatis committendam esse facultatem absoluendi à reseruatis, quando casus occurrerit; & certè casus in omni hora iuxta humanam fragilitatem reseruatus euenire posset: & insuper optimè Summus Romanus Pontifex nouerat, quod Prælatus Prouincialis minimè in vnoquoque Conuentu residere poterat; Igitur, si tunc committenda est absoluendi auctoritas à reseruatis, quando occurrit casus: mens Summi Pontificis illa est, vt ab eo Prælato committatur, qui immediatè præsidet in Conuentu: alioquin non posset committi facultas toties, quoties opus fuerit illis confessarijs, quibus committenda præcipitur à Summo Romano Pontifice iuxta casus occurrentes.

6 Vlteriùs, ex vi huius Decreti Clementis Octaui, valdè probabilè est, (vt eleganter docuit *Suarez tom. 4. de Religione lib. 2. cap. 18. n. 14.*) posse Guardianos, Priores ue, omnes, vel aliquos ex vndecim in Decreto enumeratis sibi reseruare casus; ergo secundùm Regulas in præcedenti quæstione positas, possunt absoluere; igitur videtur esse intentio Pontificis, quòd absolutè absoluendi potestas à Reseruatis apud Conuentuales superiores resideat. Antecedens patet; nam absolutè, inquit, Pontifex; *nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi reseruet exceptis his*; Nam, ly, Superioribus, cùm indistinctè sit positum in Decreto, omnes comprehendit, tùm quia cùm lex non distinguit, nec nos debemus distinguere, iuxta legem de prætio *ff. de public. in rem act. & legem Prætor 20. §. ait Prætor de noui operis enunciat.* tùm quia sub nomine superiorum, iuxta ea, quæ supra docuimus, comprehenduntur atque intelliguntur conuentuales quoque Prælati. Quæ verò in subsequenti capitulo dicemus, ad hanc impugnandam sententiam optimè deseruiunt.

CAPVT II.

Authoris sententia.

SVMMARIV.

1 *Prælati conuentuales omnium Ordinum (iuxta Authoris sententiam) iure proprio sui pastoralis muneris omnes suos subditos à peccatis in Religione reseruatis absoluere possunt.*

2 *An superior Conuentualis possit absoluere à peccato reseruato soli Generali, vel Prouinciali reseruato.*

3 *Prælatus Generalis, vel Prouincialis sibi aliquod reseruans peccatum respectu superioris conuentualis tenetur illam alicui committere, vt suo muneri satisfaciat.*

4 *An Prælatus Generalis, vel Prouincialis, absque rationabili causa, alteri, & non superiori locali cõmittens alicuius casus sibi reseruati absolutionem, eidem Prælato locali faciat iniuriam?*

5 *An Prælatus localis possit ex sola commissione superioris absoluere casum reseruatum, quando à Capitulo, seu superiore sit talis reseruatio.*

6 *Guardiani in nostro Minorico Ordine, nec non & aliorum ordinum superiores locales à Summo Romano Pontifice, habent in suos subditos ordinariam iurisdictionem.*

7 *Resoluitur dubium, in quo quæritur, an Delegatus à Generale pro sibi reseruato absoluendo possit alteri subdelegare talem facultatem?*

8 *Prouincialis superior in casum incidens superiori Generali reseruatum, à quo sit absoluendus, examinatur.*

9 *Generalis superior sibi aliquem reseruans casum debet (iuxta Clementis dispositionem) nonnullis committere absoluendi facultatem, etiam cum facultate subdelegandi.*

10 Pro-

10 *Prouincialibus Superioribus subditorum infirmitatibus conuenit compati, & quare.*
11 *Recursus pro reseruatorum absolutione ad Generalem superiorem, quomodo præiudicare sigillo confessionis censetur.*
12 *Ex Decreto Clementis VIII. optimè eolligitur, Conuentuales superiores ex proprio Pastorali munere habere facultatem suos absoluendi subditos à reseruatis.*
13 *Apud locales superiores, ex iure proprij muneris, absoluendi suos subditos dumtaxat residet facultas, iuxta Authoris sententiam.*
14 *Statuitur differentia inter Custodes, & Guardianos nostri Ordinis.*
15 *Quid Custodis nomen iuxta nostræ Regulæ dispositionem importet: aliundè declaratur.*
16 *Custodes in nostro Minorico Ordine, qui ad Capitulum Generale mittuntur, non sunt actuales superiores, sed quodammodo titulares.*
17 *Declaratur Constitutio Generalis Toletana cap. 6. §. de casibus reseruatis.*

1 AD hanc resoluendam quæstionem, omnia, quæ in prima q. disput. 8. cap. 2. primæ huius tractationis partis docuimus, per quam optimè deseruiunt. Verùm, vt illius quæstionis dilucidè ac clarior appareat. Veritas, iterùm præsentem duximus esse examinandam difficultatem, & quamquam in re coincidere videantur, nihilominus differunt. In illa enim examinauimus, vtrum iure proprio vel ex vi Delegationis poterant conuentuales superiores suam delegare auctoritatem pro à reseruatis absoluendo? Hic autem quærimus, an facultas absoluendi in ipsis resideat veluti in Generalibus, aut Prouincialibus, hoc est iure proprij Pastoralis muneris. Dico igitur Prælatos Conuentuales omnium ordinum ex vi sui muneris omnes subditos à peccatis in Religione reseruatis absoluere posse. Hanc assertionem verissimam existimo ex ijs, quæ in *disp. 8. quæst.* 1. docui: eamque tueri videtur *Pater Suarez* pluribus in locis *tom. illo 4. de Religion. lib. 2. cap.* 19.; quia cùm peccatum superiori reseruatur, apud illum manet iurisdictio ad absoluendum à peccato huiusmodi. Hoc est de se certum; solùm indiget expositione; Quoniam hoc respectiuè est intelligendum de superiore non tantùm reseruante, sed etiam, cui fit reseruatio: quamuis enim Generalis, vel Prouincialis solus, vel cum capitulo sibi proportionato, iuxta Religionis morem, reseruet peccatũ, non tamen semper sibi reseruat, sed conuentuali Prælato; de illo ergo dicimus posse iure suo absoluere suos subditos. Ita sentit *Pater Suarez loco citato num.* 16. commodè ad hoc idem ostendendum ea omnia deseruire possunt, quæ *P. Sanctorus de Melfi in suis commentarijs ad ordinis Constitutiones cap. 7. stat*: 2. adddeucit: quamquã ipse oppositum nullo robusto fundamento ductus sentire videtur, & tamen nostram sententiam approbat dum suam solum communiorem appellat.

2 Quæres primò; si peccatum reseruetur soli Generali, vel Prouinciali, potest nè Conuentualis Prælatus proprio, iure suos subditos ab illo absoluere? Respondeo negatiuè, veluti non potest Parochus absoluere iure suo a peccatis Episcopo reseruatis. Moneo nihilominus, quod tunc ad prouidentiam Prouincialis, Vel Generalis pertineret prouidere de modo, quo subditi possint à talibus absolui peccatis in eius absentia; quia cũ hæc sit frequens, & diuturna, & confessio cum absolutione fieri nequeat per litteras, iniustum esset cogere subditos tanto tempore confessione priuari, vel cogere illos, vt vel diminutè confiteantur, tacendo peccata reseruata, quia ab eis absolui non possent; vel (licèt integrè confiteantur) vt ab eis absolui non possint, nisi per accidens, sicut à peccatis oblitis. Immò licèt peccatum habeat annexam excommunicationem Prouinciali reseruatam, cuius absolutio per litteras impetrari potest, qua impetrata tollitur culpæ reseruatio; Nihilominus molæstissimum esset subditis grauamen expectandi absolutionem cẽsuræ per litteras à Prouinciale; tùm propter moram; tùm propter periculum reuelationis; Et ideò semper debet esse præsens, qui possit absoluere, vel simpliciter, vel cum onere comparendi.

4 Quòd si alteri, & non Prælato Conuentuali committat talem absoluendi facultatem, maximam illi infert iniuriam; tùm quia ex proprio iure tali Prælato Conuentuali conuenit suas cognoscere oues, illisque præstare remedia necessaria ad illarum salutem; tùm quia Prouincialis, (absolutè loquendo, sibi non potest respectu conuentualium superiorum ad libitum reseruare casus. Dixi, absolutè loquendo; eò quòd ad talem faciendam reseruationem semper iusta causa requiritur, qua non existente, reseruatio non tenet; vt *Vasquez, Sotus, Syluester*, & alij volunt: tum quia Conuentualis superior, est omnibus alijs prudentior, vt supponimus, & cautior; qua propter illi, & non alteri necessariò esset facultas absoluendi à reseruatis communicanda: tùm tandem quia, vt capitulo præcedenti ostensum est, esset hoc contra Romani Pontificis intentionem, qui voluit Prælatum conuentualem semper suam committere facultatem confessori præsenti, iuxta casus reseruati occurrentiam.

5 Quæres secundo quando reseruatio à Capitulo, vel à Prælato superiore fit, an tunc inferior Prælatus solùm ex commissione superioris habeat iurisdictionem circa talia peccata? Respondeo negatiuè, si de noua, aut speciali commissione intelligatur; nam reseruare peccatum conuentuali Prælato, non est nouam illi committere iurisdictionem, sed non auferre, eam quæ conuenit illi ratione muneris; quòd si hæc vocetur commissio, vt nonnulli ex nostris Patribus existimant, non est delegatio, sed ordinaria iurisdictionis traditio, vt putauit *Suarez* vbi supra.

6 Verùm hic loquendi modus quammaximè dis-

plicet, eò quòd Conuentuales superiores, etiam in nostro Minorico ordine iurisdictionem, quam habent ordinariam in suos subditos, non habent à Generali, seu Prouinciali; sed ex vi electionis à Summo Romano Pontifice; quamobrem talis commissio, nec propriè delegatio, nec ordinariæ iurisdictionis traditio dici potest, sed dumtaxat propriæ iurisdictiones non ablatio.

7 Sed hic occurrit peculiare dubium; Si peccatum sit reseruatum Generali, vel Prouinciali, & ipse in sua absentia aliquem designet, qui absoluat, an ille possit huic vices suas committtere? Respondeo non posse, quia reuera illæ tantùm est Delegatus. Vndè idem dicendum est in illo casu de ipsomet Prælato conuentuali, etiam si illa concessio facta sit à Prouinciali, vel Generali; quia tunc etiam est purè delegatus, quia illa commissio non est ex proprio munere, neque à Iure, sed ab homine: vt si Episcopus committat Parocho sibi reseruata, non potest Parochus illam subdelegare iurisdictionem alteri, sic sentit *Suarez loco citato*.

8 Dices; ergo subditus tunc cõfiteri cogitur proximo Prælato, vel vni confessori, cui facta est commissio, nec ab eis facultatem obtinere potest alteri confitendi, quod esset valdè molæstum, & sæpè nociuum. Deinde ponamus, Prouincialem lapsum esse in peccatum, quod respectu illius Generali esset reseruatum; cogetur ergo illud soli confessori sibi à Generali designato confiteri, nec poterit alteri confitendi obtinere facultatem, nisi ad Generalem recurrendo: & ita esset peioris conditionis, quàm cæteri.

Ad Priorem difficultatem respondeo, quamquam illud videri potest inconueniens, si Pontificia attendatur dispositio, in qua statuitur, facultatem reseruatorum in vnoquoque conuentu, seu Domo pluribus esse committendam pro subditorum vilitate, nihilominus tamen, in rigore loquendo, illud non esset inconueniens; quoniam satis est, quod Prouincialis vni suas committat vices; quia ad illud opus quasi permanenter expositus sit, & quasi pœnitẽtiarius eius: quòd si aliquis subditus illo contentus non sit, ad Prouincialem recurrere poterit, medio alio sacerdote, nomine pœnitentis tacito, petente facultatem: quòd si passus fuerit moram, sibi imputet; cum ad expositum pœnitentiarum recurrere noluerit.

9 Consulò tamen, id minimè esse faciendum; quòd si faciat, causam saltem rationabilem habere debet: & tunc prudentius, ac suauius faciet, committendo talem facultatem cum potestate subdelegata, vel duobus, aut tribus committendo, si commodè fieri potest, iuxta Clementis dispositionem, quod ita intelligo, vt non remaneant peccata reseruata respectu Prælatorum inferiorum, quia tunc maximè eis inferretur iniuria, & esset contra iustitiam, si causa iusta non intercedat.

Ad alteram autem partem respondeo: quamuis in eo casu sit aliqua specialis difficultas, idem ferè dici potest, eò quòd recursus ad Generalem est difficilior, & tardior; & propterea, quia Prouincialis vix, aut nullo modo petere nouam potest facultatem, tacitò suo nomine; ideo in designando confessore cùm tali facultate Prouinciali, videtur magis necessarium, vt illam habeat cum potestate delegandi, vel certè vt illam habeat tanquam ordinarius Minister respectu talis personæ: vt cumque tamen id fiat, non potest Prouincialis vitare, quin ab eo petat facultatem alteri confitendi, & siue illam per se, siue per alium petat excusari non potest, quin confessori innotescat persona, pro qua facultas postulatur, quia non habet alium pœnitentem, pro quo postulare possit. Sed hoc non est inconueniens: est quippè tanquam illius muneris onus, quod tolerandum est. Nam & est necessarium ad debitum ordinem; quia etiam Prælatus homo cùm sit, freno indiget reseruationis, & alio nõ potest cõuenienti modo illi prouideri de ministro, qui eum possit absoluere, eò quòd superiorem distantem habeat. Et aliundè sicut ratione muneris, & donorum, quæ ad illud supponuntur tenetur liberior esse huiusmodi culpis, mirum non est si in illas inciderit, quòd

10 maius etiam onus atque grauamen sentiat. Et sanè hæc doctrina multum est consona rationi, eò quòd Prouincialibus superioribus subditorũ infirmitatibus compati conuenit, & vt subditis eisdem benigiores, atque affabiliores se præbeãt; & sciant onus ac grauamen aliquando ratione reseruationis, quod sufferunt subditi, supportari non posse: propter hoc aliquando non solum videtur conueniens, quinimmò & necessariũ, vt re-

11 spectu illorum sit aliquis reseruatus casus. Quod enim mihi difficilè videtur illud est, quod in tali casu recursus ad Generalẽ Superiorẽ, vt cumq; fiat videtur cõfessionis sigillo aliquo modo præiudicari; quia, vt paulò superiùs tact um est excusari non potest vllo modo, vt persona pænitentis superiori Generali non innotescat. Quamobrem existimo, talem reseruationem non esse faciendam, nisi respectu alicuius criminis, quod sit adeò atrox, vt nullo alio modo euitari possit, nisi ratione reseruationis, & tunc prudenter fieri debet, ne vnquam in personæ cognitionem deuenire possit. Quod inconueniens facili negotio euitari posset, si reseruatio pro toto fiat ordine, & respectu omnium inferiorum Prælatorum.

12 Superest, vt argumenta pro prima opinione adducta soluamus. Ad primum respondeo ex illo generali principio, peccatorum absolutionem penes quoque conuentuales residere Prælatos; eò quòd Clementis VIII. ex constitutione manifestè colligitur, huiusmodi Prelatos ex proprio munere, Iure Pastorali, facultatem habere respectu suorum subditorum reseruandi peccata; vt suo loco ostensum est.

13 Aliter, secundùm aliorum sententiam, etiam dici potest, Prælatos conuentuales iure proprio habere absoluendi à reseruatis facultatem, ac proinde apud eos residere in ordine dumtaxat suorum subditorum, & hoc ex vi reseruationis à maio-

à maiori Prælato factæ. Nam semper Prælati, tam Generales, quam Prouinciales in peccatorum faciendis reseruationibus, consueuere conuentualibus Prælatis reseruare; qua ratione, isti proprio munere, illa absoluendi à reseruatis gaudent facultate, vt pulchrè adnotauit *Suarez loco citato*. Et sic Regula illa Generalis habet in hoc quoque casu locum; nam licet reseruatio immediatè ab ipsis localibus superioribus non fiat, tamen quia ipsis per maiores superiores reseruantur, aliquo modo ab eisdem fieri censetur.

Ad illud verò, quòd de Patre *Sorbo* refert *Coriolanus*, dicimus non constare autenticè, sed esse gratis dictum, quòd si illi fidem præstare debemus, iam ex supra tacta responsione ad primum, non obscurè colligitur, quid dicendum sit.

14 Ad confirmationem verò respondeo, negando consequentiam; etenim inter Custodes, ac Guardianos maxima est differentia, & discriminantur ex vi nostræ Regulæ: Vndè non potest
15 fieri illatio de custodibus ad Guardianos: Pro cuius intellectu aduerto, quòd nomen Custodis in nostro minorico ordine generaliter sumitur nonnunquam, & sic conuenit Ministro Generali, vt *cap*.8. Regulæ habetur in illis verbis; *fratres illi, quibus electio data est in nomine Domini alium sibi eligere possint in Custodem*. Item Prouincialibus ibidem, vbi Ministri, & Custodes pro eodem sumuntur, ibi; *Et si aliquo tempore appareret vniuersitati Ministrorum Prouincialium, & custodum, &c. possint eodem anno in suis custodijs semel fratres suos ad capitulum conuocare*. Item in Guardianis vt in cap.4. in illis verbis, *Quòd; Ministri, & custodes circa infirmos sollicitam curam gerant, sicut declarauere Summi Pontifices Nicolaus Tertius, & quatuor Magistri*. Aliquando sumitur specialiter pro Prælatura ab istis distincta, vt constat ex eodem cap. octauo nostræ Regulæ, vbi dicitur, quòd Ministri, & Custodes sunt, quibus cõpetit eligere, ac deponere nostrum Generalem Ministrum: quo in loco per custodes intelliguntur Prælati quidam, qui olim præsidebant in certis quibusdam Guardianijs, & subdebantur ipsis Prouincialibus Ministris. Qui quidem custodes duo ex Regula habebant munera Regendi, nimirum fratres in suis Custodijs, quorum erant veri Prælati, & eligendi, atque deponendi Ministrum Generalem. Quòd isti verè sint Prælati apparet ex cap. 10. nostræ Regulæ ibi; *Præcipio firmiter fratribus vniuersis, vt obediant suis Ministris*. Quo in loco ministrorum nomine intelliguntur omnes in vniuersum nostri ordinis superiores, siue Generales, siue Prouinciales, siue locales, nimirum Guardiani, atque etiam supradicti Custodes, vt dicunt omnes communiter nostræ Regulæ expositores: de qua re vidẽdi sunt noster *Rodriquez tom. 1. quæstionum Regularium quæst. vlt. art. 1. Miranda tom 2. sui Manualis q. 18. art. 1. per totum*. De istis enim custodibus certum est, loqui non posse statutum illud; eò quòd prædicti vltrà auctoritatem, quam ex Regula habebant, quæ tanta erat, quantam habent nunc Prouinciales ministri iure habebant actualem in fra-
16 tres iurisdictionem, ac regimen: atq; ideo actuales dicebantur Prælati: sed loquitur de custodibus, qui ex Decreto Pontificio cum Ministris Prouincialibus ad capitulum mittuntur Generale, quia anteà dicebantur discreti discretorum, nunc verò Custodes Custodum, qui sunt habituales, seu titulares superiores, non verò actuales, ac proinde nullam ex vi sui muneris actualem habent iurisdictionem, cum eis desit custodia, sed solùm illam, quam Ministri Prouinciales ex benignitate committunt. Sic est intelligenda Constitutio illa Generalis; ac proinde nõ benè infertur; huiusmodi custodes non habent auctoritatem absoluendi à reseruatis, nisi à Ministro committatur Prouinciali; ergo nec Guardiani; etenim illi non sunt Prælati actuales, isti verò ita, cum ordinaria in suos subditos potestate. Dato nihilominus, constitutionem illam, de custodibus iurisdictionem non solùm localem, sed quasi Episcopalem habentibus sermonem faciat, qui visitare conuentus sibi commissos valent, atque custodiale celebrare capitulum ex vi Regulæ; quia tamen in illo non omnia possunt, quæ in Capitulo Prouinciali valent Ministri; statutum est in illis Constitutionibus Toletanis, eos non posse à reseruatis Prouincialibus Ministris absoluere, eò quod quantum spectat ad conuentuum visitationem, pendent in iurisdictione à Ministris Generalibus, vel Prouincialibus, vel à Constitutionibus. Secùs verò est de Guardianis, quorum auctoritas, seu iurisdictio, secundùm suam totam latitudinem pendet à Summo Romano Pontifice, & à Regula ac proinde non benè sequitur; si tales custodes non possunt, ergo nec Guardiani.

CAPVT TERTIVM.

Doctrina Capituli præcedentis, praxi, quæ in nostro minorico ordine circa peccatorum absolutiones obseruatur proportionaliter applicatur.

SVMMARIVM.

1 *Praxis nostræ Religionis circa faciendam peccatorũ reseruationem qualis fuerit.*
2 *Vndè ducti fuerint Doctores nostri ordinis ad asserendum, Guardianos ex proprij muneris iure non posse à reseruatis suos absoluere subditos.*
3 *Praxis Ordinis an Decreto Clementis Octaui sit conformis.*
4 *Superior Prouincialis, quando committere suam auctoritatem pro aliquo sibi reseruato absoluendo tenetur, superiori locali potiùs, quàm alteri committere debet.*

1 CVm proportione omnia, quæ in superiori docuimus capitulo, praxi, quã sẽper nostra Seraphica obseruauit Religio, optimè applicari pos-

possint, Consueuerunt semper Ministri Generales in Generalibus Capitulis pro toto ordine quam plura reseruare peccata: Ministri quoq; Prouinciales, præter illa, nonnulla alia; & sic duæ erant reseruationes. Verùm Ministri Generales Prouincialibus illa reseruabant, veluti nunc reseruant cum potestate tamen delegandi facultatem alijs absoluendi. Qua propter consueuere huiusmodi Prouinciales conuentualibus superioribus pro suis absoluendis subditis à reseruatis committere facultatem, non solùm actiuam, & passiuam, verùm quoque, & commissiuam, nō semper, & pro semper, vt dicitur, sed pro vna, aut altera vice, quandoquè subditi ab eis talem postulant facultatem. Vndè infertur, quòd respectu superiorum inferiorum, omnes casus in nostris Generalibus enumeratis Constitutionib, sint reseruati, ac subinde eorum absolutio apud Guardianos minimè resideat ex vi tantùm sui muneris, sed ex mera delegatione.

2 Atque hinc nostri ordinis Doctores puto, illam habere sententiam, quam supra impugnauimus; nimirùm, ex vi proprij muneris pastoralis, seu ex officio, non posse Guardianos a reseruatis suos absoluere subditos, si aliàs eis à ministris Prouincialibus non committatur absoluendi facultas. Verùm hæc praxis longo obseruata tempore ex supradictis multùm conueniens, quinimmò, & necessaria existimari potest, tum ex tot, tantorumque Patrum Religione, Zelo, ac doctrina;

3 tum quia rationi consona. Nihilominùs, quià Constitutio Pontificia Clementis Octaui videtur talem tollere praxim, vt ostensum est proprio quæsito; tum quia licèt Ministri Prouinciales optimè nunc prouideant quemadmodum prouidebant de opportuno remedio ad subditorum salutem; Tamen Cùm in §. illo quarto statuat, facultatem committendam non esse in vniuersum, sed in speciali casu, prout latè declaratum est suprà, ac ex confessarij, cui committenda est, iudicio, sit deleganda absoluendi facultas; videtur, quòd commodè fieri nequit, si localis Prælatus ex suo munere, & iure proprio talē non habeat facultatem, vt supponere videtur Rom. Pōtifex. Et certè si Prouincialis præsētia in vnoquoque Conuentu haberi non potest, quando necessitas subditorum vrget pro peccatorum reseruatorum absolutione obtinenda, quomodo tunc possent confessori petenti illam committere? neque satis est, si dicas, Prouinciales ministros ad hoc nonnullos deputare confessarios cum tali facultatè, qui possint quoties casus reseruati occurrunt ab eis absoluere religiosos, qui sint quasi eorum pœnitentiarij; non sufficit sanè, quia illa constitutio Pontificia secùs disponit. Nam vult, non absolutè pro omnibus occurrentibus casibus reseruatis committendam esse facultatem, sed pro illo dumtaxat occurrente, quapropter necesse est, vt aliquis sit in Conuentu superior, cui de iure committere facultatem absoluendi subditos ab illo occurrente reseruato casu competat, prout demonstrant illa verba, *nimirum, Superiores in singulis domibus*; nam cùm indefinitè sumantur, & inferiora in illo Paragrafo relationem habeant ad superiorem, dicendum est, superiores locales ex proprio iure prædictum habere facultatem.

4 Minimè tamen nego, si aliquando Religionis status, ad sui conseruationem, subditorumuè salus id exposcat, posse Ministrum Pouincialem per se solùm, aut cum consensu Capituli Prouincialis respectiuè sibi aliquem casum reseruare, etiam respectu Guardianorum: tamen cùm necesse sit alteri committere facultatem ad illum absoluendum, vt Clementis constitutio disponit, conueniencius est, vt Superiori locali committatur. Non enim videtur, regulariter loquēdo, rationi consonum, vt alteri, quàm Guardiano committatur. Dixi, regulariter loquendo; quia contingere potest; ratione circumstantiarum, vel alicujus causæ, quòd magis expediens sit alij confessori committi, quàm Guardiano.

CAPVT IIII.

Residet ne facultas absoluendi à reseruatis ita penès Regularium superiores, vt illam committere possint cum facultate subdelegandi?

SVMMARIVM.

1 *Ministri Prouinciales ordinis Minorum, nec non aliorum Ordinum Prælati Prouinciales, suam possunt committere facultatem absoluendi à reseruatis cum potestate illam subdelegandi.*

2 *Priuilegia, quæ specialiter Iudicibus Ordinarijs transferuntur, an possint in alios transferri?*

3 *Ea, quæ specialiter alicui conceduntur, transferri in alium non possunt, & quare.*

4 *Delegatus an in totum possit suum officium subdelegare.*

5 *Delegatus nomine superioris delegantis suam potest delegare iurisdictionem.*

6 *An Guardiani, cæterique omnium Ordinum Regularium Conuentuales Præfecti, subdelegare valeant facultatem absoluendi à reseruatis pro toto illo tempore, quo durat eorum officium?*

7 *Guardiani, Priores, Rectores, Præpositi, & omnium Ordinum Conuentuales superiores, maiorem, & altioris iurisdictionis habent potestatem, quàm Parochi, seu Archipresbyteri.*

NObis occasionem præbuit hanc examinandi difficultatem dubium in præcedēti capitulo resolutum; etenim si Prælati Regulares pro reseruatorum absolutione alteri, quàm Guardiano, suam à reseruatis committant absoluendi auctoritatem; possunt nè illam committere cum tali clausula, vt is, cui illa committunt, possit quoque cuicunque alteri sibi placuerit committere: quod idem est, ac inquirere, an Prouincialis possit alicui suam delegare auctoritatē absoluendi à reseruatis cum facultate vt is possit eandem auctoritatem alteri subdelegare, quando etiam reseruatio peccatorum respectu Prælatorum conuentualium facta fuerit?

1 Ad

1 Ad quam difficultatem respondeo, quòd poterunt Ministri Prouinciales ita suam committere auctoritatem, quoniam eo casu ille Delegatus non sua dicitur auctoritate talem subdelegare facultatem, sed superioris delegantis: quod idem est, ac si superior ordinarius subdelegaret, iuxta legem, vnum ex familia *§. si de falcidia ff. de legat. 2.* vbi habetur, eligentem iussu testatoris nullum conferre beneficium; quia non ipse, sed testator iubens conferre censetur; vt ex lege nõ distinguemus *§. fin. ff. de recept. Arbitr.* ibi, *idque delegare non posse, nisi ad hoc compromissum sit*; vbi decernitur, arbitrum delegare non posse, nisi hoc commissum sibi scit; sicut ergo Arbitrer, eò quòd ex partium consensu recipit iurisdictionẽ, potest ipsismet partibus, quæ sibi iurisdictionem conferunt, consensum præstantibus, alijs subdelegare; sic ille, qui facultatem à superiore obtinuit absoluendi à reseruatis cum facultate subdelegandi, committere seu subdelegare alteri quoque potest; nam id fit ex consensu ordinarij.

2 Neque obstat, si dicas, quòd quæ lege conceduntur specialiter, seu in priuilegium iudicibus ordinarijs, non possunt per eos transferri in alios, iuxta legem primam in principio secundùm cõmunem intellectum *ff. de officio eius*: Atqui potestas delegandi specialiter ordinarijs conceditur *leg. more ff. de iurisdict. omn. iudic.* Ergo non possunt hanc facultatem subdelegandi transferre in Delegatum. Maior, & minor sunt certæ. Consequentia tenet, *vt docet Glosa in cap. super quæstionum §. Porrò, verbo, transfert de off. delegat. Imol. ibid. n. 21. Cardinalis Clementina 1. quæst. 12. de off. delegati; Alexander leg. à Iudice num. 9. Cod. de Iudicijs, Bolognetus l. 1. n. 39. & 40. ff. de off. eius, francus capitulo 15. in fine de officio delegati in sexto,*

3 *& alij.* Non obstat, inquam; Nam ea, quæ specialiter alicui conceduntur, in alium transferri nõ possunt, quando taliter conceduntur maioribus, vt minoribus denegentur: at quilibet ordinarius quantumuis minimus potest delegare, sic *Glosa final. c. 15. cui de officio Delegati in 6. Barthol. in l. more n. 12. ff. de iurisdict. omnium iudic. vbi Alber. n. 14. Alexand. n. 27. Bald. leg. solet num. 1. ff. eodem titulo & leg. à iudic. n. 2. Cod. de iudic. in fine, & Iason n. 8. ac etiam 9.* dicens, esse communem sententiam, *Panormitanus cap. cùm Bertoldus nu. 24. de sent. in rem iudicatam, & cap. super q. §. porrò num. 2. de officio delegati, vbi Felinus §. si verò n. 18. Alexan. de neuo dicto cap. cùm Bertoldus nu. 57. & cap. cùm causa n. 20. de appellation. Bertachin. in repertor litt. O. Verbo Delegat. subdelegati, Maranta Practica 4. p. disp. 5. principali, an iudicium sit ordinar. n. 63. Rosella in init. verbo, delegare, vbi Tabiena 1. quæsito, Armilla n. 7. Angelus eodem ver. n. 6. & ibi Sylvester quæsito 8. Nauarrus cap. Placuit num. 70. de pænitentia, Vgolinus de censuris Tab. 1. cap. 8. num. 3.* ex Theologis *Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 3. vers. circa concessiones, Medina tract. 2. de confess. q. de lic.* vice curati ad alienum confitendum, *Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 31. nu. 6. & seqq. Portel super dub. regular. verb. casus reseruat. in edit. ad dictionem nu. 1. compendium mendicantium verb. absol. ordinaria quo ad fratres, Tassarellus in compendio minimor. cap. 14. Enriquez lib. 6. de pænitentia cap. 7. n. 6. Bartolom. de Ledesma de pænit. dub. 13. conclus. 1. in fine.*

4 Intelligendum autẽ hoc cum duobus exceptionibus venit, quarum 1. est, quod non deleget in vniuersum suam iurisdictionem, (id est totum suum officium) quam habet: hoc enim non potest facere absque superioris consensu. Secunda est, quòd talis delegatus minimè suo nomine subdeleget suam facultatem, sed nomine ipsius ordinarij delegantis, ac proinde, cùm Pro-

5 uincialis Minister sit ordinarius Prælatus, potest suam auctoritatem alteri delegare cum clausula subdelegandi ad effectum absoluendi à reseruatis. Instabis; igitur Guardiani minorum, & alij conuentuales superiores poterunt, etiam suam auctoritatem absoluendi à reseruatis alicui pro suo triennio cum facultate alijs subdelegandi committere. Respondeo, quòd per Regulam à Doctoribus paulò ante citatis idem in Guardianis videtur dicendum; eò quòd sunt ordinarij

6 Prælati. Verùm quia (vt inquit *Portel loco, quo supra*) vsus, & consuetudo non solùm legem abrogat, sed illam exponit, quomodo sit obseruanda; eamobrem in ordine nostro Minorum existimo, id facere non licere Guardianis: non ex ea, ratione, quam adducit *Portel*, nimirum, quia minorem ac strictiorem, quam Prouincialis habent potestatem; nam hoc falsum est, quia (vt suprà diximus) tantam habent in suis proprijs domibus auctoritatem, quantam Prouinciales in tota Prouincia, & vlterius ex vi Decreti Clementis, (vt vidimus) habent facultatem sibi reseruandi vndecim illos casus in Decreto enumeratos, sed solùm ex consuetudine, & obseruantia subsecuta: eò quòd (vt ipsemet *Portel* fatetur) nunquam in ordine minorum consueuere Guardiani pro toto suo triennio alicui totam suam absoluendi à reseruatis delegare auctoritatem, sed solùm id pro præsenti necessitate faciunt. Displicet etiam id, quod *Portel ibidem* in fine statuit, eò euenire, quòd Prouincialis ita suam possit facultatem à reseruatis absoluendi cõmunicare, quia habet facultatem Episcopalem, & sicut Episcopus pleniorem habet facultatem subdelegandi, dandiue licentiam subdelegandi, quàm habet Parochus ordinarius: displicet profectò, tum quia Guardiani in suos habent subditos iurisdictionem, quasi Episcopalem, tum quia maiorem, & altioris iurisdictionis habent potestatem, quàm Parochi; Nam isti in iure ordinario solùm in foro pœnitentiæ habent ordinariam iurisdictionem, Guardiani verò in vtroque foro. Quamobrem adæquatè æquiparari Parochi non possunt Guardianis, seu alijs conuentualibus Religionum Præfectis.

DISPV-

DISPVTATIO SECVNDA.

De modo, quo Regularium Superiores gerere se debent circa reseruatorum absolutiones.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum Regularium Superiores omnia peccata audire teneantur eius, qui habet aliqua reseruata, vt integrè subditum à reseruatis, & non reseruatis absoluant, in casu, quo pœnitens ei confiteri velit?

CAPVT PRIMVM.

Ponitur, atque reijcitur Prima sententia.

SVMMARIVM.

1 *Rationabili causa existente, Superiores posse subditorum peccata reseruata in confessione audire, & ab illis absoluere, & pro non reseruatis ad alios inferiores remittere, qui doceant.*

2 *Causa rationabilis, quare sic potest dimidiari cōfessio, iudicatur continua Prælatorum occupatio.*

3 *Superiores, quando extra confessionem sacramentalem subditorum audiunt peccata reseruata, ipsosque ad inferiorem remittunt confessarium, tenentur sigillum seruare confessionis.*

4 *Summi Romani Pontificis Pœnitentiarij in Romana Curia nunquam consueuere à reseruatis Papæ absoluere pænitentes, & pro non reseruatis ad alios remittere.*

1 PRima opinio est asserentium, quòd superior, nisi possit omnia audire peccata, sed tantùm reseruata, excusatus rationabili causa, poterit ab illis tantùm absoluere sacramentaliter etiam, & remittere pœnitentem ad inferiorem, vt absoluat ab alijs. Ita docent *Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. concl. 2. Petrus à Soto sect. 10. de confess. Paludan. in 4. dist. 17. q. 5. art. 1. n. illo 11. S. Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 16. §. 6.* In eandem sententiam inclinat *Riccardus in 4. dist. 17. art. 2. q. 8. ad 2.* cùm ait; ex absolutione superioris, & inferioris fieri vnam integram sacramentalem absolutionem. *Nauarrus in cap. consideret §. cautus n. 12. & 18. Toletus in summa lib. 3. cap. 8. num. 4. Portel sup. dub. regul. ver. casus reseruati num. 21. Enrichus quodlibetho 1. quæst. 29. & Caietanus in summa ver. confessio.* Ex his doctoribus *Sotus, Caietanus, & Portel* docent, hoc fieri posse rationabili causa, & nulla alia, aiunt, necessaria est, quàm continua Prælatorum occupatio. Vndè cæteri Doctores non facta mentione causæ legitimæ, quasi supponentes, eam esse ex Prælatorum parte, inquiunt, ita licitum esse. Hanc sententiam, quam communem existimat *Pater Suarez tom. 4. de pœnit. disp. 31. sect. 1. Coriolanus de casibus reseruatis p. 1. sect. 1. artic. 10.* non solùm probabilem putat, verùm & vt veriorem amplectendam proponit; & asserunt, hanc esse Prælatorum consuetudinem, & in curia Romana. Imo Caietanus oppositum sentire putat temerarium; eò quòd videtur condemnare velle consuetudinem Romanæ Ecclesiæ.

2 Fundamentum principale pro hac sententia esse potest, quia quamuis confessionis integritas, vt absolutio impendatur, sit de iure Diuino rationabili tamen de causa, potest prætermitti: hæc autem videtur esse Prælatorum continua occupatio: esset enim impossibile omnium habentium casus reseruatos integras excipere confessiones; ergo ex illa, non mirum, si omittatur integritas.

Atque hinc infert Coriolanus, posse superiores primò audire, & quantum in eis est, procurare, vt integram tunc faciant pænitentes confessionem, ipsosque integrè absoluere, absque eò, quòd ipsos ad inferiores remittant confessarios. Secundò, audire possunt in confessione reseruata dumtaxat, & de illis absoluere, & pro non reseruatis ad inferiorem remittere confessarium, qui etiam reseruata audire debeat, vt à culpis quoque alijs absoluat pœnitentem, simul cùm culpis reseruatis. Tertiò, possunt audire reser-
3 uata extra confessionem, remittendo absolutionem ad inferiorem confessarium, quòd si faciat, tenetur nihilominus confessionis seruare sigillum, cùm reuelatio peccati ipsi facta ad confessionem ordinetur, pro vt aiunt *Ledesm. Adrianus, & alij.* Hactenùs *Coriolanus*, qui statim subdit; hic verò sciendum, quòd confessio Religiosi, quæ fit iteratò superiori, si fit sacramentaliter, oportet, vt ipse superior sacramentaliter absoluat pœnitentem, & per talem absolutionem pœnitenti confertur noua gratia sacramentalis, vt tradit *Sotus dist. 18. q. 5. art. 5.* quod, vt docet *Nauarrus lib. 3. consiliorum de Regul. consil. 75. num. 60.* dici potest nouum sacramentum, propter peccatorum reseruatorum nouam confessionem: cùm etiam peccata semel confessa, & legitimè ac penitùs absoluta possint esse iusta materia sacramenti pœnitentiæ.

4 Et licèt hæc *Coriolani* sententia aliqua contineat, quæ reuera non sunt à ratione aliena, falsa nihilominùs est, in quantum affirmat, superiores posse subditos pœnitentes sacramentaliter absoluere a peccatis dumtaxat reseruatis, & à non reseruatis remittere ad inferiorem confessarium. Ita existimat *Pater Vasquez tom. 4. ad 3. p. q. 91. art. 4. dub. 10. num. 2.* & quamquam *Caietanus* eam dicat ita in curia Romana obseruari, sicut vniuersaliter id docet *Henric.* contrarium tamen esse in vsu in Romana curia, testatur *Vasquez* præterquàm quòd ipse, cùm pænitētiarij munere apud Lateranum functus essem, nunquam id vidi practicari: quinimmò contrarium semper summus Pœnitentiarius nobis præcepit, quando suam pro nonnullis, sibi dumtaxat reseruatis communicauit facultatem, his verbis; audita tamen priùs sacramentali confessione.

CAPVT

CAPVT II.

Refertur secunda sententia cum suis fundamentis.

SVMMARIVM.

1 *Superiores Regularium non posse peccata dumtaxat audire reseruata, & ab eis pænitentem absoluere, quam plures Doctores docent.*

2 *Confessionis integritas est de iure diuino, ideòque dimidiari non potest.*

3 *Superiores Regularium integrè subditorum possunt audire confessionem, & à reseruatis sacramentaliter absoluere pænitentem, & pro non reseruatis ad inferiorem remittere confessarium.*

1 NOn posse superiorē peccata audire dumtaxat reseruata, & ab eis pœnitentem absoluere, ipsumque remittere ad confessarium inferiorem, siue ordinarium, siue alium, vt talis confessor auditis à pœnitente peccatis non reseruatis, ab eis sacramentaliter absoluat; docent quamplures grauissimi Doctores, vt *Adrianus q. 4. de confess. §. sed dubium videtur, Syluester verbo, confessio 1. quæsit. 19. Canus 5. p. Relect. de pænit. Vasquez vbi sup. Suar. ad 3. partem tom. 4. disp. 31. sect. 1. Reginaldus lib. 8. cap. 6. sect. 1. n. 75. & seqq. Pater Miranda tom. 2. sui manualis q. 34. artic. 12. concl. vnica, Vict. in summa de confess. Ledesma in 2. p. 4. q. 8. art. 2. dub. 3. conclus. 5. Ioannes à Trinitate in expositione casuum in nostro minorico ordine reseruatorum dub. 7. num. 3. Rodriquez in summa cap. 55. n. 13. concl. 12. Henriquez lib. 6. de pænitent. cap. 14. & cap. 15. num. 4. Conich. disput. 2. dub. 9. n. 82. Valenc. tom. 4. disp. 7. q. 11. puncto 1. vers. sextus casus, Nugnus in addit. ad 3. p. q. 9. art. 4. dub. 4. ad finem, Pesancius in addit. 69. ad 3. p. q. 16. de integritate confess. disp. 9. Sayrus de pænitentia cap. 16. n. 7. Filiuc. tit. 7. cap. 10. quæsit. 9. Bonacina de Sacr. pænitent. disp. 5. q. 7. puncto 5. §. 3. præposit. 1. n. 1. & alij quam plures.*

2 Hanc sententiam vnico, & efficacissimo probant argumento; quia confessionis integritas est de iure Diuino, in quo prædicti superiores, ac Prælati minimè dispensare valent; præsertim si nulla existat iusta, & legitima causa, seu necessitas, & cùm in dicto casu sibi subditos ad confessiones remittere possint, cum auctoritate, & facultate, vt ipsos integrè audiant, ac plenariè absoluant, nō est, cur confessionē dimidiatam esse velint; eò vel maximè quia si interdū expediat scire peccata, quæ ipsi cōmiserunt reseruata, id optimè extra confessionē facere possunt, eos remittendo ad inferiorem pro absolutione; dummodo sigillum confessionis obseruent, quod & ipsi tenentur facere necessariò.

3 Mediam alij tenentes viam aiunt, confessionem integrè fieri debere; Superiorem tamen posse non integrè absoluere, sed dare absolutionem à solis reseruatis, & aliorum absolutionem remittere ordinario confessori. Ita *Medina quæst. 14. de confession. casuum reseruatorum.* Hæc opinio est omnino improbabilis, quinimmò falsa, vt adnotauere *Suarez, Vasquez*, & alij scholastici in materia de confessione.

CAPVT TERTIVM.

Vera sententia statuitur.

SVMMARIVM.

1 *Non potest superior à solis reseruatis sacramentaliter absoluere pænitentem, & pro alijs remittere ad inferiorem.*

2 *Materia sacramenti Pænitentiæ differt ab aliorum sacramentorum materia; & quomodo.*

3 *Superior non potest licitè à solis reseruatis auditis in confessione pænitentem alia habentem lethalia sacramentaliter absoluere, si grauis necessitas ad id faciendum non vrgeat.*

4 *An superior absoluens à solis reseruatis pænitentem alia habentem mortifera peccata, validè absoluat?*

5 *Superior non debet ex confessione suæ ouis cognoscere vultum, sed aliundè.*

6 *Potest optimè Superior Pænitentis habentis reseruata audire confessionem, ipsique imponere pænitentiam, & sine sacramentali absolutione mittere eum ad inferiorem, cui omnia sua integrè confiteatur peccata, vt ab eo ab eisdem absoluatur.*

7 *Ex graui & vrgenti causa interdum integrum est superiori subditum absoluere pænitentem à solis reseruatis, & remittere eum ad inferiorem confessarium pro non reseruatis.*

8 *Facilè non potest assignari causa, seu necessitas, ob quam liceat superioris solis auditis reseruatis, sacramentaliter pænitentem alia habentem mortifera absoluere.*

9 *Vrgenti existente causa, non solùm licitum est superiori, verùm quoque ei, cui facultas absoluendi à reseruatis commissa est, absoluere pænitentem sacramentaliter à solis reseruatis.*

10 *Quando superior licitè à solis reseruatis absoluit sacramentaliter pænitentem, ex tali confessione, & absolutione verè perficitur sacramentum.*

11 *Ex confessione inferiori facta, quando pænitens fuit à superiore à solis reseruatis sacramentaliter absolutus, nouus confertur sacramentalis effectus.*

12 *Pænitens sacramentaliter absolutus à solis reseruatis à superiore, vel ab eius habente authoritatem, ampliùs non tenetur illa peccata reseruata confiteri.*

QVid verò secundùm veritatem hac in re sit sentiendum, per sequentes conclusiones duximus statuendum.

1 Dico igitur primò, non esse superiori liberum peccatis pænitentis auditis, tam non reseruatis, quàm reseruatis, absoluere à solis reseruatis, & aliorum absolutionem inferiori committere. Hæc assertio est pro secunda sententia, contra primam, eamque expressè docent *Suarez tom. 4. de pænitentia disp. 31. sect. 1. num. 3. Reginaldus lib. 8. de sacramental. absolut. cap. 6. sect. num. 75. Aegidius, Conichius de pænitentia disp. 7. de integritate cōfessionis dub. 9. vers. sed hac in re dicendum est primò.* Ostendi autem potest; tum quia post debitè factam

ctam integram confessionem, neque absolutio dimidiari potest, quam iure Diuino integram esse oportet, non minus quàm confessio, neque eam ritè confessus, iterùm compelli potest ad iterandam confessionem; tùm quia superior, vel tunc conficiendi sacramentum intentionem habet, vel non: ac non habens non remittit peccatum: habens verò, velit, nolit, omnia remittit peccata, si pænitens non ponat obicem; quia licet sacramenti valor ex Ministri pendat intentione, effectus nihilominus sacramenti validi nõ pendet ex illius voluntate; quandoquidem sacramentum suum producit effectum per modũ causæ naturalis, secundùm recipientis dispositionem, quam supponimus esse sufficientem, vt per se, ac directè omnia sua peccata per sacramentum remittantur.

2 Accedit, quòd & si in alijs sacramentis materiei quantitas iure Diuino non sit determinata, sed per Ministri intentionem debeat determinari; in sacramento tamen pænitentiæ eodem iure diuino id pendet ex recipiente, cui id ipsum ius defert munus applicandi materiam, vt probabiliter grauissimi, ac moderniores scholastici in materia de pænit. putant; nimirùm contritionem, & confessionem de suis peccatis integram: Ministro autem defert munus formam eidem materiei applicandam, dando scilicet absolutionem, quam proinde oportet integram esse confessionem.

3 Dico secundò, non posse superiorem licitè solis reseruatis auditis, habentem lethalia sacramẽtaliter absoluere, nisi grauis necessitas id exigat. Hæc assertio est partim pro secunda, & partim pro prima opinione. Ita *Suarez vbi suprà n.6. Reginaldus num. 76. Conich. vbi suprà num.* 81. Probatur quo ad primam partem, primò; quia hoc per se est contra ius diuinum, confessionem nimirùm dimidiari: ergo sine rationabili saltem causa fieri nequit. Item, nisi reseruatio præcessisset, nullatenus posset Prælatus quædam grauiora audire peccata, & sacramentaliter absoluere, aliaque ommittere; atqui reseruatio illi aliquod nouum non contulit ius igitur. Præterea inferiores priuilegium habentes, seu ad absoluẽdum à reseruatis delegatam potestatem, illo vti minimè possunt confitendi modo; ergò nec Prælati, eò quòd potestas delegantis, & delegati eadem censetur: neque illi a Christo Domino peculiarem habent facultatem, & licentiam. Antecedens constat ex Ecclesiæ vsu: aliàs possent nunc Religiosi talia habentes priuilegia illo modo absoluere à reseruatis. Simile argumentum fieri hic potest de quolibet Parocho, quòd nimirùm grauiora peccata sui posset audire Parochiani, & cœtera suo remittere coadiutori, seu Cappellano, etiam si nulla reseruatio præcesserit; quia reseruatio, vt dictum est, nullum confert nouum ius, aut potestatem.

4 Quæres, si superior id faciat, vtrum factum teneat, esto malè faciat? Respondeo cum *Suarez*, si pænitens bona fide procedat, & aliàs sit dispositus, factum tenere; eò quòd omnia substantialia ad sacramenti valorem cõcurrunt; nam illa confessio iam est integra formaliter, bona pænitentis fide supposita.

5 Neque obstat, si dicas expedire Prælatos per se tales confessiones audire, vt hoc modo suæ ouis vultum noscant.

Nam respondeo, non debere superiorem, regulariter loquendo, nosse ex confessione, sed aliundè; nam cum illa cognitione videtur non posse extra sacramentum pœnitentiæ vti ad extrinsecam gubernationem, quando illæ non adsunt causæ, & conditiones quas in proprio quæsito monuimus necessarias, seu ea ratione, qua pastor est, illa vti non potest, sed solùm qua confessarius est. Et hæc necessitas communis confessarijs omnibus est, quos expedit suorum pœnitentium nosse conscientias. Quòd si tamen aliquando in particulari iudicet expedire, vt aliquorum audiat confessionem, tenebitur eas integrè audire sacramentaliter absoluere, quòd cùm rarò cõtingat, non potest videre onus adeò graue, præsertim si pænitens iubeatur commodo tempore accedere.

6 Sed quæres; quid sit faciendum, quando ipse pænitens expectare nolit dum Prælato vacet? Respondeo, quòd tunc Prælatus poterit audire confitentem sola peccata reseruata, & absoluere à censuris, si qua innodatus extiterit, ac pænitentiam iniungere, & sine sacramentali absolutione eum ad inferiorem mittere confessarium, cui omnia sua integrè confiteatur peccata, & ab ijsdem absoluatur. Neque hac in re fit pænitenti aliqua iniuria, quòd bis sua peccata cogatur confiteri; tum quia sibi imputari debet, quòd expectare noluerit, dum Prælato vacet omnia eius peccata audire; tum quia, cùm tales casus graues mereantur pœnitentias, poterit hæc difficultas bis confitendi esse pars pænitentiæ ipsius.

7 Dico Tertiò, ex graui causa, & necessitate posse interdum superiorem absoluere subditum pænitentem à reseruatis, & remittere eum ad inferiorem confessarium pro non reseruatis. Hęc assertio est contra primam opinionem, & pro secunda probatur, quia non solum ex parte pænitentis necessitas, sed etiam ex parte confessoris, satis esse potest, vt materialis dimidiatio cõfessionis licitè fiat. Ita *Suarez vbi suprà num. 7. Conich. vbi suprà*. Existimat tamen, & benè, *Pater Suarez*, ad hanc necessitatem non sufficere, quòd *Sotus, Portel*, & alij censent authores communem .s. negotiorum multitudinem quàm hi Prælati superiores habere solent; tum quia hæ confessiones de reseruatis non sunt adeò frequentes, & hoc est vnum de grauioribus negotijs ad ipsos pertinentibus; tum quia melius est suam iurisdictionem delegare; eò quàm maximè quando dignè, & sufficienter id præstare possunt; tum quoque, si necessarium iudicent pœnitentem de reseruatis audire, & reuera sit graue onus totam audire confessionem; non absoluant sacramentaliter, sed imponant pœnitentiam.

tiam, & medicinam, & remittant reliqua inferiori, qui totam confessionem audiat, & sacramentaliter absoluat: prout notant *Henriquez lib. 6. de pœnitentia cap. in fine, & Reginaldus vbi suprà num. 77.*

8 Dico quartò, rarissimam esse necessitatem, ob quam liceat superiori solis auditis reseruatis sacramentaliter absoluere pœnitentem alia habētem mortalia. Hæc conclusio est certa, eamque habent *Reginaldus, & Ioannes à Trinitate illo dub. 7. sub num. 3.* Ratio esse potest, quia ad huiusmodi necessitatem cōstituendam requiruntur multa, quæ simul concurrere rarò contingit; nempe ex parte quidem confessarij tale, ac tantùm impedimentum adesse, vt tantam ipse hìc, & nunc confessionem audire minimè valeat: Ex parte verò pœnitentis, vt suam non possit diutiùs differre confessionem: ac denique ex parte peccati, vt secundùm prudens iudicium nequeat moraliter, vel certè non expediat, alterius iudicio, quàm superioris ipsum committi.

9 Quod si hæc aliquando simul concurrere contingat, doceo, non modò superiorem, sed etiam eum, cui suam delegauit potestatem absoluendi à reseruatis, posse dicto modo absoluere; vt ipsemet notauit *Suarez eadem sect. num. 8.* quippe qui particeps est eiusdem potestatis. Ita *Reginaldus num. 78.*

10 Ex quibus nonnulla digna in hac re scitu colligi possunt; & primò, quoties licitum est superiori de solis reseruatis sacramentaliter absoluere, ex tali confessione, & absolutione verum perficitur sacramentum ab alio, quod posteà ab inferiore confertur, distinctum: quia illa confessio est integra formaliter, & in eam cadit absolutio; ergo constituitur sacramentum, & alia absolutio; ergo. Vndè fit, primum sacramentum statim suum ex opere operato habere effectum, si subiectum sit dispositum; quia cuilibet hoc est intrinsecum sacramentum. Neque oportet, vt pænitens sit contritus, sed satis erit, si de omnibus fuerit attritus peccatis, eò quòd peculiare est huius sacramenti facere de attrito contritum, etiam illum, qui alicuius peccati mortalis in confessione obliuiscitur. Eadem est ratio de omni alio, qui ex causa rationabili, vel ex quecunque impotentia, aliquod in confessione omittit peccatum; est enim eadem ratio. Ita *Suarez, & Reginaldus locis citatis.*

11 Colligè secundò, quòd etiam per confessionē inferiori postea factam, & per absolutionem, nouus confertur sacramentalis effectus; quia est alterius sacramenti digna susceptio, vt authores secundæ sententiæ volunt.

12 Collige tandem tertiò, contra primæ opinionis Authores, in eo casu, in quo pœnitens sacramētaliter ritè, & rectè à solis reseruatis suo superiore absoluitur, vel ab habente potestatem, non teneri ampliùs illa peccata confiteri; sed satisfacere integritati confitendo reliqua, quæ tunc cōfiteri non potuit. Ita *Suarez, & Reginaldus locis citatis.* Ratio est, quia in omni alio casu, in quo pœnitens materialiter dimidiat confessionem, vel propter obliuionem, vel sine obliuione, propter rationabilem causam, siue ex parte pœnitētis, siue ex parte Ministri ortam, ampliùs non tenetur illa peccata confiteri, quæ illo modo confessus est; & a quibus est per se, & simpliciter absolutus; ergo idem erit in præsenti; est enim eadem ratio, nimirùm, quia ille penitens corā Deo, & Ecclesia absolutus directè, & per virtutem clauium, & ab habente absolutam iurisdictionē; ergo nulla est ratio hoc illi imponendi onus.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum inferior Sacerdos eum pænitentem possit absoluere, qui casus habet reseruatos, per se, & absque alia necessitate, priusquàm à superiore absoluatur.

CAPVT PRIMVM.

Diui Thomæ, aliorumque ipsum sequentium opinio refertur.

SVMMARIVM.

1 *Pænitens priùs quàm à suo superiore à reseruatis absoluatur potest ab inferiore simul cum non reseruatis absolui, secundum Diuum Thomam multosque alios grauissimos Doctores.*

2 *Sacramentalis absolutio semper remissum supponit peccatum quo ad culpam.*

3 *Peccatorum reseruatio per se non ordinatur ad culpæ remissionem, sed quoad pœnæ remissionem, & cum Ecclesia reconciliationem.*

1 MOdum, quo potest à suo absolui Religiosus superiore peccata habens reseruata, præcedenti explicuimus quæstione nunc explicandum venit, quonàm modo possit, quandò primò inferiorem adit sacerdotem commissionem ad absoluendum à reseruatis habentem. Quæ difficultas duplicem potest habere sensum. Prior est, an is possit ab inferiori sacerdote simpliciter absolui; id est quādo nulla specialis occurrit occasio, sed iure ordinario fit cōfessio? Posterior est, an in aliquo speciali necessitatis casu possit absolui, priùs quàm à superiore absoluatur? In præsenti examinabimus hanc quæstionem iuxta priorem intelligentiam. Quæstione verò Tertia dicemus secundùm posteriorem sensum. Est igitur prima sententia asserens, posse ordinarium confessorem huiusmodi absoluere pænitentem, 2 dummodò manere ille intelligat obligatum ad confitendum suo superiori peccata reseruata, idque facere, proponat. Sic sentit in primis Angelicus doctor *in 4. sent. distinct. 17. q. 3. art. 4. q. 2. ad quartum*. Erat enim argumentum, non semper debere integram esse confessionem, quando scilicet fit Presbytero, qui facultatem absoluendi ab omnibus non habet; quia sunt aliqua superiori reseruata. Respondet ergo his verbis: Ad quartum dicendum, quod etiam si sacerdos non possit de omnibus absoluere, tenetur sibi omnia confiteri, vt quantitatem totius culpæ agnoscat,

& de

& de illis de quibus nõ potest absoluere ad superiorem remittat. Hæc ille. Vndè videtur docere, inferiori integram esse confessionem faciendã necessariò, hoc verò non alio fundamento, nisi si absoluere debet; ergo sentit, quòd tunc eam absoluere potest, cum oblgatione remittendi pro reseruatis, vt pænitens à superiore iudicetur. Eandem sententiam significat *Durandus in 4. dist. 17. q. 15. n. 8. Paludanus ibidem q. 5. Gabriel in 4. dist. 17. quæst. 1. dub. 2. art. 3. in 1. casu, Maior d. dist. 17. q. 5. concl. 3. S. Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 18. §. 5. Henricus quodlibetho 1. quæst. 26. & 30. Gerson 2. p. tract. de absoluendi potestate, qui habetur Alphabetho 33. littera N. & eadem 2. p. ser. de pænitent. in cæna Dom. qui habetur Alphabetho 41. littera G. Almayn d. 17. q. 1. art. 2.* eam paucis insinuare videtur *Caietan. in sum. v. confess. sacramentalis, Nauarrus in c. consideret §. cautus n. 10. & seqq. de pænitent. dist. 5. Viguerius in summa cap. 16. §. 4. vers. 17. circa medium, Petrus Soto lect. 10. de confessione, Toletus in summa lib. 3. cap. 8. Syluester verbo, confess. 1. quæsito ij. Angelus eodem verbo 9. n. 9. Medina Cod. de confessione quæst. de integritate absolutionis, & q. sequenti indicat etiam, Alexander de Ales 4. p. q. 77. membro 5. art. 2. ad vltimum, aliàs q. 18. membro 4. artic. 5. §. 2. ad vltimum*; qui inter omnes docet singulariter, posse tunc pœnitentem solùm ea peccata confiteri, quæ iurisdictioni talis subsunt confessoris, cætera verò seruando superiori; quod non censet improbabile *Petrus Soto*, quamquam magis aliorũ adhæreat sententiæ asserentium, debere tunc pœnitentem omnia confiteri, licèt solùm à quibusdam directè possit absolui. Et Antoninus vbi supra docet, contrarium demonstrari non posse, sed tantùm esse probabile. Verumtamen noster Alensis id posse fieri inquit cũ consensu inferioris: sic enim qui confessionem diuidit, nõ mouetur verecundia, & prauo affectu, sed ex optimo fine, maximè de confessarij consensu. Vndè *Gerson Alphab. illo* 41. dicit, se non audere eorum sententiam damnare, qui volunt, diuidi posse confessionem in hoc casu, vt quædam peccata tantùm inferiori, quædam verò superiori dicantur. Conueniunt tamen omnes, quòd si dicantur omnia inferiori priùs poterit iste absoluere sacramentaliter, sed cùm obligatione coram superiore pro reseruatis comparendi, cui tenebitur reseruata dumtaxat referre.

2 Hæc sententia fundari potest in primis, quia absolutio sacramentalis remissum iam supponit peccatum, quo ad culpam per contritionem, quæ est dispositio necessaria in sacramento hoc; absolutio verò sacramẽtalis hoc operatur, vt cõparendi in confessionis iudicio, ac recipiendi pœnam à sacerdote iniunctam in peccatorum medelam debitum tollat. Vndè impediri potest sacramentalis absolutio à sacerdote, quæ effectũ in quędam habeat peccata; non verò in alia, quia reseruata sunt. Sicut ligatus multis obligationibus ab vna absolui potest, & non ab alia: & ita sacramenti effectus, qui est culpæ remissio, quæ fit in contritione, non diuiditur, sed quorundam peccatorum ab inferiori sacerdote iterùm comparendi in confessione tollitur, & non tollitur ab alijs: si autem aliquid obstaret, ne posset ita conferri absolutio, esset, ne diuideretur peccatorum remissio quoad culpam, cùm impium sit dimidiam à Deo sperare salutem: sed non obstat hoc, cùm iam per contritionem omnium quoad culpam fiat peccatorum remissio: tollere verò obligationem coram sacerdote in confessione comparendi, fieri potest circa quædam peccata, quãdo cætera obligata maneant, vt ad confessionem deferantur.

3 Omnibus Authoribus huius sententiæ hoc non placet fundamentum; quamobrem nonnulli alia vtuntur ratione, & sit pro hac sententia secunda; quia reseruatio non est quoad alios effectus sacramenti, sed quoad alios effectus, scilicet quo ad pœnæ remissionem, & reconciliationem cum Ecclesia. Ita quòd reseruantur superiori peccata, non quia hac impediatur reseruatione culpæ remissio, sed quia pœnitens pro eo peccato comparere coram superiore obligetur, vt reconciliationem cum Ecclesia, & pœnam condignam arbitrio illius recipiat, & quoad duos hos effectus potest diuidi absolutio: id est absolui potest pœnitẽs ab vno peccato absque eo quòd ab alio absoluatur: veluti contingit, cùm quis peccatum habet reseruatum, & illius oblitus alia non reseruata confitetur: tunc enim absoluitur quò ad culpam ab omnibus, etiam reseruatis, sed non ab obligatione comparendi in confessione coram superiore. Cur ergo eodem modo non fiet etiam, si reseruata in confessione explicentur? & quidem secundum hos Authores sequitur, quòd si quis tantùm reseruata habet peccata, illaque cõfiteretur, ab illis absolui posset quoad culpam, & manere obligationem quoad alia, quæ dicta sunt. Si quidem reseruatio nõ est quoad remissionem culpæ. Demùm huius sententiæ Authores non explicant, an inferior sacerdos possit pœnitentem habentem casus reseruatos, quibus excommunicatio annexa est, absoluere: vel si tantum suam sententiam intelligant, quando peccata sunt reseruata sine excommunicatione. *Solus Angelus vbi suprà n.* 10. id etiam extendit, quando excommunicatio est eis annexa.

CAPVT II.

Allata sententia, vt falsa reijcitur.

SVMMARIVM.

1 *Peccata in sacramento pœnitentiæ nullo alio modo remitti possunt, nisi per modum sententiæ, & quomodo, explicatur.*

2 *Virtus clauium ad hoc, vt maculam peccati delere possit, requiritur necessariò pœnitentis attritio.*

3 *Sententia in sacramento pœnitentiæ à proprio Iudice non lata, cur ex concilio Tridentino sit nulla.*

4 *Confessionis integritas est de iure Diuino, & quare.*

5 *In Sacramento pœnitentiæ benè disposito, & contrito, ex*

to, ex vi absolutionis semper gratia confertur.

6 *Referuntur obsurda, quæ sequuntur ex opinione Diui Thomæ, & aliorum asserentium, posse pænitentem à reseruatis absolui ab inferiore, cum obligatione se præsentandi coram eo, qui habet facultatem ab ipsis met reseruatis absoluendi.*

7 *Pænitens excommunicatione innodatus ad sacramentum pænitentiæ accedere non potest, & quare.*

8 *Sacerdos sciens pænitentem excommunicatum, si absque iurisdictione absoluit, tam ipse, quàm pænitens mortiferè peccant.*

1 OLim communissimam hanc opinionem probabilem existimauimus; quin immò in praxi consuluimus sequendam. Sed re meliùs considerata, esse omninò tanquam falsam reijciendam modò arbitramur, quamquam grauissimorum sit tot Doctorum; vt Doctissimus *Vasquez tom. 4. ad tertiam Diui Thomæ partem quæst. 91. art. 3. dub. 9. n. 8. & seqq.* subtiliter *ostendit*. Et certè huius sententiæ falsitatem hoc vno, sed robusto ostendo fundamento. Peccata in hoc pœnitentiæ sacramento nullo alio remitti possunt modo, nisi per modum sententiæ, nequit autem sententia proferri, nisi à proprio sacerdote, qui in hoc Tribunali iudex competens sit; igitur si sacerdos inferior, quem pœnitens primò adit, in illo Tribunali iurisdictionem non habet; certè non erit Iudex competens; igitur non potest absolutionis sententiam ferre, ac per consequens quomodocunque accedat, à peccatis reseruatis minimè ab illo absolui potest.

2 Hæc efficacissima ratio, quam ex doctrina *Vasquez* formauimus, vt euidenter pateat, solùm indiget declaratione; pro qua nonnulla obseruanda sunt. Et primò, Clauium virtutem ad hoc pertingere, vt maculam peccati delere possit, & deleat quoties pænitens sine contritione accedit, cum attritione tamen. Vndè sacerdos, dum absoluit, audita confessione; ad hoc primùm absoluit, vt conferens gratiam, omnia tollat peccata, non quomodocunque, sed tanquam iudex absolutionis sententiam à culpa proferens, & ita tollens illam, si eam inuenit. Si verò iam remissa fuerint per contritionem, (quod non supponit necessariò hoc sacramentum) auget gratiam, quæ remitteret culpam, si eam inueniret. Vndè gratia illa est gratia absolutionis proueniens ex sententia. Quod est valdè notandum.

3 Secundò obseruandum est, quod docuit Concilium Tridentinum *sess. 14. capit. 7.* quòd cùm ratio iudicij hoc postulet, vt sententia nulla censeatur, quæ fertur à iudice non proprio, idipsum postulat hoc sacramentum: & consequenter effectus eius proprium iudicem iurisdictionem in personam, atque delicta, quæ in confessione aperiuntur habentem; & ita sententia, qua fertur, vel à non iudice pœnitentis, vel à non habente potestatem in omnia pænitentis delicta; erit nulla. Inde enim infert Concilium in eo capite, quòd, cùm sententia lata, vt valida sit, debeat fieri à proprio iudice, meritò visum est in Ecclesia, vt peccatorum quorundam iudicio superiorum reseruaretur absolutio, in quibus illi tamen essent iudices habentes veram iurisdictionem. Cùm ergo effectus Clauium sit per se, & ex natura sua culpæ remissio per sententiam veram, & ita debeat à proprio iudice esse, sequitur, reseruationem esse peccatorum alicui supremo iudici quoad absolutionem à culpa per sententiam, & cùm hæc non possit esse vera sententia; nisi à suo iudice, non erit vera absolutio, quo ad culpam, nisi ab eo, cui reseruatum est peccatum illud.

4 Infertur ex istis, quòd, cùm pœnitens nonnulla habeat peccata reseruata, si inferiori confiteatur sacerdoti; non poterit ab illo absolui, etiam cum obligatione comparendi coram superiore, at primò tenetur ille inferiori omnia peccata, quorum meminit, confiteri, vt integra sit confessio; quia iudicium sacerdotis ferri non potest, nisi causa integrè audita pœnitentis, vt diffinit Tridentinum *sess. 14. capit. 5.* & ita integritas confessionis non minus est de iure diuino, quàm ipsa confessio. Sed si omnia confiteatur pænitens, sacerdos non potest absolutionem impendere, quia sententia illius absolutionis est quoad culpam, & hæc sententia minimè potest ex parte esse valida, & ex parte nullius effectus: vndè aut debet esse omnium, aut nullius peccati; eò quòd sicut non remittitur peccatum vnum mortale sine alio de potentia saltem ordinaria; ita nec etiam potest sententia remissionis, quo ad culpam in vnum ferri peccatum, quin in alium feratur, & ita qui ab vno non potest absoluere, non poterit ab alio: vndè nec gratiam conferre, qua ea remittantur, quia illa est omnium remissio, sed tunc iudicium absolutionis ferri non potest in reseruata; ergo nec in alia. Quòd verò in reseruata non possit, est de se euidens; quia circa illa non est ille sacerdos iudex, vt supponimus: sententia autem lata in hoc sacramento à non suo iudice est nulla, vt decernit Concilium *sess. 14. capit. 7.* igitur, &c. Quod sit non proprius Iudex quo ad culpæ remissionem, inde ostenditur, quoniam iudicium illorum peccatorum reseruatur quo ad culpæ remissionem, vt in primo notando monuimus, non tantùm quo ad pœnæ impositionem, & cum Ecclesia reconciliationem; sed dum reseruatur, vt ponatur pæna debita, & conueniens pænitenti medela à maiori sacerdote, reseruatur illi sententia absolutionis in hoc sacramento, vt proprio Iudici: hæc autem est ad culpæ remissionem; igitur, &c.

5 Nec obstat, si dicas, aliquando accedit pænitens

nitens contritus, & tunc peccata non absoluuntur quo ad culpam à sacerdote; igitur non sunt tunc quo ad culpæ remissionem; non obstat sanè, quoniam in hoc sacramento semper ex vi absolutionis benè disposito, & cõtrito gratia cõfertur; quamuis ei quo ad culpam non remittantur peccata, sed confertur gratia, quæ posset verè ex sententia absolutionis culpam tollere, si illam inuenerit, & cum illa gratia præstita sit. Et sententia ad absoluendum à iudice debet dari proprio, & dari cum debeat ex integro iudicio causæ, dari debet à Iudice, qui sit proprius iudex circa omnia illa peccata; quia illa cùm datur, datur circa omnia, & non ad aliqua tantùm.

6 Non minus reijcienda venit horum doctorum allata sententia ex absurdis, quæ ex illa sequuntur; nam in primis sequeretur, quod nec inferiori omnia teneretur pœnitens cõfiteri peccata, quæ si illa contritione dumtaxat remittuntur, quoad culpam, & nunquam virtute clauium, & ita reseruatio non est quoad remissionẽ culpæ, sed quo ad duo alia; sequitur certè non debere esse integram confessionem; quæ si integra esse deberet, maximè vt omninò simul iudicium ferret sacerdos virtute clauium; quod si quo ad culpæ remissionem concederet hæc opinio, fieri virtute clauium, concederet consequẽter debere esse omnium peccatorum, quia vnũ sine alio nequit remitti, vt paulò superiùs dictum est. Sed iudicium, quod (iuxta opinionem hanc) sacerdos in hoc fert sacramento pœnitentiæ, fert circa quædam peccata, & non circa alia, vt ipsi admittunt: Concilium verò Tridentinum sess. & cap. iam citatis integram postulat de iure diuino confessionem propter iudicium à sacerdote ferendum, igitur non esset necessarium omnia confiteri, si quidem iam quo ad culpam remissa supponuntur simul per contritionem, & de reliquo potest de vno sine alio iudicare. Et in casu nostro sacerdos inferior ita iudicabit; & reuera, vera censebitur opinio illorum asserentium, quòd tunc non sit necessaria integra confessio. Quam opinionem *Durandus in 4. distinct. 17. q. 5. nu. 11. & Vasquez loco citato n. 17.* censent erroneam; Vndè & illã, ex qua sequitur. Et ita *Petrus de Soto* loco, quo suprà, quamuis optimè inferat, quod si diuidi potest absolutio, poterit etiam & confessio; perperam dixit, vt eleganter ponderauit *Vasquez* vtrumque esse probabile, & de diuisione confessionis, & absolutionis. Concil. enim Trid. (vt iam visum est) propter absolutionis iudicium de iure diuino integritatem postulat: & ita reijcienda est illa diuisio, tam in absolutione, quam in cõfessione. Quod verò tunc integra sit facienda, & non diuidenda confessio, docet *Canus 5. p. relect. fol. mihi 109.* §. sed quoniam Theologis, cùm autem in absolutione diuisionem concedat, non audet oppositam damnare sentẽtiam, sed neque benè suam hanc tuetur: Inquit enim esse legem obseruandam, quæ vt in plurimum casus attendit, & non esse prætermittendam propter vnum casum particularem, qualis est modo. Verùm cùm ita sit, dicimus, quòd propter absolutionis iudicium, deducitur integritas à Concilio, quando iudicium diuiditur, & confessio diuidi poterit. Clarè igitur ex dictis apparet, quando inferiori in confessione peccata aperiuntur reseruata, impendere non posse absolutionem. Alterum, quod infertur ex ista opinione absurdum, est, quòd eadem ratione, si aliquis tantùm reseruata haberet peccata ad inferiorem accedens sacerdotem, recipere posset absolutionem, & ita gratiam in sacramento; quia quo ad culpæ remissionem, aut gratiæ collationem, hæc peccata non reseruantur, & ita sequeretur, quòd quilibet sacerdos hoc posset administrare sacramentum, si quidem ille aliàs habens iurisdictionem in pænitentem potest absolutionem impendere solùm peccatis auditis reseruatis, in quæ non habet iurisdictionem, quæ omnia sacrosancto Tridentino aduersantur Concilio. Quibus connecto, si ex vi contritionis illa peccata iam remanent remissa, in quantum iam pænitens est iustificatus quo ad culpam, certè sequeretur, quòd quilibet sacerdos circa illa posset ferre iudicium, quoniam eadem posset esse ratio de istis peccatis per contritionem deletis, ac de illis, quæ per confessionem remittuntur sacramentalem: atqui ista à quolibet Presbytero (iuxta communem probabilissimam sententiam) possunt absolui, igitur & illa. Cœterum omnes concedunt, & est de fide Catholica, ex eò quòd contritio est confessio in voto, requiri necessariò iudicium sacerdotis proprij, & absolutionem, quando illum adiri potest.

7 Atque hinc facilè impugnatur illud, quod docet Angelus, extendens doctrinam allatæ sentẽtiæ ad casum annexam habentem excommunicationem; nam aut excommunicatio, iuxta veriorem sententiam, non tantùm sacramentorum prohibet receptionem, vt impediat ex vi sua effectum sacramenti, reddens nullum sacramẽtum, vbi iurisdictio requiritur, aut saltem hoc certissimum est, quòd sciens se esse excommunicatum accedere non potest, quia prohibetur in sacramenti participatione, vt Theologi omnes *in 4. distin. 18. præsertim Diuus Thomas, Diuus Bonauentura, Ricchardus, Paludanus,* & alij, *Argentina distinct. 19. art. 4. Sotus distinct. 22. art. 1. Suarez latè ad tertiam partem Tomo 5. disputat. 10.* & summistæ omnes, omnesque Doctores specialiter videri possunt *Nauarrus in capit. 27. num. 1. & Couarruuias in cap. Almamater 1. p. §. 6. num. 5.* estque in Iure expressum in cap. cùm illorum, & in capitulo si quem de sententia excommunicationis, & in capitulo illud & capitulo si celebrat de Cleric. excommunicat. Ministr. etiam minor. excomm. ligatus, vt habetur eodem capitulo si celebret. Vndè sacerdos, qui sciens pœnitentem excommunicatum, absoluit, peccabit, si ipse excommunicationem tollere

non

non potest: & ita, si ex parte pœnitentis apponitur noui peccati impedimentum absolutionem irritabit. Ita *Sotus in 4. distinct. 18. quæst. 2. artic. 5. conclus. 2. ad primum*. Et hoc ita certum existimauit *Vasquez*, vt nulla inter Doctores possit esse controuersia, Angelum excipiendo.

CAPVT TERTIVM.

Declaratur, simulque probatur sententia negatiua omnino sequenda.

SVMMARIVM.

1 *Inferior sacerdos pænitentem casus habentem reseruatos nequit sacramentaliter absoluere; atqui illum ad superiorem remittere tenetur.*

2 *Ex præcepto Concilij Tridentini omnes inferiores Præsbyteros authoritate absoluendi à reseruatis carentes pænitentibus peccata habentibus reseruata persuadere teneri, vt suos adeant superiores pro illorum obtinenda absolutione.*

3 *Dictio*, nihil, *apposita in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 7. in illis verbis*; cum nihil possint in casibus reseruatis, *quid operatur*.

4 *Confessionis integritas desumitur ex integra peccatorum coram legitimo Iudice occupatione.*

5 *Sacerdos non potest ex potestate ordinis absoluere directè à venialibus, & indirectè à Mortalibus; & quare.*

6 *Peccata obliuioni tradita cur remaneant absoluta indirectè, non verò reseruata, quando à non habente authoritatem absoluuntur simul cum non reseruatis.*

7 *Falsum est, peccatum remissum ratione contritionis quoad culpam, non remitti virtute & efficacitate clauium.*

8 *Peccatorum reseruatio non solùm quoad pænæ impositionem, verum quoque quoad culpæ remissionẽ per se ordinatur.*

1 VEra igitur sententia, non posse inferiorem sacerdotem pænitentem casus habentem reseruatos sacramentaliter absoluere, sed illum ad superiorem remittere debere, omnino sequẽda est. Ita tenet *Riccardus in 4. distinct. 17. artic. 2. quæst. 8. ad 2. Adrianus quæst. 4. de confess. Durand. in 4. distinct. 17. quæst. 15. Sotus in 4. distinct. 18. quæst. 2. art. 5. Canus dicta relect. p. 5. Ledesma 2. p. 4. quæst. 8. art. 3. dub. 3. ex recentioribus P. Suarez tom. 4. ad tertiam partem disputat. 31. sect. 2. num. 2. Vasquez eadem tertia parte tom. 4. q. 91. art. 2. dub. 9. num. 26. vers. superest ergo, Aegidius Conichius disput. 8. de Ministro sacramenti pænitentiæ dub. 13. conclus. 1. numer. 100. Reginaldus tom. 1. lib. 8. de sacramentali absolutione capit. 6. sect. 2. numer. 79. Magister Lorca olim Generalis ordinis Cisterciensis, ac primarius in Academia complutensi Scoti Cathedraticus, in quodam suo manuscripto de pænit. tractatu, Ioannes à Trinitate in expositione casuum in nostro minorico ordine reseruatorum, Portel super dub. Regul. ver. casus reseruati n. 20.*

R. P. Iuniperi à Drepano de Casib. reser.

2 Rationes, quibus communem reijcimus opinionem, optimè hanc sententiam ostendunt. Ex illo autem principio possunt nonnulla colligi fundamenta, & certè robusta ad veritatem nostræ sententiæ demonstrandam; & primò præmittimus Concilium Tridentinum *sess. illa 14. c. 7.* vbi de casuum reseruatione sermonem faciẽs, de eorumque absolutione, postquàm decreuit, nullam in articulo mortis esse reseruationẽ, sed omnes Præsbyteros pænitentes quodlibet à quibusuis peccatis, & censuris absoluere posse; addit; extra quem articulum (scilicet mortis) Sacerdotes, cùm nihil possint in casibus reseruatis, id vnum pœnitentibus persuadere nitantur, vt ad superiores, & legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant. In quibus verbis maximam habet efficacitatem, quod dicitur; *id vnum persuadere nitantur*: neque enim dicitur; vt inferior à non reseruatis absoluat, & remittat pro reseruatis, neque vt absoluat à non reseruatis directè, & à reseruatis indirectè: sed vt hoc dumtaxat fiat, vt pœnitens aliquo innodatus casu reseruato ad superiorem, cui talis est reseruatus casus, pro absolutione obtinenda remittatur; igitur cum sacrosanctum Concilium Tridentinum determinet, vt pœnitentem, quando est aliquo reseruato casu ligatus, ad eum, qui legitimè ab illo absoluere potest (præterquam in articulo mortis) remittere debeat; idque solùm, & non aliud præcipiat faciendum, satis clarè, ac apertè constat, nullo modo posse inferiorem, nec indirectè pœnitentem à reseruatis absoluere.

3 Præterea, verba illa Concilij, nimirum; *Sacerdotes, cùm nihil possint in casibus reseruatis*, valdè sunt ponderanda: nam dictio, *nihil*, demonstrat, nullam posse sacerdotes habere super reseruatis iurisdictionem, tam directam, quàm indirectam, talis quippe est naturæ, vt neget quidquid post se inuenit: quamobrem Sacerdotes, si nihil possunt, sequitur nec indirectè absoluere posse reseruata, cùm eis omnis negetur facultas.

4 Probatur secundò, quoniam confessionis, atq; absolutionis integritas est de iure diuino, vt in superiori capitulo diximus: atqui in prædicto casu confessio non est integra, quia licèt pœnitens omnia proferat peccata sua, reuera tamen in ordine ad sacramentum non est integra confessio, nam sacramentalis confessio non est quæcunque peccatorum manifestatio, sed eorundem accusatio coram legitimo iudice; atqui confessio illa magna ex parte non est coram legitimo iudice peccatorum accusatio; quia confessor inferior in peccata reseruata nullam habet iurisdictionem; igitur nec absolutio est integra, eò quòd sententia non est à legitimo iudice lata cùm potestate careat ad ferendum iudicium pro integra causa, vt suprà dictum est.

6 Probatur tertiò; nam opposito concesso, multa sequerentur falsa; Etenim primò sequi videtur, quòd qui haberet peccata venialia, & mortalia, simplici posset confiteri sacerdoti, ab eoque sacramentaliter absolui; nam

tunc absolutio directè suprà venialia, & indirectè suprà mortalia caderet. Secundo sequeretur, simplicem posse sacerdotem pænitentem absoluere, qui habet mortale peccatum reseruatum, si illud simul cum aliquo veniali confiteatur, quod nullus sanè cōcederet sequelæ ambæ patent: quia simplex sacerdos ex vi potestatis, quam in ordinatione accepit, directam habet iurisdictionem ad sacramentaliter absoluendum à venialibus: licèt ergo iurisdictionem in peccata non habeat reseruata, neque in peccata mortalia non reseruata, ab illis tamen poterit indirectè absoluere, conferendo gratiam per sacramentalem absolutionem venialium sicut enim inferior confessarius, ex eò quod iurisdictionem circa aliquam materiei partem absolutionis habet, quando pænitens peccata habet reseruata, potest directè à non reseruatis absoluere, & indirectè a reseruatis, eadem simili ratione simplex sacerdos, ex eò quòd iurisdictionem circa aliquā materiei absolutionis partem iurisdictionem habet, quando pænitens peccata habens mortalia siue reseruata, siue non reseruata, confitetur. Simul aliqua venialia vel solùm vnum peccatum veniale, poterit sacramentaliter absoluere directè à veniali, vel venialibus, & indirectè à mortalibus siue reseruatis, siue non reseruatis: quod concedere sanè est erroneum; igitur illud à quo sequitur. Vndè clarè videtur veritas nostræ sententiæ.

6 Sed obijcies; cùm aliquis casus habet reseruatos, sed illorum oblitus alia confitetur peccata, verè absoluitur à sacerdote quoad culpam, & tamen remanet obligatus superiori confiteri, cui reseruata sunt, vt ab illo condignam recipiat pænam, & peccati medelam, non verò à culpa absolutionem, quam iam in confessione habuit; igitur eodem modo, quando illa dixisset in confessione, absolui posset quoad culpam, & manere obligatus illa superiori confiteri.

Respondeo, diuersam esse rationem, quoniam quando obliuioni traditæ sunt culpæ reseruatæ, (vt infrà proprio quæsito latiùs dicemus) absolutionem aliorum minimè impendiunt, & consequenter, nec ipsarummet, per gratiæ infusionem; quia cùm tunc tantùm detur gratia ex iudicijs peccatorum quæ in confessione explicata fuere, quæ non fuerant reseruata, est legitima absolutio, & sentētia; quia ea peccata, quorum occasione sacerdos absolutionem impendit, sub suo erant iudicio; & quia absolutionem legitimè contulit gratiam etiam contulit, qua omnia remisit mortalia, etiam reseruata: hæc enim non irritant absolutionem, hominem incapacem absolutionis faciendo sicut excommunicatio facit, nisi in quantum, dum in confessione veniunt iudicanda, non subduntur iudicio confessarij. Quādo ergo in cōfessione exprimuntur, est irrita absolutio, quò ad culpam, cùm illorum, & aliorum vna debeat esse absolutio, & vnum iudicium, iudiciumque illorum diuidi non possit; & ita tunc conferri debeat gratia ex peccatorum iudicio, iudicium verò fieri debeat à suo proprio iudice, & ille inferior sacerdos non sit omnium illorum iudex peccatorum, vt dictum est, quorum omniū simul iudicium esse debet, vt feratur absolutio.

7 Superest vt fundamēta, quibus contraria innititur sententia, soluamus. Ad primum respondeo, falsissimum supponere, scilicet non remitti peccatum virtute, & efficacia, aut vsu clauium quoad culpam, sed iam supponit remissum in contritione, prout ostendit *Vegha* in Tridentinum *lib. 13. c. 33.* & apertè habetur in Concilio Florentino *sess. vlt.* in Decreto Eugenij de quarto Sacramento, quod est pœnitentia, dicitur, rem illius, hoc est effectum, esse remissionem peccatorū: & latè *Vasquez tom. 4. ad 3. p. q. 84. art. 3. dub. 2. nu. 12.* Inde autem optimè inferebant, reseruationē non esse quoad remissionem culpæ, & collationem gratiæ; Vndè ab inferiore tunc absolutionis sacramentum conferri posset; & effectum gratiæ operari, quia in hoc non est reseruatio, sed tantùm in illis duobus effectibus, scilicet impositione pœnæ, & reconciliatione ad Ecclesiam, in quibus non esset dubitandum, posse conferri circa quædam peccata ab inferiore, & non circa alia, quia non videtur ea connexio, quæ in absolutione culpæ; verum quia illa ratio falso nititur principio, vt ex decreto dicti Concilij Florentini patet, se ipsam destruit.

8 Ad secundum respondeo, falsum esse fundamentum, quòd nimirùm peccati reseruatio non sit quoad culpæ remissionem, sed tantùm quoad pænæ impositionem, & reconciliationem cum Ecclesia, quasi supponat, reseruationem non esse quoad primum, & præcipuum sacramenti effectum; quod est manifestè falsum: nam de toto effectu huius sacramenti dicitur in Concilio Tridentino *sess. 14. cap. 7.* sententiam à non suo latam iudice nullam esse; inquit enim, huius sacramenti absolutionem esse sententiam: est autem absolutio à culpa, vt verè quoque admittunt aduersarij; igitur à non suo iudice erit nulla data absolutio à culpa, cùm in eo sit vera sentētia, & proprietates debeat sequi sententiæ; Igitur reseruatio impedit primum illum effectum, quia inferiorem sacerdotem facit esse non Iudicem illius causæ, vt absoluat à culpa: & mirum non est, cum faciat reseruatio non suum iudicem in alijs duobus effectibus in primo tamen vnitis, cū ille sit præcipuus, & in eo verè sit sententia, & dicantur illa peccata reseruata, vt à superiori absoluantur in eo cap. 7. Concilij Tridentini.

QVAESTIO TERTIA.

Quando pænitens bona fide confitetur simul cum reseruatis aliqua peccata non reseruata confessario iurisdictionem non habenti, ab eoque absoluitur, vtrum validè absoluatur?

CAPVT PRIMVM.

Magistri Francisci *Suarez* nonnullorumque aliorum ex moderni oribus sententia doctorum Refertur.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Pænitens, qui mala fide à Confessario iurisdictione carente absoluitur, non recipit sacramentum, nec verè absolutionem.*

2 *Pænitens, qui bona fide à sacerdote iurisdictionem non habente super reseruata absoluitur, ab ijsdem validum recipit sacramentum, & remanet ita absolutus, quòd non tenebitur iterũ peccata non reseruata confiteri, iuxta Suarez, & aliorum sententiã.*

3 *Pænitens, qui bona fide à sacerdote non habente authoritatem absolutionem recipit, formaliter integrè confitetur.*

1 CONstans est apud omnes Doctores, pænitentem, qui mala fide à confessario iurisdictionem non habente absoluitur, non recipere sacramentum, & consequenter non esse absolutum; quia tunc ponitur ob ex sacramento, & confessio nullo modo est integra. Difficultas igitur est, quando pœnitens bona fide absol-
2 uitur. In qua re doctissimus *Pater Suarez tertia parte ad Diuum Thomam disp. 31. sect. 1. num. 81. Ægidius Conich. disput. 8. de Ministro pænitentiæ dub. 13 num. 101. Caietanus in summa verbo, confessio c. vltimo, Nauarrus in summa cap. 9. num. 7.* & communiter omnes alij, vt testatur idem *Nauarrus*, censent, validum esse sacramentum, quando pœnitens tali confessario bona fide confitetur simul cum reseruatis nonnulla peccata non reseruata: itaque (aiunt) si hoc modo quis bona fide confitetur, & absoluitur non tenebitur iterùm peccata confiteri non reseruata, sed de reseruatis dumtaxat suo superiori adstringitur confiteri. Hanc sententiam probat *Pater Suarez* primò, quia tunc pœnitens formaliter bona fide
3 confitetur integrè, & sacerdos habet iurisdictionem suprà confessionem illam, quatenùs sacramentalis est; & ideò nihil obstat, quo minus sacramentum perfici possit. Confirmatur, & explicatur hæc ratio: quia vel ad valorem sacramẽti necessarium est, vt minister iurisdictionem habeat super omnia peccata, quæ pœnitens re ipsa habet, vel non. Primum dici non potest: aliàs qui haberet peccata reseruata omnino oblita, non absolueretur validè ab eo, qui non habet iurisdictionem in reseruata; quod nullus hactenus dixit, Si autem non requiritur iurisdictio in omnia, quæ sunt in re, sufficit iurisdictio circa aliqua; quotiescunq; bona fide fit cõfessio.

CAPVT II.

Opinio Authoris ostenditur.

SVMMARIVM.

1 *Pænitens bona fide à sacerdote iurisdictionem super peccata non habente reseruata non potest validè absolui.*

2 *Sacerdos ex iurisdictione, quã super nõ reseruata habet directè, non potest indirectè absoluere reseruata ex Concilio Tridentino.*

3 *Ex vi reseruationis Confessor inferior, respectu pænitentis peccata habentis reseruata, tota priuatur absoluendi peccata iurisdictione; & quare?*

4 *Expenditur Capitulum*, si Celebret, de Clerico excommunicato.

5 *In Confessione sacramentali, quatenùs sacramentalis est, sacerdos non habet iurisdictionem, quando Pænitens, cuius recipit confessionem, habet reseruata, si potestatem absoluendi non habet à reseruatis.*

6 *Ad valorem sacramenti necessariò requiritur, vt Minister iurisdictionem habeat super omnia peccata in re ipsa.*

7 *Sacerdos absoluens pænitentẽ, fert iudicium formaliter de peccatis auditis, & de oblitis consecutiuè.*

8 *An pænitentis existimatio eum iuuare possit, quando putat, se esse benè absolutum à sacerdote iurisdictionem circa reseruata non habente?*

1 QVamquam ad probabilitatem allatæ sententiæ satis esse possit *Patris Suarez* auctoritas, nihilominus mihi minimè probatur; quia fundamenta quibus prædicti ducuntur Auctores, non conuincunt. Dico igitur, pœnitentem bona fide à Sacerdote iurisdictionem super peccata non habente reseruata validè absolui nõ posse. Hæc assertio ex dictis in duabus præteritis quæstionibus patet manifestè, eamque docere puto *Gabrielem Vasquez locis proximè citatis*. Probari autẽ potest sic, & primò; quoniã ad peccata absoluendum reseruata necessariò requiritur iurisdictio super illa, saltem indirectè, vt *Pater Suarez*, & alij communiter concedunt: atqui sacerdoti, cui pœnitens casus habens reseruatos bona fide confitetur, iurisdictionem non tribuit; igitur cùm talis sacerdos iurisdictione ad hoc necessaria careat, validè illum nequit absoluere, quantumuis bona fide integrè confiteatur.

2 Totus iste discursus de se est euidens; Respondere nihilominus aliquis posset, pro *Patre Suarez*, & aliorum, non habere sacerdotem tunc iurisdictionẽ à pænitente illo, qui bona fide confitetur, sed ex potestate, & facultate, quam sibi superior delegauit, non quidem directè, sed cõsequenter. Contra; Nam potestas illa, quam cõsequenter super reseruata inferior habet confessarius, vt aduersarij putant, est nulla; igitur per illam iurisdictionem directam super nõ reseruata, nõ potest consequenter à reseruatis absolui pœnitens. Consequentia tenet. Antecedens probatur; primò ex Concilio Tridentino *sess. illa 14. c. 7.* ibi, *nihil possint in casibus reseruatis*; etenim dictio illa, *nihil*, vt præcedenti dicebamus *q. c. 3.* cũ sit vniuersalis negatiua, sine vlla distinctione, aut limitatione est accipienda, ita vt absolutè in omni casu, & euentu omnem & quamcunq; neget potestatem, & iurisdictionem. Ita *Alexander cons. 72. n. 20. lib. 6. & iterum cons. 13. n. 7. lib. 2. Tuscus tom. 2. concl. 313. n. 2.* & alij apud *Barbosam*. Igitur nec indirectè ex vi iurisdictionis, quam habet directè, absoluere potest sacerdos inferior talem pænitentem; quia ex Concilio illo iurisdictio indirecta interdicitur.

3 Secundò probatur; quòniam ex vi reseruationis tota iurisdictio, quam inferior habet confessarius sacerdos respectu pænitẽtis peccata habẽtis

reseruata, aufertur; igitur indirectè ratione illius iurisdictionis, quam super peccata habet reseruata, non potest pœnitens absolui à reseruatis. Consequentia tenet. Antecedens probatur: nã peccata ideò indirectè absoluuntur reseruata, quia inferior absoluit sacerdos, à quibus directè potest, in quantum ex vi absolutionis sacramentalis gratia confertur, quæ cum peccatis simul stare non posset (regulariter loquendo) necessariò, quæ reseruata sunt, ex vi collatæ gratiæ absoluuntur: atqui ex vi reseruationis absolutio illa dari non potest, quia de iure diuino integra esse debet, & super tota causæ cognitione, vt ostensum est; igitur nec gratia confertur, qua peccata absoluta censeantur reseruata. Sequela est euidens, quia hæc gratia est sacramentalis absolutionis ex sententia, quæ cùm sit nulla, vt suprà demonstrauimus, nulla erit absolutio.

4 Preterea secundò principaliter nostra probatur assertio; quoniam qui excommunicatus est, & recipit sacramentum, ex vi excommunicationis illa absolutio est nulla, veluti si alicui non subdito impenderetur, etiam si ignoranter ignorantia inuincibili id faciat igitur nulla erit absolutio quoque quando quis peccata habet reseruata, & bona fide sacerdoti iurisdictionem non habenti integrè confiteatur. Consequentia tenet. Antecedens ostendunt *Syluester verbo, confessio 5. n. 6. §. 5. Gabriel in 4. distin. 17. q. 1. art. 3. dub. 2. Adrianus, Sotus, Paludanus, & alij apud Vasquez de excommunicat. dub. 4. num. 9. & habetur in cap. si celebret, de cler. excommun.* vbi sic dicitur in eius 1. p. *peccat autem conferendo Ecclesiastica sacramenta, sed ab eo collata virtutis non carent effectu, cùm non videatur à collatione, sed participatione sacramentorum (quæ in sola consistit receptione) remotus*. Ponderanda sunt ergo ista verba: eodem enim verbo, remotus, extendit, excommunicatum minori excommunicatione non esse à sacramentorum collatione remotum, & ideò ab eo collata virtutis non caret effectu. Et quod sit remotus à participatione, vel ergo significatur dumtaxat à participatione esse prohibitum, non tamen à collatione: & tunc falsum diceret, quòd non est prohibitus conferre sacramenta, cùm dixerit, quòd talis conferendo peccat. Si verò verbo, remotus, significatur non esse remotum à collatione, ita vt collata ab eo non sit irrita; tunc eodem modo affirmari debet de eodem in quãtum pœnitentiæ percipit sacramentum, quod est ita remotus, vt factum non teneat, quod verbum, remotus, secundum se significare videtur. Sermo autem erat de minori excommunicatione: Vndè à fortiori de maiori est intelligendum.

5 Superest, vt rationes *P. Suarez* diluamus. Ad primam respondeo, licèt pœnitens bona fide omnia integrè confessariò iurisdictionem non habenti confiteatur peccata non habere nihilominus eundem confessarium super illa confessione, quatenùs sacramentali iurisdictionem, nisi tantùm habitualem; ratio est, quia peccatorum reseruatio, ex sua integra ratione tollit iurisdictionem quo ad reseruata directè, & quo ad non reseruata indirectè. Qua propter, si illum bona fide absoluat, factum non tenet, & per consequens pænitens inualidè percipit sacramentum.

6 Ad confirmationem respondeo, ad valorem sacramenti necessarium esse; vt minister iurisdictionem habeat super omnia peccata in re ipsa. Ad illud verò, quòd dicitur, quòd aliàs, qui peccata haberet reseruata, omnino oblita, validè nõ absolueretur ab eo, qui super reseruata non habet iurisdictionem, nego assumptum; Etenim reseruata illa tunc consequenter remanent absoluta; eò quod iudicium integrè, & formaliter cadit super omnia peccata, quæ illi subduntur, & per consequens absolutionis sacramentalis vera sententia, ex qua sequitur effectus sacramenti, idest, omnium peccatorum remissio.

7 Vel aliter dici potest, non reperiri iurisdictionẽ in omnia, quæ sunt in re ipsa, requiri tamen in omnia, quæ pænitens dicit, & ratio differentiæ est, quia sacerdos de oblitis iudicium non fert, fert autem de omnibus, quæ pænitens confitetur: & sic de quibusdam fert iudicium formaliter, & de alijs consecutiuè. Neque conuincit, quod *P. Suarez* ait, sequi nimirum ex hac responsione; si quis bona fide confiteatur reseruata simul cum non reseruatis, existimans nulla esse reseruata, illum non remanere absolutum, non conuincit sanè, quia tunc ex parte pænitentis adest ignorantia impeccabilis, vt suppono, & ex parte sacerdotis ferentis iudicium idem existimari cõtingit. Et sic ignorantia cùm sit inculpabilis ex parte vtriusque, & iudicium feratur super omnia, quæ sunt in re, super quæ existimat confessarius habere iurisdictionem; reseruata existimata non reseruata remanent consequenter absoluta, tanquam si essent oblita, de qua re infrà latè dicemus.

8 Verùm nihil refert, quod pænitens existimet, se non esse peccatis reseruatis innodatum, quando confessor scire illa teneatur esse reseruata, quòd si illa reseruata superiori cognoscit, validè nõ absoluit; eò quòd illa pænitentis existimatio non tribuit confessario iurisdictionem, vt in simili paulò superiùs de excommunicato dicebamus.

QVAESTIO QVARTA.

Vtrum in aliquo necessitatis casu inferior sacerdos absoluere valeat eum, qui casus habet reseruatos, ante quàm coram suo compareat superiore?

CAPVT PRIMVM.

Quid *Suarez, Reginaldus, Conichius*, & nonnulli alij recentiores hac in re senserint, ponitur.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdotem non potest absoluere pænitentem peccata habentem reseruata, etiam si necessitas aliqualis interueniat, quando absoluendi caret facultate, qui doceant.*

2 *Sacer-*

2 *Sacerdotem potestatem absoluendi à reseruatis non habentem, ex necessitate, absoluere posse pænitentem aliquo reseruato innodatum casu, docent quam plures.*

3 *Idem posse, multi docent, quando peccatum reseruatum non habet excommunicationem iustè latam annexam: secùs verò si habent annexam excommunicationem.*

4 *Pater Suarez, & alij moderniores ipsum sequentes, posse in casu necessitatis sacerdotem indirectè absoluere pænitentem à reseruatis, cum onere comparendi coram superiores docent.*

5 *Ad valorem sacramenti pænitentiæ non esse necessariam iurisdictionem super omnia peccata mortalia, quibus re ipsa pænitens est alligatus, docent Suarez, & alij.*

6 *Peccatum indirectè iudicari nihil aliud est, nisi expressè, & indistinctè ad iudicium afferri, & super illud sententiam proferri.*

7 *Sententia Suarez, & aliorum an Concilio Tridentino sit conformis?*

8 *An excommunicatio aliquando non obstet, vt quis legitimè recipere valeat Eucharistiæ sacramentum?*

1 ANtequàm horum Doctorum referamus placitum aduertere, oportet, nos hic non tractare de extremæ necessitatis articulo, periculoue mortis; sed de alijs occurrentibus, in quibus necesse est, aut annuæ confessionis implere preceptum, aut communicare, sacrumuè facere: ita vt omitti sine graui scandalo non possit, aut adsit infamia, & pro tunc non patet aditus ad superiorem. Hoc supposito, tres sunt hac in re opiniones. Prima simpliciter negat, posse pænitentẽ in eo casu ab inferiore absolui. Ita tenent *Riccardus, Durandus, & Adrianus locis infrà citandis*. Secunda opinio simpliciter affirmat, posse tunc absolui; quæ est ferè omnium doctorum, quos secunda quæstione huius disputationis citauimus, qui indifferenter loquuntur. Solus Angelus (vt ibi diximus) extendit, hoc etiam fieri posse, si peccatum annexam habeat excommunicationem. Tertia opinio distinguit, quòd si peccatum est reseruatum sine censura, poterit absolui pænitens: non tamen, si excommunicatio adiuncta sit; quia in eo casu quandiu hæc non aufertur, pænitens sacramentalis absolutionis est incapax. Ita *Sotus in 4. distinct. 18. q. 2. art. 5. in solut. p. Canus relect. de pænit. 5. p. fol. 108. §. secunda conclusio, Ledesma 2. p. 4. q. 8. art. 3. dub. 3. concl. 7.* Admittunt tamen hi Doctores, posse in huiusmodi casu pænitentem, etiam si occultè excommunicatus sit, accedere ad communionem, propter scandalum vitandum, vel grauem infamiam.

4 Harum trium opinionum *Pater Suar tom. 4. de pænit. disp. 31. sect. 3.* quem sequuntur *Reginaldus lib. 8. de sacramentali absolutione cap. 6. sect. 2. nu. 81. Egidius Conich. disput. 8. de pænitentia dub. 12.* Secundam præponit, eamque illustrat, & comprobat. Inquit enim, eam, si rectè declaretur, atq; confirmetur, sibi quammaximè placere: atque in hunc modum declarat. Duobus enim, ait, modis intelligi potest, fieri hæc confessionem, & absolutionem. Primò per iurisdictionem ad absoluendum directè, & per se à peccatis reseruatis, quamuis nõ sine onere coram superiore cõparendi; nam hoc modo subuenitur subditi necessitati, & rigor per reseruationem intentus seruatur, & ideò benignè interpretamur, hanc esse superioris reseruantis voluntatem; sic sentit *Henriquez libr. 6. de pænitentia capitulo 13.* quam sententiam olim assecutus fuit *Noster Rodriquez*, quod si, inquit, *Suarez*, verùm est etiam extendenda est hæc interpretatio ad casus habẽtes excommunicationem annexam; quia si dare creditur superior iurisdictionem ad absoluendũ à culpa, consequenter etiam à censura, cùm hęc debeat antecedere. Et in hoc sensu hæc sententia est mihi maximè dubia, & in rigore non videtur vera propter dicta in præcedenti disputatione sect. 3. ibi enim probabilius diximus, extra casum articuli mortis non habere inferiores sacerdotes huiusmodi licentiam, nisi in casibus Pontificijs, qui in iure exprimuntur; vbi etiam declarauimus hoc magis esse consentaneum Concilio Tridentino, & nullum esse fundamentum sufficiens ad id asserendum; & solæ coniecturæ in re tam graui, & quæ pendent ex libera voluntate concedentis hanc iurisdictionem, non sufficiunt.

5 Melius ergo & probabilius asseritur cum dicta sententia, posteriori modo absoluendo directè solùm à peccatis commissis. Et in eo sensu locuti sunt Authores secundæ, & Tertiæ sententiæ, vt clariùs explicauerunt *Soto*, & alij moderni. Et probatur in hunc modum: quia ad valorem sacramenti non est simpliciter necessaria iurisdictio super omnia peccata mortalia, quibus in re ipsa pænitens ligatus est: Ostendimus enim, si alioqui seruetur integritas formalis, sufficere ad valorem sacramenti iurisdictionem circa aliqua peccata: sed in præsenti casu videtur seruari formalis integritas, & aliàs (vt supponimus) Minister habet iurisdictionem circa aliqua peccata; ergo absoluendo, verùm conficit sacramentum, per quod saltem indirectè tollet peccata reseruata. Minor probatur, quia quando vrget grauis causa, necessitasuè recipiendi sacramentum, & non potest in re ipsa confessio integra fieri; quamuis dimidietur, censetur illud esse tantùm materialiter; formaliter autem integritas seruari; & pari ratione idem erit de absolutione. Sed in præsenti casu intercedit grauis causa, & necessitas; ergo ex defectu integritatis non erit nullum sacramentum: sed neque est nullum ex defectu iurisdictionis: vt ostensum est; ergo. Confirmatur exemplo; quia si peccatum tantum reseruatum relinquerentur ex obliuione, & de alijs fieret confessio coram inferiore bona fide, & daretur absolutio, fieret sacramentum indirectè tolleretur peccatum reseruatum. Fingamus igitur peccatum reseruatum non esse oblitum, tale tamen esse, vt non possit peccator hic, &

nunc

nunc illud confiteri huic inferiori sacerdoti, sine aliquo graui damno extrinseco, & occurrente necessitate sacramenti; de qua agimus; tunc posset confiteri illi sacerdoti reliqua peccata tacendo reseruatum: quia quod ad integritatem pertinet, illa est sufficiens ratio tacendi æquiualens obliuioni; ergo tunc pertinet absolui, & indirectè tolli peccatum reseruatum. Cur ergo non poterit etiam, si illud proferat, vel cur aliàs erit melioris conditionis, solùm propter extrinsecam occasionem occurrentem, propter quam tacere potuit peccatum?

6 Sed dicunt aliqui, repugnare, peccatum esse in confessione declaratum, & absolutionem non cadere in illud directè, si detur; quia nihil aliud est peccatum directè iudicari, nisi expresse, & distinctè afferri iudicium, & super illud sententiam proferri. Hoc autem fit quoties homo distinctè aliqua peccata confitetur, & posteà absoluitur; præsertim si ex intentione sacerdotis in illa omnia cadat absolutio. Respondetur, quod licèt ad directam absolutionem necessarium sit peccatū in confessione aperiri, tamen id non sufficit, nisi sacerdos habeat iurisdictionem in tale peccatū: quia absolutio directa est actus iurisdictionis. Immò neque ipsa confessio est propria materia sacramenti, vt est de tali peccato, in quo sacerdos non habet iurisdictionem; quia non est accusatio facta coram legitimo iudice. Quapropter licèt post narrationem omnium peccatorum absolutio simpliciter proferatur, tamen re ipsa non directè operatur, nisi in ea peccata, quę cadunt sub iurisdictione absoluentis. Neque hoc potest impedire praua, erronaue intentio ministri, si alioqui habet veram intentionem conficiendi sacramentum, seu faciendi quod Christus instituit, & (quod perinde est) faciendi secundùm potestatem sibi concessam. Nam hæc est intentio per se efficax, & valida; alia verò est ex errore priuato, qui non excludit substantialem intentionem.

7 Atque hinc etiam constat, sententiam hanc nihil discrepare à doctrina Concilij Tridentini, cuius verba attentè consideranda, dum ait; inferiorem sacerdotem nihil posse in casibus reseruatis: non enim absolutè dixit, nihil posse, neque etiam dixit, nihil posse in personam habentem casus reseruatos, sed cum limitatione, dixit; nihil possit in casibus reseruatis; quod ideò dixisse credimus, quia talis sacerdos non habet iurisdictionem in huiusmodi casus, & ideò ab eis propriè absoluere non potest. Cum hoc tamen stat (quod Concilium non negat) vt possit talis sacerdos absoluere ab alijs peccatis. Quo fiet, vt per accidens tollantur reseruata, sicut tolli possunt per contritionem, vel per attritionem cum alio sacramento, v. g. Eucharistiæ, aut extremæ vnctionis.

8 Ex his igitur principijs manifestè concluditur intentum; nam in eo casu, de quo loquimur, licitum est pænitenti, non obstante excommunicatione, recipere Eucharistiam, vt *Canus*, & *Soto* supponunt, estque certum, vt suo loco dicemus; ergo etiam est licitum confiteri, quantum est ex parte eius: ergo excommunicatio nō obstat, quominus à sacerdote absolui possit: sed nihil aliud ibi interuenit, quod obstare possit; quia si peccata illa reseruata non haberent annexam excommunicationem, non impedirent absolutionem, vt ostensum est: ergo. Et confirmatur, quia si propter scandalum; & infamiam vitanda licet excommunicato se ingerere communicationi diuinorum; aliquando potest quoque cōtingere, vt ad vitandum graue scandalum, infamiamuè, necessarium sit confiteri: ergo tunc ex parte pœnitentis erit licita confessio, & ex parte absoluentis non deest potestas; quia excommunicatio pænitentis non priuat scerdotem iurisdictione in omnia peccata; ergo poterit illum absoluere, & validè, & licitè. Solum est necessaria prudentia, vt verus casus necessitatis discernatur. Hactenus *Suarez*.

CAPVT II.

Reijcitur allata sententia, & prima opinio præponitur, & corroboratur.

SVMMARIVM.

1 *Pater Suarez sibi contrarius affirmat, inferiorem Præsbyterum absoluere non posse pænitentem, qui casus habet reseruatos.*

2 *Suarez sententia, & aliorum impugnatur euidenter.*

3 *Sacrosancti Concilij Tridentini interpretatio, quam excogitauit Suarez, non est rationi consona aduersaturque verò concilij Tridentini intellectui.*

4 *In nullo casu potest inferior sacerdos, cui facultas à superiore non est concessa pro reseruatis, pænitentem ab eisdem absoluere.*

5 *Pænitens absolutus directè à non reseruatis, & indirectè à reseruatis, tenetur iterùm tam reseruata, quàm non reseruata confiteri, & quare.*

6 *Ad valorem Sacramenti requiritur necessariò iurisdictio super omnia peccata in cōfessione explicata.*

7 *Quare peccatum reseruatum ex obliuione relictum in confessione facta inferiori sacerdoti dicitur absolutum.*

8 *Quid facere debet pænitens, quando aliquo est innodatus casu reseruato, & nullus adest sacerdos, qui eum absoluere possit?*

1 Displicet quammaximè hæc *Patris Suarez*, aliorumque Doctorum sententia, quam *Gabriel Vasquez tom.4. ad tertiam partem quæst.91. art.3. dub.9. num.21.* falsam meritò existimauit. Et certè ex his, quæ in secunda huius disputationis quæst. diximus, facilè conuincitur eius falsitas. Et in primis, *Pater Suarez* sibi ipsi contrarius videtur: Etenim *sect.2. illius 31. disputationis* verissimam existimauit sententiam eorum, qui vobiscum asserunt, sacerdotem inferiorem absoluere non posse pænitentem, qui casus habet reseruatos; idque nonnullis confirmat ac roborat rationibus. Tertia verò sect. probare conatur, id fieri posse ex necessitate, vt superiori cap. visum est, nam

nam si indirectè,& consequenter facultatem inferior ad absoluēdum à reseruatis habet sacerdos ratione necessitatis, cur absolutè, & in vniuersum illam non habuerit, cùm ex parte pænitentis integra fiat confessio, & ex parte Sacerdotis non deficiat iurisdictio, veluti petunt eiusdem *Suarez* argumenta? Igitur non est,cur ex necessitate fieri ita optimè possit, & absque necessitate neget: nisi ipsi sibi se contrarium ostendat. Quòd si ex epicheia, ratione illius necessitatis, diceretur,à superiore haben facultatem, vt DD. secundæ sententiæ, quam sequitur *Suarez*, insinuant; cur etiam non haberet inferior sacerdos, vel quādo annexa est casibus reseruatis excommunicatio,quandouè pænitens nolit se superiori proprio repræsentare? Si verò dicamus, non habere tunc facultatem à casibus reseruatis, & tūc directè omnino diceretur absoluere quando scilicet ex facultate, & audita in confessione absolueret prҿter quæ non creditur aliud requiri(vt insinuat idem *Suarez*) ad absoluendum directè; & consequenter iam illæ absolutus ab inferiore nō teneretur ad superiorem pro reseruatis recurrere;(quod non concederet ipsemet *Suarez*,neque vllus Illius secundæ sententiæ Author, ratione etiam illius necessitatis) habere tamen suprà alia peccata,a quibus directè absoluit;consequenter etiam à reseruatis tunc absolueret quia dum cōfertur gratia ad remittenda non reseruata, eadem consequenter directè,aut indirectè reseruata,remittet. Vndè sequitur, hoc fieri posse (vt paulò superiùs dicebamus)extra illud tempus in quacunque occasione, vt dicit communissima illa sententia quam in primo capitulo secundæ quæstionis huius disputationis nos adduximus,& *Suarez* reijcit. Consequenter enim, inquit, illa remittit peccata reseruata. Ad hoc autem cùm non requiratur facultas superioris vt tenētur Authores vtriusque iam reprobatæ sententiæ docere, non est expectanda illa necessitas scandali, grauis infamiæ aut similis, sed in quacunque occasione: hoc autem fieri non posse, latè suprà demonstrauimus.

3 Et si dicatur,fieri non posse,vt directè absoluat ab illis in quocunque casu; benè tamen indirectè;contra hoc est, quod hac ratione concedere deberent ij Doctores, in quocunque casu confiteri posse, & absolutionem à sacerdote inferiori obtinere, vt directè tantùm tolleret peccata reseruata: siquidem tantùm reseruatio operaretur, ne directa absolutio conferretur. Secundò nulla est sufficiens ratio ad asserendum, quod cùm aliquis peccata audit, reseruata in confessione, absoluet ab illis quo ad culpam,sed tantùm indirectè absoluit sicut ab his, quæ tradita sunt obliuioni: qui enim audit peccata in confessione,de illisque iudicans,absolutionem impendit,directè absoluit, quia ex illorum omnium confessione ab omnibus absoluit: secùs quando obliuioni tradita erant; eò quòd tunc auferrentur illa peccata per gratiam in sacramento collatam, non ex eorum confessione, & iudicio, sed aliorum tantùm; ideoque consequenter, seu indirectè tolli dicuntur,& iudicari,quia per se non fuerant ad iudicium deducta, sicut alia. Demùm ideò Tridentinum Concilium prædictā *sess.* 14.*cap.* 7. dixit extra quem *articulum* (*scilicet mortis*) *sacerdotes,cùm nihil possint in casibus reseruatis, id vnum pænitentibus persuadere nittantur,vt ad Superiores, & legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant*: Ideò inquam ita dixit Concilium, quia videbatur nullius effectus fore absolutio inferioris extra mortis articulum: hoc autem non dixisset, si posset gratiam conferre, & consequenter seu indirectè saltem (vt isti volunt) absoluere à peccatis reseruatis. Vndè manifestè patet,quàm inutilis sit eiusdem Concilij Tridentini interpretatio,qua *Suarez,& Conichius* conantur illud interpretari; nimirùm Concilium non absolutè locutum fuisse,dum dixit; *nihil posse*: neque (vt ipsemet ait) etiam dixit, nihil posse impersonam habentem casus reseruatos,sed cum limitatione dixit; *nihil possit in casibus reseruatis*. Nam suprà ostensum est,dictionem illam,*nihil*, esse vniuersalem negatiuam, quæ ex sui natura (vt Cardinalis Tuscus adnotauit) nullam recipit limitationem,aut temperamentum,sed in omni casu, & euentu suum negatiuum sortiri effectum.

4 Constanter igitur tenendum est, quod in nullo casu, vbi non fuerit à superiore concessa facultas, inferior absoluere potest pænitentem, si is habeat casus reseruatos; sed ipsum debet ad superiorem remittere vt superioris præcedat absolutio,aut facultas ab eo inferiori concedatur. *Ita Riccardus in* 4.*dist.*17.*art.*2.*q.*8.*ad* 2.*Adrianus in* 4. *q.*4. *de confess.§. sed dubium, Durandus in* 4.*dist.*17. *q.*15.*Vasquez vbi sup.n.*26.Atqui *Suarez* hanc nostrā assertionem cum non impugnet,quinimmo hos Authores ad id asserendū grauia habere fundamenta testetur; probabilem illam censere videtur. Rationibus verò factis in secundo capitulo præcedentis quæst. pro nostra sententia, necnon paulò superiùs adductis optimè ostenditur nostra assertio.

5 Ex dictis infertur contra *Nauarrum in summa c.* 9.*nu.*7.& alios, quòd cùm aliquis peccata confessus est reseruata; & alia non reseruata, & ab omnibus est absolutus ab inferiori facultatem non habente, repetere totam tenetur confessionem coram habente facultatem, & non tantùm reseruata,vt voluit *Nauarrus*; quia reuera illa cōfessio fuit nulla,vt eleganter *Vasquez* adnotauit vbi suprà, sed etiam omnia non reseruata, quando enim exprimuntur in confessione peccata reseruata coram facultatem non habente, nulla est tota absolutio;vt dictum est. Quod intellige, etiam si ignoranter sacerdos absoluat: quod hac ratione ostendunt nonnulli, præsertim *Vasquez*, quia quando peccata in confessione exprimuntur, opus est circa illa iurisdictio; quia circa illa fertur sententia,& de illis iudicatur. Vndè iurisdictio quamuis circa peccata oblita non requiratur,eò quòd circa illa non fertur iudicium, ad quod tantùm iurisd.ctio illa requiritur,est nihilomi-

hilominus necessaria circa peccata quæcunque, quæ in confessione dicuntur; quia circa illa fertur iudicium; tunc ergo nulla esset confessio, quia nulla esset absolutio, cùm non esset omniũ iudicium, qui iudicantur ab habente iurisdictionem, sicut cum aliquis ab eo absolueretur, qui nullam haberet iurisdictionem, nulla esset absolutio, nec ignorantia suffragaretur. Nec sufficit si dicas; tunc saltem indirectè tollit reseruata; quia iam tunc peccatum directè tollitur, quando explicatur in confessione: Tunc enim de illo fertur iudicium, indirectè verò tantùm tollitur illud, quod fuit in confessione oblitum, eò quòd de illo cùm non feratur iudicium, non requiritur ad illud iurisdictio. Veluti si quis absolueret à venialibus, etiam si circa mortalia nullam haberet iurisdictionem, mortale consequenter tolleret, quod ex obliuione pretermissũ esset, ob dictam rationem. Addit hìc *Vasquez*, esse ridiculum dicere, tolli peccatum indirectè, quòd in cõfessione fuit explicatum, & in foro pœnitentiæ verè iudicatum, & si propter ignorantiam prædictam dicerentur indirectè tolli peccata illa reseruata, concedendum quoque erit, quod si sacerdos se habere putans iurisdictionem, audiret cõfessionem alicuius mortalium peccatorum, & venialium, indirectè tolleret mortalia; quia circa venialia habet potestatem. Vndè consequẽter, seu indirectè mortalia tolleret: quod tamen est apertè falsum, & nihilominus hæc mortalia respectu illius vt reseruata se habent.

6 Superest, vt argumenta *Patris Suarez* diluamus. Ad primum, nego maiorem propositionem; nã ad sacramenti valorem requiritur simpliciter iurisdictio super omnia peccata, quæ in confessione explicantur; nam cùm peccata mortalia, quæ in confessione explicantur absoluenda veniant per modum iudicij, & sententiæ, non potest ferre iudicium, nisi super omnia habeat confessor plenam iurisdictionem, nec sufficit sola confessionis integritas cum iurisdictione suprà aliqua dumtaxat mortalia, vt suprà ostensum est. Vndè falsa est illius argumenti consequentia, nimirum ob necessitatis causam à reseruatis sic absolui posse pænitentem.

7 Ad confirmationem verò respondeo, peccatũ reseruatum ex obliuione relictum esse quidem absolutum, si de alijs integrè pænitens confiteatur, indirectè; quia non fuit in iudicio explicatũ per impeccabilem obliuionem; at non ex inde infertur benè, quòd peccata reseruata, si simul cum non reseruatis inferiori confiteantur sacerdoti, esset eodem modo remissa; quia (vt dictum est) de illis, eò quòd sunt explicata in confessione, ferri non posset iudicium ab eo, qui non haberet iurisdictionem necessariam.

8 Ad illum verò casum, quem infingit *Suarez*, respondeo in primis, negando integritatem posse omitti confessionis; Nam (vt doctores oppositæ sententiæ dicunt) si adest alius confessor, integrè tenetur sua peccata tam reseruata, quàm non reseruata confiteri; quòd si commode haberi non potest, tunc debet conteri, & absque sacramentali confessione celebrare, aut Eucharistiam sumere idque limitant, quòd scandalum, siue infamiæ periculum debet esse magnum, ob cuius defectum, nimirum propter scandalum paruum, non liceret sic accedere ad sacrum faciendum communionemuè percipiendam. Vndè nec ratione verecundiæ, nec alicuius malæ famæ quam apud suum Prælatum, & superiorem ex reuelatione alicuius reseruati peccati posset incurrere, poterit quispiam sine præuia confessione, & absolutione celebrare; nec illud erit causa sufficiens, vt pœnitens ad communionem seu celebrationem cum sola contritione possit accedere. Igitur sentire videntur, integritatem confessionis non esse omittendam: dato nihilominus, posse aliquando integritatem omitti confessionis, non ex eo sequitur, probari intentum, quod prætendit *Suarez*; quia inde non benè infertur, esse in nostro casu absolutionis integritatem omittendam. Ratio disparitatis est, quia integritas absolutionis magis necessaria est: cùm enim vnum sine alio non remittatur, nec vnum sine alio in iudicio à sacerdote absoluitur: confiteri autem nõ videtur magis necessarium, in quãtum homo ex se potest, diligentia adhibita moraliter sufficienti. Tandem mihi non probatur, peccatum tunc reseruatum in confessione minimè declaratum æquiualere obliuioni; Nam gratis hoc dictum videtur, rationem enim huius sẽper desiderauimus, quam certè *Pater Suarez* non assignauit robustam.

DISPVTATIO TERTIA

De his, qui possunt non subditos à reseruatis absoluere.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum superiores locales cuiuscunque ordinis Regularium absoluere possint Religiosum alterius Prouinciæ casum habentem suo Prouinciali reseruatum?

CAPVT PRIMVM.

Declaratur Titulus Quæstionis.

SVMMARIVM.

1 *An Præfecti Domorum habeant auctoritatẽ in Religiosis casibus innodatis reseruatis, qui suis non degunt in Monasterijs.*

2 *Præ-*

2 *Præfecti Domorum idem possunt in Hospites quoad vtrumque forum, quod in suos immediatos subditos.*

3 *Confessariorum Deputatio pro absoluendo à reseruatis non eodem modo in omnibus Religionibus fieri consueuit.*

4 *An Religiosi vnius Prouinciæ possint absolui à Guardianis alterius Prouinciæ à reseruatis, quando malitiosè ad eorum accedunt Monasteria?*

1 LAtè suprà tractauimus de localium superiorum auctoritate circa casuum reseruatorum absolutionem; nunc specialis ac ordinaria se offert examinanda difficultas, nimirum, an domorum Præfecti eandem habeant auctoritatem in Religiosos casibus innodatos reseruatis, qui suis non degunt in Monasterijs? Ratio in dubitandi esse potest, quia ad absoluendum à peccatis reseruatis requiritur iurisdictio ordinaria, delegataue; vt ex infrà dicendis patebit verùm domorum Præfecti nullam videntur habere iurisdictionem in suos non subditos, ac proinde illos à reseruatis absoluere concludendum facilè videtur non posse. Vt ergo certa ab incertis separemus, notari oportet primò, nos hìc sermonem non facere de superioribus localibus, quatenus habent Generalem facultatem absoluendi à reseruatis, non ratione proprij sui pastoralis muneris, sed ratione delegationis in vniuersum commissæ à Prouincialibus, seu Generalibus, nam tunc certum est, posse respectiuè absoluere omnes Religiosos totius Religionis, aut Prouinciæ: idemq; dicendum est de alijs delegatis, qui habent actiuam facultatem à superioribus Generalibus, aut Prouincialibus ad Religiosos à reseruatis absoluendos: sed loquimur de præcisa eorum facultate, quam in suos immediatè subditos habent, aut ex vi proprij muneris, aut per delegationem, iuxta consuetudinis modum, constitutionemuè ordinis cuiuscunque.

2 Secundò notandum est, non esse difficultatem, aut quæstionem de Religiosis hospitibus; quia apud omnes constans est, quòd Præfecti domorum, & quilibet alius Religiosus habens à suo Prouinciali actiuam auctoritatem, possunt fratres hospites totius ordinis, & cuiuscumque alterius Prouinciæ absoluere a reseruatis. Ita *Corduba super regul. cap. 7. quæst. 2. Emmanuel Rodriquez tom. 1. quæstionum regular. quæst. 21. art. 9. F. Ioannes à Trinitate de casibus reseruatis in nostro minorico ordine dub. 4. n. 1. F. Ioannes Ximenez super regul. cap. 7. q. 1. nu. 5. Fr. Martinus à Sancto Ioseph super Regul. cap. 16. de casib. reseruat. in comm.* qui ad id probandum quasdam concessiones Gregorij Vndecimi, & Clementis IV. referunt, quarum etiam mentionem faciunt nostra statuta Generalia Toletana cap. 6. de absolutione.

3 Tertiò notandum est circa confessariorum deputationem quòd talis deputatio multifariam fieri consueuit, iuxta diuersos Religionum ritus; nam apud aliquos deputantur non solùm confessarij pro communibus peccatis, verùm, & aliqui particulares, quibus absolutè datur facultas, vt à reseruatis absoluant quoscunque ad ipsos accedentes: apud aliquos etiam deputantur cõfessarij, qui vtramque habeant facultatem: aliqui verò id quoque faciunt, quod scilicet deputati absoluunt à non reseruatis, & pro reseruatis ad superiorem concurrunt, quod vtique optimè facere possunt; nam Prælatus, qui habet facultatem, Præfectus domi est: diximus enim suprà, quod si reseruare casus ante Clementis Decretum poterant Abbates, Priores, Guardiani, & Rectores Domorum; modò etiam possunt reseruare; igitur si Superior Domus hanc habet facultatem, ad illum debet confessarius recurrere, antequàm pœnitentem absoluat: nisi aliter dispositum sit in Religione. Qui quidem modus Decreto Clementis est valdè consonus, & apud nos strictioris obseruantiæ seu reformatos, atque discalceatos primus viget modus; nam à Capitulo, vel à Prouinciali nonnulli destinantur Religiosi pro audiendis fratrum confessionibus cùm facultate absoluendi à reseruatis.

4 His notatis punctus difficultatis est, quando fratres alterius Prouinciæ non sunt verè hospites, sed voluntariè, aut malitiosè confiteri nolunt deputatis confessarijs suæ Prouinciæ, an absolui possint à Guardianis alterius Prouinciæ in eadem Ciuitate, vel loco v. g. Panormi adsunt quam plures Conuentus nostri ordinis non vnius tantùm Prouinciæ, sed plurium; Quæritur, an Religiosi vnius Prouinciæ Conuentus, cùm reseruatis innodantur casibus, accedentes ad Conuentum alterius Prouinciæ alicuius negotij occasione malitiosè; absolui ibi valeant à superiore illius? Et eadem difficultas se offert, quando confessarius auctoritatem habẽs actiuam a suo Prouinciali est hospes in aliena Prouincia, an videlicet tunc virtute illius auctoritatis, possit absoluere à casibus reseruatis illius Prouinciæ, in qua hospes est. In qua difficultate primò quid alij sentiunt, referendum est, deinde iuxta propriam nostram sententiam quid sit tenendum, dicemus.

CAPVT II.

Sententia negatiua, quam nonnulli moderniores nostræ Seraphicæ Religionis tenent, cum suis fundamentis refertur.

SVMMARIVM.

1 *Domorum superiores nostri ordinis, non solùm ex vi proprij muneris Pastoralis, verùm etiam ex vi delegatæ in vniuersum iurisdictionis à superiore Prouinciali, non posse à reseruatis absoluere fratres alterius Prouinciæ, nisi verè hospitum gaudeant priuilegijs, docent quamplures.*

2 *Prouinciales nostri ordinis ex Priuilegiorum iure absoluendi hospites aliarum Prouinciarum habent potestatem.*

3 *Ex vi nostrarum Constitutionum Generalium Confessor*

fessor approbatus in vna Prouincia, habetur pro in toto ordine approbato.

4 *Nullus Episcopus potest à casibus alteri Episcopo reseruatis absoluere.*

5 *Facultas absoluendi à reseruatis, quam inferiores habent à Ministris nostri ordinis Prouincialibus, non confertur à Capitulo Generali.*

6 *Adducitur Generalis constitutio in Capitulo Generali Assisij Celebrato.*

7 *Prouincialis Minister nostri ordinis, nec nõ aliorum ordinum Prouinciales in casus sibi reseruatos ordinariam habent iurisdictionem.*

8 *Confessarij, qui habent facultatem absoluendi à reseruatis, non possunt cùm in aliena Prouincia existunt, illius fratres ab eisdem reseruatis absoluere.*

1 NOn posse Domorum superiores nostri ordinis, non solùm ex vi proprij muneris pastoralis, verum etiam ex vi delegatæ in vniuersum iurisdictionis à superiore Prouinciali ad absoluendum à reseruatis, absoluere fratres alterius Prouinciæ, nisi ij fratres pœnitentes hospitum verè gaudeant priuilegio, careantque idoneo confessore per suum Prouincialem deputato docent quam plures Doctores, v. g. non potest Guardianus Sanctæ Mariæ Iesu Ciuitatis Panormi Prouinciæ Reformatorum absoluere a casibus reseruatis Fratres Sanctæ Mariæ Angelorum Prouinciæ de obseruantia. Ita *P. Corduba q. 2. citat. à Ioannes de Trinitate, F. Martin. à Sancto Ioseph, Fr. Ioann. Ximenez locis citatis*, & nonnulli alij. Hanc sententiam probare conantur, nonnullis rationibus, & primò; quia iuxta commune omnium Theologorum, ac summistarum placitum in materia de pœnitentia confessor ad hoc, vt aliquem valeat absoluere pœnitentem, necessariò exposcitur, vt in pœnitentem habeat iurisdictionem vno ex tribus enumeratis modis; vel. s. iurisdictionem ordinariam, quā habet Prælatus immediatus pœnitentis: vel iurisdictionem delegatam, quia Confessor à Prælato pœnitentis illam accepit: vel iurisdictionem, quæ dicitur à iure concessa, quia pœnitens virtute alicuius Priuilegij quemlibet eligere potest confessarium: atqui Guardianus v. g. nostræ Prouinciæ reformatæ, cui suus Prouincialis Minister omnimoda suam cõcessit auctoritatem pro omnibus suæ ditioni subiectis fratribus, nullam ex tribus enumeratis modis iurisdictionem quo ad casus reseruatos habet in alterius Prouinciæ religiosos, non enim habet ordinariam, quia non est Prrælatus pœnitentis: nec delegatam, quia auctoritas, quā habet, non est à Prælato pœnitentis: nec habet illam, quæ dicitur à iure concessa; eò quòd supponitur, (vt supponendum est) pœnitentem auctoritatem non habere passiuam, vt quemcunque voluerit, eligere possit confessarium, qui, eum à casibus absoluat reseruatis; igitur non potest Guardianus, cui suus minister Prouincialis in vniuersum suam communicauit facultatem absoluendi à reseruatis, ab eisdem casibus alterius Prouinciæ fratres absoluere reseruatis.

2 Confirmatur; quia, vt constat ex concessione Clementis Quarti, necessarium fuit, quod Sum. Pontifex concessisset, vt Prouincialis, & Prælati vnius Prouinciæ possent hospites aliarum absoluere Prouinciarum; ergo cùm hanc non concesserit facultatem in ordine ad Religiosos non hospites manifestè apparet quòd respectu alterius Prouinciæ religiosorum, quando hospites verè non sunt, deest Prouincialis istius Prouinciæ facultas, & auctoritas eos absoluendi à prædictis casibus; ac per consequens auctoritas ab eo commissa & indulta non valet ad absoluendum fratres alterius Prouinciæ. Vndè inquiunt, qui à solo Ministro Prouinciali vnius Prouinciæ auctoritatem absoluendi à reseruatis habet, minimè potest absolutionem casuum reseruatorũ fratribus aliarum impertire Prouinciarum.

3 Confirmatur præterea; nam ideò Religiosus vnius Prouinciæ, cui indulta est facultas à mortalibus non reseruatis absoluendi, alterius Prouinciæ Religiosos ab huiusmodi absoluere potest peccatis; quia confessorem approbatum in vna esse quoque in toto ordine nostro, Generales constitutiones decernunt; quoniam secundùm ius commune, aliud fore dicendum, *Pater Emmanuel Rodriq. q. 21. art. 2. tom. 1. q. regul. docet*. Cùm enim Prouincialis dignitas episcopali æquiparetur: videtur quoq; quod Prouincia Episcopatui æquiparatur: vndè sicut nullus potest de materia peccati Mortalis alteri approbato Presbytero in alio Episcopatu confiteri, nisi aliquod habeat Priuilegium, vel à proprio pœnitentis concedatur superiore; ita pariter dicendum venit, quòd Religiosi vnius Prouinciæ non possunt alterius Prouinciæ religiosis confiteri, nisi in toto ordine aliud esset ordinatum; igitur cùm nullibi inueniatur concessum, aut ordinatum, quòd is, qui à Prouinciale vnius Prouinciæ auctoritatem à casibus reseruatis habet absoluendi, valeat, & possit alterius Prouinciæ, aut totius ordinis religiosos ab eisdem absoluere, sicuti inuenitur cõcessum, & ordinatum quoad non reseruata sequitur dicendum, non posse huiusmodi Prælatũ à casibus reseruatis absoluere omnes ordinis fratres, nec alterius Prouinciæ.

4 Neque obstat, inquiunt, si dicas: omnes Prouinciales esse vnius ordinis membra, omnesque casus reseruatos esse eosdem: Non obstat; nam omnes Episcopi sunt etiam membra vnius Ecclesiæ, & casus, qui in eis iure reseruantur, ijdem sunt, & tamen deficiente aliquo priuilegio, aut concessione, nullus Episcopus potest ab eisdem casibus absoluere reseruatis oues alterius Episcopatus, seu Episcopi, vt Doctores omnes in materia de pœnitentia fatentur.

5 Ostendunt præterea secundo hanc sententiam; eò quòd Sancta Tridentina Synodus *sess. 25. de Regularib. & Monialibus cap. 10.* statuit, quòd Episcopi, alijque Monialium Prælati, præter ordinarium confessorem, bis, terue in anno alium extra ordinarium Monialibus concedant confessa-

fessarium, qui omnium audiat confessiones: & tamen per huiusmodi statutum, aut Decretum minimè intendit Concilium extraordinarijs confessoribus ad Moniales absoluedas auctoritatem tribuere, quam potest, poteratuè conferre, sed solùm eius mens est, hanc veram, & sollicitudinē Prælatis commendare, vt eodem subditæ maiorem munditiem spiritualem, puritatemque conscientiæ sic acquirant; igitur simili ratione; quāuis Generale statuat Capitulum, quòd Ministri Prouinciales in singulis suarum Prouinciarum aliquem designent Cœnobijs confessorem, confessoresuè, quibus auctoritatem absoluendi à casibus sibi reseruatis concedant; dicendum non est, quod auctoritas ista, quam huiusmodi habēt confessores, à Capitulo conferatur Generali, sed quòd à Ministris confertur Prouincialibus illos designantibus confessores: ac per consequens, cùm Ministri Prouinciales iurisdictionem non habeant suprà aliarum Religiosos Prouinciarum nequeant in eorum concedere beneficium absoluendi à casibus reseruatis auctoritatem.

6 Confirmatur hæc ratio ex verbis Capituli Generalis Assisiensis, vbi dicitur, quòd Prouinciales Ministri in visitatione suarum Prouinciarum in omnibus Conuentibus alicui concedant auctoritatem Religioso a casibus absoluendi reseruatis. Vbi notanda veniunt verba illa; *Ministri Prouinciales concedant auctoritatem*, quia ex eis euidenter constat, quod auctoritas concessa Confessario à ministro designato Prouinciali, ab eodem procedit, atque emanat; ac per consequens, quando Minister Prouincialis alicui Religioso suam committit auctoritatem, non se habet vt ministerialiter tantùm, sed vt principaliter, & tanquam principalis concedens, ac delegans propriam auctoritatem.

7 Tertiò probant; quia Minister Prouincialis ordinariam in casus sibi reseruatos habet iurisdictionem; ergo hanc iurisdictionem potest delegare, & delegans in delegatione non alterius, sed propriam delegat iurisdictionem; igitur quando Minister Prouincialis suam concedit auctoritatē à casibus absoluendi reseruatis, propriam auctoritatem, non verò Capituli Generalis, concedit.

8 Ex his allegati Authores colligunt, non posse ordinarios domorum Prælatos ex vi auctoritatis, quam in vniuersum à Prouincialibus obtinent pro à casibus absoluēdo reseruatis, alterius Prouinciæ Religiosos absoluere posse, si verè hospites non sint.

Et consequenter docent, confessarios, qui habent facultatem absoluendi à reseruatis, cùm in aliena existunt Prouincia, non posse virtute illius absoluere ab eisdem fratres illius Prouinciæ, in qua hospites existunt. Verùm enim verò si rationes quibus ducuntur hi auctores considerate ponderentur, non conuincere notum est; sicut quarto capitulo dicemus.

CAPVT TERTIVM.

Ponitur altera sententia.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus nostri Ordinis, qui habet à suo superiore facultatem absoluendi à reseruatis, potest vbique absoluere totius ordinis fratres ab eisdem reseruatis, secundùm Portel.*

2 *Religiosus, qui habet facultatem absoluendi à reseruatis à suo Ministro Prouinciali, non ab eo, sed à Ministro Generali, vel à Generali Capitulo eandem obtinet auctoritatem.*

3 *Prouinciales Ministri nostri ordinis auctoritatem absoluendi à reseruatis concedentes solum ministerialiter se habent.*

4 *In omnibus Prouincijs cuiuscunque ordinis ijdem sunt casus reseruati.*

5 *Omnes superiores tam locales, quàm Prouinciales, vbique eligere possunt confessorem, à quo absolui possunt etiam à reseruatis.*

1 EX opposito *Pater Laurentius Portel in suo libello super casuum reseruatione* in Decreto Clementis VIII. enumeratorum prælud. 5. opinatur, quòd confessor nostri ordinis, cui auctoritas absoluendi à reseruatis per suum est indulta Prouincialem Ministrum, siue existat intra propriæ Prouinciæ territorium, siue extra sit hospes in alia, à casibus potest absoluere reseruatis Religiosos totius ordinis, & cuiuscunque Prouinciæ etiam si fratres isti absque vlla desinant confiteri causa proprijs suæmet Prouinciæ, aut conuentus confessarijs. Ducitur in primis doctus iste vir; quia quemadmodum confessor idoneus ad absoluendum à peccatis mortalibus non reseruatis, & idoneus ad absoluendum ab eisdem peccatis omnes fratres, siue hospites, siue non hospites, cuiuscunque sint Prouinciæ; ita similiter confessor, cui à suo Ministro collata est Prouinciali auctoritas quò ad casus reseruatos, idoneus censendus est confessor pro vniuerso ordine, & pro quacunque Prouincia: ac per cōsequens poterit aliarum Prouinciarum fratres absoluere; etiam si absque causa, & cum fraude, idoneo nolint suæ Prouinciæ, aut Conuentus, & per proprium Prouincialem designato Presbytero confiteri.

2 Secundò, alij hanc ostendunt sententiam; quia confessor vnius Conuentus, aut vnius Prouinciæ habens auctoritatem absoluendi à reseruatis; quamuis sit designatus atque electus à suo Ministro Prouinciali, eius tamen auctoritas ab eo non prouenit, sed à Ministro Generali, vel Capitulo Generali præcipiente, quòd in quolibet conuentu aliqui designetur confessores, qui à casibus absoluant reseruatis. Vndè cùm talis auctoritas à Capitulo Generali, Ministroue Generali immediatè proueniat; sequitur, prædictum confessorem à suo electum, aut nominatū Prouinciali omnes totius ordinis religiosos posse à reseruatis absoluere, & cuiusuis Prouinciæ, ac si immediatè ad id esset

electus, atque nominatus à Generali Ministro. Hoc facilè ostendi potest ex Decreto cuiusdam Capituli Generalis Assisis celebrati anno 1579. vbi præcipitur ac ordinatur; *quòd Ministri Prouinciales in visitatione suarum Prouinciarum concedant in vnoquoque Conuentu alicui Religioso probatæ vitæ, & famæ auctoritatem absoluendi à casibus reseruatis: ea tamen conditione, vt casus reseruati sint occulti*. Hæc ibi. Ex qua Generali constitutione
3 colligendum videtur, quòd Prouinciales cùm auctoritatem absoluendi à reseruatis concedũt, solùm se habent Ministerialiter, non amplius quàm eligendo, aut designando confessores: capitulum verò Generale se habet vt conferens auctoritatem. Vndè confessor eam habens optimè poterit absoluere à casibus reseruatis cuiuscunque Prouinciæ, & totius ordinis religiosos. Idem sentire videtur *Pater Coriolanus de casibus reseruatis parte 1. sect. 3. art. 9.* in quantum sustinet; quòd Religiosus incurrens in casum reseruatum in sua Prouincia; & pergens in aliam, possit absolui à præsentatione Prouinciali eius Prouin-
4 ciæ, ad quam peruenit. Hoc enim esse iuxta iuris communis dispositionem asserit; & eò magis, inquit, quia in omnibus Prouincijs modò sunt ijdem casus reseruati, nimirum illi, qui in Decreto sunt Clementis Octaui enumerati: limitat nihilominus hanc suam sententiam, quatenus vult esse intelligendam de fratribus subditis, non autẽ de Prælatis: Nam Prælati poterunt se ipsos cuicunque confessario, quem eligerint, subijcere, & ab eo absolui, cum eodem debito se præsentandi non adstringantur, etiam si reseruata habeant.

5 Verum hæc sententia non caret difficultatibus; nam primo, id sentire videtur de localibus superioribus, & est manifestè falsum, vt ex dictis in præcedentibus patet; quia isti, cùm quasi Episcopalem habeant facultatem, vbique sibi eligere valeat confessarium à quo absolui possunt, etiam a reseruatis. Si autem de Prouincialibus id ipse sentit, hoc aliquam quoque habet difficultatem: nimirum si innodati existant aliquo casu respectu ipsorum reseruato, à quo absolui possint in aliena Prouincia, & maximè si nullus ibi existat Religiosus, cui ad illum absoluendum sit delegata a Generali Superiore potestas?

Cœterùm rationes tam *Patris Laurentij Portel, quam Coriolani* ex fundamentis primæ negatiuæ sententiæ diluuntur, si rectè ponderentur.

CAPVT QVARTVM.

Posterior sententia præponitur.

SVMMARIVM.

1 *Explicantur iterùm Verba illa Textus Dispositionis Clementis Octaui* ibi; superiores in singulis domibus, &c.

2 *Author demonstrat, confessarios destinatos pro absoluendis Religiosis à reseruatis, à Summo Romano Pontifice talem habere facultatem.*

3 *Constitutio Generalis Valisoletanæ §. de casibus reseruatis expenditur dilucidè.*

4 *Authoritas quam habent Confessarij destinati, ad Religiosos à reseruatis absoluendos, est à Capitulo Generali eis delegata.*

5 *Hæc facultas in ipsis confessarijs à lege emanat; & quare.*

6 *Episcopi Regulares examinantes ad effectum, vt possint Christi fidelium audire confessiones, sunt tantùm delegati.*

7 *Ministri Prouinciales nostri ordinis delegando suam iurisdictionem pro reseruatorum absolutione, tantùm designant personas, quibus committitur; & quomodo.*

8 *Ex vi Decreti Clementis Octaui Regularium Superiores tenentur necessariò aliquibus presbyteris cõmittere facultatem absoluendi Religiosos Pænitentes à reseruatis.*

9 *Omnes Religiosi nostri Ordinis vnius Monasterij ad Monasterium alterius Prouinciæ accedentes, dum in eo manent Monasterio, & iam per breue temporis spatium, illius Superioris localis subduntur gubernio, & ditioni.*

10 *Superiores locales nostri ordinis omnes, & quoscunque Religiosos casus habentes reseruatos ad sua accedentes Monasteria absoluere possunt à casibus suis Ministris Prouincialibus reseruatis etiam, si eo animo accedant, vt suis proprijs confessoribus malitiosè desinant confiteri.*

11 *Ad absoluendum à reseruatis solùm iurisdictio requiritur.*

12 *Fratres hospites vnius Prouinciæ ad conueutum alterius Prouinciæ accedentes Iure hospitalitatis à reseruatis absolui possunt ab illo superiore Monasterij, ad quod accedunt.*

13 *Religiosi vnius Monasterij accedentes ad Monasterium alterius Prouinciæ censendi sunt veri hospites.*

14 *Religiosi omnes sunt eiusdem corporis membra sub vno capite, à quo gubernationis spiritualis recipiunt influxum.*

15 *Prouinciales omnes sunt eiusdem Capitis, & ordinis membra.*

16 *Prouinciarum cuiuscunque ordinis diuisio ad faciliorem, & quasi Polyticã gubernationem ordinatur.*

17 *Peccatorum reseruatio suos sortitur effectus, quando hospites à reseruatis per Prælatos locales absoluuntur.*

18 *Prælati in peccatorum reseruatione quid intendunt.*

19 *Quare Episcopus alterius Episcopatus oues à reseruatis absoluere non valet.*

20 *Ecclesiarum particularium diuisio an sit de iure Pontificio.*

21 *Confessarij nostri ordinis, quibus delegata est absoluendi à reseruatis facultas per suum Prouincialem Ministrum, tam intra, quàm extra suum territoriũ possunt hospites à casibus totius ordinis reseruatis, & cuiuscunque Prouinciæ absoluere.*

22 *Verus intellectus Capituli Generalis Assisiensis affertur.*

23 *An Confessarius habens facultatem absoluendi à reseruatis possit absoluere hospites ab illis, quæ*

Prouin-

Prouinciales ex proprio munere sibi reseruant.

24 *Constitutio Clementis Quarti declaratur.*

25 *Generalia nostri ordinis Comitia quid circa multitudinem reseruationum disposuerint.*

26 *Virtute nostrarum Constitutionum inferior sacerdos, qui à suo ministro in vniuersum pro reseruatis absoluendis constituitur, habetur pro toto Ordine ad eundem effectum constitutus.*

27 *Aperitur sacrosancti Concilij Tridentini sess. 25. de Regularibus, & Monialibus capit. 10. verus intellectus.*

28 *Concilium Tridentinum nullam tribuit extraordinarijs confessarijs ab Episcopis designatis ad Monialium audiendas confessiones nouam facultatem.*

1 HÆc posterior sententia mihi vera omninò videtur: quamquam fundamenta, quibus innititur, quammaximè displicant. Porrò vt eius veritas manifestè clarèque pateat, illam declarandam duximus. Quamobrem nonnulla sūt obseruanda. Et primò verba illa tit. Constitutionis Clementis Octaui, *Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures confessarios pro subditorum numero maiori, vel minori: ijque sint docti, prudentes, & Charitate præditi, qui à non reseruatis eos absoluant: & quibus etiam reseruatorum absolutio committatur, &c.* In quibus verbis obseruandum est, Summum Romanum Pontificē, postquam in lata ac sua Constitutione Regularium Superioribus numerum reseruatorum casuum, modum, formamque quibus alia reseruāda forēt, præscripsisset, statuisse, ac modum, quo ab his absoluendi sunt pœnitentes Religiosi,
2 præcipiendo, præcepisse, ibi; *Deputent*: & infrà; *committatur*; vt .f. nonnullis destinatis cōfessarijs pro absoluendis fratribus à reseruatis committatur facultas; hoc enim præceptum id operatur, quòd facultas huiusmodi indulcta confessarijs, quamquam dispositiuè à superioribus emanare videatur, nihilominus tamen auctoritatiuè in eis residet à Summo Romano Pontifice: non quidem secundum illam generalitatem, qua omnes in sua iurisdictione ab ipso pendent Prælati, sed secundùm hanc indiuiduam commissionem, seu delegationem, pro à reseruatis absoluendo ipsis præstitam: quoniam non ex propria voluntate formali, (vt ita dicam) sed ex voluntate Summi Pontificis præstatur, atque committitur. Vndè eā habere videtur huiusmodi Regularium superiores, quando facultatem à reseruatis absoluendi confessoribus ipsimet assignatis committunt, ministerialiter; seu dispositiuè dumtaxat; quia talis commisio ex vi legis, & constitutionis Apostolicæ fit.

3 Secundò obseruandum est, Constitutiones nostri ordinis Generales Vallistolet. Idem disponere; Nam §. de casibus reseruatis fol. mihi 125. Ita habetur: Vt *opportuniùs animarum saluti consultum sit, Prouinciales Ministri in sua quisque Prouincia vnum saltem, vel alterum probatum confessarium in vnoquoque conuentu deputent, cui à prædictis casibus in foro conscientiæ absoluendi facultatem concedant, dummodo occulta sint.* Vbi verbum illud; *Deputent*: ponderandum est, & illud aliud, *Concedant*: quæ sunt præceptiua, & præcisam inducunt obligationem, ac subinde facultatem absoluendi fratres à peccatis pro toto ordine reseruatis, non sua committunt auctoritate, sed ex vi legis vniuersalis id præcipientis quapropter confessarij sic deputati à lege, & iure nostrarū Constitutionum facultatem habent absoluendi religiosos à reseruatis. Vndè, vt benè authores secundæ opinionis notant, Ministri Prouinciales Ministerialiter dumtaxat se habent in facultate pro absoluendo à reseruatis committenda. Hoc enim non obscurè probatur ex titulo tabulæ casuum pro toto nostro ordine reseruatorum: sic enim inscribitur: *Tabula casuum reseruatorum, qui Generali, aut Prouincialibus Ministris ex Generalibus Constitutionibus ordinis reseruantur.* Ex quo colligo antiquissima omnia Capitula Generalia, vt sunt *Salamantina cap. 7. & 10. Vallis solet. de casib. reseruat.* & alia multa, quæ ibi in margine referuntur, quam plura peccata pro toto ordine semper reseruauisse, quamuis non respectu ministrorum Prouincialium, in quantum ipsis reseruantur; cum limitatione autem, vt deputarent vnum, ac alterum confessarium cum facultate absoluendi ab illis: ac proinde casus illi sunt à Capitulo Generali reseruati, & excepto eiusdem facultas commissa est confessarijs in vnoquoque conuentu per Ministros Prouinciales designatis.

4 Vndè infertur, & bene, quòd auctoritatem atque facultatem, quam ad absoluendum à reseruatis habent. à Capitulo obtinent Generali, per Ministerium Prouincialium. Hæc vera, ac germana nostrarum Constitutionum Generalium interpretatio ostenditur; Nam Prouinciales, & si velint, non possunt illam auctoritatem, & facultatē pro in toto ordine reseruatis peccatis absoluendi non committere illis Religiosis, quos destinare tenentur; igitur non præuia sua auctoritate cōmittunt, sed ex auctoritate Capituli Generalis. Probatur sequela, eò quòd si iure suæ potestatis id præstare possent, certè id negare valerēt, cùm nullibi relicta videatur; Igitur ex eò quod ipsi ex vi legis vniuersalis committere adstringuntur talem auctoritatem ad absoluēdum à casibus pro toto ordine reseruatis, à lege emanare videtur talis facultatis commissio. Item, casus isti reser-
5 uati non ab ipsis Ministris reseruantur, sed ipsis à Capitulo Generali; igitur cùm Capitulum Generale mandat committendam esse pro istorum absolutione facultatem; concessio istius non à Ministris censetur, sed à lege, & Capitulo Generali.

6 Totus iste discursus illustrari optimè potest ex priuilegio Regularibus pro audiendis sæcularium confessionibus in *Clementina, Dudum de sepultur. §. statuimus*, concesso: vbi regulares per Sum. Rōm. Pont. ad omnium Cristianorum cōfessiones audiendas destinantur, atq; cōstituuntur; requiritur nihilominus Episcoporū approbatio, qua videtur

R.P. Iuniperi à Drepano de Casib. reser.

L 2 eis

eis concedi facultas eosdem à peccatis omnibus absoluendi, & tamen ipsi Episcopi delegati tantummodò censendi sunt circa eorum habilitatem, seu sufficientiam, atque doctrinam. Vndè postquam eos approbauerint, aut reprobauerint, functi sunt sua delegatione, & munere. Ita ad nostrum hæc applicando propositum. Ex quo Ministris Prouincialisque præcipitur, vt cōmittant illorum absoluendi peccatorum in toto ordine reseruatorum facultatem ijs, quos deputant solùm eis iure proprio designatio conuenit personarum, quibus talem committunt facultatem, veluti Episcopis personarum approbatio; Nam facultas à Summo Romano est Regularibus concessa Pontifice omnium audiendi sæcularium confessiones: ac subinde confessarij pro absoluendo à reseruatis destinati à Generali capitulo, pro toto ordine à reseruatis habent, saltē mediatè, absoluendi facultatem.

8 Tandem notandum est, quòd peccata aliqua, quæ Prouinciales sibi ex vi suæ propriæ iurisdictionis reseruant per se ipsos, vt sunt illa in decreto cōtenta Clementis, aut omnia, aut aliqua, vel aliquid aliud extra illa de consensu Capituli Prouincialis; cùm pro ab his absoluendo necessariò committenda sit facultas confessarij ad hoc deputatis, eodem modo Philosophandum

9 est, ac de reseruatis in toto nostro ordine. His connecto, quòd cùm fratres alicuius Prouinciæ ad Monasteria alterius accedunt, licèt sibi per aliquod breue temporis spatium morentur, ipso iure illius superioris localis gubernio, & dictioni subduntur: & id non solùm ex vi immemorialis consuetudinis vniuersalis verùm & nostrarum Constitutionum Generalium Vallisolet. Vndè infertur, localem superiorem in eos habere eandem iurisdictionem, quam habet in suo, conuentuales subditos.

10 His igitur sic notatis: dico primo, posse locales superiores omnes, & quoscunque totius nostri ordinis Religiosos casus suis Prouincialibus Ministris habentes reseruatos ad sua accedentes Monasteria, etiam si eo animo accedant, vt desinant proprijs Confessoribus suæmet Confiteri Prouinciæ, & conuentus absque vlla extrinseca confessionis causa absoluere. Idem potiori iure de Ministris tenendum est Prouincialibus. Hæc assertio ex his, quæ paulo superiùs secundo notauimus loco, apparet manifesta. Probari autem potest, primùm, retorquendo prioris sententiæ

11 fundamentum; quoniam ex communi omnium doctorum sententia, tam Theologorum, quàm Canonistarum ad absoluendum à reseruatis, nihil aliud requiritur, nisi actualis iurisdictio; siue illa sit ex proprio pastorali munere, siue delegata, siue à iure ratione alicuius priuilegij: atqui fratres vnius Prouinciæ ad Monasteria accedentes alterius, etiam hoc solo animo, vt absolui valeāt à reseruatis, dum in illis etiam per breue temporis spatium morantur illorummet Conuentualiū superiorum imperio, atque gubernio verè subduntur; igitur in eos iurisdictione illi habēt actualem; ergo possunt hi ab illis absolui à quibusuis reseruatis. Consequentiæ sunt notæ per se, minor patet ex vltimo nostro notabili.

12 Secundò probatur; nam fratres hospites vnius Prouinciæ ad Conuentum alterius Prouinciæ accedentes, ratione priuilegij hospitalitatis, (vt ita dicam) à reseruatis absolui possunt à superioribus illius Monasterij, ad quod veniunt ex parte Trinitate, & alijs; igitur & illi, qui malitiosè accedūt ex vno Monasterio alicuius Prouinciæ ad Monasterium alterius pro reseruatorum obtinenda absolutione. Probatur consequentia; quoniam dum per aliquod temporis spatium morantur in

13 illis, sunt verè hospites; igitur. Neque video, qua ratione hospitum Priuilegium (vt aduersariorum vtar verbis) istis sic accedentibus Religiosis conuenire non possit, vltrà quòd id patet ex communi vsu, & hominum loquendi modo.

14 Tertiò probatur; quoniam ij religiosi sunt eiusdē Corporis membra sub vno capite, à quo gubernationis spiritualis recipiunt influxum; igitur impossibile omnino videtur, vt vnius conuētus superior istius Prouinciæ v. g. non possit alterius Prouinciæ conuentus Religiosos subditos à

15 casibus in toto ordine reseruatis absoluere. Cōsequentia probatur; tum quia omnes Prouinciales sunt eiusdem capitis, & ordinis membra: tum quia casus reseruati sunt ijdem: tum quia Prouinciarum diuisio ad hunc non ordinatur effectum, sed ad Summum ad faciliorem externā,

16 & quasi polyticam fratrum gubernationem: tū tandem quia peccatorum reseruatio suos sortitur effectus; Nam superiores locales, aut Prouinciales, dum fratres sic hospites peccata confi-

17 tentur reseruata, huiusmodi Prælati, vt supponēdum est, opportuna applicabunt remedia, salutaresque pœnitentias, quæ ordinis concernunt,

18 conseruationem. Confirmatur; quoniam ex benigna superiorum in vniuersum mentis interpretatione id fieri optimè potest: nam nihil aliud intendunt, nisi opportuna ex vi reseruationis adhibere remedia subditorum saluti necessaria, conseruationique Religionis status; ac subinde, dum per superiores subditi alterius à reseruatis absoluuntur, hoc consequuntur intentum, igitur censendum est, ex voluntate, & licentia (quando aliud expresè non constat) superiorum conuentus à quo, à superiore Conuentus ad quem absolui.

19 Nec *Patris Ioannis à Trinitate* responsio aliquid ei prodesse poterit; Etenim omnes Episcopi, quamquam vnus Ecclesiæ, id est vniuersalis, sint membra, & casus, qui eis iure reseruantur, ijdem sint, & tamen aliquo deficiente priuilegio, aut concessione, nullus Episcopus oues alterius à casibus potest absoluere reseruatis; non prodest certè quia Ecclesiarum particularium diuisio, quo ad Episcoporum iurisdictionem, præterquam quòd cùm sit de iure diuino, vt quamplures astruunt Doctores, (de qua re modo non disputo) ac subinde subiectio ouium, vnius Episcopatus, nequeat

nequeat esse alterius, & ita non possint ex vi talis subiectionis quæ est de iure diuino, ac de iure naturæ, saltem consecutiuè, absolui quæ sunt vnius Episcopatus ab alterius Episcopo: secùs est de diuisione Prouinciarum nostri ordinis. dato nihilominus, quod Ecclesiarum particularium diuisio sit de iure Pontificio, vt veriùs alij sentiunt; est quo ad vtramque, nimirum quo ad spiritualem in intrinseco foro, & quo ad gubernationem extrinsecam, & quasi polyticam suorum subditorum. Diuisio verò Prouinciarum solùm id intendit quo ad polyticam, & extrinsecam fratrum gubernarionem: spiritualis autem videtur esse communis. Ex quo patet, quàm futilis sit illa Trinitatis responsio: non enim sumitur proportionata similitudinis ratio.

21 Dico secundò, confessarium nostri ordinis, cui auctoritas absoluendi à reseruatis per suum Prouincialem Ministrum indulcta est, siue intra suæ propriæ Prouinciæ Territorium, siue extra existat; hospites absoluere potest fratres à casibus totius ordinis reseruatis, cuiuscunque sint Prouinciæ; etiam si fratres isti confiteri desinant proprijs confessoribus suæmet Prouinciæ, & Conuentus absque causa. Hæc assertio est Doctorum secundæ sententiæ: & probari potest ex ijs, quæ secundo nostro notabili docebamus; Nam nostri Confessarij facultatem habent, & iurisdictionē ad absolueudum à reseruatis eo ex vi legis vniuersalis, seu à Capitulo Generali, vt dictum est; cùm ergo nihil aliud requiratur, vt possint omnes fratres casibus innodatis reseruatis absoluere, quàm iurisdictio à superiore, qui illa obtenta communicare potest; euidenter sequitur, quòd id optimè facere possunt.

22 Neque obstat oppositio illa, quam *Pater Fr. Ioannes à Trinitate* excogitauit Decreti illius Assiensis Generalis Capituli; nam verba illa, *Ministri Prouinciales concedant auctoritatem*, sunt præceptiua, ipsosque Ministros obligant ad cōmittendam à reseruatis absoluendi facultatem nonnullis Religiosis ad hoc deputatis munus: ac proinde talis facultas, seu auctoritas, quamquam immediatè ab ipsis Prouincialibus elargiatur ministris; obtinent nihilominus eam mediatè à lege, seu à Ministro Generali: & sic consequenter iurisdictio, quæ pro absoluendis communicatur, ad omnes totius ordinis fratres se extendit.

23 Maior difficultas est de peccatis reseruatis, quæ sibi ministri reseruant Prouinciales ex proprio munere, aut de consensu Capituli Prouincialis: nam tunc non videntur cum facultate absoluendi à reseruatis deputati habere illam ex vi legis vniuersalis nostrarum constitutionum: & sic à reseruatis Prouinciali vnius Prouinciæ nequesit per aliū alterius Prouinciæ absolui. Dico nihilominus, confessarium, qui habet talem à suo Ministro Prouinciali auctoritatem, posse alterius Prouinciæ fratres absoluere à reseruatis. Hæc assertio est euidens ex primo nostro notabili; nā confessarij sic electi, & deputati necessariam ad absoluendum à reseruatis alterius Prouinciæ Prouinciali Ministro habent facultatem eodem modo à Summo Romano Pontifice, qui in sua super hac re edita Constitutione eam præcepit committendam; quem cum in vniuersum fore committendam statuerit, censendum est, illam pro omnibus vniuersaliter absoluendis nostros confessarios habere. Solùm nunc superest, vt Patris Trinitatis argumenta soluamus.

24 Ad primum, ex dictis patet solutio. Ad confirmationem verò respondeo negando consequentiam; quoniam in primis illa Clementis IV. concessio, qua indulgetur totius ordinis nostri Prouincialibus Mininistris, vt hospites cuiuscunque Prouinciæ à reseruatis absoluere valeant, loquitur de peccatis publicis; quatenùs ex vi nostræ regulæ solùm Prælatis reseruantur Prouincialibus in cap. 7. ibi; *si quis instigante inimico, &c.* non verò de occultis, de quibus hic sermonem facimus.

25 Respondeo secundò; dato quòd concessio illa Clementis Quarti, & Gregorij Noni, de his occultis intelligatur reseruatis; etiam falsa est cōsequentia; quia post illam concessionem, & facultatem aliud per decreta ordinis Generalia fuit ordinatum: nimirum statuendo peccata aliqua atrociora pro toto orodine reseruanda ipsis Prouincialibus Ministris. Anteà enim vnusquisque Prouincialis Minister pro sua Prouincia quoscunque volebat sibi sereruabat casus: & inter fratres vertebatur in dubium, an hospites vnius Prouinciæ ad alia accedentes absolui possent in illa Pontifices sumi ad hanc tollendam controuersiam, indulserunt (vt dictum est) vt vnius Prouinciæ Prælatus supremus posset alterius à reseruatis absoluere Religiosos hospites: cui posteà generalia Capitula inhærentes concessioni, & ad tollenda quoque tot, tantorumque peccatorum reseruationes, aliqua statuere, quæ essent Ministris reseruata Prouincialibus, cum præcepto tamen committendi pro eorum absolutione facultatem designatis personis, pro vt suprà dicebamus.

26 Ad posteriorem confirmationem respondeo, nullius esse roboris; quinimmò, si rectè ponderetur, potiùs nostrum probat intentum, quam id, quod aduersarij ostendere conantur, nam si virtute Generalium constitutionum quilibet sacerdos potest cuiusuis alterius Prouinciæ à lethalibus culpis absoluere fratres, eò quòd à suo approbatus Ministro Prouinciali pro toto intelligitur approbatus ordine; ita quoque virtute nostrarum Generalium Constitutionum, inferior sacerdos, qui à suo ministro in vniuersum pro reseruatis absoluendo obtinuit facultatem, absoluere omnes ab eisdem totius ordinis Religiosos, & cuiusuis alterius Prouinciæ potest; eò quòd (vt suprà dictum est) à Generali Capitulo talis facultas censetur communicata: ac proinde concesso antecedente, neganda est consequentia. *Nec multùm refert*, quòd Prouincialis dignitas Episcopali æquiparetur, nam ex illius æquiparatione non

potest sumi efficax ratio ad ostendendum confessarium approbatum cum facultate absoluendi à reseruatis non posse alterius Prouinciæ absoluere Religiosos: eò quòd Prouinciæ omnes nostri ordinis non habent tantam distinctionem, quantam Ecclesiæ habent particulares inter se; vt paulò superiùs dicebamus.

27 Ad secundam rationem, quidquid sit de antecedente; etenim id, quod ibi assumitur, est apertè falsum; nego consequentiam; quoniam (vt ostensum est) capitulum Generale est, quod cõfessarijs per Ministros Prouinciales deputatis ad absoluendum à reseruatis tribuit facultatem. Quòd verò sit falsum, quod *P. F. Ioannes à Trinitate* ex Concilio Tridentino sumit in antecedẽti, patet; eò quòd nullum est assignabile fundamentum, quo interpretari patrum sacri Concilij Tridentini mens possit, eam fuisse in illo *cap. 10, sess. 25.* quam doctor iste existimat: quoniam Decretum illud Concilij intendit, vt moniales possint puriùs Deo seruire. Quòd si reseruatis innodatæ essent moniales, & confessarij extraordinarij; quos per Episcopos, aliosque Prælatos ipsum Concilium statuit assignandos, non haberent omnem illam facultatem, quam oporteret; certè nihil eis deseruirent tales confessores; & consequenter eam puritatem, quam Concilium

28 in eis desiderat, obtinere non possent. Esto nihilominus, quod talis fuerit patrum Concilij Tridentini mens, quam *P. Ioan. à Trinitate* est interpretatus, non sumitur paritas, qua, id, quod intendit; possit ostendere; eò quod non præcipit Concilium Tridẽtinum Episcopis, alijsque Monialium Prælatis confessarios extraordinarios designandos esse cum facultate ad absoluendum à reseruatis fore deputandos: ac subinde rectè inferri posse, Concilium Tridentinum illis nullam tribuisse nouam facultatem. Secùs verò est de confessarijs in nostro minorico ordine ad absoluendos fratres à reseruatis per Ministros Prouinciales designatis, quia ex capitulo Generali specialiter superioribus supremis præcipitur, vt talem committam facultatem. Ex quo sequitur, vt visum est, illam prædictos confessores à lege habere.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum Religiosi itinerantes, dum sunt in via, antequàm ad proprium perueniant Monasterium, possint sibi simul confiteri, & à reseruatis se inuicem absoluere.

CAPVT VNICVM.

Nonnullis Doctorum placitis adductis, quid sit sentiendum, Author resoluit.

SVMMARIVM.

1 *Presbyteri omnes in triplici sunt differentia.*
2 *Omnium peccatorum tres constituuntur differentiæ.*
3 *Quilibet sacerdos potest à venialibus absoluere.*
4 *An sacerdos, qui aliquando obtinuit facultatem absoluendi à reseruatis possit, postea quàm illam amisit; absoluere non reseruata?*
5 *Sacerdos, qui in conuentu poterat Religiosorum audire confessiones, potest extra etiam hoc facere.*
6 *Sacerdos potest absoluere indirectè pænitentem à reseruatis iuxtà sententiam Diui Thomæ, & aliorum.*
7 *Religiosos itinerantes non posse ad inuicem se absoluere à reseruatis, ostendit Author.*
8 *Quid facere debent Religiosi itinerantes casus habẽtes reseruatos, quando celebrare, aut communicari tenentur.*
9 *Sacerdos peccati mortalis conscius quando iuxta Tridentinum cum sola cõtritione potest celebrare?*
10 *Sacerdos excommunicatus causa vrgenti potest cum sola contritione celebrare.*
11 *Reseruatio peccatorum vndè sumpta inferioris sacerdotis impedit iurisdictionem.*
12 *Religiosi itinerantes, secundum nonnullorum Doctorum sententiam, possunt se ipsos ad inuicem absoluere à reseruatis, quando per multum temporis spatium vacant extra Monasteria.*
13 *Regularium Prælati Religiosis itinerantibus debent iuxta propriæ Regulæ decreta salubriter prouidere.*
14 *Est valdè periculosum cogere Religiosum, qui ex facilitate mortaliter peccauit, vt per multos dies absque sacramentali permaneat absolutione.*
15 *Prælati Religionum, quando mittunt Religiosos de vno ad alium Monasterium, & in via per aliquod notabile temporis spatium morari eos potuerint concedere debent facultatem, vt à reseruatis absolui possint, & quomodo.*
16 *Concessio Innocentij Octaui Ordini Cisterciensium facta declaratur dilucidè.*
17 *An dicta Innoc. VIII. concessio sit in vsu; & quid hac in re senserit Pater Suarez?*
18 *Iuxta Innocentij Octaui concessionem posse omnes cuiusuis Ordinis Religiosos absolui à culpis, etiam extra Ordinem, mortalibus, cum Suarez docet Author.*
19 *Priuilegijs possunt Prælati renuntiare.*

1 DVplicem præposita potest habere sensum difficultas. Aut enim sermo fit de Religiosis, qui de vno ad aliud iter faciunt Monasterium; quod per breue temporis spatium expletur, vel quando longum arripiunt iter. Si in priori sensu tractetur difficultas pro absolutione eius; distinguendum est de sacerdotibus. In triplici quidem sunt differentiæ: quidam sunt, qui nunquam fuerunt admissi à superiore ad fratrum audiendas confessiones: quidam, qui aliquando admissi fuerant, sed modò non sunt iuxta formã & modum Decreti Clementis Octaui deputati pro audiendis conuentualium fratrum confessionibus: quidam verò de facto sunt deputati.

2 Et de peccatis quoque distinguendum est; Nã in triplici etiam sunt differentia. Quædam enim sunt venialia; alia lethalia simplicia: nonnulla mortalia atrociora cum reseruatione adiuncta. si de peccatis venialibus sit sermo, quatenus venialia sunt dumtaxat, nulla potest esse difficultas;

3 quia

quia quilibet sacerdos ab eis absoluere potest: nam cum iure diuino ea confiteri nõ teneamur, vnusquisque sacerdos ab eis absoluere valet, si à pœnitente eligatur. Sic Doctores omnes in materia *de pænit. præsertim Vasquez ad 3.partem q. 90.art.1.dub.2.sub n.8.vers. 2.etiam in peccatis venialibus absoluendis,& q.93.art.1.dub.6.n.5. Sotus in 4.distinct.18.q.4.art.2. in solutione textus, Ruard. Tapper. art.3. contra Caluinum pagina* 100. *circa finem, Caietanus verbo, absolutio in summa cap. 2.& tom. 1. opusculor. tit. 7. q. 1. Canus 3.p. Relect. fol.* 143. *§. 3. Ledesma 2.p. 4. q.22. art.1. Paludanus in 4.distinct.19.q.2.art.3.n.25. Capreolus in 4.distinct. 19. q. 2.art. 3 num.*1. Ratio est, quia simplex sacerdos est Iudex ordinarius à peccatis in absoluendo venialibus, & ita potestate ordinaria ab-
4 soluit eos, qui illum eligunt. Si verò peccata sunt lethalia, tunc certum est sacerdotem illum, qui nunquam fuit admissus, nullo pacto posse absoluere, ob iurisdictionis, & potestatis defectũ. Si verò ille sacerdos aliquando ad absoluendum fuit admissus à reseruatis, sed modò nõ est, multi nobiscum sentiunt, non posse absoluere, etiam à non reseruatis; eò quòd ita Summus Pontifex in sua hæc Constitutione decernit, pro vt suo loco expendendo verba illa eiusdem Decreti, *deputent duos, vel tres &c.* determinauimus. Verũ quia praxis nostræ Religionis, & præsertim nostrarum Prouinciarum reformatarum Regni Siciliæ, est in contrarium, & Prælati hoc sciunt, nec prohibent, quinimmò per tolerantiam videntur id approbare; sequitur, quod id optimè fieri possit: si tamen concedimus, post prædictum decretum Regularium Superiores facultatem habere destinandi nonnullos alios confessarios, quos cuiuscunque conuentus suæ Prouinciæ numerus non exposcit. Dixi notanter; *si concedamus,* eò quòd in nostra sententia saltem absque aliqua rationabili causa non posse, suprà ostensum est.

5 Si verò sacerdos est deputatus, & in conuentu Religiosorum iam audiebat confessiones, tunc talis audire potest huius confessionem, & absoluere sicut poterat in conuentu. Sic docet *Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art.3.* vbi sic inquit: Religiosus, qui facultatem habet sui Prælati audiẽdi Religiosorum confessiones, quemcunque subditũ sui conuentus potest vbique terrarum absoluere perinde ac priùs ipse poterat, præterquam à casibus reseruatis.

6 Si verò peccata fuerint reseruata, posse eundẽ sacerdotem absoluere pœnitentem ab illis indirectè, cùm absoluit à non reseruatis directè, sentiunt quamplures Doctores, præsertim *Sanctus Thomas in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 4. q. 2. ad quartum, Durandus in 4. dist. 17.q.15.nu.8. Paludanus q. 5. Gabriel q.1.art.3.dub.2. Maior q. 5. Almain q. 1. Antoninus 3.p. tit.14.cap.18.§.6. Syluester verbo, confessio primo quæsito 19. Angelus verbo confessio 5.num.9. Medina Cod. de confess. q. 13. de integritate confession. Nauarrus in cap. consideret §. cautus n. 10.& seqq. de pænitent. distinct. 5.* & alij quamplures, limitant tamen, quod deberet tunc pœnitens, statim vt ad proprium peruenerit Monasterium, proprio reseruata peccata confiteri superiori.

7 Hæc sententia sic in vniuersum displicet nonnullis modernioribus doctoribus, quatenùs existimant, non posse talem sacerdotem sacramẽtaliter socium à reseruatis absoluere, nisi saltem rationabilis causa intercedat, vt est necessitas præcisa celebrandi, vel similis. Verùm (vt supra demonstrauimus) ambas esse has falsas sentẽtias, dicendum est, ac subinde non posse à reseruatis Religiosos itinerantes, dum sunt in via, simul confiteri, & absolui à peccatis superioribus reseruatis.

8 Sed quæres, quid sit agendum, quando occurrit præcisa necessitas; nimirum in aliquo celebrãdi loco, ita vt si sacerdos sacrũ facere desinat, graue sequatur in populo scandalum? Respõdeo, quòd tunc præuia contritione, celebrari potest, aut communicari, absque eo, quòd incidat in aliquã culpam; nam tunc se debet habere, ac si copiam non haberet confessoris. Ratio huius esse potest,
9 quia, necessitate vrgente, sacerdos peccati mortalis conscius, absque sacramentali præuia confessione & cum sola contritione (modò desit illi copia confessoris) iuxta sacri Concilij Tridentini decretum *sess.13.cap.7.* celebrare potest: atqui ex peccatorum reseruatorum vi neuter illorum in alterum habet iurisdictionem; igitur illis deficere videtur copia sacerdotis; ergo vrgente illa necessitate absque eo, quòd incidant in nouum
10 lethale peccatum celebrare possunt. Item quãdo casus reseruatus annexam habet excommunicationem, & superioris præsentia nequit haberi; si necessitas vrgens occurrat celebrandi, aut communicandi, ex eorumque omissione graue sequatur damnum, potest tunc excommunicatus pœnitens, sola præuia contritione, sacrum facere, aut communicari, absque eo, quòd in aliquod nouum illabatur crimen, aut irregularitatem, vt docuerunt *Sotus in 4.distinct.18. q.2.art.5. Ledesma 2.p.4. q.8.art.3. dub. 3. Henriq. lib.3.de sacram.pænit.c.6.n.7. Rodriquez tom. 1.quæstionum Regularium quæst. 21. art. 4. Miranda tom. 2. sui Manualis q.34.art. 10 Medina in summa 1.lib. cap. 11. §. 1. Castro lib.1.de lege pænali cap. vlt. Couarruuias in cap. Alma Mater 1.p. §.2. nu. 11.* Ratio est, quia præceptum de proximum non scandalizando est diuinum, & naturale, ac proinde fortiùs præualet præcepto non communicandi, aut celebrandi cum excommunicatione, etiam cùm debita præparatione, & contritione, quod est tantùm humanum; igitur a fortiori possunt in nostro casu Religiosi iter agentes, cùm innodati existunt aliqua casuum reseruatione, celebrare. Consequentia tenet eò quòd sicut censura ordinariam impedit iurisdictionem, quando est casui annexa reseruato, ita quoque reseruatio nudè desumpta. Etenim (vt suprà docebamus) hæc ex vi, & efficacitate propriæ suæ naturæ, iurisdictionem inferioris confessoris impedit in ordine ad absoluendum à peccatis reseruatis, &

tis, & indirectè à peccatis mortalibus non reseruatis; igitur cum neuter eorum in alterum iurisdictionem absoluendi habeat, eodem modo censendi sunt, ac si essent excommunicationis vinculo innodati.

12 Si autem Religiosos itinerantes per longum tempus in via morari contigerit, ita vt non possint ad propria reuerti Monasteria,& in illo temporis interuallo in aliquod reseruatum illabantur Crimen, videtur dicendum,posse absolui ab illo. Ita sentiunt nonnulli,ea ducti ratione, quoniam Sixtus Quartus,& Innocentius Octauus(vt refertur in libro monumenta ordinum)indulsent Religiosis iteragentibus, vt possint ab externis etiam confessoribus,ab huiusmodi absolui reseruatis peccatis; ergo à fortiori ipsimet itinerantes se se inuicem absoluere possunt. Verùm hæc nonnullorum opinio non placet, eò quod per Priuilegium Sixti Quarti, & Innocentij Octaui, & similia, solùm eis conceditur, confiteri posse sacerdotibus Regularibus, sæcularibusuè dum iter agunt: in hac autem generali facultate non comprehenduntur casus reseruati; Nā vt in iure declaratum est, nunquam in iure per Generalem concessionē intelliguntur illa concessa,quæ specialiter sunt interdicta,neque etiam illa facultas concessa censetur à Prælatis, nisi expresè in specie declaretur,ob eandem causam, quod casus specialis sub generali concessione non comprehenditur.

13 Veriùs igitur dicendum est, nullam hac in re generalem posse assignari regulam,sed consulēdam esse regulam consuetudinem, peculiaremuè Prælatorum cuiuscunque Religionis prudentiam. Moraliter enim loquendo, necessarium est, vt aliquo modo hac in parte subditis religiosis prouideatur; nā si sint sacerdotes, vt in nostro casu quotidie indigere possunt confessione, eò quod frequenter celebrare debent,& per plures dies abstineri,& scandalosū esse potest,& eis nocivum, & nimis molestum. His connecto, quòd

14 si sacerdotes nō sunt,expedit etiam vt sæpiùs cōmunicentur;essetque præter debitum Religionis prouidentiam eos cogere,vt à communione abstinerentur vsque ad reditum in monasterium:& quamquam hæc posset esse iusta pœna Religioso sic peccanti,esset nihilominus nimis rigorosa, vt *Pater Suarez* non solùm pulchrè,sed valdè religiosè aduertit *tom.4.de Religione lib.2.cap.* 19. & non ad modum medicinalis, nisi vbi censura interuenit; præterquàm quòd periculosum esset cogere Religiosum, qui fortasse ex fragilitate mortaliter peccauit, vt per multos dies sine sacramentali absolutione permaneret.Ob hanc er-

15 go causam censeo, debere Prælatos huiusmodi Religiosis, quando mittuntur de vno ad aliud Monasterium,& in via per aliquod temporis notabile spatium morari oportuerit,ex munere cōcedere facultatem à reseruatis absoluēdi,saltem cum onere, vt postquàm ad proprium peruenerint Monasterium, se præsentari superiori teneātur: sic enim subditorum necessitati subueniunt, quia nec subditus cogitur diù carere absolutione, nec ei frænum aufertur reseruationis. Qui quidem prȩstandi facultatem sub illo onere modus est non solùm licitus, verùm etiam Sanctus, & in Ecclesia vsitatus:prout in prima parte huius tractatus latè ostensum est, ibique demonstrauimus, in nonnullis practicari Religionibus,& quidem, de societate testātur *Vasquez,& Suarez locis ibi citatis*. De Carthusianorum quoque, & sancti Hyeronimi Religiosis *Pater Suarez* loco, quo suprà testatur.

16 Hæc nostra sententia non solùm rationi consona videtur, verùm etiam fundatur in concessione quadam dicti Innocentij Octaui,quam refert idem *Suarez tom.4.de Religione lib.* 2. *cap.*19.*nu.* 3. & habetur in compendio Cistercensium *v. confessio §.* 15. qua Monachis Prædicatoribus indulsit, *Vt extra monasterium ordinis existentes de licētia superiorum* cuicunque Regulari, seu sæculari Presbytero confiteri possint, & à quocunque casu quomodocunque reseruato absolui,sicut à confessarijs ordinis. Quæ verba ambigua videntur; Nam illa particula; *de licentia superiorum*, potest cum antecedentibus coniungi, & consequentibus,quia nulla virgula interponitur; redit autem sensum valde diuersum si vno, aliouè cōstruatur modo: Nam coniuncta præcedentibus sensus est, Religiosum,qui ex superiorum licentia extra Monasterium extat, eo ipso posse à reseruatis quomodocunque absolui; & ita illa verba addita sint ad fugitiuas ab huiusmodi gratia excludendos,& ad significandum sic confitēdi licentiam, vel ab ipso Pontifice eo ipso dari, vel intelligi inclusam in peregrinandi atque deambulandi venia. Si autem prædicta verba subsequentibus coniungantur dumtaxat, sensus est, eos qui extra Monasterium existunt, posse de suorum Superiorum licentia absolui. Verùm hìc posterior sensus videtu ineptus: tum quia hoc per se notum est: tum quia idem dici posset de in Monasterio existentibus. Prior ergo sensus videtur proprius, & intentus.

17 Difficultas autem esse potest, an sit in vsu illa concessio recepta in alijs Religionibus priuilegia participantibus. Doctissimus *Pater Suarez* id sibi non constare docet; quinimmò putat, non fuisse necessarium; tum quia non est omnibus directè facta, & aliæ non coguntur eius admittere communicationem; tum etiam quia non cōtinet præceptum, sed datur per modum priuilegij, cui potuit illa renunciare Religio,cui directè concessum est;quinimmò putat doctiss. iste vir, Religionum Prælatos ad illam facultatem dandam absolutè cogi, sed eo modo, quo expedire iudicauerint: quod & per se rationi consentaneū est, quia Pontifex disciplinam non intendit relaxare religiosam, sed tantùm necessitati sufficienter prouidere Religiosorum, & ex ipsa cōcessione colligi potest,quatenùs dicit,ita absolui posse, sicut possent à confessarijs ordinarijs;confessarij autem ordinarij absoluere non possunt à reseruatis, nisi iuxta modum à superiore præscriptum,

ptum, ergo neque alij in prædicto casu.

18 Mihi verò minimè probatur hæc *Suarez* opinio, quoniam (vt statim videbimus) est sibi ipsi contrarius? nam cap. 17. nos omnibus particularibus circumscriptis voluntatibus, seu Prælatorum instructionibus, virtute illius concessionis Innocentij Octaui, posse omnes cuiusuis ordinis Religiosos absolui à culpis, etiam extra ordinē, mortalibus, iuxta ipsius met *Suarez* intelligentiā, quam paulò superiùs, iuxta priorem verborum illius concessionis intelligētiam, adduximus. Igitur si possunt à non reseruatis, quare quoque nō possunt à reseruatis? & si est in vsu pro illis, cur nō pro istis? Et certè si hoc loco per priuilegiorū excommunicationem id omnibus Religionibus, Religiosisque conceditur quo ad culpas non reseruatas, cur non pro reseruatis id idem concedet, cùm Pontifex Summus indulserit vtrique?

19 Non nego tamen obstare non debere regulę, Religionisuè consuetudini, aut Prælatorum ordinationi; nam priuilegijs quibuscunque quatenùs priuilegia sunt, renunciari potest. Idcircò attendendum est, quid hac in re specialiter Religiones statuant, & iuxta illud regulandi sunt itinerantes Religiosi.

QVAESTIO TERTIA.

Vtrum Religiosi peregrinantes, dum sunt in via virtute illius Innocentij Octaui concessionis, absque suorum Prælatorum venia à reseruatis absolui posint?

CAPVT PRIMVM.

Absque Prælatorum licentia Religiosos peregrinos vti illa concesśione non posse demonstratur.

SVMMARIVM.

1 *Religiosi ad hoc, vt extra ordinem, quando sunt in iuria, possint absolui, necessariò Prælatorum requiritur venia.*

2 *Facultas absoluendi à peccatis de necessitate morali est annexa peregrinationi.*

3 *Ex sola consuetudine, docent quamplures doctores, Peregrinantibus Religiosis esse concessam facultatem extra ordinem confitendi, iuxta Innocentij Octaui concessionem ipso iure, quo peregrinandi præstant licentiam.*

1 EX illius Innocentij Octaui cōcessiones verborum explicatione satis constat, posse Religiosos Peregrinantes, quando sunt in via, à peccatis absolui reseruatis. Verùm illa concessio dubitari contingit, an sit in vsu, vel ab omnibus alijs recepta Religionibus. Et vt securè quid ipse senserim, doceam, dico, requiri superiorum veniam. Ita omnes communiter docent. Dubitant nihilominus, an ad hoc sit expresè necessaria licentia, vel satis sit tacitè inclusa in licētia, vel peregrinandi. Sufficere quamcunque, vt optimè probat *Suarez tom. 4. de pænitentia disputat. 30. sect. 1. & tom. 4. de Religione lib. 2. capitul. 17. numer. 5.* quamquam ibi solùm de nō reseruatis loquatur, *Vasquez tom. 4. ad tertiam partem q. 93. art. 1. dub. 4. a n. 4. & seqquentibus*, probatur, quia Religiosi peregrini non debēt esse peioris conditionis, quam sunt alij peregrinātes; atqui isti quando de licentia Episcopi peregrinantur, in illa imbibitur (vt ita dicam) licentia confitendi cuicunque maluerint Sacerdoti, à quo absolui possint reseruatis; quia ex quo Episcopus concedit licentiam cōfitendi in alia Diœcesi, concedit quoque à casibus reseruatis. Ita *Paludanus in 4. dist. 17. q. 3. art. 2. consentit Syluester verbo, confessio 1. quæst. 15. art. 2. & 3. Caietanus in summa verbo, absolutio 2. Diuus Antoninus 3. parte tit. 17. cap. 4.* ergo & illi; eo quammaximè quia (vt proximo capitulo dictum est) sic confitendi, & à reseruatis absoluendi licentia dari videtur eo ipso ab ipso Romano Pōtifice, vel inteligi inclusam in ipsa peregrinandi licentia; vt ipsemet *P. Suarez cap. illo 19.* fatetur, & comprobat.

2 Insuper quia talis facultas, secundùm rectam rationem, debita est, & quasi necessitate morali peregrinationi annexa. Etenim non est credibile, quod Prælati non velint subditorum subuenire necessitati, & indigentiæ, cùm frequenter celebrare debeant, & per multos dies eos abstinere non solùm scandalosum esse potest, verùm etiā eis nociuum, & nimis molestum; igitur censendū est, quod antecedente concesso, concessum est quoque consequens.

3 Quinimmò nonnulli existimant, ex vi consuetudinis satis constare in aliquibus Religionibus, talem licentiam absolutè & simpliciter eo ipso censeri concessam, quòd Prælatus non prohibet, neque illam limitat, & in talibus Religionibus eo ipso, quòd quis peregrinatur, peccata desinunt esse reseruata; quia perinde absolui possunt à quolibet confessore. Et quamquam hæc consuetudo *Suarez* impossibilis videatur, mihi valdè probatur, eò quòd Prælati Religionum cum sciant Peregrinos Religiosos vti posse indulta eis concessione Innocentij, saltem probabiliter, nolunt eis occasionem præbere aliquod committēdi sacrilegium, ac proinde communis consuetudo satis in hoc interpretatur Prælatorum voluntatem.

4 Atqui in nostro Minorico ordine; quia nec per regulam, nec per generalia statuta, neque per consuetudinem declaratam video hanc facultatem, eiusuè modum; eò quòd fortasse à fratribus peti solent facultas superiori. Quòd si aliquando contigerit, ex naturali obliuione, non petita facultate, existimo tunc implicitè esse concesā à superiore in ipsa facultate peregrinandi; & eò quammaximè, quoniam licentia hæc solùm à Generalibus superioribus concedi solent fratribus absentibus. Vndè fit, quòd concessā facultate peregrinandi, censetur quoque concessa talis facultas; saluo semper quoad fieri potest reseruationis rigore. Ita sentire videtur *Portel super dub. regul. ver. confessio erga religiosos num. 10.* Prior pars constat ex tacta ratione, quia qui vnum cōcedit,

cedit virtute aliud concedit, quod moraliter necessarium est ad illud conuenienter exercendũ. Altera verò pars probatur, quia licentia illa propter dumtaxat subditorum necessitatem præstatur; Igitur explicanda est iuxta ea iura, quæ in similibus casibus concedunt facultatem; quotiescunque autem hæc facultas in Iure datur ratione concurrentis necessitatis, datur saluo semper reseruationis onere: atque adeò sub comparendi obligatione; ergo hoc sensu interpretandum est quoties superior aliud expressè non declarat.

CAPVT II.

Nonnullæ Regulæ ad duo præcedentia capita necessariæ afferuntur.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus Peregrinus socium habens Sacerdotem sufficientem ad confessiones audiendas, ei fateri debet, & ab omnibus peccatis tam reseruatis, quàm non reseruatis accipere absolutionem.*

2 *Religiosus Peregrinus ad alium eiusdem Religionis conuentum perueniens, Prælato illius conuentus fateri tenetur, vel alteri de eius licentia, si aliquo est innodatus peccato reseruato.*

3 *In nostro Minorico Ordine peregrini Religiosi, non tantùm iure hospitij, sed iure nostrarum constitutionum, Prælato subduntur locali.*

4 *An Peregrinus Religiosus possit, quem maluerit, eligere confessarium, cùm ad Monasterium non proprium, eiusdem tamen Religionis, peruenerit, ex vi facultatis, quam generaliter cùm licentia peregrinandi ei præstitit Prælatus.*

5 *Approbatio ad audiendas Religiosorum confessiones duplex declaratur.*

6 *Licentia, quam peregrinantibus Religiosis præstant Prælati ad confessorem eligendum, est pro necessitatis casibus dumtaxat.*

7 *Prælati Regularium, absque necessitatis causa, non possunt præstare subditis licentiam ad eligendum extra ordinem confessarium.*

8 *Religiosus Peregrinos, congruum est, suo socio, alijque presbytero iurisdictionem habenti fateri, cùm ad eiusdem Religionis peruenerint Monasterium.*

9 *Religiosus Peregrinus, cùm ad loca extra sua Religionis Monasteria diuertit potest cuicunque maluerit presbytero sæculari, vel Regulari confiteri.*

10 *Religiosus Peregrinus quem Presbyterum eligere tenetur?*

11 *Discrimen assignatur inter Religiosum peregrinum, & sæcularem.*

12 *Religiosus peregrinus iure proprio Religionis absoluitur, & quare.*

13 *Religiosus Peregrinus an teneatur eligere confessarium ab Episcopo approbatum?*

14 *Regularium Prælati concedere possunt facultatem audiendi confessiones cum limitatione ad certum personarum genus.*

15 *Religiosus Peregrinus, quem in confessarium eligere debet, sæcularem, an Regularem?*

16 *Religiosus Peregrinus potiùs Regularem eligere debet confessarium, quàm sæcularem, iuxta Authoris sententiam id clarè probantis.*

17 *Prædicatores nostri Ordinis Minor. in actu prædicationis an confiteri possint Presbytero sæculari.*

1 OPortet hìc pro completa notitia eorum, quæ in duobus præcedentibus Capitibus diximus, nonnullas seruare Regulas. Prima est; quando Religiosus Peregrinus secũ defert eiusdem Religionis socium sacerdotẽ, & sufficientẽ confessiones audiendas, & tunc communis obseruantia esse solet, vt Religiosus Peregrinus socio confiteri debeat, à quo absolui possit, tam à reseruatis, quàm à non reseruatis, si aliqua habeat reseruata peccata, & non alteri; Quia hæc solet esse Prælatorum intentio, ac voluntas, quæ licèt aliquando non sit expressa, vt dictum est, sufficit tacita, & inclusa in ipsa peregrinandi licentia quam recta ratio, & consuetudinis indicant sufficienter.

2 Secunda est, vt Religiosus Peregrinus sit in alio conuenitur hospes eiusdem Religionis, & tunc confiteri debet, vel ipsius Monasterij Prælato, vel alteri de eius licentia: Et si aliquo fuerit innodatus peccato reseruato, confessori conuentualis ad absoluendum à reseruatis deputato. Nõ tamen poterunt alijs confiteri eiusdem conuentus Religiosis, si ad audiendas suorum Religiosorum à Prælatis non sint expositi. Ratio est, quia illi non habent iurisdictionem ad Religiosorum audiendas confessiones; igitur nec circa hospites habent. Prælatus verò, vel ordinarius habet iurisdictionem, cui iure hospitij subditi potest pro eo tẽpore peregrinus, quo ibi moratur.

3 In nostro verò minorico ordine non tantùm iure hospitij Peregrini Religiosi Prælato subduntur locali, verùm etiam iure nostrarum Generalium Constitutionum.

4 Sed dices, rationem hanc procedere iurisdictionem cõsiderando vt à Prælato illius conuentus manantem, vel per se ibi conuenientem: secus verò de iurisdictione intelligi posse à Prælato ipsius met Peregrini manante, qui illi eligendi cõfessorem præstitit facultatem; ergo poterit Peregrinus Religiosus quemcunque illius conuentus sibi eligere confessorem vario modo ad hanc euasionem respondent DD. Nonnulli enim dicunt non posse, eò quòd alij illius Conuentus Religiosi à Religionis Prælato nõ sunt approbati ad Religiosorum audiendas confessiones: Religiosi autem quamquam eligere possent confessorem ab Episcopo non approbatum iuxta Conciliũ Trid. eligere tamen non possunt iuxta antiquum ius, (quod Tridentinum in hac parte non mutauit) nisi sacerdotem à suis Prælatis approbatum.

5 Verùm hæc responsio minimè satisfacit; nam vel approbationem iurisdictionis intelligunt collationem; & sic verùm est, quod assumitur, tamẽ in eo, quod subsumitur, petitur Principium: Nam hoc est, quod contendimus; quemlibet scilicet Religiosum à pœnitente electum eo ipso approbatum esse ob illius Prælati facultatem, quam illi

præstitit

præstitit confessorem eligendi. Si autem per approbationem intelligatur iudicium præuium, seu declaratio aut licentia de sufficientia ad confessiones audiẽdas, quale nunc ab Episcopo datum ad audiendas sæcularium confessiones requirit Concilium Tridentinum; & sic falsum est assumptum, quia nec in antiquo est fundatum iure, nec consuetudine constat. Item illo modo non satisfacit difficultati; nam possunt esse in illo cõuentu multi, qui fratrum sæpiùs confessores fuere, tùnc non sint; qui quantum ad approbationẽ, quæ excogitari potest, iurisdictione seclusa, meritò censeri debent approbati, & nihilominus hospiti eis confiteri minimè licet.

6 Meliùs igitur, cùm *Suarez* respondendum est, rationem huius esse, quia in eo casu à Prælato pœnitentis emanare non potest iurisdictio; Etenim facultas, quæ illi ad eligendum præstatur cõfessorem, solùm est pro necessitatis casibus, quãdo deest ordinarijs confessor eiusdem Religionis: tunc autem iure hospitij sufficientem habet eiusdem Religionis ordinarium confessorem, etiam applicando eum proportione ius commune; ergo tunc cessat eligendi confessorem facultas, & consequenter omnis deest iurisdictio, quæ à pœnitentis Prælato emanare potest. Vndè si Prælatus expressam concessisset facultatem eligendi quemcunque Sacerdotem, etiam in eiusdem Religionis Monasterijs, tunc certum est, posse cuicunque confiteri. Addit hìc *Pater Suarez*, quòd Prælati Regulariter loquendo, talem

7 non solent concedere licentiam, atque facultatem: vel quia per regulam prohibetur, vel profectò quia per se est irrationabile, & contra debitum ordinem. Ratio est, quia Prælati honestè & licitè, necessitate non existente, similes non possunt præstare facultates, & vt in simili de dispensatione probabiliter docent quamplures Doctores: qua propter eo ipso, quod talis facultas non est expresè concessa, censetur non concessa, nec comprehensa sub generali facultate, quæ & necessitatem respicit, & Religiosum debitum ordinem.

8 His connecto, si ambo simul occurrant casus, liberum esse Religioso alterutro ex illis modis confiteri: id est, Religiosum, qui socium habet sacerdotem, & in aliquo suæ Religionis monasterio hospes sit, posse vel socio suo alijque eiusdem Monasterij Præsbytero iurisdictionem habenti confiteri. Ratio esse potest, quia in vtroq; illorum est sufficiens iurisdictio, & per se non repugnat, plures habere idoneos confessarios; neque ibi interuenit voluntas proprij Prælati, quæ vnum illorum acceptet, & alterum excludat. Nulla enim est sufficiens assignata ratio ad illam præsumendam, cùm vterque illorum modorũ sit per se ordinarius, & Religionis statuit consentaneus. Ita seruatur communiter in toto nostro minorico ordine, & fortasse ita habet omnium aliarum Religionum consuetudo, de qua testatur *Suarez loco, quo suprà*. Secùs verò esset, si Prælatus aliud ordinasset; aut declarasset, (quod absque dubio facere posset, vel per specialem Regulam, aut Religiosum consuetudinem) aliquid, esse diffinitum: Nam illud semper necessariò obseruandum est.

9 Tertia generalis Regula est, quando Religiosus Peregrinus ad loca deuertit extra suæ Religionis Monasteria, & tunc seclusis particularibus voluntatibus, seu instructionibus Prælatorum, (quæ non cadunt sub scientiam, & non nisi quo ad hoc solùm obseruandæ sunt, quando euidenter non fuerint iniustæ:) cuicunque maluerit sacerdoti Regulari, sæculariuè, iuxta temporis, locique opportunitatem, potest confiteri; eò quòd non debet priuari confessionis subsidio. Ita communiter Doctores omnes.

10 Multa autem hìc quæri solent. Primum; quẽ sacerdotem tunc debeat Religiosus eligere, an habentem aliàs iurisdictionem? Respondeo, nõ esse necessarium, vt eligendus sacerdos alias iurisdictionem habeat. Ratio est, quia non habet Religiosum absoluere vti per iurisdictionem Episcopi Parochus, sed per iurisdictionem, quam à Prælato recipit Regulari, media facultate ipsũ

11 eligendi. Vndè in hoc notandum est discrimen inter Peregrinũ sæcularem, & Religiosum; quia sæcularis absoluitur in aliena Diœcesi more incolarum illius loci, in quo versatur, prout notat, probatque *Pater Suarez tom 4. ad 3. p. disp. 30. sect. 2. cum Diuo Antonino 3. p. tit. 17. cap. 4. Caietano in summa verbo, absolutio, Aegidio, Conichio, disput. 8. de Ministro sacramenti pœnitentiæ dub. 8. à num. 61.*

12 *& alijs.* Religiosus autem, etiam Peregrinus, Religiosorum iure semper absoluitur, atque adeò per iurisdictionem à suis manãtem Prælatis; quia Religiosus licèt Peregrinetur, nunquam extra suam diœcesim vagari censetur; eò quòd Religio certis non clauditur localis alicuius diœcesis Terminis. Vndè Religiosus semper actualem retinet ad suum Prælatum subiectionem perfectam, vt per illius iurisdictionem in vtroque foro gubernetur, quantum fieri potest. Et certè hæc *Patris Suarez*. Ratio in hac re est multùm notabilis.

13 Secundum; an eligere debeat ab Episcopo probatum? Respondeo, non esse necessarium, Religiosum Peregrinum eligere Presbyterum ab Episcopo approbatum, nisi à Prælato suo in facultate sibi præstita id specialiter fuerit præpositum.

Ducor, quia illa approbatio nec ex natura rei, nec ex iure antiquo, est necessaria sed solùm ex nouo iure Concilij Tridentini. Concilium autẽ Tridentinum solùm illam requirit approbationem, quo ad sæcularium audiendas cõfessiones,

14 vt paulò superiùs tetigimus. Altera verò pars responsionis ex eo patet, quoniam Prælatus cõcedere potest facultatẽ cum limitatione ad certum personarum genus; Igitur potest etiam limitare illa conditione adiecta. Verum nisi illam apertè exprimat, non est præsumenda; quia non est credibile voluisse Prælatum imponere onus, quod non potuit Concilium: si enim voluisset, expres-

3 Ex quibus verbis colligunt Authores isti, quod nouo commisso peccato, posteà ad nil aliud teneatur qui non se præsentat. Verum hæc resolutio alijs non placet: quoniam præsentatio est veluti debitum contractum, quod quotiescunq; non soluitur, semper remanet obligatio soluendi illud. Item est etiam veluti obligatio, quam quis ex obedientia habet voto Paupertatis, & Castitatis, in quibus si casus aduenerit, quòd quis trasgrediatur aliquod votum, mortaliter peccabit: & licèt postea de peccato illo confiteatur, & de transgressione facta mortaliter, remanet tamen, semper obligatio adhuc seruandi votum promissum; ex eò quod est debitũ contractum.

4 Neque *Nauarrus* oppositum sentit, vt primi Authores censent; Nam *tom. 1. Conciliorum Concilio de voto & voti redi. concil. 34. id sanè disertis verbis docet, vbi sic concludit:* Absolutio fractionis

5 voti differt ab absolutione voti, ita quòd votum perpetuum semper obligat, licèt vouens à fractionis peccato voti absoluatur, vt ait *Diu. Antoninus*. Vndè quando quis non adimplet promissionem factam de se præsentãdo, frangit quidem debitum illud, non tamen exoneratur à debito semel contracto. Hæc *Nauarrus*.

6 Idem non obscurè sentit *Sotus in 4. dist. 18. qu. 2. art. 5. his verbis:* Tunc inferior absoluit quidem directè à peccatis non reseruatis, consecutiuè tamen à reseruatis: dummodo pænitens firmum habeat propositum recurrendi ad superiorem, nam dum est in mora recurrendi, puta habita opportunitate, absolutionem non procurans; semper manet in culpa. Hactenus ille. Ex quibus verbis illa veniunt vltima notanda; (semper manet in culpa) nam non tollitur obligatio, quo vsque se non præsentat, licèt frangat pluries talem obligationem.

7 Alio quidem medio *Pater Politius Siculus noster super Regulam cap. 7. nu. 31.* id probare contendit, ex eò quòd hæc præsentatio oritur ex vi sacramentalis confessionis, & est quædam eius pars, quatenùs ad satisfactionem pertinet solutio nimirum debiti, quo se pœnitens ligauit, vt à reseruatis absolueretur. Qamobrem inquit *num. 33.* illud non soluens, nouum committit peccatum: sicut qui confitendo aliquorum oblitus est peccatorum, ea cùm memoriæ occurerint, licèt fuerit absolutus, semper confiteri tenebitur, & nouo ligabitur peccato si ea confiteri noluerit, eoque erit adstrictus, donec confiteatur oblita. Vndè Author iste infert, toties pænitentem peccare mortalite;, quoties habita opportunitate, superiori denuò non cõfitetur reseruata, quæ cùm hac ligatura à pænitente acceptata fuere ab inferiori absoluta.

8 Hæc sententia mihi quammaximè probatur: tum quia superior ad id obligare potest subditũ, eò quòd ex vi sui proprij muneris facultatem illam sub onere comparendi, seu iterùm sibi confitendi, præstare valet; vt docuere communiter DD. *Henricus, quodlib. 1. q. 32. & quodlib. 10. q. 1. Maior in 4. dist. 17. q. 6. Adrianus in S. M. de confess. q. 5. §.* & ideò pro solutione *Angelus verbo, confessio n. 9. consentit Caietanus in summa verbo, Absolutio cap. 1. Medina Cod. de pænitentia q. de confess. fratribus priuilegiatis facta.* Idem tenent *Paludanus in 4. distinct. 17. q. 5. art. 1. num. 6. Nauarrus in summa cap. 9. num. 1. cap. 26. nu. 12. & in cap. fratres de pænitentia dist. 5. nu. 30. & in cap. placuit de pænitentia dist. 6. n. 102. Ledesma 2. p. 4. q. 8. art. 2. dub. 19. Suarez tom. 4. ad 3. p. disp. 3. sect. 5. a n. 8. & seqq. Conich. disp. 8. de Ministro sacram. pænitentiæ dub. 15. n. 113. & 114. Reginaldus lib. 8. de sacramentali confess. cap. 4. sect. 1. n. 5. vers. quartum est, Vazquez tom. 4. ad 3. p. q. 91. art. 1.* tum quia subditus acceptauit, atque promisit, & ratione illius sub mortali tenetur se præsentare suo superiori, vt secundò suum peccatum, vel in confessione, vel extra eam, superiori exponat. Ita *Adrianus q. 5. de confessione eodem §. Angelus, Medina, Paludanus locis citatis, Henriquez lib. 6. de sacramentis cap. 15. nu. 2. Suarez, & Conichius vbi suprà.*

9 Alia nobis se offert examinanda difficultas de confessarijs, qui pænitenti promiserunt pro eo se præsentare in casu, quo ipsemet pœnitens fuerat aliquo reseruato crimine ligatus. Est enim praxis in nonnullis Religionibus præsertim in nostris Reformatis Prouincijs in Regno Siciliæ existentibus, quod confessarij aliquando à reseruatis absoluunt pœnitentes, cum onere se præsentandi pro eis superiori. Quæritur modo, an tales confessarij sub mortali teneantur, capta temporis opportunitate superiorum adire, seu se præsentare pro subditis pœnitentibus. Ad quam difficultatem respondeo, quod huiusmodi confessores, qui rationabili causa ducti suscipiunt super se obligationem & onus se præsentãdi, sub mortali tenentur quam primùm, & secundùm se illis offert copia superioris, se ipsos præsentare corã eo, veluti tenebatur subditus, cui à reseruatis absolutionis beneficium præbuerunt: nisi aliud ex-

10 pediri pœnitenti iudicauerit. Nam dari potest casus, si tunc confessarius se præsentet, quòd superior in pœnitentis cognitionem veniat, & proptereà melius sit, vt in opportuniorem occasionem differatur præsentatio. Ordinariè nihilominus loquendo, tenetur talis cõfessarius se statim præsentare, si commodè præsentiam habere potest superioris: eò quod idem habet onus, quod pœnitens, dum super se illud suscepit.

DISPVTATIO QVARTA.

De confessarij facultate delegata pro à reseruatis absoluendo.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum facultas delegata confessarijs deputatis pro à reseruatis absoluendo statim spiret, mortuo Prælato concedente.

CAPVT PRIMVM.

Nonnulla præmittuntur notabilia ad quæstionis resolutionem necessaria.

SVMMARIVM.

1 *Facultas delegata ad forum contentiosum spectans statim spirat ac concedens fuerit mortuus: vel officio defunctus.*
2 *Facultas gratiosè delegata duplex.*
3 *Facultas gratiosa, quando gratiam continet faciendam, quando expiret morte concedentis.*
4 *Facultas tripliciter delegari potest.*
5 *Facultas audiendi confessiones vsque ad nostrum beneplacitum, vel quandiù nobis placuerit, statim morte concedentis spirat.*
6 *Facultas concessa ad beneplacitum concedentis non expirat, si concedens excommunicatur.*
7 *Licentiæ à superioribus quibuscunque Religiosos absque limitatione concessa sunt perpetua.*

1 ALiqua pro eorum, quæ hac in re veniunt resoluenda sunt necessariò præmittenda. Et primò notandum est, hanc quæstionem de quauis facultate alicui quomodolibet Delegata controuerti, prout latissimè ac doctissimè disputat *Sanchez lib. 8. de matr. disp. 28.* nos autem hîc breuiter pro instituto explicabimus, & vt certa ab incertis separemus; Notandum est, secundò, duplicem alicui solere facultatē delegari: prima, quæ sit iustitiæ, ad forumque spectet contentiosum; & hanc constans est statim expirare ac is, qui eā concessit, moritur, officioue defungitur, si res adhuc integra sit, siue si delegatus non dum vti ceperit iurisdictione: secùs si ea vti iam cæperit. Ita expresè habetur in *cap. Relatum 19. & cap. gratum 20. & cap. licèt 30. de off. & potestate Iudic. Delegati.* Huius rei causa est, quia (vt dicitur in cap. quamuis eodem titulo in 6.) Iurisdictio delegata efficaciter in delegatum non trāsit, antequàm ea ipse vtatur. Quod nō ita intelligendū est, quasi hoc sit ex natura rei, & in omni delegatione iurisdictionis necessarium; (nam sic idē deberet fieri in omni iurisdictione gratiosa) sed quod ius hoc particulatim in hac iurisdictione statuat.

2 Secunda verò facultas est gratiosa, quæ iterùm bifariam esse potest. Prima gratiam continet factam, quando nimirum alicui aliqua in ipsius fauorem præstatur potestas: vt quando in vniuersum alicui potestas dispensandi in certis votis, aut matrimonij impedimentis, cōceditur: hæc enim, cùm certas nō respiciat personas, cum quibus dispensatur, & sit aliquid fauorabile, & honorificum ei, cui indulgetur; censetur huic per eam elargitionem gratia fieri.

3 Altera gratiam continet faciendam; quæ scilicet alicui in gratiam alicuius tertij conceditur; vt si Petro detur potestas dispensandi cū Paulo in votis, aut impedimentis matrimonij: Tunc enim Paulo, non autem Petro fauor aliquis censetur fieri: & hæc, si res sit integra, spirat morte concedentis: secùs autem de prima, vt expresè statuitur in *cap. si cui de præbendis in 6.*

4 Tertiò notandum est, tripliciter posse alicui aliquam delegari facultatem. Primò, ad certum aliquod tempus, v. g. ad tres menses, & tūc hoc elapso, spirat, vt per se patet. Secundò ad tempus aliquod indeterminatum, vt si Pōtifex alicui cōcedat audiendi omnium fidelium confessiones facultatem, donec eam reuocauerit, aut ad beneplacitum sedis Apostolicæ: & tunc non spirat morte concedentis, sed opus est, vt ab eo, successoreuè reuocetur. Ratio est, quia dignitas est perpetua, & eadem reputatur in successore: ac proinde idem erit de gratia ad illius beneplacitū cōcessa. Ita expresè habetur, hac reddita ratione, *in cap. si gratiosè de rescriptis in 6. Sanch. vbi suprà num. 49. Conichius disp. 8 de pænitentia dub. 10. nu.*

5 *70.* Secùs est, si eam concedat ad suum beneplacitum, vel quando placuerit; quia voluntas personæ morte perit; ac subinde gratia concessa peribit, dum ea voluntas non durabit. Idemque esset, si concedens à munere amoueretur: secùs autem, si solùm excōmunicaretur; vt fusè docent *Sanchez loco citato, & Conichius ibidem.*

6 Tertiò hæc facultas conceditur absolutè, & sine vlla limitatione: & tunc si gratia sit facta, & concedatur à Pontifice, perspicuum est, eam non spirare morte concedentis. Hoc enim habetur expresè in *cap. si super gratia de officio delegati in 6. & cap. si cui de præbendis in* 6. Idem dicendum est de legato, seu Nuntio cum facultate, & potestate de latere. Ita *Francus in cap. si gratiosè num. 13. de rescriptis in 6. Pater Sanchez vbi suprà numer. 85.*

7 Sed quæres; an licentiæ à superioribus absque limitatione concessæ Religionis quibuscunque; id est non ad certum & limitatum temporaneū vsum perdurent, defuncto concedente? Respondeo, esse perpetuas, donec ab eodem concedente, aut eius successore, aut superiore reuocentur ac proinde non expirant morte cōcedentis; quia sunt gratiæ factæ. Sic *Abbas in cap. final. de officio legati num. 9. Cardinalis in Clementin. final. num. 9. quæst. 5. de election.* & ibi *Guillel. de monte Laudnna num. 2. Imol. num. 2. Angel. verbo, indulgentia numer. 7.* & ibi *Syluester quæsito 5. dicto 7. num. 16. Nauarrus §. in leuiticùm notabili 31 num. 27. Corduba in quæstionario lib. 5. quæst. 36. paulò post principium, Graffius 1. p. decisionum lib. 4. cap. 2. nu. 28.* limitant tamen hanc doctrinam *Abbas, Angelus, Syluester, & Corduba,* nisi licentiæ illæ alteri præiudicent. Verùm quid sit de hac limitatione sētiendum, infrà dicemus; Hæc enim certa sunt. Quod enim vertitur in dubium, est, quando hæc facultas Ita à Prælatis delegatur inferioribus: de qua re sunt variæ opiniones.

CAPVT II.

Ponitur opinio affirmatiua cum suis fundamentis.

SVMMARIVM.

1 *Licentiā confessarijs concessam ad Religiosos de peccatis absoluendas reseruatis, morte expirare conce-*

concedentis, quamplures Doctores docent.

2 *Iurisdictio contentiosa cur morte delegantis re integra perit?*

3 *Vicarij Generalis iurisdictio morte Episcopi expirat; & cur.*

4 *Licentia data ab vno Prælato successori præiudicat.*

5 *Gratiam factam morte concedentis non expirare, disponunt Iura in cap. si super gratia de officio delegati in 6. & in cap. si cui nulla de præbendis in 6.*

6 *Summus Romanus Pontifex, ex vi suæ summæ potestatis, disponit, quomodo, & quando delegata iurisdictio cesset.*

7 *Facultas absoluendi à reseruatis continet gratiam faciendam.*

8 *Iurisdictio delegata ad absoluendum à reseruatis & alterius rationis à iurisdictione delegata ad Christi Domini omnium fidelium audiendas confessiones, iuxta Ioannis à Trinitate sententiam.*

9 *Prædicta sententia improbatur.*

1 Prima igitur opinio est, licentiam cõcessam confessarijs ad Religiosos de peccatis absoluendos reseruatis expirare morte concedentis, aut eius amotione. Ita sentire videntur *Paludanus in 4. dist. 17. q. 4. art. 3. conclus. 7. Diuus Antonius 3. p. tit. 17. cap. 9. in fine, Nauarrus in summa Hispanica cap. 27. num. 264. Filiarcus de officio sacerdotis tom. 1. parte 2. lib. 2. cap. 24. ad finem, Angelus verbo, Indulgentia vers. 7. Syluester eodem verbo n.* 18. quatenùs docent, licentiam delegatam audiendi confessiones expirare morte aut amotione Episcopi concedentis. Probari potest hęc sententia nonnullis rationibus: primò, quia facultas absoluendi Religiosos à reseruatis est potestas delegata ad iurisdictionem exercendam: at hæc expirat morte concedentis, quando res integra est, igitur facultas absoluendi à reseruatis expirat morte Prælati concedentis, aut eius amotione. Maior, & consequentia sunt notæ: minor probatur ex cap. Gratum, & cap. Relatum, & cap. licèt vndique de officio Delegati, & *leg. quia ff. de iurisdict. omn. iudic.* & ratio est, quia per delegationis actum, vt in proximo capite dictum est, non transfertur efficaciter in delegatum iurisdictio, donec ea vti cœperit, vt expresè habetur *in cap. quamuis de officio Delegati in 6.* ibi; *cùm iurisdictio, ex quo ipse vsus non extitit, non censeatur in eum efficaciter transiuisse.* Verum cum iurisdictio delegata ad absoluendum à reseruatis in re integra sit quo ad omnes personas, quarum confessiones non cœptæ sunt audiri, & cum effectu extet penes delegantem, & per ipsius mortem extinguatur ipsi eius iurisdictio, sua extinguetur quoque alijs delegata eamet iurisdictio; quia extincto iure Authoris, extinguitur quoq; ius successoris; argumento ex lege lex Vectigalis ff. de pignoribus. Igitur quando confessarius exercere non incepit suam delegatam iurisdictionem, semper exercitium manet penes delegantem; ergo eo mortuo, expirat talis iurisdictio, igitur morte Prælati concedentis, aut eius amotione, res integra cùm sit quo ad omnes personas, quarum confessiones non sunt cœptæ audiri, videtur, quòd iurisdictio Prælati concedentis, ex eius morte cum expirauerit, expirauerit quoque respectu confessarij, cui fuerat ad reseruata soluenda delegata.

2 Quòd si dicas, id intelligi quando est contentiosa; secùs quando est in solo conscientiæ foro. fortissimè obstat, quia ideò iurisdictio contentiosa perit morte delegantis re integra, quia delegatus iure proprio minimè habet, ac in se ipsa radicatam iurisdictionem ante eius vsum, sed ea est in delegante atque censetur vna & eadem cum Delegati potestate. Cùm igitur per Delegantis mortẽ cesset eius potestas, cessabit quoq; in Delegato, qui non dum ea vti cœperat. Quæ ratio militat in iurisdictionali potestate fori conscientiæ, & confirmatur, quia quamuis Vicarij Generalis iurisdictio sit ordinaria, nihilominus morte

3 Episcopi expirat, eò quòd sit ab ipso participata; ergo à fortiori expirabit licentia delegata ad absoluendum à reseruatis morte Prælati concedẽtis. Patet sequela; quia confessarij huiusmodi, qui communicatam habent ad absoluendum à reseruatis potestatem sunt quasi quidam speciales Vicarij Prælati, veluti confessarij sunt quidam speciales Episcopi Vicarij.

4 Secundò probatur, quia duratio huiusmodi licentiæ præiudicat Prælato successori; igitur.

5 Tertiò, quia capitulum, si super gratia de *off. delegati in 6. & cap. si cui nulla de præbendis in* 6. ex quibus probatur gratiam factam nõ perire morte concedentis, agunt de gratijs à Summo Romano Pontifice concessis, in quibus id speciale videtur, quòd ob summam potestatem, qua gaudet, possit faciliùs perpetua cõcedere priuilegia.

6 Et confirmatur, quia cùm in Sum. Rom. Pontifice suprema resideat potestas communicandæ huius iurisdictionis, tam ordinariæ, quam delegatæ, præscribere potest vt plùs, minusuè duret delegata potestas, eò vel maximè, quòd posset derogare iuri statuenti potestatem delegatam morte concedentis, re integra, perire. At cùm Regularium superior non sit Supremus Pastor, nequit eum modum hac in delegatione statuere, nec iuri derogare, nec oues suas alteri committere, nisi pro tempore, quo ipse fuerit pastor.

7 Tandem, quia hæc facultas videtur gratia faciẽda, cum absoluere à reseruatis non committat Prælatus in ipsius confessarij fauorẽ, sed vt ouiũ saluti consulat, prout ex munere tenetur; Igitur expirabit morte concedẽtis, re integra, quia gratia facienda expirat morte concedentis; pro vt colligitur ex dicto Capitulo, si cui nulla de præbendis in 6. *& latè probat Sanchez lib. 8. de matr. disp. 28. n. 64.* versiculo posterior regula est.

8 Huic sententiæ se subscribit *Pater noster Ioannes à Trinitate de casibus in nostro minorico ordine reseruatis dub. 9. num. 3.* quatenùs putat, iurisdictionem delegatam ad absoluendum à reseruatis esse alterius rationis, quàm sit iurisdictio delegata ad Christi Domini omnium fidelium

M 2 audien-

audiendas confessiones. Verùm hallucinatur doctus iste vir, tum quia Doctores omnes, qui hanc examinant difficultatem, (pro vt notat *Conichius disp.8. de Ministro sacramenti pœnitentiæ dub.10.nu. 68.*) de quauis facultate alicui quomodolibet delegata controuertunt; tum quia id gratis asserit; nam si diuersa est ratio, vt ipse inquit, certè tenebatur assignare disparitatem, seu inter vtramque discrimen, quod certè nunquam posset.

CAPVT TERTIVM.

In vniuersum stabilitur vera sententia, argumentisque pro priori sententia satisfit.

SVMMARIVM.

1 *Licentia absoluendi à reseruatis, à quocunque sit præstita Prælato, non expirat morte concedentis, iuxta Authoris opinionem.*

2 *Iura omnia determinantia Iurisdictionis delegatæ potestatem morte perire delegantis, & re integra; intelligenda sunt de potestate contentiosa.*

3 *Licentia audiendi confessiones, atque absoluendi à reseruatis, inter gratias factas computatur, & quare.*

4 *Mortuo Episcopo omnes confessarij ab eo approbati audiunt confessiones.*

5 *Gratia facta morte concedentis quare non expirat.*

6 *Episcopus, ac Vicarius Generalis vnum ac idem constituunt Tribunal.*

7 *Prælatus concedens quomodocumque audiendi confessiones licentiam cur successori non præiudicat.*

8 *Gratia facta à Summo Romano Pontifice non ex eo capite, quia sunt Sum. Pontificis non spirant, sed ex eo, quòd sunt factæ.*

9 *Licentia concessa fratribus mendicantibus, audiendi Christi fidelium confessiones, non potest ab eodem Episcopo reuocari.*

10 *Licentia concessa alicui Presbytero audiendi confessiones à Parocho ad id concedendum habente auctoritatem, eius morte non expirat.*

1 HAnc allatam in proximo capite sententiã, quamquam grauissimi Doctores præsertim *Sanchez loco citato nu. 72.* probabilem existiment, probabiliùs nihilominus, & veriùs puto, licentiam absoluendi à reseruatis non expirare morte concedentis, siue illa concessa sit à Generali Prælato, siue à quouis alio ordinario potẽte concedere. Ita sentire videntur omnes, qui sustinent, licentiam delegatam audiendi confessiones non expirare morte Episcopi concedentis, aut eius amotione. Hi sunt *Suarez ad tertiam partem tom.4. disp.26. sect. 3.n. 6. Henriquez lib. 7. de sacramentis cap.21.nu.6. Conichius disp.8. de sacr. pœnit. dub. 10. num.72. Sanchez eodem lib.8. disput. 28.n.72. & sequentibus Nauarrus in cap. placuit de pœnit. dist.6.n.162. Victoria de confess. q. 139. Reginaldus lib.1. cap 8.num.95. Sotus in 4. dist. 18. quæst. 4. art.3. concl.* 10. & alij communiter, præsertim *Graffius 1. p. decision. lib.1.c.13.n.49.* vbi expressè loquitur de licentia alicui concessa, vt à reseruatis absoluat. Idem tenet *Emmanuel sà in summa verbo, Gratia num.8.* consentit idemmet *Sanchez eodem num. in fine*. Probatur hæc sententia quia

2 omnia iura decidentia, iurisdictionis delegatæ potestatem morte perire Delegantis, & re integra; agunt de contentiosa potestate, qualis non est hæc. Illa enim inter gratias non computatur, sed inter iustitiæ litteras; hæc autem inter gratias: quare eius duratio non est metienda iuxta litterarum iustitiæ naturam, sed secundùm gratiarũ naturam, quæ si gratiæ factæ sunt, non expirant

3 per obitum concedentis. Et confirmatur, quia & si licentia audiendi confessiones atque absoluendi à reseruatis in pœnitentium sit fauorem, computãtur meritò inter gratias factas; eò quòd cùm minimè respectu personæ determinatæ cõcedatur in peculiarem illius fauorem ad ipsius met petitionem, potiùs reputatur gratia facta ipsimet sacerdoti; vt potè quæ in eius maximum redundat fauorem: & statim ac ipsi conceditur, est perfectè concessa, à nullisque executione dependens, quæ gratiæ factæ diffinitio est: atqui gratia facta non expirat morte concedentis, etiã si res integra sit; vt in primo capite docuimus; vbi diximus, potestatem dispensandi cum incertis personis non extingui morte concedentis, re integra, quod communis ferè omnium sententia admittit.

4 Tandem probatur, quia simili de confessione ipsa praxis testatur, quippe mortuo Episcopo, solent confessarij quicunq, expositi ab ipso confessiones audire, donec licentia à Capitulo, aut ab Episcopo successore reuocetur; Igitur licentia absoluendi à reseruatis non expirat mortuo Prælato, qui illam præstitit: eadem enim est ratio.

5 Superest vt primæ opinionis rationibus satisfaciamus. Ad primùm respondeo cum *Sanchez*, argumentum procedere in iurisdictione delegata contentiosa. Ad replicam respondetur, non esse eandem rationem omnino adequatam, sed supposita decisione iuris disponentis, iurisdictionem delegatam contentiosam expirare morte concedentis, re integra: tradunt DD. eam congruentiæ rationem; quare applicari non debet ijs rebus, in quibus est contraria iurisdispositio, vt contingit in gratijs iam factis, inter quas non solùm computatur licentia audiendi confessiones, verùm etiam licentia absoluendi à reseruatis. Vel aliter potest dici, in his gratijs, cùm à concessionis tempore sint iam omninò factæ, transferri ex tunc efficaciter potestatem in Delegatum.

6 Ad confirmationem verò dico, Episcopum, & Vicarium vnum ac idem constituere Tribunal, & ita, re etiam non integra, perire Vicarij potestatem, Episcopo mortuo; quod nullus de confessore delegato assereret, non solùm quo ad confessiones anteà cœptas, verùm in ordine ad reseruata.

7 Ad secundum respondetur, id nõ obstare; quia Prælatus successor sibi prospicere potest, tales licen-

licentias reuocando à prædecessore concessas. Ad Tertium respōdetur, ex ratione similitudinis eos trahi textus ad gratias quoque ab alijs cōcessas inferioribus, quod gratia exēpli, solius quod regulā nō arctat dicatur in eis de gratijs ab Apostolica concessis sede. Hæc ij textus innituntur supremæ Pontificis potestati: sed eo, quod iam gratiæ illæ factæ sint. Ad confirmationē respondeo, id iure concessum esse Episcopis, & consequenter Prælatis Episcopalem habentibus iurisdictionem, eo ipso, quod ius statuit, gratias factas morte non perire cancedentis: & hæc licentia computatur inter gratias factas.

Ad vltimum constat ex dictis, quid sit respondendum: cùm enim non sit ea licentia in alicuius priuati pænitentis fauorem concessa, reputatur inter gratias factas.

9 Ex his nonnulla scitu digna inferuntur primū, licentiam ab Episcopo fratribus mendicantibus audiendi confessionem concessam non posse ab eodem reuocari. Ita *Cardinalis in Clementina, dudum de sepulturis, verbo, ac deinde nu. 2. notabili 5. & ibi Bonifac. v. & si n. 6. & colligitur ex Glossa ibi, verbo concesserit, Nauarrus in dicto cap. placuit num. 163. de pænit. dist. 6. & Apologia ad librum de redditibus q. 3. monitu 8. num. 1.* idque extendunt ad quemcunque confessarium sæcularem, *Henriq. lib. 6. de pænit. cap. 6. num. 7. & lib. 7. de indulgentijs capit. 21. n. 6. Humada lege 21. tit. 4. p. 1. Glossa 1. numer. 2. Sayr. in sua Claui Regia tom. 1. lib. 1. cap. 14. num. 7.*

10 Secundum, licentiam concessam à Parocho alicui Presbytero audiendi confessiones, quando ad id concedendum habet potestatem, non expirare morte Parochi concedentis; quia est gratia facta, ac proinde eius sequitur naturam. Ita *Sanchez loco, quo suprà:* quamquam *Suarez tom. 4. ad 3. p. de pænitentia disp. 26. sect. 3. n. 5. & statim n. 9.* non audeat ita affirmare.

CAPVT QVARTVM.

Author statuit, quid hac in re in nostro Minorico ordine Regularis obseruantiæ sit tenendum.

SVMMARIVM.

1 *Licentia à Ministro Prouinciali concessa confessarijs deputatis ad absoluendum à peccatis reseruatis statim eius morte expirat.*

2 *Peccata, quæ ex proprio munere sibi reseruant Ministri Prouinciales, non sunt ex lege reseruata, sed reseruabilia.*

3 *Licentia concessa à Prouincialibus Ministris cōfessarijs peccatis in toto ordine reseruatis absoluendi nō expirat eorum morte, aut amotione, iuxta nostras Generales constitutiones familiæ Cismontanæ.*

4 *Licentia concessa à Ministris Prouincialibus absoluendi à peccatis in toto ordine reseruatis dicitur gratia facta beneficio legis.*

5 *Licētia absoluendi à reseruatis in toto ordine, etiam à Ministris Prouincialibus, nunquam intelligitur reuocata, nisi ad notitiam illam habentis eius reuocatio peruenerit.*

6 *Facultas concessa à Ministris Prouincialibus familiæ vltramontanæ absoluendi à peccatis in toto ordine reseruatis, expirat morte concedentis. sed non statim.*

7 *Declaratur dilucidè Constitutio Generalis Toletana cap. 6. §. de casib. reseruatis.*

8 *Licentia concessa à nostris Reuerendissimis Patribus Generalibus alicui graui Religioso ad absoluendum Religiosos a peccatis in toto ordine reseruatis non expirat statim ac Generalatus officium expirat.*

9 *Licentias à superioribus absolutè concessas, esse perpetuas, qui doceant.*

10 *An licentia concessa sacerdoti ad effectum aliquem Religiosum peculiarem ab in totu ordine reseruatis absoluendi expiret morte concedentis?*

R. P. Iuniperi à Drepano de Casib. reser.

QVæ in præcedenti capitulo quamquam in vniuersum vera sint, & optime applicari possint omnibus omnium ordinum confessarijs licentiam habentibus à reseruatis absoluendi; in nostro tamen Seraphico ordine, propter varia nostrarum generalium Constitutionum decreta circa id edita, specialem hoc negotium exposcit determinationem.

1 Dico igitur primò, licentiam concessam à Ministro Prouinciali confessarijs deputatis ad absoluendum à peccatis reseruatis statim expirare eius morte, etiam si peccata ei fuerant de consensu Capituli Prouincialis reseruata. Ducor in primis, quia per obitum concedentis cessat omnis reseruatio; nam peccata, quæ sibi ex proprio munere reseruauit, non sunt eius morte intercedente, aut eius amotione, ex propria natura reseruata; etiam si consensu capituli reseruentur Prouinciali, sed tantùm reseruabilia; igitur mortua persona, cui ex propria iurisdictione reseruabantur, extinguitur iurisdictio, virtute cuius illa fuerat reseruata; Igitur extinguitur ac cessat reseruatio.

2 Secundò, quia peccata illa, quæ ex proprio munere sibi possunt reseruare Ministri Prouinciales, non sunt ex lege reseruata, sed tantùm reseruabilia, vt constat ex decreto Clementis Octaui: atqui ea crimina, quæ in lege Pontificia sunt tantummodò reseruabilia, si iuxta Decretum reseruentur, morte intercedente reseruantis, in priorem transeunt naturam, ac subinde tantùm remanent reseruabilia; Igitur cùm per obitum reseruātis reseruatio cessare censeatur, expirabit confessarijs absoluendi à reseruatis concessa licentia, ex morte concedentis.

3 Dico secundo, licentiam concessam à Prouincialibus Ministris confessarijs à peccatis in toto ordine reseruatis absoluendi non expirare eorum morte, amotioneuè. Hæc assertio est certa pro nostra Cismōtana familia, quia ita statuitur in nostris Vallisoletanis generalibus Constitutionibus *§. de casibus reseruatis folio mihi* 105. ibi: *Commissa verò facultas a prædictis casibus absol-*

absoluendi tandiù duret, quo ad reuocata fuerit, aut per eum, qui eam concesserat, aut per successorem, si concedentem mori, aut suspendi vel decedere contigerit. Ex quibus verbis manifestè apparet licentiam absoluendi à reseruatis non expirare morte concedentis, si per successorem non fuerit reuocata.

4 Ratio esse potest, non solùm, quia huiusmodi licentia dicitur gratia facta, quæ quatenùs sic, nũquam morte concedentis expirat, verùm etiam, quia huiusmodi licentia videtur concessa beneficio legis, vt suprà latè probauimus ex earundem generalium Constitutionum Decretis: atqui licentia concessa per viam legis, & constitutionis non expirat morte concedentis, re etiam integra; igitur licentia concessa à ministris Prouincialibus pro in toto ordine in nostris generalibus constitutionibus reseruatis eorum obitu non expirat. Consequentia est nota per se. Minor probatur; quia lex suapte natura est perpetua, *lege, cum eorum, Cod. de sent. & interlocut. leg. Adrian. Cod. de Haret.* & ita tanquam certum docet *Antonius in capit. irrefragabili §. Caterum numer. 15. de officio ordinarij, & ibi Abbas Panormit. n. 1. Decius in cap. Relatum noua edit. num. 28. de off. Delegati Felin. in cap. licet vndique num. 1. eodem tit. Rosell. verbo, delegare num. 10. Syluester verbo Delegatus quæsit. 7. num. 7. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 28. n. 2.*

5 Verùm, quia Constitutio generalis illa statuit, quòd talis licentia, nisi reuocata fuerit, etiã morte intercedente concedentis, nonnunquam expirat, notari oportet, quòd talis facultas, seu auctoritas nunquam intelligitur reuocata, nisi ad notitiam illam habentis talis perueniat reuocatio; vt eleganter *Vasquez docuit 1. secunda disput. 156. cap. 4. num. 28. Nauarrus in tractatu de indulgentijs notabil. 31. num. 28. Cordub. tract. de indulg. q. 36. concl. 3. Geminianus in cap. 1. de concess. præbendar. in 6. Domin. ibid.* Vndè validè absoluere à reseruatis confessarium pœnitentem Religiosum à reseruatis virtute illius facultatis, quam priùs habebat, etiã si fuerit reuocata, dummodò ipsi de tali reuocatione legitimè non constiterit, asserunt ferè recentiores omnes, vt idem met *Vasquez testatur vbi suprà n. 25.*

6 Dico Tertiò, facultatem concessam à Ministris Prouincialibus vltramontanæ familiæ confessarijs ad absoluendum à peccatis in toto ordine reseruatis, expirare morte concedentis, sed non statim. Hæc assertio certa est ex constitutionibus Toletanis *cap. 6. § de casibus reseruatis*, vbi sic decernitur; *quod si Prælatus ordinis alicui subdito vices suas, seu auctoritatem quo ad casus reseruatos commiserit, si contingat prædictum Prælatum mori, seu alia de causa eius officium finiri, talis commissio penes illum, cui facta est remaneat, donec alius similis Prælatus habeatur*. Ex quibus verbis colligitur, quòd absoluendi à reseruatis commissio iuxta prædictum decretum, tandiù durat, quandiù alius Prælatus similis Deleganti, & concedenti eligatur, ac per consequens non statim morte concedentis expirat.

7 Sed pro intelligentia istius constitutionis, aduertendum est, debere intelligi Prælatum omnino similem in iurisdictione, dignitate, & præheminentijs: vt, si Delegans fuit Reuerendissimus noster Minister Generalis, durat eius commissio, & delegatio, donec eligatur alius Minister Generalis: & si delegans fuit Minister Prouincialis, durat eius commissio, donec alius Minister eligatur Prouincialis. Vndè si per mortem Ministri Generalis Vicarius eligatur Generalis vel per mortem, aut dispositionem Ministri Prouincialis Vicarius, aut commissarius Prouinciæ eligatur, non expirat auctoritas ab ipsis concessa, & commissa per Vicarij Generalis, aut Prouincialis electionem, sed durat vsque ad electionem noui Ministri Generalis, vel Ministri Prouincialis; quoniam Vicarius Generalis, & Vicarius, aut Cõmissarius Prouinciæ non censentur, quantum ad hoc, Prælati similes Ministro Generali, seu Ministro Prouinciali: quamuis omnimodam habeant potestatem, tam quo ad forum exterius, quàm quo ad forum interius: prout in prædictis Statutis Toletanis *cap. 7. de elect. statuitur*. Vndè si Vicarius Generalis, aut Vicarius Prouincialis non reuocat facultates à Ministro Generali, aut Ministro Prouinciali concessas, intelliguntur durare, & permanere vsque ad electionem alterius Ministri Generalis, aut Ministri Prouincialis. Ita *P. Portel in suo Libello de exposit. casuu. reseru. in decret. Clem. VIII. content. prælud. 5.* Adnotatio valdè placet *Ioanni à Trinitate illo dub. 8. num. 83. in fine*. Ex qua expositione ipsemet conuincitur; etenim ex illa generali Constitutione Toletana in hunc modum declarata, auctoritatem & facultatem concessam à Prælatis nostri ordinis pro reseruatis absoluendo non expirare morte concedentis, nisi fuerit expressè reuocata per successores rectissimè concluditur.

8 Atque hinc resoluitur difficultas illa, cuius resolutionem quamplures Religiosi nostri ordinis valdè hac in nostra tempestate desiderauere: Nimirum, an facultas ad absoluendum à reseruatis alicui graui Religioso à nostro Reuerendiss. P. Ministro totius ordinis S. Francisci Generali absolutè concessa expiret statim atq; Generalatus officium expirat, vel duret quoad fuerit per successorem reuocata.

Respondeo, non expirare, sed quoad reuocata fuerit per eius successorem durare; Ratio in primis est, quia hæc est gratia facta, & non facienda, quæ ex eius natura, quamuis res integra sit, non expirat statim ac is, qui eam concessit moritur, aut defungitur officio. Ita habetur expressè in *cap. sicuti de præbend. in 6. & latè probat Sanchez lib. 8. de matrimonio disp. 28. num. 49. & seqq. Conich. de Ministro sacramenti pænit. disp. 8. dub. 10. num. 69. & seqq.* Et post hæc scripta, Reuerendus, ac amicissimus noster *Sanctorus Melfi* super ordinis nostri Constitutiones *cap. 7. stat. S. V.* hinc colligere licet, vbi testatur de communi. Secundo probatur ex nostris constitutionibus generalibus loco paulò superiùs citato, vbi decernitur, facul-

facultatem absoluendi à reseruatis concessam per eum, qui illam delegare potest durare quoad fuerit per successorẽ reuocata. In quibus verbis PP. Capituli Generalis sentire videntur, facultatem absoluendi à reseruatis per Reuerendiss. Patrem concessam Generalem tandiù durare, quoad reuocata non fuerit etiam si mori contingat, vel defungatur Generalatus munere.

9 Hanc nostram resolutionẽ docere video quamplures Doctores præsertim *Panormit. in cap. fin. de offic. legati a n. 9. Card. in Clementin. final. n. 9. qu. 5. de elect. & ibi Guilli. de monte Laudnuo n. 2. Imol. n. 2. Angel. v. indulg. n. 7. & ibi Syluestrum quæsit. 5. dicto 7. n. 16. Nauarr. §. in Leuitic. notab. 31. nu. 27. Cordub. in quæst. lib. 5. quæst. 36.* paulò post principium: quatenùs asserunt, licentias omnes à superioribus quibuscunque, quando non ad certũ & limitatum vsum tẽporaneum, vel ad certum tempus sed absolutè concessæ sunt, esse perpetuas, donec ab eodem concedente, aut eius successore, aut superiore reuocentur, quia sunt gratiæ factæ. Idem sentit *Sanchez lib. 8. de matr. disp. 28. num. 86.*

10 Sed quæres; quando licentia huiusmodi fuerit concessa sacerdoti, ad effectum aliquem peculiarem Religiosum à reseruatis in toto ordine absoluendi, expirat ne morte concedentis? Respondeo, expirare si res integra sit; id est, si confessio non dum anteà cœpta fuerat; Quia cùm illa gratia sit in illius pœnitentis fauorem, & non dum sit perfecta, sed per confessarium exequẽda, non habet gratiæ factæ rationem, sed faciendæ, quam morte concedentis, re integra, expirare docebamus suprà. Ita *Sanchez loco citato, Caietanus cap. ad limina 30. q. 1. §. 5. qu. 106. nu. 302.* idem sentire videntur *Dominic. cap. si cui nulla n. 7. vers. quid si Papa in forma de præbendis in 6. & ibi Francus n. 3. notabil. vlt.* & alij quamplures, quos refert, & sequitur *Sanch. loco citato num. 81.* quatenùs asserunt, facultatem dispensandi cum determinata persona in illius fauorẽ expirare morte concedentis.

QVAESTIO. II.

Vtrum licentia absolutè alicui concessa Religioso à quocunque ordinum Prælato auctoritatem habenti illam præstandi, eligendi confessarium pro reseruatorum absolutione morte expiret concedentis;

CAPVT PRIMVM.

Quid nonnulli Grauissimi Doctores senserint, refertur.

SVMMARIVM.

1 *Licentiam concessam absolutè alicui Religioso ad eligendum confessarium pro reseruatorum absolutione obtinenda expirare morte concedentis, docuere nonnulli.*

2 *Excommunicationis sententia contra omnes furtum admittentes, perit morte proferentis.*

3 *Licentia concessa à sede Episcopali, quare, mortuo Episcopo non expiret.*

1 EXpirare morte concedentis, docent nonnulli; eo ducti fundamẽto; quia Episcopus, in Ecclesiæ Parochialis præiudicium, absq; causæ cognitione, & capituli consensu, nequit concedere licentiam eligendi confessarium; igitur à fortiori nequibit Prælatus Regularis alicui subdito huiusmodi concedere facultatem.

2 Secundò, quia sententia, qua excommunicantur omnes furtum admittentes, perit proferentis morte vt docet *Glos. ab omnibus recepta in cap. nob. 1. de sent. excomunicat.* & inhibitio artis exercendæ expirat inhibentis morte, *leg. final. ff. de pœnis.* Tertiò, quia huiusmodi facultas virtute continet iurisdictionis exercendæ delegationem, quæ obitu delegantis, re integra, cessat. Tandem, quia ea iurisdictio presbytero non datur eligendo, donec actu eligatur; vt de se constat: sæpè enim continget eum sacerdotem non dum natum esse, vel non esse sacerdotem, cùm facultas concessa est; & quando eligitur, nequit iurisdictio ea dari ab Episcopo, alioue Prælato mortuo: nec datur etiam à pœnitente, quia sæpè est Laycus, vel non sacerdos: nec successor in dignitate eam cõcedit, vt constat. Ita tenet *Abbas in cap. final. nu. 9. de off. legat. Iacobinus lege more in secunda lettura num. 15. ff. de iurisdict. omn. iudic. Roland. cons. 38. n. 12. volum. 3. Angel. verbo indulg. n. 7. Syluester eodem v. quæsito 5. dicto 7. n. 16. & verbo, confessor 1. quæsito 7. Corduba in suo quæstionario lib. 5. quæst. 36. paulò post principium, Filiarcus de officio sacerdotis tom. 1. p. 12. lib. 2. cap. 24. in fine, Felinus cap. licèt. vndique num. 1. ad finem de off. legati,* vbi absolutè docet, licentiam eligendi confessarij concessam ab Episcopo perire eius obitu. Pro eadem sententia faciunt *Paludanus in 4. dist. 17. q. 4. art. vlt. conclus. 7. nu. 25. Diuus Antoninus 3. p. tit. 17. cap. 9. Nauarrus Summ. Hispanica cap. 27. num. 264.* dicentes, licentiam audiendi confessiones expirare morte concedentis.

3 Limitant nihilominus ex his Authoribus aliqui hanc sententiam, nisi licentia hæc concessa sit ad sedis Episcopalis beneplacitum: tunc enim censent esse perpetuam. Sic *Angelus verbo, confessio 3. n. 25. Syluester verbo, confessor 1. quæsito 7. Tabiena ver. absolutio 1. quæsito 37. n. 61.* Similiter concedunt nonnulli ex his, hanc licentiam concessam à Pontifice Maximo non expirare eius morte. Ita *Angelus verbo indulgentia n. 7. Syluester ibidem quæsito 5. d. 7. Corduba vbi suprà.* Verùm hæc limitatio parùm, aut nihil adiuuare potest pro Authoribus hanc tenentibus sententiã.

CAPVT II.

Quid reuera sit sentiendum, statuitur ab Authore.

SVMMARIVM.

1 *Licentiam, seu facultatem concessam à superiore potestatem habente eligendi confessarium pro reseruatorum obtinenda absolutione, non expirare morte*

morte concedentis, docet Author.

2 *Facultas concessa ad absolutionem a reseruatis obtinendam, non præstatur confessario directè, sed pænitenti.*

3 *Licentia huiusmodi eo modo potest dari perpetua ab Episcopo, quemadmodum a sede Episcopali.*

4 *Prælati Regularium, ex quo Episcopalem habent iurisdictionem, possunt eligendi confessarium licentias perpetuas concedere.*

5 *Excommunicatio cessat morte excommunicantis, eò quòd continet pænale præceptum.*

6 *Facultas concessa ab Episcopo audiendi confessiones, eius morte non expirat, quia censetur concessa a successore.*

1 VEriùs tamen existimo, facultatem concessam, à quocunque potente iure ordinario eam concedere confessarium eligendi pro absoluendo à reseruatis, non expirare morte cōcedentis, etiam re integra, vel amotione ab officio. Probatur primo, quia hæc facultas non tanquam delegatio, sed tanquam gratia facta est cēsenda. Ita sentit *Sanchez loco cit nu.* 75. at gratia facta (ex paulò superiùs dictis) non cessat morte concedentis, amotioneuè ab officio; Igitur. Consequentia tenet. Minor conceditur etiam ab auctoribus contrariæ opinionis; Nam alias gratia concessa à Papa, vel ab Episcopo cum capituli consensu, re integra periret morte concedentis.

2 Secundò probatur, quia in hoc casu, non datur confessori directè hæc facultas, veluti contingit, quando illi licentia præstatur confessiones audiendi, sed tota gratia conceditur directè pœnitēti, & per quandam consequentiam, seu indirectè confessori electo; atque adeò statim ac concessa est, censetur gratia absoluta, & perfectè facta respectu pœnitentis, cui id conceditur priuilegiū.

3 Et confirmatur, quia nulla alia ratione probatur, non posse has licentias concedi à Prælatis auctoritatem habentibus, quinimmò ipsimet DD. aduersarij sibi contrarij concedunt, has licentias, & si ab Episcopo absque capituli Consensu concedi negant, nomine sedis tamen esse perpetuam. Si ergo nomine sedis potest dari perpetua, cur non poterit absolutè: cùm in vtroq; casu idem generetur Ecclesiæ Parochialis præiudicium? atque hinc etiam ex doctoribus infertur nostræ opinionis veritas; nam sicut Episcopus has licentias absolutè, & consequenter perpetuas cōcedere optimè valet, ita quoque Regularium

4 Prælati, cùm eandem habeant iurisdictionem, easdem præstare optimè possunt. Neque exinde infertur successori Prælato aliquod præiudicium; tùm quia est parui momenti; tum quia ille Prælatus successor eas reuocare, quoties sibi placuerit, potest. Hanc nostram sententiam existimo tenere nonnullos grauissimos DD. loquētes de hac facultate concessa ab Episcopo, siue à Parocho, alioue quouis Prælato iurisdictionem ordinariam habente. Hi sunt *Nauarrus in c. placuit num. 162. & sequentibus de pænitentia. Emmanuel Rodriquez quæstionum Regular. tom. 2. qu. 46. art. 8. Henriquez lib. 7. de indulgentijs ca. 21.* vbi expressè tractat de licentia hac concessa à Prælato Regulari facta in dicto Capitulo ad limina 30. *q. 1. §. 5. & qu. 106. num. 312. Salzedo in editionibus ad practicam Bernardi Diaz capit. 26. columna 19.* immediatè ante versiculum, tribus tamen casibus, *Suarez de pænit. disp. 27. sect. 4. dubit. 3. num. 8. vers.* oppositam verò sententiam *Sayrus tract. de sacram. pænitent. cap. 22. nu. 3. Emmanuel sa summa verbo Gratia num. 4. Sanchez loco citato, & alij quamplures.*

5 Superest, vt argumentis primæ satisfaciamus sententiæ. Ad primum respondetur, negando, id non posse Episcopum. Ad secundū dico, excommunicationem esse pœnalem sententiam, & continere præceptum: & similiter aliud præceptum esse inhibitorium, & pœnale quapropter cessare morte præcipientis aut proferentis, ex quo non licet inferre; ergo, & licentiæ, seu facultates huiusmodi; quoniam hæc sub nomine gratiæ factæ compehenduntur quæ ex sua natura, vt dictum est morte concedentis, aut amotione ab officio non expirat. Ad tertium, respōdeo, hanc facultatem, quamquam virtute iurisdictionis exercendæ delegationem contineat nihilominus obitu delegantis non cessat: ratio est, quia huiusmodi iurisdictio non est contentiosa, sed in foro conscientiæ tantùm, de qua est alia ratio: vt optimè & eleganter ostendit idem *Sanchez loco, quo supra.*

6 Ad vltimum, responderi potest primò, dari à successore, quatenùs non reuocando facultatē, virtute, seu tacitè illam gratam habet): siue hic tacitus consensus ex consuetudine, rationabilique habeatur interpretatione, siue etiam ex interpretatione iuris. Secundò, responderi potest, eam iurisdictionem dari à concedente facultatem, cuius virtus moraliter in ipso manet priuilegio, seu gratia dicto modo concessa; & ratio est, quia concedens facultatem hanc est tunc transferre in alium iurisdictionem, quantum est ex voluntatis efficacia, quam tunc habet, quæ dum non retractatur ab ipsomet, vel successore, vt dicebamus, satis est absque noua voluntate: & sola applicatio quasi materialis ad talem personam deest, quæ sufficienter fieri potest virtute priuilegij. Id manifestè apparet in facultate data per Bullam Cruciatæ, quæ post mortē Pontificis, qui Bullam concessit; durat, & per virtutem in illa relictam dici potest conferri iurisdictionem, prout *Pater Suarez in loco proximè citato annuit.*

QVAESTIO TERTIA.

Vtrum facultas absoluendi à reseruatis per dolum & fraudem obtēta det veram absoluendi iurisdictionem, ita vt Religiosus sic absolutus iterùm non indigeat superiori confiteri.

CAPVT PRIMVM.

Ponitur prima sententia.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Quonam pacto dolosè & fraudulenter solent subditi licentiam pro reseruatorum absolutione obtinere.*
2 *Licentiam malitiosè obtentam nullam confessario tribuere iurisdictionem, docent quamplures Doctores.*
3 *Falsitas circa causam finalem totam vitiat dispositionem.*
4 *Causa finalis quanam dicatur.*
5 *Dispensatio ex causa falsa obtenta est nulla & subreptitia.*

1 CONsueuere nõnulli Religiosi dolo, & fraude à suis aliquando superioribus veniam pro reseruatorum absolutione impetrare, quæ impetratio sic fieri solet. Religiosus pœnitens ad proprium accedit confessarium, eumque nomine suo superiorem pro facultate absoluendi à peccatis reseruatis, quibus innodatus extat, adire cogit: cui libenter Prælatus eam cõcedit pro illa vice, eò quòd optimè noscit, si illã negat, eo ipso illã ex cõcessione Pauli V. obtinere. Iterũ atque iterũ idemmet Religiosus in reseruatũ labitur crimen: tunc malitiosè alium adit confessarium, vt facultatem suo nomine à superiore obtineat: Prælatus verò eo concedit licentiam, qui existimant, non eundem esse Religiosum, sed alium; si enim nouisset, pro eodem illam facultatem pro reseruato crimine absoluendo esse postulatam, minimè concessisset: Quamobrem illæ pœnitẽs alium confessorem adit. Quæritur modo, an iste confessarius, virtute talis concessionis malitiosè obtentæ, veram acquirat iurisdictionem, vt Religiosum illum absoluere licitè valeat? & an talis absolutio ita valida sit, vt nõ indigeat iterùm superiori ea peccata confiteri?

2 In qua difficultate nonnulli Auctores sentiunt, nullam ex vi talis licentiæ malitiosè obtentæ cõfessarium acquirere iurisdictionem, ac proinde nullam esse absolutionem, & consequenter Religiosus non remaneret à peccatis absolutus reseruatis, sed necessarium esset, vt iterùm Cõfessori alteri habenti potestatem confiteatur. Hæc sententia nonnullis potest persuaderi rationibus; primò, quia deest consensus superioris in ea licentia, nihil enim magis contrarium consensui, quàm error, *lege, si per errorem ff. de iurisdict.*
3 *omn. iudic.*; & cõfirmatur, quia falsitas, circa causam finalem dispositionis, ipsam vitiat: vt cùm multis alijs latè tradit *Tiraquell. tract. cessante causa limitat.* 1. *à num.* 1. *vsque ad* 10. & DD. omnes in materia de contractibus: hìc autem falsitas contingit circa causam finalem; Nam Prælatus,
4 ea ratione cessante, nullo modo fuerat licentiã concessurus: finalis autem causa dicitur, quæ ita mouet disponentem, vt aliàs non esset dispositurus: vt sentire videtur *Barthol. l.2.§.final. nu.* 1. *ff. de donat.* & docent *Anton. cap. post translationem num.* 35. *de renuntiatione*, & ibi *Panormit. in* 2. *lettur. illius tituli num.* 18. *Aymon consil.* 142 *nu.* 9 & *consil.* 192 *num.* 21. & alij quamplures, quos refert, & sequitur *Tiraquellus dicta limitat.* 1 *n.* 36. & 37. secundò, quia dispensatio ex falsa causa
5 obtenta est subreptitia, & nulla cap. quia circa de consanguinitate, vbi DD. omnes: atqui huiusmodi licentia est quædam dispensatio, & conceditur ex falsa causa; Igitur est nulla. Hæc sunt potiora fundamenta, quibus hæc innititur sententia.

CAPVT II.

Quid verius sit sentiendum ostenditur.

SVMMARIVM.

1 *Licentia per dolum, & fraudem obtenta est valida, & licita, & per eam Sacerdos veram obtinet iurisdictionem.*
2 *Ratio inducens Prælatum ad concedendam suam authoritatem pro reseruatorum absolutione est impertinens ad facultatem falsò & dolosè petitam.*
3 *Falsitas in hoc casu est circa causam finalem duntaxat.*

1 VEra tamen sententia omnino sequẽda est, validam esse talem licentiam, seu facultatem, & per eam sacerdotem obtinere veram iurisdictionem, ita vt pœnitens sic à reseruatis absolutus iterùm non indigeat confiteri superiori: ita tenere videntur *Aegidius Conichius disput.* 8. *de Ministro sacramenti pænitentiæ dub.* 5. *in fine, Lessiùs de iust. & iure cap.* 17. *dub.* 5. & 6. *Sanchez lib.* 3. *de matrim. disp.* 39. *n.* 14. quatenùs docet, licen-
2 tiam dolo, & mendacijs impetratam esse validã, & verè conferre iurisdictionem. Ostendi potest hæc nostra sententia hac vnica, & efficacissima ratione; quia cùm ratio illa inducens Prælatum nihil prorsus ad facultatem à reseruato crimine absoluendi conferat concedendam, sed omnino impertinens sit; ad huiusmodi licentiæ seu facultatis concessionem, non cessanda est ratio finalis, sed impulsiua, qua cessante non cessat dispositio; vt cum multis tradit *Tiraquel* in proximo capite citatus, & *Sanchez vbi suprà*; nec ea videtur mens facultatem concedentis, vt velit eam esse irritam, ea falsa existente petitione, ne passim sacramentum pænitentiæ irritum censeatur, eò vel maximè, quia quandoque superior huiusmodi concedens facultatem euidenter scit sibi esse factam talis facultatis petitionem dolosè, & nihilominus illam ex benignitate non negat.

3 Neque argumenta pro contraria adducta sententia obstant; Nam ad ea omnia respondetur, verùm tenere, quando error & falsitas circa finalem contingit causam: hìc autem circa solùm impulsiuam est. Nec est semper verùm, causam finalem esse eam, sine qua actus non fieret; vt docuere *Sanctus Thomas in* 2. *dist.* 38. *q.* 1. *art.* 1. *ad quintum Maior in* 4. *dist.* 15. *q.* 29. *vers.* 5. *arguitur*, *Nauarr. in summa latin. cap.* 23. *num.* 101. *Conarr.* 1. *variar. cap.* 20. *num.* 21. *Sanch. de Matrim. lib.* 3. *disp.* 29. *num.* 14. & ostenditur ex *leg.* 1. *§.* 6. *ff. de postul.* vbi sancitum non esset, ne fœminæ postularent; nisi Calphurnia tam imprudenter postulasset: & tamen

tamen scribit Iurisconsultus, eam non dedisse causam finalem; sed primam, & principalē causam esse, vt iretur obuiam imprudentiæ fæminarum, vt benè notat Glossa verbo, causam: quod in naturalibus non obscurè etiam videmus: nam remouens prohibens est causa, sine qua non descensus lapidis, cùm tamen non sit principalis causa, sed occasio.

QVAESTIO QVARTA.

Vtrum facultas absoluendi à reseruatis per vim & metum obtenta sit valida?

CAPVT VNICVM.

Nullam esse huiusmodi licentiam, quamplures ostendunt Doctores: oppositum probat Author, & proponit sequendum.

SVMMARIVM.

1 *Licentia absoluendi à reseruatis per vim, & metum inconstantem virum cadentem extortam esse nullam, docet Aloysius à Cruce cum multis alijs.*

2 *Absolutionē à reseruatis virtute facultatis per metum, & vim habita esse validam, cum pluribus doctoribus docet Author.*

3 *Ad validè absoluendum à reseruatis nihil aliud requiritur, nisi vera iurisdictionis collatio sacerdoti facta.*

4 *Iuramentum per metum extortum & validum, & quare.*

5 *Votum per vim, & metum extortum aliquando est validum; & quomodo.*

6 *Voluntas coacta satis est in adultis ad Baptismi validitatem.*

1 NOn valere absolutionem à reseruatis datā virtute facultatis, per vim, & metum in virum cōstantem cadentem extortè, docent quāplures DD. quos sequitur *Aloysius à Cruce in Bulla Cruciata disp. 1. cap. 2. dub. 2. nu. 6.* Ducuntur, quia quamuis (regulariter loquendo) vt docet *Sanchez lib. 4. de matrimonio disput. 8. num.* 4. metu gesta valeant; excipitur nihilominus iurisdictio; Nam ea non transfertur intercedente metu; vt docent *Glossa cap. 2. verbo, coactus ad finem, de ijs, quæ vi, vbi Anton. num.* 10. *Ancar. num.* 3. *Panorm. num.* 12. & 17. *Imol. num.* 4. *Bartol. tract. de Tyranno num.* 14. *Baldus leg. decernimus num.* 5. *Cod. de sacrosanct. Eccles.* & probant per legem secundam initio *ff. de iudi.* ibi, ac si cùm præstitisset, qui ex litigatoribus viribus Præturæ compulsus est, nulla est iurisdictio. Vbi Glossa verbo, nulla, ait, ipso iure. Si igitur iurisdictionis prorogationem metus annullat, à fortiori debet impedire ipsius translationem: ac subinde iurisdictio per vim, & metum obtenta, cùm sit nulla ipso iure, qui eam obtinuit, non potest à reseruatis absolui, aut absoluere.

2 Veriùs tamen existimo, valere talem facultatem, & consequenter absolutionem à reseruatis virtute illius factam. Ita puto sentire *Conichium, Lessium, & Sanchez,* quatenùs docent, licentiam audiendi aliquorum confessiones metu, doloue obtentam veram dare iurisdictionem. Probatur primò, quia verius est, iurisdictionem metu extortam validè transferri: quod docet Cardinalis *cap. 2. de ijs quæ vi num. vnico vers. quintus casus, & cap. licèt quæst.* 31. *de elect. Sanchez* idem docet *lib. 3. de matrim. disp.* 39. *num.* 13. Ratio est, quia lex in contrarium adducta loquitur in casu speciali, dum litigantes in iudicem non suum consētire compelluntur, & ita prorogare eius iurisdictionem, quæ prorogari nequit, nisi libera eorū voluntate; & ita, cùm sit casus specialis à regula exceptus generali tradente, gesta metu tenere; non debere extendi; quare cautè Hostiensis (vt inquit *Sanchez cap. 2. ad finem*) super verbo, reuocari, dixit, iurisdictionem prorogatam metu non valere.

3 Secundò probatur, quia ad validè absoluendū à reseruatis aliud non exposcitur, nisi verè iurisdictionis collatio sacerdoti facta, quam ipse ex vi reseruationis minimè habet: atqui ex vi licentiæ, seu facultatis huiusmodi per vim, & metum extortæ vera sacerdoti confertur iurisdictio ad absoluendum à reseruatis; igitur validè absoluit is, qui eam iurisdictionem sic obtinuit. Maior, & consequentia sunt notæ. Minor probatur, quia si illa iurisdictionis collatio per vim, & metum sacerdoti facta esset nulla, eiusque ratione non valeret reseruatorum absolutio, esset quam maximè, quia superioris facultatem concedentis verus dificeret consensus ad illam præstandam necessarius: atqui consensus coactè extortus est verè consensus ad quemlibet actum liberū præstandum sufficiens; igitur cùm iste non deficiat in tali præstāda facultate per vim, & metum erit, vtique iurisdictionis collatio valida ex vi facultatis per metum in virum constantem cadentem.

4 Minor probatur; quia non minùs voluntarius consensus requiritur ad iuramenti validitatem, quàm ad iurisdictionem concedendam pro reseruatorum absolutione: atqui iuramentum per metum extortum ad confirmandam promissionem homini factam validum est, & obligat propter reuerentiam Dei; igitur a fortiori valida erit licentia, facultasuè huiusmodi. Consequentia tenet, eò quòd maior libertas requiri videtur ad validitatem iuramenti, quàm ad iurisdictionem, seu facultatem à reseruatis absoluendi concedēdam. Minor habetur in cap. debitor, & in cap. si verò, & cap. verùm de iure iurando. Idque expresse docuero *Pater Suarez tom. 4. de Religione lib. 7. de iuramento cap. 9. num. 3. & lib. 1. de essentia, & honestate voti cap. 7. num. 14. Sanchez lib. 4 de matrim. disp. 14. n. 2.* & Doctores omnes tam Canonistæ, quàm Theologi, pro vt testatur *Pater Suarez loco, quo suprà.*

5 Confirmatur primò, quia votum per vim, & metum extortum aliquando est validum: vt v. g. si maritus minetur vxori adulteræ mortem, eo modo, quo iustè potest, nisi Religionem voueat: in quo casu, quantum attinet ad rationem volūtarij, non minùs videtur coactè extortus consensus,

sus, quàm si illa comminatio esset iniuriosa, & nihilominus tale votum est validum, vt communiter Doctores docent; nam & matrimonium metu contractum validum esse communior fert opinio; vt latè refert, & sequitur *Sanchez dicto lib. 4. disp.* 13. ergo à fortiori idem dicendum est de facultate concessa à superiore per vim, & metũ ad absoluendum à reseruatis. Consequentia est euidens; eò quòd non requiritur tantá consensus libertas in hac præstanda facultate, quanta ad votum, & matrimonium.

6 Confirmatur secundò; quia Baptismus in adultis exigit ad eius valorem suscipientis intentionẽ, & voluntatem; & nihilominus voluntas metu graui coacta satis est ad eius valorem cap. Maiores de Baptismo & cap. de Iudæis dist. 24. Igitur similiter satis est voluntas, seu consensus superioris coactus ad validitatem licentiæ, seu facultatis pro reseruatorum absolutione concessæ. Ad argumentum pro prima opinione adductum ex dictis in prima ratione patet solutio.

QVAESTIO QVINTA.

Vtrum Sacerdos Regularis validè absoluat à reseruatis pœnitentem Religiosum, quando dubitat, an Iurisdictionem habeat?

CAPVT PRIMVM.

Titulus Quæstionis aperitur, decemiturque quid hac in re sit certum.

SVMMARIVM.

1 *Constituitur discrimen inter dubium propriè dictum; & impropriè dictum.*

2 *Confessarius, quando est verè incertus de iurisdictione absoluendi à reseruatis, nunquam licitè absoluit.*

3 *Sacerdos, quando est certus se habere suprà pœnitentis omnia peccata moraliter iurisdictionem, sed aliquantulum dubitat de sua iurisdictione super reseruata, validè absoluit.*

4 *Confessarius dubitans verè, an iurisdictionem habeat super omnia peccata, tam non reseruata quàm reseruata, nulla occurrente graui necessitate, non potest pœnitentem absoluere.*

De hac difficultate nihil ferè inuenio in terminis dictum ab Authoribus: necessaria tamen est ad praxim, & communem vsum huius materię, propter difficultatem specialem hìc occurrentem, quæ non solùm in delegata iurisdictione, sed etiam in ordinaria locum habere potest, frequentiùs tamẽ, & ordinariè in iurisdictione occurrit delegata, & in cõditionibus, quæ ad eam requiruntur, & ideò circa eam specialiter faciemus sermonem. Contingit ergo aliquãdo, quempiam esse dubium de iurisdictione sibi delegata à reseruatis absoluendum, vel quia mortuus est, qui concessit, vel defungitur, officio, & dubitat, an per mortem concedentis cessauerit iurisdictio; vel quia dubitat, an priuilegiũ, virtute cuius illam obtinuit, fuerit validum. in his ergo, & similibus casibus est difficultas, an possit quis tali vti iurisdictione? & an pœnitens possit tali sacerdoti securè confiteri?

1 Verùm, vt res dilucidis tractetur, distinguere oportet esse dubium propriè dictum, quod est purè negatiuum) quia in neutram partem potest intellectus per iudicium positiuum, & probabile determinari, sed suspensus est, & anceps: & dubiũ impropriè dictum solùm ratione formidinis, quãuis determinatè iudicium ferre possit probabile, licèt incertum, in quo potest esse latitudo, & varietas, quia potest vtroque iudicari pars æquè probabilis, vel vna probabilior, quamuis altera sit probabilis: vel denique vna tantùm probabilis, quia non euidens, neque certa, licèt opposita probabilitatis habeat fundamentum.

2 His ergo suppositis, dico primò; quando quacunque ratione est verè incertum, an confessarius veram iurisdictionem in peccata habeat reseruata; non videtur vnquam licitè dari absolutio. Ita *P. Suarez tom. 4. ad 3. partem disp. 26. sect. 6. num. 2. vers.* in casu ergo, sentire videtur, quem sequitur *Conichius de sacram. pænitentiæ disput. 8. num. 6.* probatur, quia cùm sacramentum essentialiter à confessarij pendeat iurisdictione; quando hæc dicto modo est incerta, absoluens se probabili periculo non conferendi sacramẽtum exponit. Quod extra magnæ necessitatis casum sacrilegè fit; prout communiter Doctores fatentur, vt testatur *Conichius*, & per se patet. Hic autem non videtur occurrere vlla posse necessitas; quia pœnitens semper potest confiteri ordinario confessario conuentus, cui delegata est iurisdictio à reseruatis absoluẽdi, prout praxis ferè omnium Religionum nos docet. Quæ ratio etiam militat in casu, quo sacerdos verè dubitat, an iurisdictionem habet in vllum peccatũ ex ijs, quæ pœnitens confitetur; eò quòd pænitens semper aliqua potest confiteri venialia, mortaliauè, quæ semel confessus est, in quæ confessarius certam habet iurisdictionem, nisi contingat, post confessionem vnius peccati mortalis statim amittere sensum, & in periculum incidere mortis; quo casu certum est, in omnia peccata sacerdotem iurisdictionem habere.

3 Dico secundò; quando sacerdos est moraliter quasi certus, se veram in omnia peccata confitentis, nimirùm tam reseruata, quam non reseruata habere iurisdictionem; etiam si de reseruatis paululum dubitat, validè ac licitè, absoluit. Ratio huius conclusionis esse potest, quia iuxta communem Doctorum sententiam, cum tali scientia licitè quis operari potest; quia aliàs vix quisvnquã licitè aliquid facere posset: Nã in pluribus rebus passim occurrentibus, non posset maiorem habere certitudinem. Hæc autem maximè vera sunt, cùm in eo casu omnino certum sit, eum in aliqua peccata habere iurisdictionẽ. v. g. si sacerdos certus sit, se super mortalia non reseruata habere iurisdictionem, sed aliquantulum dubitat de reseruatorum iurisdictione, & consequenter certum est, validam esse absolutionem.

4 Dico

4 Dico tertiò; quotiès sacerdos dubitat verè, an iurisdictionem in omnia pœnitentis peccata, tam non reseruata, quàm reseruata veram habeat iurisdictionem, nunquam licitè, atque validè absoluit, nisi aliqua occurrat necessitas. Ita in vniuersum loquens *P. Suarez* sentit *loco citato*. Et ratio est, quia hoc fit cum aliqua sacramenti pœnitentiæ irreuerentia; nam si reuera in peccata reseruata non habeat iurisdictionem, ipse ab ijs solùm absoluit indirectè, quod facere minimè potest, vt latè supra ostensum est; quia de ijs ferre iudicium non potest, quod est contra integritatem absolutionis in hoc requisitam sacramento, quam tenetur procurare, tam ipse, quam pœnitens.

CAPVT II.

Ad quid tenetur sacerdos Regularis, quando bona fide credebat se habere facultatem absoluendi à reseruatis, & iam incipit dubitare, an eam habeat?

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos Regularis incipiens dubitare de sua iurisdictione super reseruata, debet omnem diligentiã adhibere ad veritatem cognoscendam, qua adhibita, si adhuc res manet dubia, si absoluat pœnitentem, non peccat.*

2 *Author consulit, non esse id faciendum, nisi grauis necessitas id expostulet.*

3 *Confessor, qui nunquam bona fide vsum iurisdictionis absoluendi à reseruatis possedit, si absque necessitate ea vtatur, duo peccata committit.*

4 *Qui beneficium bona fide possidet, cui annexa est iurisdictio in foro conscientiæ, si posteà incipit dubitare de validitate collationis, post diligentem inquisitionem re dubia manente, potest illa vti iurisdictione.*

5 *An superior Regularis conuentualis solùm titulum habens coloratum validè absoluat Religiosum à reseruatis?*

6 *Declaratur, quid sit titulus coloratus.*

7 *Prælatus Conuentualis validè suos Religiosos à reseruatis absoluit, quando titulum habet coloratum.*

8 *Prælatus Regularis conscius de defectu suæ electionis nullitatis, peccat alienæ iurisdictionis vsurpatione.*

1 SAcerdos Regularis, quando iam ante, bona fide, credidit se iurisdictionẽ habere in omnia peccata, quæ ei pœnitens confitetur; etiam si illa Superiori suo sint reseruata, & eam incipit dubitare, an eam habeat; quia videlicet mortuus est superior, qui ei facultatem absoluendi concesserat, dubitat nihilominus, an successor eam reuocauerit: Dico tunc teneri, ante quam ea iurisdictione vtatur, omnem adhibere diligentiam, vt veritatem cognoscat, quantum hic, & nunc fieri potest, qua adhibita, si res adhuc manet dubia, si absoluat non peccat vsurpatione alienæ iurisdictionis, quia cùm hanc iam bona fide possidere inceperit, non tenetur se abdicare, donec

2 ei aliquo modo se eam non habere constat. Cõsulerem tamen ob reuerentiam sacramenti, vt quando nulla eum adstringit necessitas ad audiẽdas confessiones, ab ijs se abstineat; quia aliàs absque vlla causa, se exponit periculo vt à multis peccatis solùm indirectè absoluat, quo in casu se exponeret periculo nihil faciendi: cùm ex vi reseruationis ferre non possit iudicium super omnia peccata, & consequenter neque sententiam; prout alibi docuimus.

3 Si verò nunquam bona fide talis iurisdictionis vsum possederit, si ea absque necessitate vtatur, peccat etiam alienæ vsurpatione iurisdictionis, quia & si quis dubitans, an res aliqua sit sua, possit licitè continuare eius possessionem iam bona fide inchoatam, non tamen potest eam cum tali dubio inchoare, prout cõmuniter docent Doctores in materia de restitutione, de qua re videndus est omnino *Lessius de iustitia, & iure cap. 6. dub. 3.*

4 Atque hinc patet, quid sit dicendum, quando quis bona fide aliquod incipit possidere beneficium, cui annexa est iurisdictio in foro conscientiæ, & posteà dubitare incipit de collationis validitate, si post diligentem inquisitionem res adhuc dubia maneat, sicut ipse licitè retinet beneficium, ita licitè vtitur iurisdictione ei annexa; Nã & si fortè ipsius non sit beneficium, tamen Ecclesia tunc ob commune bonum eius supplet defectum dando ei iurisdictionem. Quod non obscurè probari potest ex lege, Barbarius de officio Prætoris, quo iure etiam Ecclesia vtitur. Ita *Conichius de pœnitentia disput. 8. dub. 3. num. 22. & dub. 6. num. 46.*

5 Sed quæres, an in casu, quo aliquis Conuentualis superior solùm superioritatis titulum habet coloratum, validè absoluat Religiosos, qui ipsi subduntur, à peccatis reseruatis? Priùs quàm huic satisfaciamus dubitationi, oportet notare, quid nam sit titulum habere coloratum. Dicitur au-

6 tem habere titulum coloratum, cui, aliquod officium habens curam animarum, collatum est inualidè ob occultum defectum; aut qui simili modo ab aliquo superiore in Vicariũ, aut coadiutorem ad audiendas subditorum confessiones assũptus est; prout latè ostendit *Lessi. de iust. & iur. 26. dub. 6.* Hoc supposito, respondeo, quod superior ille, qui habet solùm titulũ coloratum, in rigore loquendo, habitualẽ non habet iurisdictionem, quæ ex munere com petit superioribus, eo ipso quod sunt electi, & ante quàm possessionẽ sui Couentus accipiant: Nihilominus validè à reseruatis suos absoluit subditos; eo quòd Ecclesia, ob commune bonum, eius supplet defectum, quodammodo ei conferendo ad singulos eius actus actualem iurisdictionem. Patet ea dicta lege Barbarius philippus, quo iure etiam (paulò su-

8 periùs dicebamus) vtitur Ecclesia. Moneo nihilominus, quod absoluens, si huius defectus conscius sit, peccat vsurpatione alienæ iurisdictionis, quia propriam non habet. Vndè consulerem huiusmodi superiorem, aut dimittere officium,

aut

aut dispensationem, seu habilitationem procurare: interim vero quantum commodè potest, debeat abstinere à pœnitentiæ sacramenti administratione.

CAPVT TERTIVM.

Vtrum in casu necessitatis sacerdos, qui dubitat, an habeat iurisdictionem absoluendi à peccatis reseruatis, validè absoluat?

SVMMARIVM.

1 *Notabili & graui occurrente necessitate, confessor Regularis verè dubitans se non habere super reseruata iurisdictionem, nonnullis concurrentibus, absoluere potest pænitentem.*

2 *Ex necessitate congruum est sacerdoti conferre sacramentum, sub conditione expressa, vel concepta.*

3 *Necessitas ad sic conferendum sacramentum qualis esse debeat.*

4 *Necessitate articuli, seu periculi mortis non existente, nulla alia potest assignari, qua posita, sacerdos verè dubitans de sua iurisdictione, possit pænitentem absoluere.*

5 *Quando, iuxta Patris Suarez sententiam, pænitens potest confessori iurisdictionem non habenti confiteri.*

6 *Religiosus pænitens, quando aliud non habet peccatum mortale, nisi reseruatum, quid facere debeat si non adest confessor, cui confiteri possit.*

1 POtest licitè atque validè pœnitentem Regularem à reseruatis absoluere confessarius ille, qui verè dubitat, an super omnia pænitentis peccata habeat iurisdictionem, quando notabilis, & euidens occurrit necessitas: duplici tamen concurrente conditione. Prima est, vt occurrat euidens necessitas: altera, vt absolutio sub conditione detur, & cum onere iterum confitendi illa peccata superiori, seu ordinario côuentus certam habenti iurisdictionem, nacta oportunitate. Ita existimo sentire *Patrem Suarez tom 4. ad tertiam partem disp. 26. de ministro confessionis sect. 6. num. 2. & Conichium de sacramento pænitentiæ disp. 8. dub. 6. conclus.* 5. quatenùs docent, eum qui dubitat, an super omnia confitentis peccata habeat iurisdictionem, licitè absoluere, quando id notabilis exigit aliqua necessitas, vt quando pænitens tenetur communicari sine confessione; aut non posset annuæ confessionis implere præ-
2 ceptum. Hæc nostra sententia probari potest ex proportione eadem ad alia sacramenta; quia propter occurrentem necessitatem licitum est conferre sacramentum in casu dubio sub conditione expressa, vel concepta, *si possum, vel si indiges*, aut alia proportionata, vt etiam in hoc eodem sacramento pænitentiæ licet sub conditione absoluere de peccato mortali dubio, quãdo alia non adest materia, vt quamplures Theologi docent in materia de pœnitentia. Ratio verò est, quia illis duabus concurrentibus conditionibus omnis tollitur inordinatio: quia necessitas facit, vt actus non temerè fiat, nec ex mera, & rationabili voluntate Côditio verò non tollit periculum, quia si in re subsistat, infallibiliter fit sacramentum: si verò non subsistat, nulla fit sacramento iniuria; quia conditionalis nihil ponit in esse.

3 Aduertere tamen hic oportet cum *Suarez loco citato*, necessitatem in præsenti consurgere debere tam ex parte Ministri, quàm ex parte pœnitentis: illius quidem, vt non occurrat alius, qui certiorem habeat iurisdictionem, alioqui ille temerè, & sine necessitate se ingereret; huius verò, vt scilicet sit pœnitens in aliqua necessitate confessionis, quia aliàs sine rationabili causa facere non debet confessionem ita dubiam.

4 Non est tamen facilè ad explicandum, quanta, & qualis hæc pænitentis necessitas esse debeat: Nam si sit extrema articuli, seu periculi mortis, non potest proposita difficultas habere in ea locum, quia tunc non potest esse iurisdictio dubia, cùm constans sit, quemlibet sacerdotem tũc habere iurisdictionem; Minor autem necessitas non satis est ad dubiam faciendam confessionem, quia si ministrandum sit: vel recipiendum aliquod sacramentum, etiam Eucharistiæ, melius, & certius est, conari ad contritionem habendam. Immò propter illam solam dubiam confessionem non liberabitur pœnitens ab illa obligatione, si alias tenebatur se disponere ad iustitiam; quia per absolutionem illam dubiam non sufficienter disponitur, moraliter loquendo, cùm non excludat morale periculum in statu permanendi peccati mortalis, absque probabili iudicio de iustificatione obtenta, si tantùm erat attritus. Si verò necessitas adimplendi occurrat præceptum Ecclesiasticum, per talem confessionem non impletur; atque denique in quocunque alio euentu semper potest sine incommodo opportunitas expectari confitendi certam habenti iurisdictionem: ergo nunquam videtur ob necessitatem hoc licitè fieri.

5 Hoc argumentum valdè nonnullorum torquet ingenium. Et certè apparenter videtur rationabile habere fundamentum. Nihilominus *Pater Suarez* ei optimè occurrit; Nam in primis rectè probat, nunquam teneri pœnitentem sacerdoti sic dubió confiteri; quia si sit extrema necessitas, cessat dubium: si verò non sit extrema, cessat obligatio, propter iam tactam rationem. Existimat tamen *Pater Suarez*, & benè, aliquando posse licitè illo confiteri modo, quando aliter nô potest; vt si necessariò Eucharistiæ sit recipienda, vel sacrum faciendum, vel si per longum tempus nequeat confiteri, quia in confessione tali nulla est de ordinatio, & si quid est incommodi ratione dubij, totum est in pœnitentis grauamen, quod voluntariè in absolutione ipse assumere potest, etiam abiecta, vel subintellecta conditione: & interueniente prædicta causa, nullus est clauium abusus, quia potest illa absolutio prodesse, & non obesse; igitur vbi nulla est ratio culpæ.

6 Quòd si pœnitens Religiosus aliud non habeat

lethale peccatum, optimum consilium tunc erit, confiteri aliud peccatum mortale aliàs rectè absolutum, vel veniale; nam hoc modo tolli opinatur *Suarez* dubium de valore sacramenti, absolutè loquendo, quamquam semper maneat dubium de absolutione directa reseruatorum: propter quod existimat, in eo casu semper manere obligationem illam superiori, alijue sacerdoti certiorem habenti iurisdictionem confitendi, occurrente opportunitate, quia semper manet practicum, ac morale dubium, an peccata illa reseruata verè, & in re ipsa fuerint subiecta clauibus: pœnitens autem tenetur verè, & in re illa subijcere, vel saltem de hac re moralem, seu practicam (quantum potuerit) habere certitudinem.

Verùm hæc sententia nostra in hunc modum illustrata maximam habet euidentiam apud Doctores illos, qui existimant, licere aliquando, exigente necessitate, fieri non integram confessionem; igitur multò magis id potest fieri modo prædicto ab eo, qui de iurisdictione dubitat.

QVAESTIO SEXTA.

Vtrum inferior confessarius commutare possit pœnitentiam à superiore in absolutione casus reseruati taxatam?

CAPVT PRIMVM.

Opinio *Patris Suarez*, & aliorum.

SVMMARIVM.

1 *Nullus Inferior confessor pænitentiam à Superiore impositam pro reseruatis commutare potest, iuxta multorum doctorum sententiam.*

2 *Sacerdos non potest mutare pænitentiam ab alio sacerdote impositam, nisi aliam imponendo.*

3 *Pænitentia à superiore imposita includit quoddam præceptum, quod inferior non potest immutare.*

4 *Necessitate, vel pia vtilitate existente, pænitentis nonnunquam licet inferiori superioris immutare pænitentiam.*

5 *Commutatio hoc modo facta intelligitur ex Superioris fieri voluntate.*

6 *Difficilis recursus ad superiorem, qui pænitentiam imposuit, est ratio sufficiens ad illam commutandam.*

1 VAriæ sunt hac in re Doctorum sententiæ. Prima est doctissimi *Patris Suarez tom 4. de pænit. disp. 38. sect. 10. num. 12. vers. vltimo* dicendũ est, quem ex modernioribus sequuntur *Reginaldus lib. 7. de sacramentali satisfactione quæst. 4. cap. 8. num. 91. Conichius de sacram. pænitentiæ disp. 10. dub. 12. num. 100. vers.* dixi qui pænitentem, *Coriolanus de casibus reseruatis p. 1. sect. 2. art. 21.* docẽtes non posse inferiorem commutare pænitentiam à superiore pro reseruatis in confessione absolutis iniunctam. Hanc sententiam tenent etiam quamplures ex antiquioribus, præsertim *Nauarrus in summa latina cap. 26. num. 24. Cardinalis in Clementina vltima de pænitentia, & Remissione, Angelus verbo, confessio 6. num. 4. Tabiena verbo confessio 2. Syluester verbo confessio 1. quæsito 27. referens Monachum, & Bainer. Armilla eodem verbo num. 30. Rosella ibidem 2. num. 11. Turrecremata in cap. Tempora 16. quæst. 97. numer. 4.*

2 Quam sententiam probare conatur idem *Suarez* in hunc modum; quia inferior per se non habet iurisdictionem in illa peccata præcisè spectata, quatenùs talia sunt, sed quatenùs commissa sunt: ergo non potest pœnitentiam mutare, quæ pro illis sic spectatis fuerat imposita. Antecedẽs patet, quia illa peccata sic spectata sunt reseruata, vt supponimus; & ideò consideranda sunt præcisè vt commissa: quia si considerentur vt iam remissa per superioris absolutionem, sic quidem iam non sunt reseruata: tamen vt sic, non iudicantur simpliciter, sed secundùm quid: scilicet ex prioris iudicij suppositione. Vndè probatur consequentia: tum quia non potest pænitentiam pro peccato iniungere, nisi qui potest de peccato absoluere; agimus enim (inquit) de pœnitentia sacramentali, quæ ab eadem iurisdictione, & potestate ligandi, atque soluendi manat, & coniunctò est absolutioni, vt accessorium principali: tum etiam quia sacerdos non potest impositam mutare pœnitentiam, nisi aliam imponendo pro peccatis: si autem peccata sunt reseruata, non potest pro illis imponere pænitẽtiam, nisi ex prioris iudicij suppositione: debet ergo illa secunda impositio fieri absque detrimento, & iniuria prioris iudicij: illud ergo firmum & stabile manere debet; non ergo habet ibi locum talis pænitentiæ commutatio.

3 Confirmatur primo, quia pænitentia illa à superiore imposita, includit quoddam præceptum à superiore impositum, quatenùs superior est: sed inferior mutare non potest (per se loquendo) superioris præceptum; ergo. Confirmatur secundò, quia omnia iura, quibus opposita innititur sententia, vbi Pontifex specialem concessit Episcopo facultatem ad minuendam pænitentiam à se impositam, statuunt posse non absolutè, sed sub certis limitationibus, ac conditionibus; ergo signum est, non posse hoc inferiorem facere iure ordinario, sed solùm quatenùs à superiore intelligitur concessum.

4 Limitat verò ex citatis doctoribus, nisi necessitas piaué vtilitas aliud postulet: nam tunc piè præsumitur, hanc esse superioris intentionem. Ad quam limitationem meliùs percipiendam, notat primò, discrimen esse inter peccata reseruata, & non reseruata, quòd in non reseruatis fieri potest commutatio pænitentiæ ex vi propriæ iurisdictionis, & non tantùm ex virtuali commissione, aut interpretatiua voluntate prioris cõfessoris. Et licet fortè aliqua requiratur rationabilis causa, vt id ordinatè fiat, & ne detur occasio pœnitentibus facilè procurãdi huiusmodi cõmutationes; nõ oportet tamẽ, vt tanta sit causa, quæ moralẽ inducat necessitatem, quæuè obliget ad cõiecturã de alterius confessoris volũtate faciendã. In casibus autẽ reseruatis oportet hãc necessita-

tem

tem interuenire, & coniecturam moralem facere de superioris voluntate; Nam si commutatio per potestatem ab illo delegatam fit, & aliter fieri non potest. Et ideò est secundò notandum ad hanc commissionem interpretandam in primis esse necessarium, vt difficilis sit recursus ad Superiorem, seu Prælatum, qui pænitentiam imposuit: nam alias, nec est vera necessitas, nec rationabiliter præsumitur eius voluntas. Item, hæc presumptio, presertim in materia iurisdictionis delegandæ, vt sit sufficiens, oportet, vt sit, vel in iure, vel in consuetudine fundata: non potest autem alio modo ita fundari; ergo. Explicatur; quia ob hanc causam iura omnia, in quibus hæc conceditur specialis facultas Episcopis; reddunt rationem hanc eandem, quia nimirum ad Summum Romanum Pontificem recursus ordinariè difficilis est: ergo satis est, quòd per similitudinem rationis extendatur ad casus necessarios, in quibus non patet aditus ad superiorem: nec alia consuetudo allegari, aut præsumi potest; nec esset rationabilis; quia hoc esset veluti quædam Epicheia, quæ hanc conditionem in primis requirit. Quando ergo recursus difficilis est, & alias vrget moralis necessitas; tunc locum habere potest limitatio. Quanta verò debeat esse hæc necessitas, arbitrio prudentis relinquitur. Existimat tamen *P. Suarez*, illam sufficere, quæ satis est, vt Episcopus, vel Prælatus dispenset in ordinarijs præceptis Ecclesiasticis. Hactenùs ille.

CAPVT SECVNDVM.

Magistri *Vazquez* sententia refertur.

SVMMARIVM.

1 *Confessor inferior potest pænitentiam ab Episcopo, & quocunque superiore impositam mutare, iuxta placitum Vazquez.*

2 *Sententia lata à superiore in sacramentali iudice nō est de se reuocabilis.*

3 *Reseruatio peccatorum non facit, quod superioris sententia sit reuocabilis.*

1 DOctissimus verò *Vazquez tom. 4. ad 3. p. qu. 94. art. 2. dub. 3. nu. 6. oppositum sentit.* Docet quippe probabile esse, quemlibet sacerdotē habentem potestatem absoluendi posse mutare pænitentiam in foro interiori impositam ab Episcopo etiam, & à quocunque superiore in confessione; hoc est, auditis peccatis prioris confessionis: hoc enim non solùm docet de peccatis non reseruatis, verùm quoque de reseruatis; Etenim *num. 9. inquit*; idem dicendum est de pænitentia in mero foro interiori imposita pro reseruatis, sicut pro alijs. Hæc sententia probari potest quo ad primam partem; quia pænitens postquàm subijt sententiam prioris sacerdotis, qui pænitentiam imposuit; si iterum tunc confitetur alteri, & vult subire iudicium illius secundi sacerdotis circa omnia peccata exactè, non videtur æquè obligatus manere priori sententiæ, & pæ-

2 nitentiæ illius. Hæc consequentia patet, quia non videtur irreuocabilis sententia de se, nec iustum duplici pœnæ hominem manere obligatū. Quod verò non sit irreuocabilis sententia illa quo ad pœnam impositam, patet, quia si hoc esset verum, idem sacerdos non posset reuocare sententiam à se latam, etiam ei repetita confessione; quod est falsum apertè, si ergo idem potest, poterit etiam & alius, audita eadem causa, quia sunt eiusdem potestatis.

3 Quo ad verò secundam partem, ostenditur; quia reseruatio non videtur facere sententiam magis irreuocabilem; tantum enim impedit, vt stante reseruatione, aliquis possit absoluere ab illis peccatis: sed iam verè eis semel absolutis quo ad culpam, & imposita pœnitentia, potest pœnitens illa iterùm alteri confiteri, & ab eo pænitentiam accipere: cur ergo non commutabitur illa pænitentia prior, si commutatur quoties casus non erant reseruati?

CAPVT TERTIVM.

Authoris iudicium.

SVMMARIVM.

1 *Pænitentia à Prælatis imposita pro reseruatorum absolutione potest mutari ab inferiore, iuxta Authoris sententiam.*

2 *Peccata, reseruatione sublata, sunt eiusdem rationis, & naturæ ac peccata, quæ nunquam reseruata fuere.*

3 *Reseruatio ex sua natura intendit impedire, ne iudicium de peccatis, quæ superiori reseruantur, ab alio fiat, quàm ab ipsomet superiore.*

4 *Superior, si imposita pænitentia extra sacramentum, tollit reseruationem suam, concedendo facultatem, vt quis possit absolui; remanent illa peccata ita non reseruata, ac si nunquam reseruata fuissent.*

5 *Peccatorum reseruatio ad quid ordinatur, iuxta Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 7.*

6 *Adducitur verus intellectus eiusdem Concilij Tridentini in eodem capite.*

7 *Peccatorum reseruationem non oriri ex maiori potestate, quàm habeant Superiores in foro conscientiæ respectu inferioris sacerdotis, sed ex materiei applicatione, declaratur.*

8 *Existente rationabili causa, cuique sacerdoti congruum est, in foro interiori mutare pænitentiam à superiore taxatam in reseruatorum absolutione.*

9 *Sacerdotes inferiores in peccata reseruata iam absoluta in ordine ad pænitentiam commutandam, solùm per accidens habent iurisdictionem, iuxta Patris Suarez opinionem.*

10 *Prædicta Suarez doctrina impugnatur ab Authore.*

11 *Sacerdos mutans pænitentiam ab alio impositam, nouam fert sententiam.*

12 *Sacerdos inferior potest commutare vota in aliam materiam, postquam superior illa sibi reseruata commutauit.*

13 *Faciliùs posse voti cōmitari materiam, quàm iniunctam à superiore pœnitentiam, docet Suarez.*
14 *Allata Suarez doctrina reprobatur.*
15 *Ex pluribus iuribus ostenditur sententia Authoris.*

1 QVamuis satis mihi esse potuit, vt *Patris Suarez* probabilem existimem opinionem, tāta authoritas Doctoris (semper enim doctissimi huius Patris sum veneratus doctrinam) & eò fortiùs, quia eam quamplures habent Doctores, tam antiqui, quàm recentiores, ob quorum authoritatem dūtaxat probabilem putauit *Vazq. loco in proximo capite cit. n. 8. in fine*; Nihilominus tamen rationes, quibus eam conatur probare ipsemet *Suarez*, non conuincunt. Quinimmò *Pater Vazquez* arbitratur, illam sententiam, quatenùs docet, pro peccatis non reseruatis iniunctā pœnitentiam commutari posse, benè non probari: Quamuis (inquit n.) probabilem existimem sententiam asserentium, posse commutari, sed non ita benè probari posse. In praxi verò tutum erit illam sequi vt probabilem, authoritate Doctorum, sic ille. Et certè rationes non conuincunt; Nam differentia illa, quam *Suarez* statuit inter peccata reseruata, & non reseruata respectu ferendæ sententiæ, pòstquam in iudicio rectè iudicata fuere à proprio iudice, non rectè assignari; neque in quo rationabiliter fundari possit video. Quamobrem vt, quid ipse senserim, aperiam, nonnulla aduertenda veniunt. Et primò, quòd peccatorum reseruatio id non intendit, quod *Suarez* docet, nimirùm, sententiam datam à superiore reuocabilem reddere; ita vt, nequeat ex hoc pœnitens alterius sacerdotis iudicio subijci, postquam eius peccata reseruata licitè absoluta ab eodem superiore fuere: hoc enim nulla efficaci potest ratione ostendi: Quoniam reseruatione ablata, illa peccata sunt eiusdem rationis, ac sunt illa, quæ nunquam reseruata fuere;
2 ac proinde si peccata lethalia in confessione remissa alterius possunt subijci sacerdotis iudicio, & ab eo iterùm iudicari, ac si nunquam iudicata fuissent: profectò & peccata reseruata inferioris possunt subijci sacerdotis iudicio, & ab eo iudicari, ac si nunquam à proprio fuissent iudicata iudice per se, & immediatè, non verò ex consecutione, seu ex suppositione, vt asserit *Pater Suarez*. Quòd enim reseruatio intendit per se, & ex natura rei (prout subtiliter adnotauit *Vazquez loco paulò superiùs citato*) est impedire illa
3 infirma remanente, iudicium, vt de illis à nullo alio, nisi à proprio iudice feratur sententia: Iam verò absoluta, impositaque pro eis pænitentia, ita libera remanent ac si nunquam fuissent reseruata, & consequenter in voluntate pœnitentis, ita vt illa iterùm cuicunque velit, confiteri possit, & ab eo accipere pænitentiam. Hoc enim ostendi potest, quia si superior, nulla imposita pœnitentia, extra pænitentiæ sacramentū tollat reseruationem, quippe quando ab eo absoluēdi petitur facultas, illa peccata iam non sunt reseruata, & à quocunque possunt absolui sacerdote; igitur censenda sunt tunc, ac si nunquam fuissent reseruata; ergo si per sacramentalem absolutionem tollatur reseruatio, eodem modo censenda sunt, etiam imposita pænitentia; Igitur per se, & absolutè subijci alterius possunt sacerdotis iudicio, ab eoque iterùm iudicari, atque de illis pænitens accipere pænitentiam, iuxta iudicij modum, quo tunc sacerdos fert sententiam.

5 Dices, peccatorum reseruationem ex Concilio Tridentino *sess. 14. cap. 7.* ea ratione fieri; vt maiorum criminum iudicium, & medela superiori vt prudentiori reseruetur, ad maiorem (inquit Concilium) populi disciplinam, quod non esset, nisi propter pænitentias varias imponendas. Vndè illuderetur illius iudicium, si posteà eius pænitentia commutari posset. Respondeo; primò per reseruationem saltem hoc habetur, quòd nunquam tolli, aut commutari possit: secundò, quod peccatores arceantur à grauioribus criminibus, eo quòd summis sciunt esse reseruata sacerdotibus: Tertiò, quòd ad ipsos accedentes, qui talia habent crimina, salubria accipiunt monita, & quæ magis eis prosunt, & in maiori apud eos sunt æstimationem, quod sint à Summis sacerdotibus, aut Prælatis, quàm si essent à quocunque communi sacerdote: quod quamuis
6 in aliquo deficiat, parùm refert. Quæ quidem ad disciplinam Christiani populi pertinent, propter, quam dumtaxat dixit Concilium reseruare posse peccata, non verò vt obligati perpetuò manerent pænitentię peculiari ipsius supremi sacerdotis, aut Prælati.

7 Hinc aduerto secundò, quòd quamuis motiua ratio peccata reseruandi hæc debeat esse, tamen potestas reseruandi non est ex eo, quia authoritas Prælati sit superior authoritate alterius inferioris in foro pænitentiæ; ita vt sibi reseruet iudicium illud, quasi superiori potestate ferendum, quòd nullo modo tolli aut cōmutari possit: sed quia superior, aut sacerdoti applicat inferiori materiam, vt eum, qui sibi confitebitur ex cōmissione possit absoluere, aut per applicatam iam à Summo Romano Pontifice ei concedit, vt idem facere valeat, vt dependenter tamen ab ordinarijs pastoribus: nihilominus limitare potest quicumque superior sacerdos: vt Prælati sibi quædam reseruantes peccata limitant materiam subiectam alijs sacerdotibus: Non tamen adeò reseruant, quasi eorum potestas sit superior in absoluendo à peccatis reseruatis, & imponendo pænitentiam, sed ea ratione dicta: ac proinde quocunque modo tollatur reseruatio, pecata subijci possunt cuiusuis inferioris sacerdotis iudicio, vt de illis ferat sententiam, atque pænitentiam imponat. Et ex his facilè soluuntur argumenta, quibus *P. Suarez* suam fundare conabatur opinionem.

8 Veriùs igitur dicendum est, pænitentiam in mero foro interiori positam pro reseruatis ab inferiori sacerdote posse commutari; & eò fortiùs, quando adest aliqua rationabilis causa ex parte pęnitentis mouens ad id faciendum eiusmodi

modi inferioris sacerdotis animum. Ita *Vazquez loco in proximo capite citato numer.* 8. Ita sentire quoque censeo *Lædesma* 12. *parte* 4. *quæst.* 27. *artic.* 2. *& Medina Cod. de confessione quæst. de pænitentia iniuncta acceptanda*. Hæc nostra conclusio communiter probari solet ex eò quòd peccata illa (vt paulò superiùs docebamus) iam non manent reseruata; igitur potest quilibet sacerdos de illis absoluere pænitentem; ergo,& pœnitentiam pro illis imponere; ergo & alteram pœnitentiam in hanc commutare. Probatur hæc vltima consequentia, (nam cætera sūt manifesta) quia nemo tenetur duplicem satisfactionem pro eisdem peccatis exibere; igitur eo ipso, quod alter sacerdos pœnitentiam aliā pro talibus imponit peccatis, ab omni alterius pœnitentiæ implendæ pœnitentem liberat obligatione, quæ est quædam virtualis commutatio.

9 Ad hanc rationem respondet *Pater Suarez*, inferiorem Sacerdotem in talia iurisdictionem habere peccata solùm quasi per accidēs, & ex suppositione prioris absolutionis; & ideò non posse de illis ita liberè iudicare, ac si anteà iudicata non fuissent, sicut posset facere in peccatis non reseruatis: & ideò non potest (ait) per se loquendo, immutare prius iudicium de illis peccatis factum, sed tunc solùm, quando ad hoc intelligitur ab ipso superiore accipere potestatem: Non intelligitur autem illam accipere potestatem ex vi solius prioris absolutionis, alioqui eneruaretur ferè omnino reseruationis fructus, quia statim data absolutione, posset alius sacerdos iterùm absoluere pænitentem, minuendo, aut mutando pœnitentiam igitur, &c.

10 Verùm hæc responsio non est digna tanto viro; Nam suprà ostendimus, ex natura reseruationis, postquàm quocunque modo fuerit reseruatio ablata, peccata ita remanere cuiuscunque inferioris sacerdotis iudicio subijcibilia, vt de illis absoluere possit, pœnitentiamque imponere per se, & immediatè, eò quòd, vt dictum est, reseruatio id solùm per se intendit, quod est; primum Prælato reseruanti reseruare iudicium; quo facto, liber remanet pænitens, vt cuicunque voluerit, possit confiteri sacerdoti, ab eoque accipere pœnitentiam, vt suprà dictum est. Neque ex hoc sequitur, quod eneruaretur reseruationis fructus, nam ad hoc suprà iam responsum est.

11 Probatur secundò nostra assertio; quia, sicut æqualis sacerdos, audita eorundem peccatorum confessione, pœnitentiam ab aliquo alteri impositam mutare potest, eò quia licèt Prior sacerdos sententiam tulerit, nihilominus pænitens eādem causam in iudicium afferre potest, nouamque postulare sententiam; & consequenter cōfessor etiam poterit suo arbitratu pænitentiam imponere, iuxta pænitentis præsentem statum, ac si priùs non essent iudicata; igitur etiam priorem poterit mutare pænitentiam in posteriorē, eò quòd non est cogendus pænitens duplicem condignam pro eodem peccato adimplere satisfactionem; igitur eadem ratione inferior sacerdos, audita confessione eorundem peccatorum, pænitentiam à superiore impositam mutare potest. Consequentia est clara, quia superior sacerdos, & inferior sunt æquales potestate in foro pænitentiæ, vt in secundo nostro notabili ostensum est; Igitur &c. Hac enim efficacissima ratione, non solùm nostra demonstratur assertio, verùm etiam & *Suarez* responsio impugnatur.

12 Probatur Tertiò, quia in votis reseruatis, postquam superior commutauit votum sibi reseruatum in aliam materiam, potest inferior, seu quilibet habens potestatem commutandi ordinaria vota etiam illam materiam commutare; igitur a paritate rationis, poterit quoq; inferior sacerdos commutare pænitentiam à superiore in reseruatorum absolutione impositam.

13 Ad hanc rationem respondent *Suarez*, negando illationem, eò quòd, inquit, faciliùs est, posse materiam voti commutari, quam iniunctam à superiore pænitentiam. Ratio verò disparitatis est, quia per voti commutationem non imponit superior aliquod præceptum, sed tantùm mutat materiam, & obligatio relinquitur ex vi voti, quod iuxta materiæ qualitatem, subijcitur potestati commutandi, dispensandiuè, cum ea habet sacerdos. Quando verò superior pænitentiam imponit sua auctoritate, & iurisdictione, specialē imponit obligationem, atque præceptum, quod ab inferiori mutari non potest.

14 Sed hæc responsio falsæ innititur imaginationi; etenim illa differentia & voluntaria. Vndè quesò colligitur, sacerdotem superiorem pro reseruatis imponentem pœnitentiam imponere præceptum, quo stāte, illa pænitentia non possit commutari? nā in illo foro virtute clauium non habet maiorem potestatem superior, quam habet inferior; ergo ex vi talis iurisdictionis, & potestatis, pænitentiam imponendo non potest obligare aliquo præcepto ad illam implendam ex vi superioritatis polyticæ, vt ita dicam; sed ex potestate clauium. Igitur, sicut nec inferior sacerdos potest pænitentem ex vi impositionis pænitentiæ obligare ad exequendam pænitentiam, ita vt illam alius æqualis commutare non possit, ita nec superior. Neque hoc fieri potest præcisè ex vi reseruationis, quia potestas reseruandi, vt paulò superiùs dicebamus, non est ex eò, quia auctoritas supremi sacerdotis sit superior auctoritate alterius inferioris in foro pænitentiæ, ita vt sibi reseruet iudicium illud, quasi à superiori potestate ferendum, quod nullo modo tolli, aut commutari possit: ac subinde ex vi talis reseruationis superior sacerdos non potest aliquod imponere præceptum in pænitentiam iniungendo, quod non possit alius inferior sacerdos; Igitur veluti iste non potest sic, nec ille.

15 Superior igitur ratio confirmari potest per capitulum antecedens *distinct.* 50. *& cap. tempora* 16. *quæst.* 97. *& ibi Glossa* dicente pænitentias omnes esse arbitrarias; ideòque posse

Episcopum minuere pœnam, quam induxit Papa, Idemque habetur in *cap. latorem 33. qu. 2.* illudque extendit ad clericum inferiorem, vt possit minuere pœnitentiam ab Episcopo impositam; Igitur hoc quoque potest inferior confessarius sacramentaliter pænitentem absoluendo à reseruatis, quando iterùm suo feruntur iudicio. Ita colligitur ex *Glossa in dicto cap. Tempora in verbo, tuo iudicio*: quam dicit singularem Romanus *singular. 453. & consil. 428.* esseque communiter receptam, affirmat. Ita *Tiraquellus de pœnis in præfat. n. 26. Menoch. de arbitrar. casu 391.*

DISPVTATIO QVINTA.

De difficultatibus ad pœnitentem pertinentibus, quæ occurrere in reseruatorum sacramentali absolutione possunt.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum peccatum reseruatum, quando fuit à superiore absolutum in sacramentali confessione inualida, remaneat reseruatum.

CAPVT PRIMVM.

Prima opinio ponitur.

SVMMARIVM.

1 *Peccata reseruata annexam habentia excommunicationis censuram in confessione inualida facta superiori, ob pænitentis indispositionem, ita remanent absoluta, vt possint à quolibet alio inferiore absolui.*

2 *Peccata reseruata in confessione superiori facta nulliter vlla, hoc est, inualida, non tantùm quoad effectum, sed etiam quoad esse sacramenti remanent ita reseruata, vt erant priùs.*

3 *Prælati regularium nunquam concedunt, aut concedere intendunt peccatorum reseruatorum absolutionem, nisi verè pænitentibus, & dispositis.*

4 *Peccata mortalia non reseruata à proprio Parocho inualidè absoluta non possunt iudicio non proprij à pænitente subijci.*

1 DVas hac in quæstione extremas inuenio sententias, quarum prima duo docet. Primùm est; si peccata reseruata annexam excommunicationis censuram habeant, confessione existente inualida propter pænitentis indispositionem, absolutio facta hunc operabitur effectũ, vt ipsorum reseruatio tollatur, possitque postmodum pænitentis cuicunque legitimo eadem confiteri confessori, & ab eisdem absolui, & hoc siue prima absolutio facta sit à superiore siue ab inferiore illius habente facultatem. Ita *Pater Miranda tom. 2. sui Manualis q. 34. art. 13. conclus. 1.* qui verum ita id existimat, vt putet esse omnium doctorum placitum. Fundamentum, quo ducitur doctus iste vir, est; quia censurarum ablatio quocunque moneo, etiam extra sacramẽtalem confessionem, fieri potest, nec dependet ab absolutione peccatorum, cùm semper ipsam præcedat, & absolutio à censuris facta in prædicto casu si non valet vt absolutio sacramentali, propter pænitentis indispositionem, valebit tamen saltẽ vt absolutio extra confessionem; ad cuius validitatem tanta non requiritur dispositio quin verò nec vlla; cùm (vt communiter habent Doctores) à superiore conferri possit etiam inuito. Pro quo facit iuris Regula, quæ habetur *in cap. vnico de dispensat. impuber. in 6.* vbi ad simile propositum sequentia habentur verba. *Si non valet quod* ego ago, *vt ago, valet* vt valere potest.

2 Alterum est, quòd, quando superior, audita cõfessione, pænitentem absoluit, absolutio tamen non fuit valida, non tantùm quo ad effectum, verùm etiam quoad esse sacramenti; tunc illa peccata ita manent reseruata, & subiecta clauibus, ac si ad hoc iudicium delata non fuissent, nec data fuisset absolutio. Ita *Pater Miranda vbi suprà conclus. 2. Pater Portel in dub. Regul. verbo, casus reseruati in addit. n. 1. versicul. dixi olim, & in libello casuum reseruatorum à Clemente Octauo præludio 7.* Probari potest hæc sententia, quia prædicta absolutio ad peccatorum collata fuit absolutionem nec in ipsis peccatis fuit aliquo annexum præter ipsa peccata: sed ipsa peccata nõ fuerunt sublata, propter pęnitentis indispositionem; ergo remanent. Si ergo remanent, & anteà erant reser-

3 uata, sequitur quòd nec posteà absolui possunt, nisi à superiore, aut ab eo, qui eius habet auctoritatem; eò quòd nunquam superiores concedunt, aut concedere intendunt peccatorum reseruatorum absolutionem, nisi verè pænitentibus, verèque dispositis cùm igitur (vt supponitur in præsenti casu) pænitens non sit verè pænitens, nec sufficienter dispositus manifestè sequitur, quòd non consequitur prædictam absolutionem, qua non consequuta, sequitur, quòd peccata ipsa reseruata remanent sicut anteà erant.

4 Confirmari potest exemplo; Nam si quis hoc modo confiteatur peccata mortalia communia suo Parocho, & ab eo inualidè absoluatur, talia peccata alieno minimè cõfiteri potest sacerdoti, absque alia facultate, quia illa peccata adhuc sacramenti sunt materia necessaria, & ideo non potest quis ea alieno confiteri, sine licentia proprij. At verò ita se gerit inferior confessor circa peccata reseruata superiori, sicut sacerdos alienus circa peccata mortalia communia; ergo.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

Altera sententia vt probabilior, & in praxi tuta præponitur.

SVMMARIVM.

1. *Religiosus pænitens sacramentaliter à casibus per superiorem absolutus reseruatis, seu ab alio eius habente auctoritatem, nulla existente absolutione ob eiusdem Religiosi defectum, remanet liber à reseruatione.*
2. *Religiosus pænitens, qui suo superiori fassus est peccata reseruata, quantum in se est, completæ reseruationis fini satisfecit, & superioris intentioni.*
3. *Absolutio data à superiori potest esse valida quoad reseruationem, & inualida quoad peccata.*
4. *Reseruatio in confessione inualida quando non aufertur.*
5. *Peccata reseruata censuram aliquam excommunicationis habentia annexam, non remanent reseruata in confessione existente inualida, quia eorum ablatio fieri potest extra sacramentum.*
6. *Per solam Pænitentis, aut confessarij præsentationē peccatorum tollitur reseruatio.*
7. *Quando per inualidam confessionem peccatorum reseruatio non tollitur, secundum aliquos Doctores.*
8. *Peccata reseruata in confessione inualida sunt quo ad culpam non remissa, quoad verò reseruationem libera.*
9. *Reseruationis oblatio non pendet à sacramentali absolutione.*

1 RAtiones, quibus allata innititur sententia non conuincunt; Quamobrem contrariam sententiam censeo satis probabilem, & in praxi tutam, quam insinuant *Caietanus in summa v. casuum reseruatio, Syluester v. confessio 1. quæsito 19. S. Antoninus 3. p. lib. 14. cap. 15. §. 17. P. Suarez disp. 31. sect. 4. n. 9. Vazquez tom. 4. ad 3. partem q. 91. art. 3. dub. 5. num. 33. Reginald. tom. 1. lib. 8. n. 61. & seqq. Emmanuel Rodriquez qq. Regularium tom. 1. q. 21. art. 7. vbi testatur de communi Pater F. Ioānes à Trinitate de casib. in nostro Minorico ord. reseruat. dub. 8. num. 1.* Hanc sententiam probabilem quoque existimant *Portel loco citato.* Quando igitur Religiosus pœnitens sacramentaliter fuit à casibus reseruatis absolutus per superiorem, aut ipsius auctoritatem, potestatemuè habentē, nulla existente absolutione propter contritionis, attritionis, debitæuè dispositionis defectum, satis est prædicta absolutio quantum ad ablationem reseruationis, nec tenetur prædictus pænitens dicta peccata reseruata amplius Prælato, siue ipsius auctoritatem habenti, sed potest cuicunque maluerit Presbytero facultatem religiosorum
2 audiendi confessiones habenti, confiteri. Probatur; quia, ex quo Religiosus subditus coram suo comparuit superiore, eique integrè suum reuelauit peccatum, vt supponimus, ipseque superior conuenientem medicinam, satisfactionemque imposuit, suo muneri satisfecisse videtur quātum ad reseruationem spectat, & pænitens etiam videtur fecisse satis intentioni, finique reseruationis; ergo quamuis contingat, superiorem, absoluendo, verè à peccatis non absoluere; nihilominus absoluit, seu liberat à reseruatione: quia dū oppositum non declarat, satis significat, simpliciter absoluēdo, in ea parte se esse contentum; relinquit ergo pænitentem ab eo reseruationis onere liberum.

3 Hæc ratio magis illustratur ex eò, quòd fieri potest, vt absolutio illa non sit inualida ex aliquo defectu circa peccatum reseruatum: pono enim, pœnitentem integrè illud confiteri cum sufficiēti attritione illius, sed ex defectu circa aliqua peccata, qui est omnino per accidens ad casus reseruati confessionem, & ad superioris intentionem in eius reseruatione; ergo iure censebitur
4 reseruatio sufficienter sublata. Vlterius potest absolutio esse nulla ob defectū circa ipsius peccati reseruati confessionem, & tunc, si defectus esset in integritate, procul dubio reseruatio non aufertur, eò quod intentioni Superioris minimè esset satisfactum, neque esset coram illo comparitū: atqui si defectus dumtaxat sit in interiori dolore, non videtur obstare: quia intentio reseruationis solùm est, vt satisfiat superiori in hoc iudicio, quatenùs externum iudicium est, quod est huc in re valdè notandum.

5 Ex fundamento verò alterius sententię non obscurè idem ostendi potest; Nam peccata reseruata censuram aliquam excommunicationis habentia annexam ideò reseruata non remanent, confessione existēte inualida, eò quòd censurarum oblatio quocunque fieri potest modo, etiā extra sacramentalem confessionem, nec à peccatorum pendet absolutione: atqui peccata reseruata, quæ nullam annexam excommunicationis habent censuram, sunt huiusmodi; igitur veluti peccata reseruata, quando censuram habent annexam, non remanent reseruata in confessione inualida absoluta, ita, ob eandem rationem, nec peccata reseruata, quatenùs reseruata, hoc est in quantum nō habent annexam aliquā excommunicationis censuram. Consequentia tenet. Minor, in qua est tota difficultas probatur. Nam constans est, extra sacramentalem confessionem posse superiorem reseruationem tollere; igitur sicut censurarum ablatio à peccatorum non pendet ab absolutione, ita nec reseruationis.
6 Item per solam pænitentis, aut confessarij repræsentationem tollitur reseruatio peccatorum; igitur ex eo quod essentialiter, & intrinsecè, (vt ita dicam) reseruationis ablatio non dependet à sacramentali peccatorum absolutione, euidenter sequitur etiam in opposita sententia, quòd sicut reseruata peccata annexam aliquam excommunicationis habentia censuram in confessione inualida absoluta ampliùs non remanent reseruata, ita vt absolui possint à quolibet alio sacerdote; ita & peccata reseruata vt sic.
7 Accidere autem potest, vt defectus doloris sit tantus, vt peccator perseueret in proposito committendi tale peccatum, aut non exibendi satisfactio-

factionem, pœnitentiamuè impositā à superiore; & tunc limitant nonnulli, quòd in tali casu per confessionem inualidam nôn tollatur peccatorū reseruatio. Verùm nec placet limitatio; nam (vt pulchrè aduertit *Suarez loco citato nu.* 10.) adhuc in eo casu satis esse potest, si pænitēs mutet propositum, & verum concipiat dolorem, vt peccatorum reseruatio sublata censeatur; ita vt ab inferiori, seu simplici absolui possit cōfessore: quia propositum illud internum non est peccatum reseruatum; de alio verò peccato præterito satisfactum est superiori, & ille sine vlla conditione videtur subditum reliquisse liberum: quod sic explicari potest. Si subditus apertè proposuisset suo superiori casum illum, non vt sacramentaliter absolueretur, sed solùm vt ab eo liberaretur onere; tunc superior audiens, illum satisfactionemque imponens, censeretur liberum eum relinquere ab onere reseruationis; sed quando cōfitetur sacramentaliter, hoc in re ipsa simul cum absolutione postulat; igitur quamquam absolutio in ratione sacramenti non fuerit valida, potest nihilominus sufficiens esse signum satisfactionis superioris. Et certè peccatorū reseruatio quantum ex natura sua, nihil aliud poscit; igitur quocunque modo pœnitens coram suo compareat superiore pro casus reseruati absolutione, semper satisfacit superioris intentioni peccata sibi reseruantis.

8 Ex his itaque patet responsio ad fundamenta alterius sententiæ; Nam ad minorem propositionem respondeo, peccata illa reseruata, cōfessione existente inualida, non esse, quidem absoluta quo ad culpam, & pænam, esse verò absoluta quo ad reseruationem, quatenùs ab onere reseruationis liber relinquitur, ita vt possit cuicunque maluerit illa confiteri sacerdoti: & ratio est, quia pænitens tunc (vt dictum est) verè intentioni superioris sibi peccata reseruantis satisfecit, & fini reseruationis quoque; Etenim per reseruationem aliud non intendit superior, nisi suæ ouis cognoscere vultum, quod optimè facit, quoties satisfactionem pro peccato reseruato imponit, & medelam adhibet necessariam: ac proinde negatur consequentia. Ad illud verò, quod subsumit *P. Miranda*, respondeo falsum esse, superiores (ordinariè loquendo) concedentes facultatem absoluendi à reseruatis, concedere illam verè pœnitentibus, ita vt si pænitentes non sint dispositi,
9 intentionem habeant illam non præstandi. Dato nihilominus, quòd hāc teneant intentionem, ex hoc non sequitur intentum; quia reseruationis ablatio non pendet ex sacramentali absolutione: ita vt si intentionem non habeant præstādi facultatem absoluendi à reseruatis, nisi validè pœnitentes confiteantur, peccatorum non tollatur reseruatio; Nihilominus reseruationis ablatio, ex se sequitur. Ratio est (vt supra tetigimus) quia intentio reseruationis solùm est, vt satisfiat superiori in hoc iudicio, quatenus externū iudiciū est; Igitur nō potest dependere (satisfacto superiore in tali iudicio) ab eius intētione, quatenùs internè intendant tollere peccati reseruati ablationem per sacramentalem absolutionem, nisi hoc euidenter, & manifestè explicet; eò quòd subditus ex vi reseruationis præcisè ad nil aliud tenetur.

Ad confirmationem verò negatur similitudo; quia simplex sacerdos omnino caret iurisdictione: proprius verò (per se loquendo) habet illam in omnia peccata, nisi per reseruationem subtrahātur: & ideò, ablata reseruatione, statim iurisdictio illa extenditur, seu quasi reducitur ad proprium statum; in nostro autem casu ablata est reseruatio propter rationem factam.

CAPVT TERTIVM.

Explicantur aliæ duæ difficultates ad proximi capitis materiam spectantes.

SVMMARIVM.

1 *Quando facultas absoluendi à reseruatis conceditur per modum indulgentiæ, confessione existēte nulla, ita peccata remanent reseruata, sicut priùs.*

2 *Facultas sub conditione concessa nunquam adipiscitur, nisi conditione adimpleta.*

3 *Peccata amplius non remanent reseruata in confessione explicata valida sed non formata.*

4 *Quando nostri ordinis Superiores in nonnullis sollemnioribus festiuitatibus suam committunt auctoritatem, vt possint subditi à quocunque absolui confessario à reseruatis, si confessio fuerit nulla, non remanent liberi à reseruatione.*

1 Dvæ occurrunt difficultates explicandæ; prima est, quando auctoritas absoluendi à peccatis conceditur reseruatis per modum indulgentiæ, hoc est, quando præstatur de effectū lucrandi indulgentias, an tunc, confessione existente inualida, peccata remaneant reseruata? Respōdeo, remanere reseruata sicut anteà, quia tunc ex intentione concedentis requiritur confessio valida, qua non existente, peccatorum reseruatio non tollitur, eò quod in tali casu neque illa est confessio, neque absolutio, & ita nihil operatur: vt fusiùs dicemus 2. *p.* 2. *disp.* 2. *quæst.* 4. *cap.* 2. & 3.

2 Neq; obstat, si dicas, quòd hæc resolutio nō stat cū priori in proximo adducta capite, vbi determinatū est, per confessionem inualidam superiori factam tolli reseruationem. Non obstat profectò, quia in priori casu satisfit superiori, & impletur id totum, quod per reseruationem intenditur, & ita quasi ordinario iure (vt sic dicam) finitur reseruatio: in præsenti verò absolutio à peccato reseruato conceditur per modum indulgētiæ, & fauoris, cum conditione ad talem gratiam consequendam, vt pœnitens sua peccata confiteatur; quod saltem intelligi debet de cōfessione valida, quia alia non est sacramentalis confessio. Et ideò per illam nec remittitur culpa quia absolutio est nulla, nec tollitur reseruatio, nam facultas concessa sub conditione nunquam adipiscitur, nisi conditione adimpleta; quia tunc etiam superio-

superioris non satisfit intentioni, neque indulgē-
3 tia vlla ab illo concessa comparatur. Secùs verò erit, si absolutio sit valida, licet informis, saltem quo ad peccata reseruata in illa confessione explicata, & per talem absolutionem directè remissa, ratio est, quia quoad illa vsus indulgentiæ per illum concessæ validus fuit, semelque suum habuit effectum, qui non amplius reuocatur; & ideò peccata illa non solùm reseruata non remanent, verùm neque sunt materia necessaria confessionis. Ita *Pater Suarez tom. 4. ad 3. partem disp. 31. sect. 4. nu. 22.* & in hoc sensu existimo veram sententiam *Patris Mirandæ in 1. huius quæstionis capite adductam*; nam ex parte id sibi sentire videtur.

4 Altera verò difficultas eodem modo resoluitur; nimirum quando Prælati nostræ Religionis in aliquibus sollemnibus festiuitatibus suam cōcedunt auctoritatem, vt eorum subditi à casibus possint absolui reseruatis; si inualida sit confessio, non existunt à reseruatione liberi; & sic, festiuitate transacta, tenentur illa peccata suo confiteri Prælato, confessarioue auctoritatem eius habenti. Ita *P. Emmanuel Rodriquez loco citato, & Pater Ioannes à Trinitate vbi suprà.* Id probant Authores isti, quia nostræ Religionis Prælati, quando similē præstant auctoritatem, ista æquiualentia proferunt verba: *Vt possitis cum puriori conscientia hanc celebrare festiuitatem, nostram vobis concedimus auctoritatem, vt cuicumque malueritis confessario confiteri possitis.* Quæ verba satis indicant, eam auctoritatem concedi in ordine ad conscientias purificandas: quare cùm ad modū indulgentiæ illis videatur concessa; quam inualidè confitentur, seu in confessione animæ non intendunt puritatem, concedere, nolunt Prælati illis præfatam auctoritatem, & per consequens reseruata remanent peccata veluti anteà.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum quando Religiosus pænitens ob aliquam rationabilem causam dubitat, an casus sit reseruatus, à quocunque possit absolui inferiori auctoritatem in reseruata non habente.

CAPVT VNICVM.

Posse absolui probatur.

SVMMARIVM.

1 *Si dubitatur, an aliquis casus sit reseruatus tanquam reseruatus est censendus, iuxta nonnullorum sententiam.*

2 *Quando dubitatur, an aliquis casus sit reseruatus, hoc stante dubio, poterit Religiosus à quocunque absolui inferiori confessario.*

3 *An Hæresis censeatur Sum. Romano Pontif. reseruata, quando eam proferens hæsitat, an ita mente senserit: censenda est reseruata.*

4 *Religiosus, qui à casu dubio fuit ab inferiore absolutus, si postcà agnouit casum esse reseruatum, non tenetur ampliùs de eo confiteri.*

5 *Religiosus probabiliter opinans peccatum, quod onoratam habet conscientiam non esse reseruatum, tenetur superiorem pro absolutione obtinenda, adire iuxta Salas opinionem.*

6 *Religiosus non tenetur iterùm fateri peccatum reseruatum, quod probabili opinione credit, in confessione superiori facta, vel eius auctoritatem habenti detectum esse.*

7 *Religiosus, qui probabiliter opinatur, peccatum non esse reseruatum, licèt sibi oppositum probabilius persuadeat, non tenetur suo confiteri superiori, vel eius habenti auctoritatem, sed cuicunque sibi placuerit.*

1 QVando dubitatur, an aliquis casus sit reseruatus, quibusdā placuit cēseri eum reseruatum, & sic adeundum esse superiorem absolutionis gratia obtinendæ; sic docent *Armilla verbo, casus nu. 13. Frias tractatu de modo audienda confess. p. 2. cap. 8. casu 2.* & idem non obscurè significat noster doctissimus *Corduba super nostrā Regulam cap. 7. q. 4. puncto 1. casu. 5.* ait enim; in dubio an peccatum eo accedat, vt si reseruatum; vt si grauis percussio reseruetur, & dubitetur, an hæc sit grauis; esse solius habentis potestatem absoluendi à reseruatis iudicare, an reseruatum sit.

2 Dico nihilominus, quod quando ob aliquam rationabilem causam dubitatur, an aliquis casus sit reseruatus; tunc poterit pænitens Religiosus, stante dubio, à quocunque absolui inferiore cōfessario non habente auctoritatem in reseruata. Ita censet *Pater Suarez tom. 2. de Religione lib. 4. de voto cap. 5. num. 15. & tom. 5. ad 3. p. disp. 40. sect. 6. nu. 5.* vbi sic ait: Si aliquis casus reseruatur Summo Pontifici, vel alteri Prælato, v.g. homicidium, & incidat quis in dubium homicidij, talis casus non est censendus reseruatus, etiam si nihil aliud in illa lege exprimatur; quia cùm talis lex odiosa sit, verba eius sunt strictè sumenda casus autem de homicidio dubio non est de homicidio simpliciter; & ideò non comprehenditur sub reseruatione homicidij simpliciter dicti. Neque in eo casu tenetur quis tutiorem partem sequi, qualis videri posset accedere ad Prælatum, quia certissimum est, habere iurisdictionē, quia satis certum est, confessionem inferiori factam esse validam; eò quod casus dubius, ex vi illorum verborum reseruatus non sit. Hæc ille. Et in illo loco de Religione; sicut, inquit, de peccatis reseruatis dicimus non obstante reseruatione alicuius peccati absolutè facta, posse absolui illum, qui dubitat an tale peccatū commiserit, quia reseruatio, quæ onerosa est, restringeret ad casum certū, & qui tunc absoluit, licèt dubitet an peccatum tale fuerit commissum, certus est, non esse reseruatū, & ita tutam, tutissimamq; sequitur partem Idem docet *P. Henriq. lib. 6. de pænit. cap. 26. num. 7.* vbi sic habet: si pœnitens dubitat, an fuerint mortalia, & reseruata; intendit autē confessarius absoluere ab omni grauitate, quam re ipsa habent peccata tali in dubio casus non præsumitur reseruatus, sequitur hanc sententiam

San-

Sanchez in opere morali *lib.1.cap.10. num.64.* ibi Tertiò, quia dubitans, an casus sit reseruatus, non tenetur superiorem adire gratia absolutionis obtinendæ, sed reputare debet casum non esse reseruatum, quia cùm reseruatio sit odiosa, verba eius sunt strictè accipienda. Idem censent *Coriolanus de casibus reseruatis p.1.sect.1.art.5.§.2.* est notandum, quòd casus reseruatus debet esse certus, non dubius, seu æquiuocus, *Emmanuel Sà* in suis Aphorismis tit. casus: vbi ait, in dubio casus non præsumitur reseruatus; *Portel in dub. Regular. verbo, casus reseruati num.7. si sit, inquit, in dub.* quòd casus sit reseruatus, præsumitur non reseruatus, & potest absolui tanquam non reseruatus; *F. Ioannes à Trinitate in expositione casuum in nostro minorico ordine reseruatorum dub.9.nu.14.* Idem sentiunt *Ochagauia de sacram. pænit. tract.2. quæst.13.num.8. Hurtado de sacramentis tom.1. difficultate 11. de pænitentia dub.6. Homobon. in consult. casu. conscient. vol.2.p.5.respons.83. Filiuc. tom.2. tract.21.cap.4.n.172. Pater Diana p.4.tract.3. de conscient. dubia resol.4.*

3 Aduertò nihilominus, hoc esse intelligendum de foro dumtaxat interno; nam si in eo euentu esset præsumptio fori externi pro illius delicti amissi veritate, standum esset pro eius veritate; quia stante eius præsumptione, est pro certitudine delicti possessio, & illa præsumptione est in vtroque foro standum, dum de opposita veritate non constat. v.g. hæresis si externa reseruatur Summo Romano Pontifici, quando etiam mente ita sentitur, dubius autem eam proferens est, an ita mente senserit, vel, an mente ita sentiente, protulerit exteriùs animo eius asserendæ, & sic sit verè externa, ac proinde reseruata; an verò solius ioci animo; censebitur in hoc dubio reseruata. Ita *T. Sanchez loco citato*; quia cùm verba sint naturaliter intentionis signa, etiam nullus præsumitur dicere, quod in corde non habet, nec aliter, quàm in eo habet, latè idem *Sanchez ostendit lib.1. de matrimonio disp.9.num.13. & lib.3. disp.15. num.9.* præsumptio est ac possessio in hoc dubio, vt hæresis illa processerit exteriùs, ex interiori verò in illam consensu. Item quia hoc in dubium hìc iudicaretur verus hæreticus in foro externo; ergo in interno: quia hæc iudicia nō sunt diuersa, nisi quandò illud falsæ innititur præsumptioni; & in hoc constat contraria veritas.

4 Maior difficultas est, quando Religiosus pœnitens post absolutionem agnoscit casum esse reseruatum; an iterùm teneatur ab eo absolui ab auctoritatem habente: non teneri, quia dum manet dubium, valet absolutio, etiam posteà, sublato dubio, tenet. Ita *T. Corduba super Regulam cap.7. q.5. Ioannes à Trinitate, loco, quo suprà.* His connecto cum eodem Trinitate, quod probabilis doctorum sententia efficit, vt Ecclesia det iurisdictionem, si fortè opinio illa sit falsa: vt rectè ostendit *Sanchez lib.3. de matrimonio disp.22. num. finali*, vt si probabile sit, vt reuera est, talem posse absoluere à reseruatis, vel censuris, eligere confessorem, & similia, & ille ex hac opinione operabitur, validum erit, Ecclesia supplente defectum, si fortè subsit; nam cùm licitum sit operari ex opinione probabili, vt docent communiter Doctores, *Victoria summa, vbi de confess. nu.163. Sotus in 4. dist.18. quæst.2. art.5. ad quintum, Nauarrus in summa cap.24. num.4. & cap. si quis autem n.77. de pænitentia dist.7. Ledesma 2. p.4. q.8. art.4. dub.6. Henriquez lib.6. de pænitentia cap.16. nu.5. Azor. tom.1. lib.2. institut. moral. cap.17. quæsito 10. Suarez tom.4. ad tertiam partem disp.32. sect.5. per totam, Vasquez p.2. quæst.19. art.6. disp.62. cap.7. num.38. & 40. Valentia 2.2. disp.5.7. quæst. puncto 4. in fine, Salas 1.2. qu.21. tract.8. disp.11. sect.9. à nu.82. Salon 2.2. q.62. art.2. controuersia 4. paulò ante solutionem ad argumenta, latè T. Sanchez in opere morali lib.1. cap.9. per totum, Rodriquez in summa in 2. editione cap.62. n.11.* & alij apud *Dianam de opinione probabili, Aloysius à Cruce in Cruciatæ Bulla in opusculo de opinione probabili*; si omnia illa essent irrita, grauissima sequerentur incommoda, neque vllus aliquando certè in moralibus operaretur; quia ad operandum in rebus moralibus satis est probabilis cognitio, quæ reputatur moralis certitudo. Ita docent *Sanctus Antoninus 2.p. tit.1. cap.15. in principio, Rosella verbo, furtum, in principio, & ibi Angelus num.7. Syluester ante quæsit. prim. Sanchez in opere morali lib.7. cap.19. num.13.* & alij quamplures, quos ipse citat. sequitur *Henriquez lib.2. de pænit. cap.14. n.3. & 4. Lessius de iustitia, & iure lib.2. cap.29. dub.8. numer.68.*

5 Quæri autem hìc potest, quid sit censendum, quando non est dubium, sed iudicium probabile, seu opinio? v.g. quando pænitens Religiosus probabiliter opinatur, peccatum tale non esse reseruatum, vel iam illud in confessione superiori facta, alijque confessori illius habenti auctoritatem detectum, teneturne ad illum iterùm cōfitendum? *Salas p.2. q.21. tract.8. disp.11. sect.5. n.6.* ad quartum ait: licèt tanquam probabilius opinetur pœnitens, non esse peccatum reseruatum, vel iam in confessione detectum superiori facta, teneri eum puto ad illud confitendum, si potest fateri absque magno proprio incommodo secùs verò, inquit, si nequit poterit enim tunc id tacere, donec id cesset incommodum, & eo cessante, fateri tenebitur.

6 At veriùs censendum est, non teneri talem Religiosum fateri verùm peccatum reseruatum, quando probabili opinione credit illud in confessione superiori facta, cōfessarioue eius auctoritatem habēti detectum; quia (vt dictum est) potest quispiam licitè operari, probabilem sequendo sententiā, vt latè probant *Sanchez*, & alij apud ipsum *lib.1. in opere morali cap.9. num.14.* Et hoc ita verùm existimat *Sanchez*, quòd si pænitens probabiliter opinetur, se id peccatum reseruatum fassum fuisse, quamuis probabilius credat oppositum iterùm illud confiteri nequaquam tenebitur. Sic *Suarez tom.3. ad 3. partem disp.22. sect.9. num.5. & 6.* quod etiam non obscurè docuit *Nauarrus cap. si quis autem num.77. de pænit. dist.*

distinct.7. quatenùs docet, teneri quempiam dubium de cōfessione alicuius mortalis illud fateri, etiam si magis opinetur, se id falsum esse, dummodò illa opinio ad fidem, & credulitatem vtiq; non pertingat. Quòd si opinetur religiosus pænitens probabiliter, peccatum non esse reseruatum; quamquam probabilius oppositum esse sibi persuadeat, tunc non teneri confiteri suo superiori, vel alteri ad id habenti facultatem, sed cuicunque sibi placuerit posse confiteri confessario super non reseruata auctoritatem habenti dicendum venit; vt paulò superiùs determinauimus; ex eadem ratione, quia qui iuxta opinionem probabilem existimans operatur, licitè & honestè operari dicitur; quinimmò & securè, quia nullo se exponit peccandi periculo, vt doctores paulò anteà citati docent: quibus addo *Mercadum l.1. de contract. cap.5 Medin. p.2.q.19. art.6. fol. mihi 309. colum. ante penultimam, Bannes 2.2.q.10. art.1. dub.3. in obiectione contra quartam conclus. Aragon. 2.2. quæst. 63. art. 4. Ludouicum Lopez 1.p. instructorij cap.* 120. *Petrum de Ledesma 2. tom. summa tract. 8. cap. 22. fol. mihi* 747. immediatè ante duodecimam conclusionem & *Sayrum in sua Claui Regia lib. 1. cap. 6. nu. 4. & 10.*

7

QVAESTIO TERTIA.

Vtrum Religiosus scrupulosam circa reseruata habens cōscientiam possit sacrum facere aut communicari, scrupulo minimè deposito?

CAPVT PRIMVM.

Declaratur, quid sit conscientia scrupulosa, & quomodo à probabili, & erronea differat.

SVMMARIVM.

1 ***Licet nè Religioso cum sola scrupulosa conscientia celebrare, aut Eucharistiam sumere?***
2 ***Conscientia est iudicium, quo aliquid bonum esse, aut malum iudicamus.***
3 ***Conscientia diuiditur in erroneam, probabilem, & dubiam.***
4 *Scientia, Fides, Opinio, Suspicio, Dubium, & Scrupulus inter se quomodo distant.*
5 *Fides est assensus certus, obscurus tamen, habitus ex alicuius auctoritate illam rem affirmantis.*
6 *Suspicio est, quando ratio in alteram partem magis inclinat, non tamen illi assentitur.*
7 *Dubium est, quando intellectus in neutram inclinat partem, sed pendet in æquilibrio.*
8 *Scrupulus est, cuius suspicio, seu existimatio ex leuibus orta rationibus, qua quis credit aliquid esse peccatum, quod reuera non est.*
9 *Aliter sic scrupulus describi potest, est apparentia aliqua contra id, quod aliquis credit, vel opinatur, aut dubitat.*
10 *Conscientia erronea quid sit, & in quo discriminetur conscientia scrupulosa ab erronea, & probabili.*
11 *Conscientia erronea duplex, inuincibilis, & vincibilis.*
12 *Scientia, Opinio, & dubium dupliciter considerari possunt, speculatiuè, & practicè.*
13 ***Scientia, speculatiua est, quæ in communi certò, & euidenter dictat aliquid esse faciendum, vel esse peccatum.***
14 ***Opinio speculatiua est, quæ in communi dictat non certo, sed sub formidine.***
15 ***Dubium speculatiuum est, quando in communi dubitatur.***
16 ***Conscientia practica est, quæ in singulari omnibus rei circumstantijs benè perpensis, dicat aliquid hic & nunc esse licitum, vel illicitum; opinio, quando quis opinatur; dubium, quando dubitat, an hic & nunc sit licitum.***
17 ***Conscientia practica est proxima & immediata Regula actus dirigens humanos.***

1 Contingere sæpè potest, vt Religiosus aliquando confessario à reseruatis absoluendi facultatem habenti sua fassus fuerit peccata; probabiliter tamē opinatur, quod peccatum reseruatum, quo tunc ligatus existebat, in illa aperuit cōfessione: modo conscientia scrupulosa dictat, confessarium non habuisse iurisdictionem necessariam ad reseruatis absoluendum, taleuè peccatum reseruatum illi à se fassum non esse: quæritur modò; an liceat cum tali scrupulosa conscientia id dictante celebrare, aut communicari, absque eò quòd deponatur scrupulus, vel potiùs superiorem adire teneatur gratia absolutionis obtinendæ.

2 Quam difficultatem vt resoluamus, aliqua digna scitu hìc ex doctoribus sunt præmittenda: primum est, quòd conscientia, quamuis multis modis accipi possit, nihilominus quantùm ad præsens attinet, dicitur iudicium, quo aliquid bonum esse, aut malum, iudicamus. Et quamuis lex, siue naturalis, siue diuina, siue humana, sit prima malitiæ, aut bonitatis nostrarum operationum Regula; attamen proxima, est dictamen rationis, seu iudicium conscientiæ proponens voluntati obiectum tanquam honestum, vel turpe: quippe cùm voluntas sit potentia cæca, vt liberè operaretur quod ad bonitatem, malitiamuè operationis desideratur, indiget rationis iudicio proponente obiectum tanquam honestum, vel turpe: ac proinde id rationis iudicium, seu cōscientia, proxima regula erit.

3 Secundum; hæc conscientia, siue rationis iudiciū quandoque errant, & tunc dicitur conscientia erronea quandoque opinatur, & dicitur probabilis, seu opinans: quandoque dubitat, & dicitur dubia: quandoque scrupulis agitatur, & dicitur scrupulosa.
4 Distant autem scientia, fides, opinio, suspicio, dubium scrupulus. Conscientia dictat cognitionem certam saltem moraliter, ita vt non sit prudentis dubitare *l. 2. §. idem labeo ff. de aqua plun. arcen.* vbi sciri factum dicitur, cùm minimè dubitatur; & cap. Dominus de secundis nupt. vbi iubetur, ne coniux aliud matrimonium ineat, donec de alterius coniugis morte sibi constet; iuncto cap. in præsentia de sponsalibus, vbi tunc

tunc dicitur constare, quando vnicus testis certus adfuerit: & ita tenent *Angelus verbo, matrimonium 3. impedim. 13. n. 4. Syluester verbo, scientia, in principio, & ver. matrimonium 8. quæsito 13. dicto 1. Armilla verbo, matrimonium num. 45. Nauarrus cap. si quis autem num. 9. de pœnitentia distin. 7. Sanchez lib. 2. de matrimonio disput. 41. num. 2. &*
5 *in opere morali lib. 1. cap. 9. num.* 2. fides, seu credulitas est assensus certus, obscurus tamen habitus ex alicuius auctoritate illam rem affirmantis. Sic *Diuus Antoninus 1. p. tit. 3. cap. 10. §. 9. Nauarr. dicto cap. si quis autem num. 10. & summa cap. 27. n. 278. Cordub. lib. 3. quæstionarij q. 2. in principio, Sanchez locis citatis*. Opinio est assensus vnius partis non firmus, & certus, sed cum alterius formidine. Sic *Diuus Antoninus eodem §. 9. Syluester verbo, opinio, in principio, Sotus in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3. versic. tunc ergo, Nauarrus dicto cap. si quis autem num. 11. Cordub. vbi suprà quæst. 2. Sanchez locis citatis, P. Aloysius à Cruce in Bulla Cruciatæ* in opusculo de opinione probabili.
6 Suspicio est, quando intellectus in alteram partem magis inclinat, non tamen illi assentitur. *Corduba eadem qu. 2. Sanchez vbi suprà*. Dubium est quando intellectus pendet in æquilibrio, in neu-
7 tram partem potiùs inclinans. Sic *Diuus Thomas in 3. sentent. dist. 17. quæst. 1. art. 4. in corpore Durandus ibidem quæst. 2. ad secundum Syluester verbo, dubium num. 1. Diuus Antoninus Corduba, & Sanchez locis proximè citatis, Sotus in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3. Nauarr. dicto cap. si quis autem num. 12. & in sum-*
8 *ma dicto cap. 27. nu.* 279. Scrupulus est leuis quædam suspicio, aut existimatio ex leuibus orta rationibus, & fundamentis, qua quis credit, aliquid esse peccatum, quod reuera non est: sic *Vazquez 1. 2. disp. 67. cap. 2. Sanchez dicto lib. 1. in opere*
9 *morali cap. 9.* vel, scrupulus est apparentia aliqua contra id, quod aliquis credit, vel opinatur, aut dubitat. Ita *Nauarr. dicto cap. si quis autem num. 13. & dicto cap. 27. num. 279.* vel est assensus ex leuibus coniecturis. Ita *Diuus Antoninus*: vel ex magnis parùm existimatis ad scrupulum habēti. Ita *Corduba noster lib. 3. quæstionar. quæst. 2.* vel tandem, est formido ita tenuis, vt sit contra eam agendum, procedit enim ex quadam ignauia, & pauore: vel, est formido stans simul cum opposita opinione. Ita *Sotus de secreto membro 3. quæst. 2. conclus. 3.*
10 Ex quibus patet quomodo discriminatur conscientia scrupulosa à conscientia probabili, & à conscientia erronea, quæ sic definiri solet, est, nimirum, quæ dictat esse bonū, quod alioquin est malum, aut è contra; quæ dictat esse malum id, quod in se est bonum. Aduertunt tamen doctores communiter, quòd cùm in conscientia erronea sit ignorantia præuiæ dispositionis; sicut ignorantia quædam est inuincibilis, seu inculpabilis; altera autem vincibilis, seu culpabilis: sic
11 de conscientia erronea dicendum est. Dicitur ergo inuincibilis, quando ita errat, vt virtute modi, quo errori adhæret, non debeat illum deponere, sed potiùs prudenter existimare, se non errare. Vincibilis autem, quæ imprudenter iudicat, ita, vt si debita adhiberetur diligentia, minimè erraret.
12 Tertium est: conscientiam, fidem, opinionem, & dubium posse esse, vel speculatiuè, vel practicè: scientia speculatiua est, quæ in communi di-
13 ctat certo, & euidenter, aliquid esse faciendum, vel esse peccatum, v. g. esse vsurarium contractum, vel esse illicitum accedere ad non suam; & opinio speculatiua est, quæ in communi dictat
14 non certò sed sub formidine: dubium autem, quando in communi dubitatur: dicitur autem dubium rei, aut scientia, aut opinio rei secundum
15 se. Scientia autem practica est, quæ in singulari, & perpensis omnibus circumstantijs rei, dictat, aliquid hic & nunc esse licitum, vel illicitum: &
16 opinio, quando quis opinatur: & dubium quādo dubitat, an hic & nunc sit licitum. Appellatur autem scientia, vel opinio, vel dubium rei in particulari respectu operantis: & appellatur hæc scientia, vel opinio, vel dubitatio practica, licèt prior possit dici, & verè sit practica, cùm ordinetur ad humanas dirigendas actiones: quia prior dicitur speculatiua quo ad modum vniuersalitatis, & respectu posterioris particularis, quæ practica dicitur. Ita colligo ex *Caietano opuscul. 17. responsion. respos. 13. dub. 7. & 1. 2. q. 57. art. 5. ad tertium, Met. in Cod. de restit. q. 17. §. alter tamen videtur, Soto in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3. vers. imò verò Cordub. lib. 3. quæstionar. quæst. 5. Medina 1. 2. quæst. 19. art. 6. dub. 3. Bannes 2. 2. q. 62 art. 6. dub. 5. concl. 4. Petr. de Ledesm. de matrim. q. 45. art. 1. dub. 2. ad primum, Ludouic. Lopez 2. p. instructor. de matr. cap. 39. Vasquez 1. 2. quæst. 19. art. 6. disp. 65. cap. 1. nu. 2. Suarez ad 3. partem D. Thom. disp. 40. sect. 5. n. 14. Henriquez lib. 10. de matrimonio cap. 6. n. 6. & 7. Molina tom. 1. de iustitia, & iure disp. 113. tract. 2. Sanch. in opere moral. lib. 1. c. 9. n. 3. & lib. 2. de matr. disp. 41. num. 4. Salon. 2. 2. post quæstionem 61. q. 5. de dominio art. 6. & q. 69. art. 2. controuers. 3. Rodriqu. tom. 1. summæ in 2. editione cap. 71. n. 4. & cap. 243. n. 4.* ex iuristis *Couarr. Regul. possessor 2. p. §. 7. num. 4. & in 4. decret. 2. parte cap. 7. §. 2. num. 10. & regula peccatum 3. p. initio nu. 4. Burgos Depaz proœmium leg. Tauri num. 414.*
17 Hinc infertur, non tam habendam esse conscientiæ speculatiuæ, siue certæ, siue dubiæ, siue opinantis rationem, quàm conscientiæ practicæ, quia conscientia, siue cognitio practica est, quæ est proxima, & immediata regula actus dirigens humanos. Speculatiua verò non semper est sufficiens regula, sed quando cogit ad eandem conscientiam practicam formandam, vt optimè, & eleganter declarat *P. Sanchez dicto lib. 2. de matr. disput. 41. num. 5.* quod non sit specialis ab ea discedendi ratio.

CAPVT SECVNDVM.

Quæstionis Resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus scrupulosam habens conscientiam de peccato*

cato reseruato scrupulum non deponens, non potest licitè celebrare, sed tenetur superiorem adire gratia absolutionis obtinendæ.

2 *Religiosus scrupulosam habens conscientiam de peccato reseruato, sic scrupulum minimè deponat, potest celebrare, aut Eucharistiam sumere, absque eo, quod superiorem adeat pro absolutione obtinenda, iuxta Authoris opinionem.*

3 *Integrum est Religioso scrupulosam habenti conscientiam cum probabili opinione operari.*

4 *Author declarat, quomodo Authores oppositæ sententiæ sint intelligendi.*

5 *Exponitur Textus in Capitulo, Inquisitioni de sententia excommunicationis.*

1 His ergo sic dilucidatis, hac in quæstione duplex est opinio; prima, enim docet, deponendum esse scrupulũ, ad hoc, vt Religiosus, qui illo agitatur, licitè celebrare, aut cõmunicari possit; alioquin adstringitur superiorem adire gratia absolutionis obtinendæ; vel sua fateri peccata inferiori eius habenti potestatem. Ita censeo sentire *Ludouicum Lopez 1.p.instruct.conscient. c.3. vers.* ex quo sequitur in fine, *Manuelem Rodriq. 2. tom. summa c.51.n.3.finali.* Probari autem potest hæc sententia· 1. quia ad licitam operationem requiritur necessariò assensus intellectus saltem probabilis honestatis operis: atqui vrgente scrupulo deest talis assensus; igitur eum deponi postulat honestitas operis; igitur eo non deposito scrupulo, illicitè atque peccaminosè operabitur: ac subinde Religiosus scrupulosam habens consciẽtiã circa reseruata, si scrupulũ non deponit, minimè celebrare potest, absque eo, aliquod adeat suum proprium superiorem obtinendæ absolutionis gratia, vel ad alium, qui necessariam absoluendi à reseruatis habeat iurisdictionem. Secũdò, quia textus in cap. inquisitioni de sentẽtia excommunicationis loquens an coniux scrupulum solùm habens valoris matrimonij, teneatur ab eius vsu abstinere, sic ait; *Conscientia leuis, & temerariæ credulitatis explosa.* Vbi apertè textus ad licitum coniungi vsum exposcit, priùs scrupulum, seu illud temerarium dubium explodi.

2 Veriùs tamen tenendum est iuxta alteram oppositam sententiam docentem, licitum esse agere cum conscientia scrupulosa, quauis scrupulus non deponatur, sed maneat in mente: atq; adeò huiusmodi conscientiam iudicio requisito ad licitam operationem non obstare; ac proinde potest Religiosus scrupulosam habens de peccato reseruato conscientiam, an illud fassus fuerit habenti auctoritatem, vel illud confessus fuerit, absque eo, quod scrupulum deponat, non tenetur ad absolutionis beneficiũ obtinendum adire superiorem, aut alteri eius habenti auctoritatẽ confiteri: ac subinde licitè celebrare potest, aut Eucharistiam sumere. Ita sentire videtur *Nauarrus cap.si quis autem n.64.& 65. de pænit.dist.7.Gerson tract.de præpar. ad Missam Alphab. 37. littera F. 2. p.* vbi sic habet: Debent scrupulosi audaciter contra tales scrupulos operari, alias nunquam pacem habebunt. *Laurentius Iustin.in lib.de disciplin.Monastica Conuers.c.12.D. Antonin.1.p tit.3.c. 10.§. 10. Syluest. v. scrupulus quæsit.3. Caietanus in summa verbô scrupulosorum medicina, noster Corduba in suo quæstion.lib.3.q.5.præposit.4.Nauarr. Summa latin.præludio 9.n.9.& cap.27.nu.283.Valentia 1.2.disp.2.q.14.Salas ibid.q.22.tract.8 disput. vnica sect. 29. num. 298.Medina lib.2 summ.cap.17. Sanchez expressè in opera morali lib. 1. cap. 10. num. 8.* Et probatur primò, quia ad benè & honestè operandum satis est iudiciũ probabiliter dictans, aliquid licitæ cum partis oppositæ formidine, quia formido vnius partis assensum non excludit determinatum circa alia, sed in eo tantùm consistit, vt quis per actum reflexum illius partis rationes huius assensus habeat, rationes non esse euidentes, sed tantùm probabiles, atque ita possit accidere, vt cõtraria opinio fortè sit vera, at quãtumuis perseueret scrupulus in mente, non admittitur prædictum iudicium; cùm enim scrupulus ex leui procedat fundamento, nequit practicam, ac moralem in operando tollere certitudinem; igitur. Maior huius discursus, in qua fortasse posset esse difficultas, declaratur, simul atq; probatur; quia cùm prudentia sit humanorum actũ regula, iudicium, quod sufficit ad prudenter agẽdum, satis quoque erit ac honestè & licitè operandum: atqui prudens operatio non exposcit omnimodam certitudinem sed probabili cũ alterius partis formidine cõtenta est; aliàs vix esset, cui operari liceret; cum res practicæ difficillimæ cognitu, & varijs sint subiectæ opinionibus, igitur.

3 Secundò, quia & si nesciatur eum esse scrupulum, sed probabiliter tantùm credatur, eo ipso, quod est probabile esse scrupulum, est quoque probabile eum carere fundamento; igitur eo nõ deposito, sed adhuc vrgente, est integrũ operari contra illum, & consequenter licebit tali Religioso cum tali scrupulo sacrum facere, seu Eucharistiam sumere.

4 Doctores verò pro opposita allegati sententia, qui contrarium docere videntur, intelligendi veniunt, (meo iudicio) nõ de vero scrupulo, quod quantumcumque vrgeat minimè contrariæ partis assensum tollit, vt benè *Sanchez in opere morali lib.1.cap.9.num.2.* obseruat; sed intelligendi sunt, quando determinatum alterius partis tollit assẽsum: in quo euentu iam non est scrupulus, sed verum dubium, quo existente, non licebit operari, vt in simili docuimus de confessario, qui dubitat, an iurisdictionem super reseruata verè habeat, & docuit *Caietanus in suis opusculis tom.1.tract.vltimo in resp.13.dub.7. ad finem.*

5 Et Textus etiam in *cap. inquisitioni de sent. excommunicationis*, quem pro contraria adduximus opinione, est intelligendus non de vera explosione, ita, vt scrupulus non sentiatur, nec perseueret, sed ita, vt ipsi consensus non præstetur, per determinatum illius partis, in qua vexat, iudicium formando assensum; cum dictamen referat, eam nõ licere partem, vt pulchrè probat *Sanchez loco proximè citato.*

CAPVT TERTIVM.

Ex Doctoribus nonnulla, collecta ad materiam præcedentis capitis spectantia adducuntur.

SVMMARIVM.

1 *Confessarius scrupulosi excipiens confessionem debet ei persuadere, vt nil mortale esse putet, nisi tale esse nouerit absque vlla formidine.*

2 *Confessarius nunquam debet scrupulosi admittere dubia, nec ad se euntis interrogandi gratia dubia excipere.*

3 *Confessarius nullo modo scrupulosos debet permittere suos confiteri scrupulos, sed ea dumtaxat, quæ norit apertè esse peccata.*

4 *Confessarius mollis scrupulosi precibus debet acquiescere, vt eum ad ea confitenda admittat, de quibus ipsi scrupuloso dubium superuenit, an benè fuerit confessus.*

5 *Quid Confessarius facere debet cum scrupulosis, qui de peccatis inposterum vitandis minimè curant.*

6 *Quando dubium est de confessione, aut si quis dubitet, an mortale fassus sit, tenetur id fateri si dubium illud non deponit.*

1 PRoximi capitis materia nobis præbuit occasionem, hîc (licèt obiter) aliqua, quæ ex Doctoribus cumulauimus, documenta, pro tollendis scrupulis confessoribus quammaximè necessaria, referendi. Confessarius ergo scrupulosi confessiones excipiens hęc potissimùm remedia est ei adhibiturus, qui eius conscientiam pacare valeat. Primum est ei suadere, vt nil mortale esse putet, nisi certò tale esse nouerit, & absque formidine vlla. Ita tradunt *Vazquez 1.2.q.19.art.6. disput.67.cap.2.ad finem. Azorius institut. moral. tom.1.lib.2.cap.20.quæsito vlt.* quinimmò interdũ certum est, posse quempiam adeò vexari scrupulis, vt ipsi suadere expediat, ne aliquid esse mortale existimet, nisi quod talis esse posset iureiurando affirmare. sic *Vazquez loco citato*, & idẽ dicendum de consensu ab ipso præstito alicui mortali: est enim monendus, ne se consensisse putet, nisi ita certus sit, vt id iurare valeat. Hoc tradit *Pater Sanchez in opere morali lib.1. cap.10.num.82.*

2 Secundum est, vt confessarius frequenter, & in plurimum scrupulosi non admittat dubia, nec se adeuntem causã interrogãdi dubia excipiat, & si opus fuerit, illum verbis ad id oppositis accommodatis exterreat. Sic tradit *Pater Azorius loco paulò superiùs citato*. Et huius ratio est, quoniam (vt inquit *Vazqu. loco præallegato*) si semper scrupulosus confessarium, aliumuè doctum virum circa scrupulos consulat, scrupulorum fontem nunquam exhauriet. Addit autem hîc *Valentia 1.2. disp.2.qu.14.punct.4.quæsit.vlt.* quòd potest scrupulosus etiam deterreri, ei applicando, posse interdum esse præceptum agendi contra scrupulos: nimirùm, quando quis graue ex scrupulis, & ansietatibus pateretur detrimentum. Quòd documentum saluberrimum tradidere etiã *Gers. 2.p. tractatus de præpar. ad missam Alphabetho 37. littera F. Diuus Antoninus 1.p.tit.3.cap.10. Syluester verbo, Scrupulus q.3. Caietanus in summa verbo, scrupulosorum medicina, Nauarrus in Summa latina cap.27.num.283. P. Corduba lib.3. sui quæstionar.q.5.præposit.4. Alcozer summa cap.7. Medina lib.7. summæ cap.17. Salas 2.2.qu.21.tract.8.disput.vnica sect.29.num.298.*

3 Tertium remedium adhibendum est, vt confessarius nullatenus permittat scrupulosos suos confiteri scrupulos, sed ea dumtaxat quæ apertè norit esse peccata: atque eius dubia in meliorem interpretetur partem. Sic doctissimus *P. Azorius loco paulò ante citato*.

4 Vltimum remedium est, ne confessarius vllis scrupulosi precibus, quantumuis importunis, acquiescat, vt eum ad ea confitenda admittat, de quibus ipsi scrupuloso dubium superuenit, an ea confessus fuerit; quando mediocri diligentia constat, eum fassum fuisse; quia alicuius rei credulitas, & sic confessionis præmissæ, est in scrupulis quasi certitudo in homine pacatæ conscientiæ. Ita *Pater Sanchez ibidem*. Item, quia confessio non est, vt laquei inijciantur, sed bona fide, & mediocri diligentia præmissa, aperiantur crimina, & semel aperta sepeliantur: ergo, qui semel hanc adhibuit diligentiam, potest probabiliter credere, huic se obligationi satisfecisse, dum contrarium certò sibi non constiterit. Sic tradunt *Caietanus, Medina paulò superiùs allegati*; idem *Medina 1.2.q.19.art.6. finali Nauarr. cap. si quis autem nu.71. de pænit. dist.7. Henriquez lib.8. de pænit. cap.3.num.4.* His addit *Emmanuel Sà in summa verbo, dubium num.5.* scrupulis nimijs vexatum non debere fateri, nisi quæ potest iurare esse mortalia, & se nunquam ea fassum fuisse: quæ doctrina est valdè informis doctrinæ traditæ à *Vazquez*, & maximè necessaria ad obuiandam scrupulis conscientiamque pacandam.

5 Verùm hæc remedia dumtaxat scrupulosis deseruiunt, quibus suæ conscientiæ cura est; vt optimè aduertit *Vazquez 1.2.quæst.19.art.6. disputat.67. capit. in fine*. Sunt quippe nonnulli scrupulis nimis vexati, ac de peccatis imposterùm vitandis minimè curant, sed eis effrænatè vacant, quibus difficillimo negotio adhiberi potest remedium: quare his (inquit *Sanchez*) remedium præsentaneum esset, si frequenti confessione sua expient peccata, vt vel sic ad saniorem mentẽ reducti, vti prædictis tutò possint remedijs. Verùm quamuis hoc minimè præstet, sed in futuris peccatis cauendis minus cauti sint, possunt in ea materia, in qua eos scrupulis vexari cõstat, dubia eorum in meliorem partem declarari. Hæc ex *Gabriele Vazquez loco, vbi suprà, tradit Pater Sanchez*, quibus etiam addit, rarissimè hos circa præsentia crimina, in quæ præcipites feruntur, scrupulis vexari; cùm illis apertè consentiant; sed aut circa præteritorum confessionẽ torquẽtur peccatorum, an ea confessi fuerint, & circa

circa hoc, quando confessarius nouerit, eos, mediocri diligentia adhibita, integrè fassos fuisse, illis persuadere potest, ne prætetitum confiteātur peccatum, nisi certi omninò sint, illud in confessione detectum non esse. Ita tradit *Emanuel Sà in summa verbo, confessio num. 42.*

6 Neque obstat, si dicas, quòd quando dubium est de confessione aut si quis dubitet, an aliquod mortale fassus sit, tenetur iterùm id fateri, dum dubium illud non deponit; prout communiter tradunt Doctores: Non obstat certè, quia quando est in dubio, an aliquod mortale sit in confessione detectum, necessariò fatendum est, quando tamen dubium est rationi consonū; quale non est in præsenti, sed potiùs iudicatur scrupulus, ac demonis vexatio ad conscientias turbandas, & tædium ingerendum confessionis, quando verò ex modo confessionis factæ, & diligentia ad eius integritatem apposita, confessarius prudens omninò integram fuisse iudicat; tunc scrupulosi pœnitentes sibi persuadere iure optimo possunt, id peccatum in generali peccatorū numero: quæ fassi sunt, inclusum esse vt si sit fornicator, in fornicationum numero &c. quamuis, dum peccata fatenda numerauit, illius non meminerit. Neque enim est possibile in confessionibus, quæ diù protrahuntur, memoriam omnium in singulari habere peccatorum: & ideò pœnitens, attenta sua peccati patrandi consuetudine, numerum explicat, qui sibi verisimilior videtur. Aut hi scrupulosi deperditæ vitæ vexantur scrupulis circa res fidei, & Blasphemias; quæ peccata maximè abhorrere solent; vel circa vota à se emissa, credentes passim, & leuiter se votis adstringere, vel circa alia similia; & circa hæc potest confessarius vti erga illos remedijs iam dictis, ac illis suadere, vt de his minimè curent, sed contra agant: ac debet confessarius illorum dubia hæc in mitiorem interpretari partem, quia in his similiter se habent, ac scrupulosi morigerati, nec in his præcipites ad peccata feruntur. Hactenùs *Pater Sanchez*.

DISPVTATIO SEXTA.

De priuilegijs, quibus vti licèt Regularibus pro reseruatorum obtinenda absolutione.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum Religiosis sint aliqua concessa priuilegia, quibus absque suorum Prælatorum licentia, vti possint pro reseruatorum à quocunque confessario super non reseruata habente auctoritatem obtinenda absolutione?

CAPVT PRIMVM.

Omnia ferè priuilegia à Summis Romanis Religiosis concessa Pontificibus; quibus indulgetur facultas absoluendi ab omnibus criminibus quomodocunque & quibuscunque reseruatis adducuntur.

SVMMARIVM.

1 *Iure priuilegiorum possunt Regulares omnes eligere confessarium ex propria Religione, qui de omnibus peccatis reseruatis, & censuris eos absoluat; qui etiam potest cum eis dispensare super irregularitatibus, homicidio excepto voluntario.*

2 *Xistus Quartus fratribus omnibus de obseruantia indulsit vt de eadem obseruantia eligere possint cōfessarium, qui eos absoluat ab omnibus criminibus, excessibus, & censuris Ecclesiasticis.*

3 *Idem Xistus concessit omnibus eiusdem Ordinis de obseruantia professoribus, etiam nouitijs, vt semel in vita possint eligere confessarium de sui superioris licentia, qui eos absoluat ab omnibus peccatis, & in mortis articulo plenariam absolutionem omniū peccatorum impartiatur.*

4 *Eugenius Quartus eisdem fratribus minoribus concessit, etiam Nouitijs in Religione perseuerare volentibus, quòd eligere possint confessarium idoneum qui authoritate Apostolica eos in articulo mortis absoluat ab omnibus peccatis, & censuris Ecclesiasticis, etiam sedi Apostolicæ reseruatis, ac plenariam indulgentiam impartiatur.*

5 *Nicolaus Quintus indulsit Religiosis priuilegium cōmunicationis habentibus, quòd cùm aliquis fratrū indementiam incurrerit siue lethargiam, vel expressionem amiserit loquelæ, propter infirmitatem, vel aliàs, antequàm absoluatur, illi fiat plenaria remissio; vel quia non fuit copia confessoris, cùm talis, vel similis casus euenerit, quicunque Presbyteri sæculares, vel Regulares eum absoluere valeant.*

6 *Leo X. omnibus Religiosis, etiam monialibus, concessit, vt quatuor diebus in anno, quibus maluerint, ab omnibus suis peccatis, & censuris plenariè absolui possint.*

7 *Omnium ordinum Religiosi, præter hos quatuor prædictos dies, ab omnibus peccatis, & censuris plenariè etiam in omnibus diebus Domini Sabahot, & Beatæ Mariæ Virginis, omniumq; Sanctorum, & Apostolorum Petri, & Pauli, ac cuiusuis Religionis Sancti fundatoris, & in die Sanctæ Claræ, & per totam Maiorem hebdomadam absolui possunt.*

8 *Idem Leo X. nobis fratribus Regularis obseruantiæ cōcessit, semel in quolibet anno, vt possimus plenariè absolui, & consequi indulgentiam in die festo S. Catharinæ Virginis, & Martyris.*

1 QVamplura sunt priuilegia, quibus datur facultas nostri ordinis Religiosis, vt possint de eadem Religione confessorem, eligere, qui de omnibus peccatis reseruatis, & censu-

censuris possit illos absoluere, immò, & dispensare super irregularitatibus, homicidio excepto, voluntariaque mutilatione, quæ priuilegia in summa redegit *Emmanuel Rodriquez tom. 1. quæstionum Regularium quæst. 62. artic. 5.* eadem quoque transcripsit *Pater Miranda Tomo 2. sui directorij Prælator. q. 33.* ex pluribus autem duximus hìc potiora aliqua in vnum redigere, vt commo-
2 diùs legentes præmanibus habere possint. Sixtus Quartus concessit omnibus fratribus minoribus de obseruantia præsentibus, & futuris, tam professis, quàm nouitijs, (qui tamen propositum habeant profitendi) *nec non sororibus Sanctæ Claræ, & tertiarys vtriusque sexus, & famulis, & Sororibus prædictorum omnium, vt quilibet eorum possit semel eligere confessorem de huiusmodi obseruantia, qui audita eius confessione, pænitentiam salutarem iniungendo, absoluat eos ab omnibus criminibus, excessibus, & censuris Ecclesiasticis, & dispenset cum eis in omnibus irregularitatibus, si quæ fortè contraxerint, (homicidio voluntario, & mutilatione membri semper exceptis) & eis remissionem generalem, & plenariam omnium peccatorum impertire valeat, & quòd idem possit in mortis articulo.* Habetur hoc priuilegium in monumentis ordinis primæ æditionis folio 64. & 2. folio 68. concess. 131. & in supplemento folio 96. concessione 341. Huic
3 aliud simile priuilegium idem Sixtus Quartus indulsit singulis Prædicatorum, & Minorum ordinum professoribus, qui tunc erant, & pro tempore perpetuò erunt; *Vt confessor idoneus eorundem ordinum, quem quilibet pro se de sui superioris licentia duxerit eligendum, eorundem confessione diligenter audita, pro commissis per eos excessibus, & peccatis, semel in vita, in forma confessionali per ipsum edita, & in mortis articulo, plenariã absolutionem, & peccatorum huiusmodi valeat (etiam si ante factam eorundem ordinum professionem eos decedere contigerit) remissionem impendere.* Hoc priuilegium habetur in monumentis ordin. fol. 65. primæ impressionis & fol. 148. 2. concess. 360. haberturque in compendio verbo, absolutio extra-
4 ordinaria quo ad fratres §. 5. Eugenius Quartus aliud simile concessit priuilegium, prout habetur in monumentis ordinis primæ impressionis fol. 61. & 2. folio 64. concess. 77. referturque in compendio dicto verbo, absolutio extraordinaria quo ad fratres §. 2. *quo concessit omnibus fratribus minoribus, ac etiam nouitijs in Religione perseuerare volentibus, quòd possint eligere confessorem idoneum, qui auctoritate Apostolica absoluat eos in articulo mortis ab omnibus peccatis, & censuris Ecclesiasticis, etiam sedi Apostolicæ reseruatis, siue ex alia quacunque causa prouenientibus, & plenariam omnium peccatorum indulgentiam largiatur, quam indulgentiam prædicti fratres consequantur, etiam si prædictum confessorem eligere non potuerint, seu obliti fuerint, dummodo moriantur in statu gratiæ.* Et in eodem §. 2. dicto verbo, absolutio extraordinaria quo ad fratres aliud simile continetur priuilegium eiusdem Eugenij Quarti, vbi iterum id ipsum concedit, addens; *Quòd si in illo reputato mortis articulo dicti fratres non decesserint*, semper indulgẽtia prædicta reseruari intelligatur ad verum mortis articulum.

5 Nicolaus Quintus etiã indulsit fratribus quoddam aliud simile priuilegium, quod refertur in compendio ordinis D. Hyeronimi titulo, indulgentia plenaria §. 7. quo concessit, quòd *Cùm aliquis fratrum indementiam incurrerit, siue lethargiam, vel amiserit expressionem loquelæ, propter infirmitatem, vel aliàs, ante quàm absoluatur, & illi fiat plenaria remissio, vel quia non fuit copia confessoris, cùm talis casus, seu similis euenerit, in dicto mortis articulo quicunque presbyteri sæculares, vel Regulares eum valeant absoluere, & huiusmodi omnium peccatorum plenariam remissionem auctoritate Apostolica possint, & valeant illis impendere, quòd si talis infirmus superuixerit, nihilominus dicta plenaria remissio, quoties sibi facta fuerit, perinde valeat, ac si de eiusmodi infirmitate decesserit:* quæ concessio magna est, plurisque exstimanda.

6 Præterea, omnes nostri ordinis Religiosi, & (communiter, generaliterque loquendo) omnes aliorum ordinum Religiosi priuilegium habentes communicationis quatuor diebus in anno, quibus maluerint, ab omnibus suis peccatis, & censuris plenariè absolui possunt, ex priuilegio Leonis Decimi Monialibus Sanctæ Claræ concesso; quod habetur in supplemento fol. 93. concess. 290. & refertur à Collectore priuilegiorum verbo, absolutio extraordinaria quoad fratres §. 7. in cuius fine inquit prædictus collector, quod placuit sanctitati suæ de benignitate Apostolicæ pietatis, concedere facultatem prædictarum monialium confessoribus de licentia suorum Prælatorum easdem audientibus, quòd ea plenitudine eas absoluant, & illi statui innocentiæ restituant, cui Sanctitas sua faceret, si ipsemet in confessione auscultaret, & post hoc eadem auctoritate Apostolica omnibus, & singulis Sãctam benedictionem impartiantur nomine sanctitatis suæ. Hoc certè priuilegium magnum est, plurisque æxtimandum, ipsoque omnes fratres minores fruuntur, vti quicunque alij Religiosi priuilegium habentes communicationis.

7 Præter hos quatuor dies prædictos, possunt fratres ab omnibus peccatis, & censuris plenariè etiam absolui in omnibus diebus Domini Sabbaoth, & Beatæ Mariæ semper Virginis, omniumque Sanctorum, & Apostolorum Petri, & Pauli, ac sanctissimi Patris nostri Francisci, & Sanctæ Claræ, & per totam maiorem hebdomadam, ex priuilegio eiusdem Leonis Decimi eisdem Sanctæ Claræ Monialibus, & Ancillis Beatæ Mariæ Virginis sub fratrum minorum de obseruantia Gubernio existentibus concesso, & refertur in supplemento *folio 42. concess. 133. & concess. 137.* quo etiam fruuntur, & perfrui possunt non solùm sacri nostri ordinis, verùm etiam omnium aliarum Religionum professores priuilegium communicationis habentes; prout tradunt *Rodriquez, Miranda, Suarez*, & alij.

8 Idem

8 Idem Leo Decimus omnibus fratribus minoribus Regularis obseruantiæ cōcessit, quòd semel in quolibet anno, vltra alias indulgentias, quas à sede habent Apostolica, plenariè possunt absolui, & indulgentiam plenariam consequi in festo sanctæ Catharinæ Virginis, & Martyris. Habetur hoc priuilegium in supplemento *fol.* 44. *concess.* 299. & refertur in compendio priuilegiorum verbo, absolutio extraordinaria quo ad fratres §. 10. quo etiam priuilegio propter eandem factam rationem fruuntur moniales Sanctæ Claræ, & ancillæ conceptionis Beatæ Virginis, & similiter omnes Religiosi priuilegium communicationis habentes. Quamplura alia sunt priuilegia ad hoc idem per quamplures Sūmos Romanos Pontifices Regularibus concessa, quæ omitto, eò quòd longum esset nimis velle ea omnia in præsentiarum recensere, quæ commodiùs, & faciliùs videri possunt in nostri ordinis monumentis, quæ illis plena sunt referunturque in compendio priuilegiorum verbo, absolutio ordinaria, & extraordinaria quo ad fratres per nonnullos Paragraphos. Hæc pauca duximus referenda, quia sic præsens materia exposcit.

CAPVT SECVNDVM.

Aliquæ circa proximè allatas Pontificias Concessiones adnotationes pro earum faciliori intellectu, hac in materia quammaximè necessariæ, statuuntur.

SVMMARIVM.

1 *An Regulares, virtute dicti Priuilegij Sixti IV. à quocunque sacerdote, etiam non approbato, absolui possint.*

2 *Confessarium eligendum virtute dicti priuilegij debere esse ex approbatis à Prælato, ostendit Author.*

3 *Ad hoc, vt in articulo mortis Religiosus gaudere possit priuilegio Sixti Quarti secundo loco enumerato, oportet, vt confessor electus sit necessariò ex approbatis.*

4 *Declarantur illa verba dictæ Constitutionis Sixti Quarti, nimirum,* quicunque presbyter, vel sacerdos, *quomodo sint intelligenda.*

5 *Prædicta concessio extenditur etiam ad Nouitios.*

6 *An Prædicta concessio sit extendenda ad nostros Tertiarios.*

7 *An Religiosi, qui ex confidentia suorum priuilegiorum peccant, gaudeant Priuilegio ab Eugenio IV. concesso, & quæ conditiones sunt necessariæ, vt illo vti securè possint.*

8 *An fratres nolentes Septem Psalmos Pœnitentiales recitare, gaudere possint dicto Priuilegio Eugenij Quarti?*

9 *Declaratur, Quomodo sit intelligenda Nicolai V. concessio.*

1 Verùm allata priuilegia, seu concessiones suis non carent difficultatibus, quæ necessariò sunt priusquàm propositā soluamus quæstionem, explanandæ. Et primò se offert circa Sixti Quarti concessionem difficultas; an possint Regulares absolui à quocunque sacerdote, etiā à superiore non approbato, vel à confessore sui ordinis: Etenim facultas illa, quæ nostri ordinis præstatur Religiosis, vt possint semel eligere de eadem obseruantia confessorem, qui de omnibus peccatis reseruatis, & censuris possit illos absoluere, immò & dispensare in irregularitatibus, homicidio excepto, atque voluntaria mutilatione, cum priuilegium generale sit, complectitur omnia peccata, etiam in ipsa Religione reseruata: cùmque ex parte personæ eligendæ nullam aliam requirat conditionem, nisi quòd sit eiusdē ordinis, non videtur ampliùs restringenda, nec specialis postulanda Prælati venia. Quamobrem videtur dicendum, à quocunque sacerdote, etiam non approbato, posse Religiosos à prædictis peccatis absolui.

2 Probabilius nihilominus, atque verius existimo esse tenendum, confessorem sic eligendum debere esse ex approbatis, vel expositis à Religionis Prælato ad suorum audiendas confessiones subditorum; ducor, tum quia non sine causa Pontifex ibi dixit; *possit eligere confessorem de eadem obseruantia*, & non dixit; *possit eligere sacerdotem, aut presbyterum*; tum maximè, quia priuilegium debet, quo ad fieri possit, secundùm ius intelligi, quando ita potest suum effectum operari sufficienter, & magis ordinariè; vt omnes Doctores præsertim Canonistæ docēt; quod ita contingit in præsenti; nam priuilegium hoc operatur, dando benè amplam iurisdictionem; tamen ex parte personę ordinariè Religionum ius non excludit, quod requirit Pręlati approbationem ad illud exercendum munus. Vndè quatenùs idem priuilegium ibi etiam adseruientes, & famulos extenditur, oportebit, vt confessor eligendus sit ab Episcopo approbatus, iuxta Concilij Tridentini Decreta, vt adnotauit *Suarez loco statim citando, & Rodriquez tom. 2 quæstion. Regular. quæst.* 67. *art.* 1. de Nouitijs autem, ad quos etiam ibi fit extentio, non idem censendum est, sed satis est illis confessor approbatus à Religione; nam quo ad hoc non sunt sęculares, sed vt Regulares sunt computandi. Tandem hoc priuilegio (vt proximo capite dictum est) vti possent omnes Religiosi, qui in priuilegijs cum medicātibus communicant: vnusquisque tamen seruare debet modum in sua Religione statutum, & à Pontificibus approbatum circa talium priuilegiorum vsum. Idem sentiendum est de omnibus alijs priuilegijs suprà enumeratis concessis pro aliquibus anni festiuitatibus, quatenùs in eis pręstatur facultas confessarium eligendi.

3 In alio verò eiusdem Sixti IV. priuilegio huic simili cōceditur facultas pro articulo mortis cum his exaggerationibus; *quicunq; confessor quemlibet Religiosum mendicantium, vel eorum, qui gaudent, eorum priuilegijs, ab omnibus casibus, nullo excepto, cum omnimoda auctoritate ac si in illo actu esset Summus Pontifex, absoluere potest: & eadem auctoritate*

ei indulgentiam plenariam concedere. In quo primùm notari oportet particula, *quicunq; confessor*, quam censeo esse intelligendam de confessore, qui hoc munere fungi poterat in illo articulo ante hoc priuilegium: & ideò fortassè non dixit, *quicunque presbyter, vel sacerdos*; Nam licèt in casu necessitatis quilibet sacerdos confessor esse possit in articulo, & tunc consequenter ea possit circa Religiosos vti facultate; tamen, necessitate seclusa, non quilibet sacerdos, sed solus proprius, vel eius delegatus potest esse confessor in illo articulo: hoc autē priuilegium non facit eum confessorem, qui non erat, sed legitimi confessoris auget facultatem: & ob hanc causam tenendum est, non posse virtute huius priuilegij Religiosum in articulo mortis cuicunq; simplici confiteri sacerdoti, legitimo omisso confessore, si adsit, & suum velit iustè exequi munus. Ita sentit *P. Suarez tom.4. de Religione lib.2.cap.19.*

4 Rursùs licèt ex vi eorum verborum determinatio non fiat ad confessores eiusdem ordinis, nihilominus ex alio capite existimo, quando adest proprius confessor, non posse presbyterum alterius ordinis eligi, quia non est confessarius respectu talis personæ; prædicta autem verba intelligenda videntur respectiuè, & propriè, quia in illa concessione (vt dictum est) non præstatur facultas ad quemcunque eligendum sacerdotem in confessorem, sed potestas cuiuscunque legitimi confessoris talis personæ augetur. Quæ expositio optimè confirmari potest, quia inibi, cùm solum intendatur fauor articuli mortis quantum ad plenam remissionem, qui potest obtineri non immutando debitum ordinem, nec ius alterius auferendo; igitur ita explicandus venit.

5 Secundò notanda est illa particula, *quemlibet Religiosum*; nam ex vi illius patet, non extendi ad familiares, vel seruientes: verùm & si de nouitijs dubitari contingat, eò quòd Religiosi non sunt, existimo nihilominus in re adeò fauorabili posse nomen Religiosi ad Nouitium extendi; quia in eodem priuilegio sub his verbis; *Omnibus Prædicatorum, & Minorum Ordinum professoribus, Nouitij* manifestè continentur; quia ibi inferiùs dicitur, consequantur indulgentiam, etiam si ante emissam moriantur professionem quibus in verbis non nisi Nouitij insinuantur ergo eadem ratione sub nomine comprehēdi possunt Religiosorum.

6 Idemque dubitari potest de Tertiarij, seu donatis, qui tria substantialia vota non emittunt, ideòque propriè Religiosi non sunt, & quia neque ad illa emittenda vota, vel professionem faciendam tendunt; quapropter adhuc minus propriè Religiosi sunt, quàm Nouitij: & ideò securius est, pro his personis alijs vti priuilegijs similē pro articulo mortis continentibus gratiā, & quæ expressè extensionem faciunt ad huiusmodi personas, vt refertur in compendio Diui Hyeronimi §. 6. cum quibusdam limitationibus, & conditionibus, quæ ibi explicantur.

7 Circa aliam concessionem Eugenij duo quoque sunt notanda: primum est, quod prædictus Summus Pontifex adiecit, quòd ne (quod absit) propter huiusmodi gratiam, fratres procliuiores reddantur ad illicita in posterùm committenda, volebat, eratque suæ intentionis, quòd si ex confidentia huiusmodi aliqua forsan committant, ad talia prædicta indulgentia minimè suffragaretur: apposuitque prætereà certam quandam conditionem, vt prædicto potiri possint priuilegio fratres, quòd singuli eorum, qui sufficientis fuerint litteraturæ per vnum annum à tempore, quo cōcessione huiusmodi gaudere voluerint, singulis hebdomadis, legitimo impedimento cessante, semel septem psalmos pœnitentiales cum litanijs recitent, siue legant; alij verò non sufficienter litterati alias teneātur dicere orationes, iuxta suorum confessorum arbitrium, prout animarū suarum saluti viderint expedire. Quòd si impedimēto detenti, in dictis anno, & hebdomadis orationes prædictas commodè dicere non potuerint, vel ex inaduertentia, aut obliuione omiserint, in alia hebdomada sequentis anni teneantur.

8 Secundò notandum est, quòd Pius II. eandem concessionem ad totam extendit familiam; de qua habetur transumptum quamquam non impressum: verùm concessione ista vti communiter fratres non possunt, vt aduertit collector Priuilegiorum, & *P. Miranda*, eò quòd laborare nolunt in septem psalmis recitandis, & quia sibi persuadent, quod quidquid in ea continetur, est sibi aliàs sine tali onere concessum. Continet nihilominus dictum priuilegium vnum singulare valdè notandum, nempe, quòd indulgentia plenaria de dicto mortis articulo semper reseruata intelligatur pro mortis verò articulo, quod est magni effectus, & in nostris Priuilegijs nullibi concessum reperitur. Etenim si huiusmodi non apponerentur verba, dicta indulgentia ad verum mortis non reseruaretur articulum, cùm in præsumpto suum iam fuerit sortita effectum, prout tenet *P. Corduba in suo quæstionario lib. de indulgentijs q.38. & Nauarrus in summa cap.26.nu.31.* consentit *P. Miranda in suo Manuali tom.2.p.33. art.7.* quomodo verò hoc rationabilius, & securius intelligi potest, eleganter declarat *P. Suarez* omninò videndus *tom.4. de Religione lib.2.cap.19.n.12.*

9 Solùm superest notare circa priuilegium vltimo loco in proximo capitulo à nobis allatū; illa verba sapienter esse intelligenda: nam si illis sit sermo de absolutione sacramentali, necessè est, vt aliqua confessio fieri potuerit saltem per generalia signa confessionis in ordine ad absolutionem postulatam: si autem confessio nullo modo procedere potuit sacramentalis non est danda absolutio, nec priuilegium talem potuit concedere facultatem: absolutio verò, seu remissio indulgentiæ plenariæ dari potest in eo casu virtute illius priuilegij, quia hæc non est sacramentalis; nec requirit necessariò præcedentem confessionem, sed solam gratiæ dispositionem, quia præsumitur, quandiù oppositum non constat.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Determinatur Quæstio.

SVMMARIVM.

1 *Omnes nostri ordinis fratres, absque legitima superiorum licentia, non posse vti priuilegijs, & concessionibus Leonis Decimi quoad ordinis reseruata.*

2 *Omnes nostri ordinis Religiosi vti possunt prædictis priuilegijs quoad censuras in foro conscientiæ Summo Pontifici reseruatas, & indulgentias lucrandas, sine superiorum Ordinis licentia.*

3 *Adducitur ad hoc Generalis Constitutio.*

4 *Religiosi omnes vti possunt quoad reseruata Sixti Quarti priuilegio, absque superiorum licentia, secundùm Authoris sententiam.*

5 *Expenditur prædicta Constitutio Capituli Generalis Burdegalensis.*

1 TEnendum constanter est, nostri ordinis Seraphici S. P. N. Francisci Religiosos supradictis absolutionibus plenarijs, & indulgentijs à Leone Decimo concessis, absque suorum superiorum venia frui non posse, sic censent *Collector in compendio priuilegiorum verbo, absolutio quo ad fratres §. 1. P. Miranda loco paulò superiùs citato, P. Corduba in additionibus ad compendium eodem verbo, absolutio extraordinaria quo ad fratres, Rodriquez tom. 1. qq. Regularium quæst. 20. art. 11.*

2 Notandum tamen est, quòd quantum attinet in omnibus istis absolutionibus ad censuras Summo Romano Pontifici reseruatas in foro conscientiæ & indulgentias lucrandas, non est superiorum consensus necessarius, sed dumtaxat quo ad casus superioribus ordinis specialiter reseruatos. Hæc sententia probari solet ex dictorum priuilegiorum tenore; nam in omnibus ipsis semper oppositum est, quòd solùm possunt prædicti fratres, seu Moniales sic à suis plenariè absolui Prælatis, vel à confessoribus per eos deputatis de eorundem licentia. Et addit collector Priuilegiorum, quòd ad omnem circa hoc tollendam dubitationem, scilicet, quòd absque licentia superiorum, & non quorumcunque, sed Prouincialium, non potest quis præfactis absolutionibus gaudere plenarijs quoad casus reseruatos; notanda est quædam clausula in tabula congregationis Generalis Burdegalensis posita tenoris

3 sequentis; *Vt fratribus iuxta Regulæ puritatem maior recipiendi sacramentum pænitentiæ tibuatur occasio, Reuerendissimus Pater Minister Generalis, tam quo ad fratres, quam quo ad moniales, reuocat omnes gratias, & quaslibet litteras sub quacunque verborum forma, etiam à sede Apostolica concessas, siue vigore Bullæ Cruciatæ, vel fabricæ Sancti Petri de vrbe, aut quarumlibet fraternitatum, pro quo sunt in præiudicium casuum Ministris reseruatorum: declarando, esse contra Sanctissimi Domini nostri Papæ voluntatem, tam fratres, quam Sorores vti præfatis gratijs quo ad confessiones faciendas de casibus prædictis, contra instituta ordinis, absque licentia præfati Ministri Generalis, aut Prouincialium Ministrorum, & quouis modo sit etiam irritum & inane, quidquid aliàs fuerit attentatum. Et hoc vigore cuiusdam breuis præmissorū declaratorij ab Alexandro Papa olim concessi, & Breuis Specialis Leonis Decimi Reuerendissimo Patri Generali missi, & in hoc capitulo publicati.* Ex quibus verbis manifestè apparet, quoad casus superioribus nostri ordinis reseruatos, non posse Religiosos, absque eorum venia, absolui, quibus connecti possunt ea, quæ *Pater Corduba loco citato* attestatur, se nimirùm audiuisse Patrē Reuerendissimum Franciscum de Angelis Ministrum Generalem declarantem, prædictis concessionibus, quantùm attinet ad indulgentias lucrandas, & similiter quoad absolutiones à censuris, secundùm quod conceditur in ipsis priuilegijs, fratres benè vti posse in foro conscientiæ, non verò quo ad casus superioribus ordinis reseruatas: quæ quidē declaratio in Capitulo Prouinciali Prouinciæ Castellæ Toleti celebrato anno Domini 1524. fuit facta. Sic *Corduba vbi suprà.*

4 Notanter dixi concessis à Leone Decimo, vt aduertendum, Sixti Quarti Priuilegio benè vti posse, etiam quoad casus reseruatos Religiosos nostri ordinis absque Prouincialium licentia. Ita censeo sentire Doctissimum *Suarez vbi suprà nu. 7.* Ducor ad sic sentiendum, in primis quia illud priuilegium, cùm generale sit omnia complectitur peccata, etiam in Religione reseruata. Secundò, quia absolùtè, & absque vlla mentione de superiorum, præstatur; etenim fundamentum, quo ducitur collector priuilegiorum, illud est, quod semper in prædictis priuilegijs apponitur à Summo Pōtifice, quòd solùm possunt prædicti Religiosi, seu moniales, sic plenariè absolui à Prælatis suis, vel confessoribus per eos deputatis de eorundem licentia: atqui in hac Sixti IV. concessione huiusmodi clausula non apponitur; igitur benè possunt vti tali priuilegio absq; Prælatorum licentia.

5 Quòd autem obstare potest, est clausula illa capituli generalis Burdegalensis: verùm si illa rectè ponderetur non obstat, quoniam ibi ex Apostolica auctoritate cessantur, ac reuocantur omnes gratiæ, & facultates, quomodolibet concessæ, in quantum sunt in præiudicium casuum ministris reseruatorum: sed priuilegium illud Sixti Quarti non potest esse in casuum Ministris Prouincialibus reseruatorum præiudicium, eò quòd cùm in tota religiosorum vita vna dumtaxat id vice concedatur, non potest cedere in Superiorum præiudicium; quia cum Religiosus in toto suæ vitæ tempore illo non possit vti priuilegio, nisi vna dumtaxat vice, moraliter loquendo, censendū est, ob materiei paruitatem, vti pro reseruatorum absolutione illo priuilegio non esse in superiorum, quibus reseruantur, præiudicium; tum quia id dictat ratio; nam vt optimè aduertit *Pater Suarez de legibus lib. 8. cap. 34. num. 15. in fine,* quia huiusmodi priuilegia, quamquam videantur in præiudicium Pastoris, seu in casuum ministris Prouincialibus reseruatorum, nihilominus non sunt; eò quòd aliud per ea non intenditur, nisi

nisi animarum salus, quam omnes Pastores ex munere procurare tenentur: ac subinde hac vtilitate considerata, minimè huiusmodi priuilegia grauant; tum quia non est præsumendum de benignitate superiorum, noluisse in hoc casu Religiosos tanto vti beneficio sibi à sede Apostolica concesso: secus verò est de concessionibus à Leone X. factis; Etenim illarum vsus, cùm frequens sit, in præiudicium casuum ministris Prouincialibus reseruatorum esse potest.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum Religiosus, virtute dictorum priuilegiorum, in mortis articulo ab omnibus absolutus reseruatis, si non decedat, teneatur iterùm suo eadem peccata reseruata confiteri superiori?

CAPVT VNICVM.

Determinatur, quid sit articulus mortis, ponitur ratio dubitandi, & stabilitur quid sit sentiendum.

SVMMARIVM.

1 *Articulus mortis quid sit iuxta aliquos Doctores.*
2 *Differentia inter periculum, & articulum mortis.*
3 *Censuræ Summo Romano Pontifici reseruatæ in articulo mortis absolutæ, si infirmus conualescit, remanent vt priùs reseruatæ.*
4 *Religiosus virtute suæ Religionis priuilegiorum in mortis articulo absolutus ab omnibus peccatis superioribus reseruatis iterùm non tenetur confiteri, si conualescit.*
5 *In mortis articulo, ex Tridentino, nulla est peccatorum reseruatio.*
6 *Quare peccata reseruata annexam habentia excommunicationis censuram in articulo mortis absoluta remaneant posteà reseruata, si infirmus euadit articulum mortis.*

1 MAxima est inter DD. controuersia circa determinationem, quisnam dici debeat mortis articulus: quidam enim dicunt, quòd mortis articulus ille dumtaxat dicitur, in quo quispiam constitutus mortem non euadit. Id sentiunt Doctores, qui differentiam statuunt in-
2 ter periculum, & articulum mortis. Vera tamē sententia est, quòd mortis articulus ille dici debet, in quo cùm quispiam est constitutus probabiliter timetur de ipsius vita, seu dubitatur eius mors à medicis, seu ab alijs cordatis, etiam si posteà mortem euadat, & conualescat. Ita sentiunt *Suarez tom. 4. ad tertiam partem disp. 26. sect. 4. Sanchez in opere morali lib. 2. cap. 13. num. 1. Miranda in suo Manuali Prælatorum q. 33. art. 8. in principio, Rodriquez tom. 1. qq. Regular. q. 62. art. 7. Vazquez tom. 4. ad 3. partem q. 93. art. 1. dub. 5. Abbas in cap. Pastoralis §. Præterea de officio ordinarij num. 3. Baldus ibidem num. 4. Nauarrus in Manuali cap. 2. nu. 8.* & expresè colligitur ex cap. eos de sententia excommunicationis in 6. & ex cap. quod de eis eodem titulo.
3 Quo præmisso, atque præsupposito, quæritur modò, an Religiosus absolutus à peccatis, & censuris superioribus ordinis reseruatis in mortis articulo, supradictorum priuilegiorum virtute, si non decedat, teneatur peccata reseruata suo iterùm confiteri superiori? Ratio dubitandi esse potest, quia in illo articulo vti dictis possunt priuilegijs omnes Religiosi absque suorum superiorum venia: modo si conualescunt, videntur illa peccata remanere reseruata, eò quòd aliàs sequeretur casuum superioribus reseruatorum maximum præiudicium; tum quia censuræ Summo Romano Pontifici reseruatæ, & in articulo mortis ablatæ, si deinde infirmus conualescet, Summum Romanum tenetur adire Pōtificem, gratia absolutionis obtinendæ. Colligitur ex extrauaganti prima §. decernimus de sententia excommunicationis, & ex extrauaganti prima de priuilegijs §. incendarios, & communiter docent Doctores, præsertim *Suarez de fide disp. 21. sect. 4. nu. 25. Sanchez dicto lib. 2. in opere morali cap. 13. nu. 24.* & alij in materia de censuris. Ita similiter videtur dicendum de peccatis reseruatis.
4 His tamen minimè obstantibus, dico, peccata virtute supradictorum priuilegiorum in mortis articulo semel confessa, & absoluta, etiam si sint reseruata superioribus, non teneri Religiosum sic absolutum iterùm suo confiteri superiori. Ita sentiunt *P. noster Corduba in summa quæst. 18. puncto 2. dicto 2. Suarez tom. 4. ad tertiam partem disp. 30. sect. 3. n. 6. Sanchez loco paulò superiùs citato, Miranda vbi suprà, Zambranus de casibus articul. mort. cap. 4. dub. 4. n. 21.* & alij, quos ipse refert, & est (vt testatur *Miranda*) communis doctorum sētentia, de qua re videndus est *Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 4. in solut. 2. argumenti*; vbi dicit hanc esse sententiam *Diui Thomæ*; Ratio est; quia vt Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 7. ibi; in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt in articulo mortis nul-*
5 *la sit reseruatio; & ideò absolutio, quæ in illo articulo detur*, quantū spectat ad sacramētale, simpliciter, & absolutè datur, nullo relicto onere: nā iuxta cōmune, & ordinarium ius, solùm in peccatis, quæ annexam habent excommunicationem reseruatam, manet obligatio, etiam post illum articulum, coram superiore comparendi, ratione censuræ potiùs, quàm solius culpæ; nam quia cē-
6 sura est pœna Ecclesiastica ad forum pertinens contentiosum, noluit Ecclesia illam omninò absolutè auferre ab inferiore sacerdote propter solùm instantem mortis articulum; quia neque expediebat ad Ecclesiasticę disciplinę vigorem: quando autem peccata annexam non habent censuram, remissio tota fit purè in foro pænitentię; & apud Deum: nec (per se loquendo) exhibenda aliqua relinquitur satisfactio Ecclesię ex vi prioris obligationis, quæ esset in pœnitente; & ideò non cōsueuit Ecclesia pro illo articulo culpas reseruare vllo modo: neque onus comparendi post absolutam culpam relinquere seclusa censura. Ex quibus patet, quid sit ad rationem dubitandi respondendum.

QVAE-

QVAESTIO TERTIA.

Vtrum Religiosus in mortis periculo constitutus virtute prædictorum priuilegiorum absolui possit à reseruatis absque sui superioris licentia?

CAPVT VNICVM.

Author ad mentem nonnullorum Doctorum negatiuè respondet, & quid sit reuera sentiendum, determinat.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus in periculo mortis constitutus, absque sui superioris venia, non potest virtute prædictorum priuilegiorum à superioribus reseruatis absolui iuxta Couarruuiæ, & aliorum sententiam.*

2 *Author probat, posse Religiosum in mortis periculo vti, absque sui superioris licentia, prædictis priuilegijs, & à reseruatis absolui.*

3 *Religiosus veluti in articulo mortis, ita & in periculo potest tutè vti prædictis priuilegijs.*

4 *Sub articulo mortis comprehenditur periculum mortis.*

5 *In mortis periculo nulla est reseruatio.*

1 Religiosorum neminem in periculo mortis constitutum virtute prædictorum priuilegiorum, absq; suorum venia Prælatorum, à peccatis ipsis reseruatis absolui posse, sentiunt *Canus 5.p.Relect.fol.145.pag.1.Sotus in 4.dist.18.qu.4.art.4.Couarr. in cap. Alma mater §.11.cap.8.* quatenùs asserunt, non esse idem mortis articulum, & probabile mortis periculum; quia periculum sit, aut morbus periculosus, aut nauigatio periculosa, aut bellum, vel quid simile, quod arbitrio prudentis (vt inquit *Vazquez tom.4.ad tertiam partem quæst.90. art.1.*) relinquendum est: sed articulus mortis, si nominis attendatur vis, est quando iam certò mors est, naturalibus causis inspectis; vel cùm aliquis damnatus supplicio mortis: & ita inquiunt esse intelligendos textus, vbi conceditur facultas absoluendi in articulo mortis. Et priuilegia omnia simili modo concessa sub illis verbis hoc non probant alia ratione, quàm quòd articulus mortis id videatur significare, scilicet præcisum tempus periculi iam instantis mortis, non verò latum tempus periculi.

2 Veriùs tamen tenendum est, Religiosum in mortis periculo constitutum, virtute prædictorũ priuilegiorum posse, absque suorum superiorum licentia, à peccatis ipsis quomodolibet reseruatis absolui. Ita sentiunt *Suarez tom.4. ad tertiam partem disp.30.sect.4.concl.1.per totum, & expressius disput.26.sect.4.num.3.& de fide disp.21.sect.4.num.23. Vazquez tom.4. ad 3.partem q.93.art.1.dub.9.in fine, Syluester verbo, confessor 1.quæsito 6.n.7.Armilla verbo, absolutio n.12.idem Syluester v. interdictum quinto quæsito 7.Nauarr.in summa c.26.n.31.Medin.C.de confess.q.16.Paludan.in 4.dist.17.q.5.art.2.& dist.20.q.1.art.2.Adrianus q.3. de conf. Sanchez in opere moral.lib.2.cap.13.nu.2.Molina de iust. & iure tom.4. disp. 63. nu. 6. Zambrano de casibus articuli mortis præludio 1. n.7.* & alij quam plures, quos ipse citat, & sequitur.

3 Ostendi autem potest primò; quia Religiosus in mortis articulo constitutus, virtute prædictorum priuilegiorum, potest à quocunque approbato sacerdote, absque sui superioris licentia, ab omnibus peccatis, non solùm sedi Apostolicæ reseruatis, verùm & ordinis superioribus, absolui, igitur & in periculo mortis. Antecedens est de se certum, & constans, consequẽtia probatur; nam sub mortis articulo comprehenditur mortis periculum; igitur eodem modo, quo frui possunt priuilegijs pro mortis articulo concessis, vti quoq; possũt in periculo mortis. Quod verò sub articu-

4 lo mortis comprehendatur probabile periculum mortis, docuerunt *P. Suarez tom.5. ad 3.partem disp.2.sect.1.& tom.4. disput.26.sect.4.& disp.21. de fide sect.4.& tom.4. de Religion.lib.2.cap.19 nu.10. Vazquez loco citato, Sanchez, Nauarr. Medin. Syluest. Adrian. Molina Zambrano,* & alij locis paulò superiùs allegatis. Idem docent *Viualdus in suo Candelabro Aureo titulo de absolutione num.6.Reginaldus lib.1. num.59. Gamba curta de casibus reseruatis cap.2. à num.56. Nuñus in addit. quæst.8.art.6.dub.6.Paulus Santor. de casibus Papal. & Episcopalib. à num.138. Berco in praxi de pænitentia cap.15.quæsito 7. Bonacin. de censur. disput. 1. quæst. 7. num.10.& q.3.punct.3.n.4.Coriolan. de casib. reseruatis p.1.sect.2.art.16.n.2.Ioannes Valerus de differentia inter vtrumq. forum differ.23.in fine, Molphes. in summa Theolog. moral.tract.7.cap.15.n.72. Barbosa de officio & potestate Episcopi alleg.25.n.81.& Aloysius à Cruce vbi suprà dub.16.num.2.* vbi id latè probat. Idem tenet *Glossa in cap.Pastoralis §. præterea de off. ordinar.& cap. quod in te verbo, pænit. de remiss.*& probatur optimè *ex cap.si quis suadente 17. quæst. 4.* vbi, posita reseruatione, excipitur periculum mortis, & in cap. non dubium de sententia excommunicationis, facta mentione illius exceptionis, dicitur esse in articulo mortis: Vndè intelligimus, in iure hæc duo pro eodem reputari. Quòd apertè etiam significatur in *cap.eos de sent. excommun. in 6.* Nam in eodem contextu nunc periculum, nunc verò articulum mortis appellatur; igitur quoties in alijs locis fit exceptio articuli mortis, rectè, & secundum ius, extẽditur ad periculum; præsertim cùm fauores ampliandi sint; Ratio etiam moralis id optimè probat, quia morale periculum perinde existimari debet, & in malis ita caueri, sicut euentus ipse; nam propterea dictum est, qui amat periculum, peribit in illo; igitur necessitas periculi mortis existimatur moraliter ita extrema, sicut articuli. Et confirmatur, nam propterea in eo casu obligat diuinum præceptum confitendi; ergo talis confessio medium necessarium ad salutem censetur; Ratio autem Pontificis animum mouens ad hanc amplitudinem concedendam pro mortis probabili periculo, in vniuersum est pœnitentis necessitas; vt eleganter adnotauit *P. Sanchez lib. 2. cap. 13. num. 1. in opere morali*, & insinuat *Pater Suarez tom. 4. de pænit. disput.26.de ministro confes-*

confessionis delegato sect. 4. num. 3. in fine; igitur extenditur hæc concessio specialiter facta Religiosis ad periculum mortis.

5 Secundò ostendi potest, quia in illo mortis probabili articulo nulla est peccatorum reseruatio; igitur nulla requiritur superiorum licētia ad hoc, vt Religiosus virtute prædictorum priuilegiorū à peccatis absolui possit, quæ extra illud periculū sunt reseruata. Consequentia est euidens ex se. Antecedens patet ex Concilio Tridentino *sess. illa 24. cap. 7.* ibi; *In Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in mortis articulo*, sub quo, cùm probabile mortis periculum comprehendantur, ex paulò superiùs dictis, sequitur clarè ac manifestè, nullam in illo, esse peccatorum reseruationem. Ita *Cardinalis Toletus in instruct. sacerdot. lib. 1. cap. 15. num. 1. Azor. instit. moral. p. 1. lib. 8. cap. 19. quæst. 5. Auila de censur. p. 2. cap. 6. dub. 13. disp. 3 conclus. 4 Valent tom. 4. disput. 7. q. 10. puncto 2. Bonacin. de censur. d. sp 1. q. 3. nu. 3. & disp. 2. q. 2. punct. 2. §. 4 num. 3. Agundez* in quinque præcepta Ecclesiæ *p. 2. lib. 7. cap. 1. nu. 716. Regin. lib. 1. à nu. 58. Conich. de sacram. tom. 1. disp. 8. n. 90.* Ex Canonistis *Guttierez Cano: lib. 1. cap. 1. nu. 59. Cænedus ad decretal Collatan. 103. n. 3. vers. in mortis, Ioannes Chapecuia de modo administrandi sacram. tempor. pestis qu. 5. & 6. Augustin. Barbos. de off. & potest. Episcopi allegat. 25.* & alij quamplures apud ipsum.

QVAESTIO QVARTA.

Vtrum Religiosus in periculo mortis probabili cōstitutus ab omnibus, virtute prædictorum priuilegiorum, absolutus peccatis superioribus reseruatis; si posteà non moriatur, poterit iterùm, ex vi illorum, absolui in simili Constitutus periculo?

CAPVT VNICVM.

Vera sententia tenenda illustratur.

SVMMARIVM.

1 *Religiosum, qui in mortis periculo virtute prædictorum priuilegiorum fuit à reseruatis absolutus, si euadit periculum, non posse iterùm tali vti facultate, docet Nauarrus.*

2 *Sententia Nauarri reducitur ad bonum sensum.*

3 *Religiosus, si periculum mortis euadit, & in eodem pluries constituatur, semper potest vti dictis priuilegijs quoad indulgentias consequendas.*

4 *Summus Pontifex in articulo mortis constituto absolutè concedit priuilegium.*

5 *Absolutio data pænitenti Religioso in mortis periculo constituto quomodo suum haberet effectum.*

6 *Religiosus in periculo mortis constitutus virtute priuilegiorum à reseruatis superioribus absolutus, potest iterùm ac iterùm in eodem constitutus absolui.*

7 *Facultas concessa fratribus pro reseruatis in articulo mortis, si non haberet annexam indulgentiam, vnico actu non extingueretur.*

8 *Declaratur, prædicti priuilegij quænam sit vtilitas.*

1 Religiosus, qui in vero mortis periculo virtute prædictorum priuilegiorum est absolutus, posteà euadens periculum, ex vi illorum minimè absolui potest; quia talis facultas iam suum habuit effectum, & ita per primum vsum expirauit; vt in vniuersum de similibus priuilegijs tenet *Nauarrus in summa cap. 25. num. 31.* dicens, esse iuxta omnium mentem, solùmque id confirmat argumento *leg. Boues ff. de verbor. signific.* ibi; *Hoc sermone dum nupta erit, primæ nuptiæ significantur*: Et confirmari potest; Nam ob hanc causam, quando Papa vult maius priuilegium concedere, addit; *quod si de illo reputato tunc mortis articulo, aut infirmitate, in qua eorum quilibet constitutus fuerit, decesserit, semper indulgentia prædicta intelligatur reseruari ad verum mortis articulū.* Quæ verba adduntur in priuilegijs concessis ab Eugenio Quarto, & Nicolao Quinto, de quibus suprà mentionem fecimus, igitur signum euidēs est, vbi hæc non additur extensio, finiri facultatē per primum vsum. Ita sentire videtur noster *Pater Corduba lib. 5. de indulgentijs q. 39. in fine.*

2 Verùm hæc sententia in vniuersum sumpta nō placet, & ideò distinguere oportet duo in his priuilegijs, scilicet absolutionem à reseruatis de qua nunc præcipuè tractamus, & indulgentiam plenariam. Quantum ergo attinet ad indulgentiam, opinio *Nauarri* videtur in praxi recepta; vt intelligi potest ex *Syluestro verbo, indulgentia, & S. Antonino 3. p. tit. 10. c. 3. §. 4. & 5.* Nihilominus

3 probabiliùs tenendum est, semper reseruari in verum periculum, seu articulum mortis ex cōiecturata Pontificis mente; Nam reuera eius intentio est, hanc concedere gratiam, vt quantum in se est efficaciam perducēdi hominem immediatè ad Gloriam habeat, ita vt illi non sit necessaria purgatio post hanc vitam. Insuper quia hæc etiam est intentio hoc postulantis priuilegium, quia tota mens eius fertur ad veram mortem: nam vera necessitas huius gratiæ in illo vero periculo existit. Vndè censet *Suarez*, & benè, vbi hoc expressè ponitur, fieri ad maiorem declarationem, & ad tollenda dubia: considerata tamen materia, etiam sine tali declaratione, videtur expressè satis constare demente. Potest autē hæc suspensio vsque ad verum articulum dupliciter intelligi. primò, vt indulgentiam nunquam suum habeat effectum, donec vera sequatur mors, & ideò illa non secuta reseruetur. Secundò, vt indulgentia statim operetur, & nihilominùs, si mors non sequatur, iterùm atque iterum in simili articulo concedi possit cum effectu, donec mors sequatur. Et quamquam prior modus sit probabilis, vt eleganter docet *Suarez loco, quo suprà*; posterior nihilominus est magis pius; & veritati magis consentaneus. Primò, quia beneficium Principis amplè est interpretandum, quando ipse non limitat illud; vt habetur in *leg. beneficium ff. de constitut. Princip. & in cap. quo circa de priuilegijs & cap. dilecti ad finem de donationib. & cap. olim de verbor. signific.* vbi Doctores omnes, præsertim *Innocent. Ioann. Andr. Butrius*, & Ab-

& Abbas in dicto cap. olim, Azorius institution. moral. lib. 5. cap. 23. q. 1. & Suarez loco statim citando: hic autem non limitat quia non dicit, *semel in articulo mortis*; tunc enim fortassè statim fieret effectus, propter fundamentum, quod statim adducemus, & gratia expiraret propter restrictionem, *semel*, quæ in præsenti non additur, sed est concessio indefinita pro mortis articulo; igitur est hoc beneficium amplè intelligendum pro quouis articulo, seu periculo mortis. Et confirmatur, quia in rebus moralibus indefinita æquiualet vniuersali.

4 Secundò; quia Pontifex absolutè dat confessori facultatem illam in articulo mortis concedendi indulgentiam; ergo etiam confessor vtens illa absolutè absoluit plenariè, & non sub aliqua conditione; igitur absolutio non manet suspensa, & quasi (vt ita dicam) expectans aduentum mortis. Nec debemus recurrere ad Dei præsentiam, quia hi effectus morales fiunt ixta virtutem, & intentionem agentis independenter ab extrinseca scientia; igitur in illa absolutio statim operatur; ergo reseruatur in vnum mortis articulum absolutio noua.

5 Tertiò potest ita explicari, quia per talem indulgentiam vult Pontifex plenariam concedere remissionem totius vitæ vsque ad mortis articulum: quia tamen de vero mortis articulo homini minimè constare potest, ideò consequenter, & necessariò vult, quod talis absolutio in instanti periculo, & quando moraliter timetur mors cõcedatur: & quia non vult absolutionem, quæ debet esse actus legitimus esse conditionatam; ideò statim suum habet effectum. Si autem posteà mors non sequatur, effectus ille non est adequatus gratiæ, seu facultati, quia non est de reatibus totius vitæ vsque ad veram mortem; ergo semper reseruatur ad verum articulum mortis. Hæc *Pater Suarez tom. 4. de Religion. lib. 2. cap. 19. nu. 12. consentiũt Gerson 2. p. tractat. de absolutione sacramentali §. quæri vlterius Alphabetho 33. littera K. & Corduba noster de indulgent. lib. 8. q. 39. in fine*.

6 Hoc idem à fortiori tenendum est de potestate absoluendi à reseruatis pro articulo, periculouè mortis simpliciter concessa: nam sine dubio per illam potest quis absolui in graui, & morali mortis periculo, eò quod non potest humano, & rationabili aliter dari, vel plus differri absolutio: de qua multò certiùs est, statim operari, eò quòd sacramentalis absolutio suspendi non potest, nec conditionem de futuro recipere, vt eleganter docent *Pater Vazquez tom. 4. ad 3. partem quæst. 94. art. 3. dub. 5. per totum Reginaldus lib. 8. de sacramentali absolutione cap. 1. sect. 2. num. 6. Conuch quæst. 64. de causa sacrament. art. 8. dub. 2. num. 46. Suarez pluribus in locis, & præsertim dicto cap. 19.* Ex antiquioribus *Caietanus in summa verbo, absolutio à peccatis versic.* circa oppositionem Conditionalem, *Nauarrus in Enchiridion cap. 26. num. 12.* & omnes communiter Scolastici. Si autem mors non sequatur, dari potest similis absolutio in quocunque simili euentu vsque ad verũ mortis articulum: primò quidem ratione plenariæ indulgentiæ, quando illa coniungitur, vt in indultis, de quibus agimus; Nam eodem sensu potestas absoluendi à reseruatis conceditur, quo indulgentia plenaria pro mortis articulo; vt ex eodem contextu patet: immò illa potestas absoluendi ad plenariam ordinatur obtinendam indulgentiam, vt in Iubilæis, & per Bullam Cruciatæ fieri solet; ergo quando homo manet capax talis indulgentiæ, manet quoque capax absolutionis, quæ est ad illam dispositio; nam qui dat formam, dat consequentiam ad formam.

7 Secundò, etiam si indultum non haberet plenariam adiunctam indulgentiam, sed tantum daret potestatem in illo articulo mortis absoluendi à reseruatis, illa potestas per primum non extingueretur actum, sed semper sufficiens ad absoluendum in vero articulo mortis maneret, propter easdem rationes paulò superiùs factas; quia reuera finis intentus à Pontifice est efficax, auxilium pro ipsa morte, & quia illa non secuta est, nondum habet illa facultas plenum vsum.

Et quamquam noster *Pater Corduba* pro opposita citetur opinione, nihilominus si attentè, & consideratè legatur, quammaximè nostræ fauet: sic enim in illo allegato loco ait *sicut aliæ concessiones facta pro articulo mortis vt ad absoluendum à peccatis, & censuris in articulo mortis, ad celebrandum Domi suæ, & ad cõmunicandum in articulo mortis, intelligantur toties, quoties, vt patet, ait, ex prædicta consuetudine*: in fine autem illius Paragraphi solùm asserit, absoluendi veniam à reseruatis expirare per primum actum, nisi aliud de mente constet concedentis: dicimus autem id satis cõstare de mente Pontificis, & priorem actum tali facultati non fuisse adæquatum, vt eleganter *Pater Suarez loco, vbi suprà docet*.

8 Quæres, quænam huius priuilegij sit vtilitas de reseruatis pro articulo mortis, plenaria seclusa indulgentia? quia in mortis periculo (vt dictum est ex Cõcilio Tridentino) nulla est peccatorum reseruatio, & ideò illa facultas tunc nec necessaria, nec vtilis videtur.

Respondeo, duo per hanc facultatem concedi: vnum est, vt confessor ordinarius, qui aliàs in illo articulo mortis absoluere à reseruatis non posset, quando adsit Prælatus, qui absoluere possit, absolutionem valeat à reseruatis impendere: quamuis enim in articulo mortis, si necessitas vrgeat, nulla sit peccatorum reseruatio: nihilominus in illo articulo non excluditur debitus ordo, vt nimirùm ab illo petatur absolutio, qui per se habet iurisdictionem, eò quod solus mortis articulus non dat alijs iurisdictionem, sed solùm in defectu habentis illam, ideòque quando adest superior, ad quem per se reseruatorum spectat absolutio, non potest inferior sacerdos vel ordinarius cõfessor absoluere à reseruatis per solum commune ius: addito tamen hoc priuilegio, potest quilibet confessor absoluere, prætermisso Prælato, & absque alia facultate eius; quia Pontifex dat illi iurisdictionem.

Et li-

Et licèt hæc vera sint, nihilominus ob Doctorum varietatem, specialem habet difficultatem in sequenti quæstione examinandam.

QVAESTIO QVINTA.

Vtrum Religiosus in articulo mortis constitutus possit à quocunque simplici sacerdote à quibusuis absolui reseruatis, etiam si adsit Prælatus, cui illi casus reseruantur, vel alius confessor, illius habens auctoritatem?

CAPVT VNICVM.

Refertur opinio affirmatiua, & resoluitur Quæstio iuxta probabiliorem, & veriorem sententiam.

SVMMARIVM.

1 *Regularem in periculo mortis constitutum à quocũque simplici sacerdote, etiam in præsentia superioris, cui peccata reseruantur, vel alterius eius habentis auctoritatem ab omnibus posse absolui peccatis etiam reseruatis, qui doceant.*

2 *Non posse prædictum Religiosum vti prædicto priuilegio in periculo, seu articulo mortis constitutum, quando adest superioris præsentia, seu alterius Sacerdotis eius habentem auctoritatem.*

3 *Facultas concessa fidelibus Christianis in articulo mortis. Vndè fundatur.*

4 *Quid Author senserit de Religioso in articulo mortis constituto circa electionem confessarij in præsentia superioris.*

1 POsse à quocunque simplici sacerdote etiam in præsentia superioris, cui reseruantur peccata, vel alterius eius habentis auctoritatem, Religiosum in mortis periculo constitutum ab omnibus absolui peccatis quomodolibet reseruatis, docent *Nauarrus lib. 5. consil. cons. 1. de pænit. & remiss. prima editione, & cons. 15. nu. 3. & 4. & in 2. consil. 23. num. 2. & 3. Emmanuel Sà sum. verbo, absolutio nu. 4. Petrus de Ledesma de sacramentis, vbi de pænit. cap. 14.* post primam conclusionem *difficult. 2. Rodriquez in sum. tom. 2. 2 editionis cap. 59. conclus. 3. n. 5. in fine, & quæstion. Regular. tom. 1. qu. 55. art. 4. in fine,* dicens, hanc sententiam esse plurimorum doctissimorum virorum, & in additione *ad Bullam Cruciatæ §. 9. num 44. vers. acerca del mismo, Corradus in suis responsionibus tom. 1. q. 12. vers. respondetur in articulo mortis: Vega in summa tom. 1. cap. 6. casu 16. statim in principio, Henriquez lib. 6. de pænit. cap. 11. num. 4. in commentarijs littera V. in fine, & num. 6.* & 8. *cap. 12. num. 1.* Hanc sententiam hac sola ratione ostendunt, quia Tridentinum *sess. 14. de sacram. pænit. cap. 7. ad finem* absolutè, & indistinctè dicit, omnes sacerdotes ea potestate gaudere in articulo mortis, ac proinde videtur omnibus illis parem iurisdictionem pro eo articulo concedere. Vndè inferunt Religioso in articulo, seu periculo mortis constituto liberum esse cuicunque voluerit, etiam simplici sacerdoti confiteri, & à reseruatis absolui.

2 Verùm hæc sententia mihi minimè probatur. Vndè dicendum esse existimo prædictum Religiosum non posse vti illo priuilegio in periculo, seu articulo mortis constitutum, nisi quando deest copia superioris potentis absoluere, seu alterius sacerdotis illius habentis auctoritatem. Ita sentiunt *P. Suarez tom. 4. ad 3. partem disp 26. sect. 4. num. 4. & disp. 30. sect. 3. num. 5. & tom. 5. disput. 22. sect. 1. num. 62. & tom. 4. de Religion. lib. 2. cap. 13. num. 7. Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 4. statim in principio, Azor. tom. 1. lib. 8. instit. moral. cap. 19 qu. 5. Vgolin. de censur. tab. 1. cap. 4. §. 5. n. 2. Valent. tom. 4. disp. 7. q. 10 puncto 2. col. 6. Bartholom. de Ledesma de confess. dub. 23. Graffis in editione ad consil. Nauarri, Vualdus Candelabro sacrament. in penultima edit. in 1. p. vbi de absolutione nu. 63. Molin. tom 4. de iust. & iur. disp. 63. nu. 2. referens sic declarasse Gregorium XIII. Rutilius Benzonius tract. de fuga lib. 1. disp. 1. q. 6. immediatè ante secundam conclusionem, Rosell. Syluester, Armilla, Nauarrus, Conaruuias, Corduba, Guttierez, Cathechismus Pij V. ad Parochos* apud *Zambranum de casibus articuli mortis cap. 4. dub. 4. num. 3. & nouissimè P. Aloysius à Cruce in expositione Bullæ Cruciatæ disputat. 1. cap. 3. dub. 15. num. 3.* vbi hanc nostram sententiam veriorem & tutiorem esse docet, & alij quamplures. Probatur primò, quia Tridentinum loco paulò superiùs allegato ait, esse *Custoditum semper in Ecclesia, vt quilibet sacerdos in eo articulo absoluere possit*; quare ius non condidit nouum, sed consuetudinem approbauit: atque ea consuetudo solùm obtinuit, vt quilibet sacerdos tunc absoluere possit à reseruatis, quando non adsit superior, cui reseruantur peccata, vel alius sacerdos eius habens auctoritatem, vt constat ex Concilio Carthaginen se 3. *Can. 32. & refertur in cap. presbyter 26. q. 6. & extrauag. inter cunctas §. incendarij de priuilegijs, & extrauagant. 1. decernimus de sententia excommunicationis*; igitur.

3 Secundo, quia Concilium Tridentinum id indultum esse declarat ratione necessitatis, ne infirmus absque sacramentali decedat confessione, quæ in hoc casu cessat omnino. Tandem, quia in cap. eos, qui de sententia excommunicationis determinatur, vt absolutus ratione eminẽtis necessitatis; seu articuli mortis à censura reseruata teneatur, cessante impedimento, se præsentare superiori, cui reseruata erat; igitur à fortiori, cùm potest, tenetur se superiori præsentare, & ante absolutionem si adest superior, non poterit ab inferiori absolui.

4 Hæc autem ita vera sunt de priuilegio omnibus fidelibus in articulo mortis constitutis concesso, vt absque, alio robustiori fundamento, absque temeritatis nota neminem existimem negare posse; Etenim supradicta concessio, cuilibet sacerdoti pro articulo mortis facta, intelligẽda est, quando deest copia superioris potentis absoluere, & proprij sacerdotis, seu alterius sacerdotis expositi ad audiendas confessiones. De Religiosis autem in articulo, seu periculo mortis constitutis aliud est dicendum nam virtute prædictorũ priuilegiorũ à quocunq; approbato presbytero, vt ex

vt ex tenore prædictorum priuilegiorum suprà latè probauimus, etiam si adest superior; aliusuè sacerdos eius habet auctoritatem, absque eius licentia absolui possunt à reseruatis, & à censuris. Vndè licèt possit esse difficultas de priuilegio in articulo mortis concesso omnibus fidelibus, de Religiosis certum est, & constans; vt docet *Pater Suarez dicto tom 4. de Religion. lib. 2. cap. 9.* & nos in fine proximi capitis dicebamus.

QVAESTIO SEXTA.

Vtrum si, deficiente sacerdote approbato, prout prædictum priuilegium Sixti Quarti exposcit, simplex sacerdos confessionem Religiosi in articulo, aut periculo mortis constituti audire cœpit, & ante absolutionem adsit legitimus confessarius, hoc est approbatus, possit confessionem priùs cœptam perficere.

CAPVT VNICVM.

Breuiter resoluitur quid sit sentiendum.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus in articulo mortis constitutus potest deficiente approbato presbytero, eligere nõ approbatũ, ad hoc, vt possit gaudere facultate Sixti IV. nec tenetur, si superuenerit superior, aut approbatus, illi confiteri, si iam cum nõ approbato fateri cœpit.*

2 *Sacerdos habens licentiam audiendi confessiones ad tempus, potest eo transacto prosequi confessionem anteà inceptam.*

3 *An simplex sacerdos electus à Religioso in mortis articulo constituto, qui eiusdem incœpit audire confessionem, superueniente approbato, iurisdictionem amittat?*

4 *Iurisdictio concessa sacerdoti audiendi confessionem eius, qui est in articulo mortis constitutus, non est concessa ad tempus, sed absolutè.*

5 *Improbatur Zambranus docens, pœnitentem post absolutionem impensam à simplici sacerdote debere confiteri approbato superuenienti, aut superiori.*

6 *An Religiosus in periculo mortis cõstitutus, si casum haberet reseruatum ratione excommunicationis, & ante absolutionem superuenerit Prælatus, cui excommunicatio erat reseruata, possit à sacerdote simplici, qui confessionem audire cœpit, absolui?*

7 *Non potest in prædicto casu absolui Regularis in articulo mortis constitutus virtute priuilegij Sixti IV. & cur.*

8 *An negata à superiore absolutione cẽsuræ sibi reseruatæ; eò quòd vult totam pœnitentis Religiosi in articulo mortis constituti audire cõfessionem, possit tunc prior sacerdos, qui incepit eiusdem confessionem, illum absoluere?*

9 *An in casu, quo pœnitens in articulo mortis constitutus in ea confessione mendacium dicit simplici sacerdoti, & ita inualidè absoluitur, si superueniat legitimus confessarius, teneatur huic iterùm peccata fateri; vel satis sit, vt aperiat simplici priori sacerdoti, cui fassus fuerat tale mendacium, vt ab illo validè absoluatur?*

10 *Licentia obtenta alicui assistendi matrimonio, eo existente inualido, non finitur.*

1 RESpondeo posse, quia tunc ille confessor cẽsetur approbatus ex beneficio priuilegij communis omnibus in articulo mortis constitutis fidelibus concesso, ac proinde quia veram habet iurisdictionem, quando alio deficiente cœpit audire, eò quàmaximè, quia Pontifex nihil aliud exposcit, nisi iurisdictionem in tali Presbytero, quæ cum ex alterius aduentu non expiret, optimè id, quod incepit, validè perficere potest; & ratio desumi potest ex iure communi; Nam res non est integra, sed confessio cœpta. Iure quippe cautum est, iurisdictionem delegatam, quæ morte delegantis omninò cessat, minimè cessare re non integra, quia ea vti cœptum est *cap. gratum, & cap. relatum de officio deleg. & licèt Textus de iurisdict. in foro externo loquatur,* attamen idem meritò constituunt de iurisdictione fori interni, ac proinde confessoris non cessare iurisdictionẽ quoad confessiones cœptas: *Paludanus in 4. dist. 17. q. 4 art. 3. concl. 7. n. 25. Diuus Antoninus 3. p. tit. 17. cap. 9. in fine, Margarita confessor. quæstionibus moralibus fol. 113. versiculo, sciendum, quod P. Sanchez in opere morali lib. 2. cap. 13 num. 15. & Petrus de Ledes. in summa Sacramentor. vbi de pœnit. cap. 12. post quintam concl* inter dubia, quæ mouet circa licentias audiendi confessiones ab Episcopo cõcessas *dub. 2. fol. mihi* 539. ait esse valdè probabile, habentem licentiam audiendi confessiones ad
2 tempus. Posse, eo transacto, prosequi anteà cõfessionem cœptam; *& Aloysius à Cruce vbi suprà numer.* 10.

3 Sed dices, ad hoc, vt Religiosus in mortis articulo constitutus illo Sixti IV. vti valeat priuilegio, requiritur, vt confessor sit à superioribus sui ordinis approbatus: at ille simplex sacerdos, qui cœpit audire confessionem illius, superueniente approbato iam nõ habet iurisdictionẽ, ex eò quòd ex istius aduentu expirauit, vt *Zambranus de casibus articuli mortis cap. 4. dub. 5. affirmat, & Petrus de Ledesma proximè allegatus,* quatenùs ait, esse satis probabile, licentiam ad tempus concessam audiendi confessiones expirare, etiam quoad cõfessiones cœptas, eo transacto; igitur ille Religiosus sic in articulo mortis constitutus non potest vti priuilegio confitendi simplici sacerdoti, qui eius cœperat audire confessionem.

4 Respondeo, negando minorem; Etenim in hoc casu nullo iure cauetur confessarij facultatem esse donec veniat legitimus confessarius, sed absoluta est facultas, cùm deficit copia legitimi confessoris, atque esset grauissimum constituti in eo articulo onus, ipsum cogere, vt confessionem legitimè cœptam repetat, cùm vix possit vni confiteri. Vndè censendum est, iurisdictionem esse certam simplicis sacerdotis in tali casu, vt eleganter *P. Sanch. loco quo sup.* Id verò quod asserit *Petrus de Ledes.* est valdè diuersũ; nõ enim sacerdoti simplici in articulo, seu periculo mortis conceditur ad tẽpus iurisdictio, donec veniat legitimus confessarius, sed absolutè iura omnia eã

concedunt, quando non fuit copia expositi: atq; concessio aliter facta esset valdè à ratione aliena, & Ecclesiæ pietate: quippe quæ obligaret in tantis angustijs constitutum ad bis fatendum, & à sacerdote, cuius iurisdictio dubia est, & à futuro euentu pendent.

5 Neque audiendus est *Zambranus proximè allegatus num.* 5. quatenùs nostram limitat sententiam; dummodò, post absolutionem (inquit) impensam ab hoc simplici sacerdote, confiteatur aliquod veniale legitimo confessori, qui superuenit, cum nouo dolore, vt ab eodem absoluatur, ex eò quòd in eo euentu articuli mortis tenetur quispiam tutam eligere partem. Non est autem (inquit) tuta prior absolutio, quia cessare putat illius simplicis sacerdotis iurisdictionem, quando legitimus aduenit confessor: non est certè audiendus, vt aduertit *Sanchez vbi suprà*, quia non est necessarium, vt aliquo modo fateatur confessori superuenienti, vt patet ex paulò superiùs dictis in responsione obiectionis.

6 Quæres; si Religiosus in tali periculo constitutus haberet casum ratione excommunicationis reseruatum, & ante absolutionem superueniret superior, cui excommunicatio erat reseruata, potest ne sacerdos, qui confessionem audire cœpit, siue simplex, siue expositus sit, illum ab illa excommunicatione absoluere? Respondeo affirmatiuè; nam facultas illa concessa per Sixtum nil aliud exposcit, ad hoc, vt possit talis Religiosus à quibusuis, & à quomodolibet reseruatis censuris absolui, nisi iurisdictionem in sacerdote: at ille, qui cœpit iam eius audire confessionem, certam illam habet, vt paulò superiùs dicebamus; Igitur, superueniente superiore; cui fuerat censura reseruata, legitimè absolui potest à tali simplici sacerdote.

7 Id autem non admitto respectu pœnitentis, qui dicto Sixti Quarti priuilegio non gaudet, quantumcunque sit in maximo periculo, seu articulo mortis constitutus, nō enim in tali casu sacerdos simplex, vel etiam expositus ab illa potest absoluere excommunicatione, sed id à superiore superueniente præstandum est, & deinde sacerdos ille, quicunque sit, potest à peccatis absoluere. Ratio est, quia confessarius tenetur illi pœnitenti id onus iniungere, vt, quamprimùm commodè possit, se legitimo superiori præsentet; vt cum multis docet *Pater Sanch. proximè allegatus n.* 24. & expresè habetur in *cap. eos, qui de sententia excommunicationis in 6.* atque ideò absolutio illa excommunicationis nulla alia conceditur ratione, nisi quia tempore, quo præstanda est, abest superior; Cùm ergo tūc adsit, & commodè possit pœnitens se illi presentare, tenetur vtique. Neque ex hoc aliquod sequitur grauamen pœnitenti, cùm non cogatur peccata repetere, nec confiteri incertam habenti iurisdictionem ad absoluendū à peccatis, & ex futuro euētu pendentem. Si quidem in hoc casu concedimus, posse confessorem illum à peccatis absoluere, & solū volumus, vt præsenti superiori eam declaret excommunicationem: ad quod tenetur ipse pœnitens, etiam si post absolutionem veniret superior, vtpotè qui cum eo onere solùm absolui poterat.

8 Quæres iterùm, si superior ille absoluere ab illa excommunicatione nollet, nisi sibi integra re peteretur confessio, posset ne tunc prior sacerdos absoluere? Respondeo, posse, Ita *Sanch loc. cit. n.* 15. *in fine*. Et ratio est, quia superior ille Summo Romano Pontifice inferior non potest iurisdictionem perficiendæ confessionis in eo articulo cœptæ cuilibet concessam sacerdoti reuocare, aut limitare, etiam, si pænitens suæ obligationi se superiori præsentandi optimè satisfecit: aliàs sequeretur maximū absurdum, nimirùm, quod esset iurisdictio illa confessarij, qui iam confessionem cœpit incerta, & pendens ex futuro euētu, nimirum, ex superuenientis superioris. His addo cùm *Zambrano loco citato num.* 2. *& Sanchez vbi suprà*, quòd, si iam simplex sacerdos eo in articulo mortis à peccatis absoluerat non posset, superueniente legitimo confessore, audire peccata oblita, vel quæ æger non potuit fateri tunc, vel existimatum est, eum non posse, & sic à reliquis absolutus est, sed legitimo superuenienti confessori aperienda sunt; eò quòd est noua confessio, & à priori independens, vt *Pater Suarez tom* 4. *ad* 3. *partem disp.* 23. *sect.* 1. *n.* 7. obseruat, *& Sanchez loco proximè citato*.

9 Iterùm quæres; quid sit dicendum in casu, quo pœnitens in eo articulo constitutus mendacium in ea cōfessione dicit simplici sacerdoti, & ita inualidè fuit absolutus, si superueniat legitimus cōfessarius, tenetur ne talis pænitens huic iterùm peccata fateri, vel satis est, vt aperiat simplici priori sacerdoti, cui fassus fuerat, tale mendaciū, vt ab illo simplici legitimè absoluatur? Respondeo, posse eum detecto illo mendacio, à sacerdote illo simplici iterùm legitimè absolui; ratio esse potest, quia is reuera iurisdictionem habet ad priorem illam confessionem, & dum absolutio validè non est præstita, non censetur finita: idem enim est actum non fieri validè: sicut licentia à Parocho obtenta alicui assistenti matrimonio non finitur, eo matrimonio irrito existen-

10 te. Ita *Pater Sanchez dicto cap.* 13. *lib.* 2. *n.* 16. Ad hæc faciunt multa per *Tiraquell. adducta in l. Boues §. hoc sermone, limitatione* 1. *nu.* 1. *& seqq. ff. de verbor. signific.* vbi latè ex multis ostendit, concessionem simpliciter prolatam, primo actu irrito, non finiri. *Et in limitatione* 21. *num.* 4. probat, potestatem delegatam non extingui primo actu, quando Delegatus inutiliter, absque sua culpa, & per errorem pronunciauit.

DISPV-

DISPVTATIO SEPTIMA

De facultate virtute Bullæ Cruciatæ Religiosis eam accipientibus pro reseruatorum absolutione obtinenda, concessa.

CElebris admodùm est inter recentiores præsens disputatio, in qua quamplures occurrunt difficultates examinandæ. Celebris profectò, atque difficilis, tum ob Summorum Pontificum varias, & diuersasque declarationes de re hac editas; tum ob varia Doctorum placita inter se pugnantia. Verùm vt dilucidè procedamus, confusionemque, quam moderniores ingerunt scriptores multa confundentes, fugiamus, duximus per nonnullas quæstiones fundamenta eorum negantium, Religiosos virtute Cruciatę facultatem habere eligendi confessarium pro à reseruatis absoluendo, absque suorum Prælatorum venia, examinanda; vt veritas quam statuere conamur, magis elucescat.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum liceat Regularibus Bullam sumere Cruciatæ?

CAPVT VNICVM.

Omnibus Cuiusuis ordinis Religiosis Bullam Cruciatæ sumere licitum esse, ostenditur.

SVMMARIVM.

1 *De Prælatorum licentia, cuiusuis Ordinis Religiosi sumere possunt Bullam Cruciatæ.*

2 *Bulla Cruciatæ Pij IV. concedens Religiosis, absque Prælatorum venia, facultatem sumendi Bullā Cruciatæ fuit ab eodem modificata.*

3 *Prælati Regulares non possunt suis subditis pænitentibus negare facultatem accipiendi Bullam Cruciatæ.*

4 *Prælati Regulares non habent ius præcipiendi aliquid non faciendum, quod est bonum ex entitate.*

5 *Prælati Regulares sub pæna peccati mortalis tenētur non negare subditis licentiam accipiendi Bullam Cruciatæ.*

6 *Peccare mortaliter Prælatum, non solùm cōtra charitatem, verùm etiam contra iustitiam, negantem subdito prædictam licentiam, docent quamplures.*

7 *Hanc prædictam licentiam nō solùm præstare posse Prælatos Generales, & Prouinciales, verum etiam & locales, contra Aloysium à Cruce, & alios docet Author.*

8 *Subditus, cui Prælatus prædictam negauit licentiā, potest licitè sumere Bullam Cruciatæ, eiusdemque frui gratijs, & concessionibus.*

1 POsse omnes cuiusuis ordinis Religiosos, etiā mendicantes, Bullam sumere Cruciatæ pro indulgentijs, certisque alijs gratijs, quæ virtute eiusdem Cruciatæ conceduntur omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus, certissimum est. Requiritur nihilominus, vt à suis exigant subditi Prælatis licentiam. Ita docet *Rodriquez in expositione Bullæ Cruciatæ §. 1. dub. 1. Cordub. in suo quæstionar. lib. 5. de Indulgentijs qu. 13. dub. 2. Miranda R. P. Iuniperi à Drepano de Casib. reser. tom. 2. sui Manualis q. 34. art. 15. concl. 1. Acosta in Bulla Cruciatæ quæst. 106. Villalobos in summa tom. 1. tract. de Bulla Cruciatæ diff. 11. num. 27. & sequentibus, Coriolanus de casib. reseruat. p. 1. sect. 3. art. 13. Portel in dub. regular. verbo, Bulla Cruciatæ, Pater Ioannes à Trinitate in expositione casuum reseruatorum in ordine Minorum dub. 5. Reuerendissimus noster Pater Ludouicus à Cruce in expositione bullæ Cruciatæ disp. 1. cap. 1. dub. 9. num. 3. Aegidius Trullench. in expositione Bullæ Cruciatæ lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 9. n. 4. Fr. Martin. à Sancto Ioseph super Regul. cap. 16. num. 23. Pater Diana tract. 11. de Bulla Cruciatæ Resol. 14. vers. Adde, sub fine, vbi refert Ioannem Valerum de differentia inter vtrumq; forum differentia 1. conclus. 5. & verbo, nullitas differ. 5. nu. 2. in fine, & verbo, absolutio diff. 1. num. 2.* Quo ad primam partem. Hæc nostra sententia probari solet cōmuniter; quia omnia priuilegia in Bulla Cruciatæ fidelibus concessa Christianis videntur concessa omnibus Religiosis in Regnis Hispaniarū, & insulis adiacentibus commorantibus, non solùm quia prædicta æquè largiuntur, verùm etiā quia sub Christianorum appellatione prædicti quoque veniunt Religiosi. Deinde quia in bulla (prout obseruat *P. Miranda*, & post ipsum *Reuerendiss. Aloysius à Cruce locis paulò superiùs allegatis*) sic expressè habetur: *Capitula Ecclesiarum, monasteria, & loca Regularium, etiam mendicantium, tam feminarum quàm masculorum, si pro decē personis eorundem Capitulorum, & locorum vnum, nec pauciores suis expensis mittāt,* & paulò infrà addit: *Insuper quoque tam prædictis omnibus, quàm illis, qui nec in hanc expeditionem ibunt, nec alios, vt prædictum est, mittent, si infrà biennium prædictum ex bonis sibi à Deo collatis in hanc causam liberaliter pro defensione cōtulerint &c.* Ex quibus verbis manifestè colligendū videtur, posse Regulares omnes Bullam sumere Cruciatę, & priuilegijs omnibus in illa contentis gaudere, illis dumtaxat exceptis, quę ipsis Regularibus ibi interdicuntur.

2 Quo ad verò secundam partem ostenditur; ex eò quòd in Bulla Pij Quarti in Hispaniarum Regnis sub anno 1564. publicata ipsis Regula-

gularibus expressè concedebatur, vt eam absque Prelatorum venia sumere possent, eadem tamen clausula in Bulla anni sequentis, & in omnibus alijs vsque ad præsens dempta, seu omissa est. Hinc rectè formatur ratio sic; per talem omissionem voluere Pontifices summi declarare, suæ nō esse intentionis tātæ Religiosis libertatis præbere ansam, & certè vt Pontifices Regularis obseruantiæ conseruationem, atque augmentum non solùm desiderent, verùm etiā totis viribus procurent, non est vllo modo præsumendum, quod intendant indulgentias, seu quasuis alias elargitiones seu indulta in eiusdem Regularis obseruantiæ præiudicium concedere; esset quippe graue Regularis disciplinæ præiudicium, si Regularibus, absque superiorum venia, licitum esset Bullam sumere Cruciatæ, cæteraque, quæ ibi præscribuntur, liberè exequi, vt aduertunt *Corduba, Rodriquez, Miranda, & Ludouicus à Cruce locis citatis*.

3 Quæri autem hìc solet, an Prælati Regulares subditis hāc veniam petētibus denegare possint? Ad quam difficultatem negatiuè respondent *P. Miranda tom, 2. sui Manualis qu. 34. art 15. concl. 1.* ibi; sed nihilominus multò meliùs esset &c. *Ludouicus à Cruce in Bulla Cruciatæ disp. 1. cap. dub. 9. n. 4. concl. 2. Rodriquez in Bulla Cruciatæ §. 11. nu. 23. Trullench. in expositione Bullæ 3. edit. lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 9. num. 5. & alij infrà citandi.* Ratio est, quia in bulla Cruciatę derogantur omnia priuilegia contraria ijs, quę indicta continētur Bulla, siue concessa sint monasterijs, siue societatibus, siue Ecclesijs, aut pijs locis, seu vniuersitatibus, aut pecularibus personis, cuiuscunque gradus, & conditionis existant, cum quibuscunq; clausulis solitis; vt patet ex verbis eiusdē Bullæ Cruciatæ ibi; *non obstantibus quibuscunque decretis, Constitutionibus, statutis, consuetudinibus, Bullis, priuilegijs, litteris, indulgentijs, Bulla mare magnum nuncupata, & ordinibus editis, aut approbatis, etiam pluries, non solùm ab inferioribus, sed à nobis, & à nostris prædecessoribus, cum quibusuis clausulis, derogationibus, ac iuramentis &c.* & paulò inferiùs; *quàm aliarum quarumlibet, &c. siue etiam in fauorem publicarum personarum, aut vniuersitatum, emanauerint: quoniam illis omnibus, & singulis, etiam quòd de verbo ad verbum debuissent præsentibus inseri, habentes, & haberi volentes omnia pro insertis, & expressis de verbo ad verbum, ex certa scientia, & motu proprio de nostræ potestatis plenitudine eatenùs, quatenùs directè, vel indirectè præfatis in toto, aut in parte contrariantur &c.* Igitur cùm nullum priuilegium cōtra bullæ susceptionem robur habere possit, consequenter asserendum est, superiores subditis sumendi Bullam Cruciatæ pro lucrandis indulgentijs, cunctisque etiam alijs consequendis, quę regulari obseruantiæ non inferunt præiudicium, licentiam haud debere, nec posse negare.

4 Insuper ostenditur, quia Prælatus non habet ius subditis pręcipiendi aliquid non faciēdi, quòd ex sua entitate est bonum, & apud Deum meritorium: atqui bullam sumere Cruciatæ, in se non solùm est bonum, verùm etiam meritorium, tam ratione finis, quàm ratione indulgentiarum, vt de se patet; igitur non possunt Prelati subditis suis interdicere Bullę Cruciatę susceptionem; quinimmò addit *Aegidius Trullench. loco vbi suprà*, quod non solùm Prelati Regu-

5 lares debent subditis petentibus talem pręstare veniam, verùm sub peccato tenentur, illam nō denegare; quia, vt ipse inquit Pius Quintus in quodam suo motu proprio, qui incipit, Romani Pōtificis 132. *pag.* 345. *columna* 1. postquam prohibuit, ne fratres Prędicatores confessarium ratione Bullę, absque suorum licentia Prelatorū, eligant, statim subdit: *eisdem tamen Prælatis in vsu huiusmodi potestatis suis subditis benignos & faciles se exhibeant, mandantes &c.* quę verba, cùm obligatoria sint, precisam sub mortali, iuxta Clementinam, *Exiuit*, inducunt obligationem Ita sentit *Ludouicus à Cruce loco quo suprà num. 5. concl. 3. Villalobos p. 1. tract. 27. clausul. 11. n. 27. Acosta*

6 *q. 106.* Vndè infert *Villalobos*, grauiter peccare Prelatum eam denegantem essetque grauiter puniendum à Commissario Generali Bullę Cruciatæ. Peccat sanè grauiter non solùm contra Charitatem, verùm etiam contra iustitiam, quia tunc priuat, talem denegans licentiam, subditos Iure suo, idest, beneficio, quod alijs fidelibus Christianis virtute Cruciatæ Apostolica concedit sedes, tum etiam quia litterarum Apostolicarum executionem impedit, quod est graue crimen. Ita *Ludouicus à Cruce vbi suprà*.

7 Quæres primo, quisnam Prelatus concedere possit hanc sumendi Cruciatę Bullam licentiam? Respondent prędicti Authores; Prelatum Generalem, aut Prouincialem, quibus de iure communi competit absoluendi à reseruatis auctoritas. An id possint quoque Prelati locales? absolutè negāt: Solùm *P. Ludouicus à Cruce eadem disp. dub. 13. n. 3.* dicit, in illis Religionibus in quibus de iure Prelatos locales facultatem habet absoluendi à reseruatis, posse prędictam pręstare li-

8 centiam. Verùm mihi minimè hęc sententia probatur; nam suprà propria disputatione demonstrauimus, Prefectos locales in vniuersum habere de iure, seu ratione sui muneris, facultatem absoluendi à reseruatis, ac proinde eodem iure posse prędictam pręstare licentiam; eò quàmaximè, quia hìc non est sermo de licentia, quatenùs reseruatorum respicit absolutionem, vt confundit *Trullench*, sed dumtaxat quatenùs indulgentiarum, aliorumque indultorum respicit consecutionem.

9 Quæres secundò; an subditus, si prædictam petat veniam, sibique à suo denegetur Prælato, possit licitè Bullam sumere Cruciatæ, atque illius gaudere fructu? Respondeo, posse, quia Prelatus non habet ius (vt paulò superiùs dictum est) ad talem denegandam licentiam, nisi aliqua existat rationabilis causa, qua ducatur ad illam honestè denegandam; Igitur subditus ex licentia petita, quamquam non obten-

obtenta, licitè potest Bullam sumere Cruciatæ, & indulgentiam virtute illius concessis similiter frui. Ita colligit *Acosta vbi suprà ex Diuo Thoma in addit. ad 3. partem quæst. 27. art. 3. & in 4. dist. 20. Paludano ibid. qu. 4. art. 3. & insinuat Ludouicus à Cruce vbi suprà.* Idem tenet *Trullench. loco citato.*

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum fratres ordinis minorum tam Regularis obseruantiæ, quàm eiusdem Reformati, seu discalceati, atque Capuccini Bullam sumere possint Cruciatæ?

CAPVT VNICVM.

Prædictos fratres posse, suæ propriæ Regulæ seruata puritate, Bullam sumere Cruciatæ, ostenditur.

SVMMARIVM.

1 *Fratres minores non posse sumere Bullam Cruciatæ, quo fundamento docuere quamplures nostri ordinis Doctores.*
2. *Posse non solùm nostri ordinis discalceatos, seu strictioris obseruantiæ, verùm quoque Capuccinos accipere Bullam Cruciatæ, cum pluribus ostendit Author.*
3 *Coriolanus immodestè Carpit doctissimos Patres nostros Cordubam, & Rodriquez.*
4 *Patres nostri obseruantes perfectiori modo Regulā Sanctissimi Patris nostri Francisci obseruant, quàm Capuccini.*
5 *Regularem obseruantiam esse communem Matrem, testatur Beatus Nicolaus Factor.*
6 *Pater Coriolanus de ingratitudine erga suam Matrem arguitur.*
7 *Nullam esse discrimen inter Patres Capuccinos, nosque Reformatos, aut Discalceatos, ex doctissimo Gonzaga ostendit Author.*
8 *Indulgentiarum acquisitio est grande bonum spirituale.*
9 *Sanctum ac salubre est omnibus modis animæ procurare salutem.*
10 *Fratribus minoribus, etiam Capuccinis, ac Reformatis congruum est ad pecuniam recurrere pro se euehendis in Equo, aut in Mari.*
11 *Quantæ authoritatis sit Illustrissimi atque Reuerendissimi Domini Don Antonij de Trejo Episcopi Carthaginēsis declaratio, qua declarauit, posse fratres Minores accipere Bullam Cruciatæ.*

1 COllector Priuilegiorum titulo, Cruciatæ, post Paragraphum Quintum fol. 49. & 50. non posse opinatur, omnes nostri ordinis cuiuscunque congregationis Bullam sumere Cruciatæ, eo ductus fundamento, quia ob strictam paupertatem, quam fratres profitentur Minores, nec etiam totus ordo auctoritatem habet alicui concedendi Religioso, vt ad pecuniam recurrere valeat, nisi pro vera, atque manifesta præsente, vel imminente ipsius Religiosi necessitate, seu Conuentus, sub pœna mortalis culpæ: Religiosis autē prædictæ Religionis non videtur necessaria Bulla Cruciatæ, cùm ex vi suorum priuilegiorum gaudere possint omnibus gratijs, atque indulgentijs per Bullam concessis; igitur &c.

2 Nihilominus veriùs tenendum est, posse prædictos Religiosos pro lucrandis indulgentijs, & sumendis Bullis Cruciatæ pecuniam procurare dūmodò omnia alia concurrant requisita iuxta Sūmorum Pontificum declarationes necessaria. Ita tenent *Corduba cap. 4. super Regulam qu. 7. Rodriqu. tom. 1. quæstionum Regularium quæst. 21. art. 10. Pater Sorbo in additionibus ad compendium verbo, Cruciata, vers. deinde dico, Portel in dub. regular. verb. Cruciata, Villalobos vbi suprà num. 27. idem Rodriquez in bulla Cruciatæ §. 12. num. 16.* consentit *Pater Miranda loco, quo suprà* dummodò fiat de superiorum licentia, idem sustinet *Pater Aloysius à Cruce vbi suprà, Trullench. in expositione bullæ Cruciatæ lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 9. num. 4.* vbi hæc habet Religiosos mendicantes, etiam ordinis Minorū, posse licitè procurare pecunias, & Bullam accipere, & frui omnibus indulgentijs, & gratijs, excepta facultate eligendi confessarium pro reseruatis. Idem annuit *Ioannes Valerius* de differētijs inter vtrumque forum, *differentia 1. verbo, absolutio num. 20.* vbi inquit, licitum esse Religioso, sine licentia sui Prælati procurare pecuniam pro bulla sumenda, dummodò non transeat in eius potestatem, sed amicus, qui dat pecuniam, sumat illam suo nomine; & faciat in ea ponere nomen Religiosi, eamque ei det: Et ratio est, quia in tali casu (vt inquit ipsemet Valerus) nulla proprietas interuenit, cùm pecunia non transeat in potestatem Religiosi; & accipere Bullam dicto modo procuratam, vel sponte oblatam ab amico non est quid temporale, in quo proprietas versatur, sed quid spirituale ad bonū animæ eius extra esum ouorum. Hactenùs ille. Pro qua re citat salam societatis Iesu in quadā lectura Bullæ, prout refert *P. Diana vbi suprà.* Id quoque docent *Ioannes à Trinitate, & F. Martinus à S. Ioseph locis suprà citatis.*

3 Hæc nostra sententia multum displicet *Coriolano 1. p. de casibus reseruatis sect. 3. art. 13.* vbi satis immodestè loquitur: Carpit quippe Religiosissimum, atque sapientissimum *Patrem Cordubam,* atque *Rodriquez;* cuius verba hic apponere necessariò existimaui, vt ipsius quamquam doctissimi Patris ineptiam hac in re omnibus aperiam: *Nihilominus (inquit) sententia Collectoris est verior, & omninò amplectenda: non enim licet pro talis Bullæ acceptione recurrere ad pecuniam, cùm non sit necessaria: nam quantum ad indulgentias, iam nobis multis alijs vijs conceduntur, & quantum ad absolutionem à casibus reseruatis etiam remedia plura sunt data; potest benè opinio Rodriquez, & Cordubæ saluari in certis mendicantibus qui habent pecuniam, etiam in particulari, de quorum numero si erant Rodriquez, & Corduba, vel etiam habebant ad id socios, poterant etiam ad hoc pecunias dare. At nos Capuccini, qui per misericordiam Dei Regulam iuxta Textum obseruamus, nullo pacto possumus recurrere ad pecuniam pro receptione talis Bullæ.* Hæc ille.

4 Verùm *Pater Corduba* atque *Pater Rodriquez* ordinis nostri Regularis obseruantiæ, istorumque socij, Dei gratia, Regulam semper perfectissimo modo obseruauere, ac Patres Capuccini, & fortasse perfectiori modo. Vndè certissimum est, pecuniam nunquam prædictos Patres habuisse. Et quod in nostra Regulari obseruantia perfectiori modo Regula sanctissimi Patris nostri Frãcisci obseruetur, quam in Capuccinorum Congregatione, vt pensat *P. Coriolanus*, ex testimonio Sancti P. Fr. Nicolai factoris (prout narratur ab Illustrissimo atque Reuerẽdiss. Domino F. Francisco Gonzaga 3. *p. suæ historiæ de Prouincia Valentiæ de Conuentu S. Mariæ Iesu eiusdem Ciuitatis agente folio mihi* 1088. patet, sic enim ait: *Franciæ erat vir Dei ad fratres, ac Patres Capuccinos Prouinciæ Cathaluniæ: à quibus tamen ad hunc conuentum reuersus, cùm ad dormitorium per Scalas ascenderet, obuiam Gloriosæ Virginis Mariæ de Angelis Imagino sic affatus est: Beatissima atque Gloriosissima Virgo, non aufugit ille, qui domum reuertit. Hoc dixit, quia relicta regulari minoritarum obseruantia, in qua duplicem illum Eliæ spiritum imbiberat, ad præfactos Capuccinos confugerat; statimque subiunxit; Nunc dimitte seruum tuum, Domina, in pace. Cùmque valetudinarium esset ingressus, (laborabat si quidem febri quatriduana) pleuritide, acutissimaque febri correptus est:* & antequam sacro muniretur Viatico, ab omnibus circumstantibus fratribus quod eos, communemque matrem, (Sic enim Regu-
5 larem obseruantiam appellare solitus erat) aliquando deseruisset, humillimè in hæc verba prorumpens, veniam petijt: *Reus sum, maximaque subijcior culpæ, quod sacram Franciscanorum obseruãtiam ad tempus deseruerim, atque ad Patrum Capuccinorum congregationem, quærens quod mihi minus expediebat, transierim: licèt hoc bono Zelo ductus (vt Deus est mihi testis) fecerim. Quapropter vos charissimos Patres, ac fratres hortor, vt sorte vestra contenti sitis: nam Minoritæ obseruanti, si communem sectetur vitã, nil pœnitùs eorũ, quæ ad Franciscanæ, & suæ professionis perfectionem, atque nitorem desiderari possunt, deest. Hæc Sanctus Frater Nicolaus factor morti proximus affatus est.* Quod testimonium sic *P. Coriolanus* vidisset se reũ fortasse esse fassus fuisset, quòd Franciscanã Regularis obseruantiæ familiam, in qua educatus fuerat, deseruerit; nec tam immodestè carperet tam doctissimos, suæque Regulæ, ac professionis obseruantissimos viros. Quod si, Pater charissimè, & amice, tibi hęc nostra displicet sententia, eò quòd ipsam docent *P. Corduba, & Rodriquez*, quia Franciscanæ Regularis obseruantiæ sunt familiæ: accipe, quæso, doctissimum, atque Religiosissimum *P. Fr. Aloysium à Cruce* strictioris obseruantię Reformatorũ, nec non *P. Fr. Ioannem à Trinitate, & Martinum à Sancto Ioseph* eiusdem Regularis strictioris obseruantiæ Discalceatorum Alumnos idem docentes. Omnes quippe isti Regulam P. nostri Seraphici Francisci, & nos, Dei gratia, iuxta textum obseruamus; non ergò, quia illi PP. pecuniam, vt pensas, habebant, docuerunt, posse Religiosos pro Bulla Cruciatæ sumenda ad pecuniam habere recursum, sed quia id robustum dictat fundamentum, vt infrà videbimus: satis enim tibi esse poterat P. Sorbus tuæ congregationis alumnus. Quòd si tibi videtur Capuccinos PP. à nostris Discalceatis, strictioris ve obseruantiæ fratri-
7 bus discriminari, deciperis sanè, nam (vt inquit Illustrissimus Gonzaga 1. *p. tit. de* Franciscani ordinis perfectione, PP. Capuccinorum rigore, ac discrimine inter eos, obseruantes, atque PP. Cõuentuales minoritas nullum est inter nos, ac PP. Capuccinos discrimen. *Non dissimilem (inquit) à PP. Capuc. imus vitam degunt, nec vnius vnguiculi latitudine illis nostri Reformati cedunt, quorum origo, atque viuendi modus &c.* Ecce quomodo eodem modo, & forma Regulam Sancti P. nostri Francisci obseruamus, & tamen audaciter tenemus, posse omnes Religiosos eiusdem ordinis secundum eiusdem Regulæ nitorem pro Bulla sumenda Cruciatæ pecuniam procurare.
8 Quòd sic ostendo, quia grande bonum spirituale est indulgentiarũ acquisitio, cùm ex earum vi, ac bullarum, si honestè ac licitè acquiratur, magnum quidem non solùm purgatorij malum, sed periculum etiam peccati euitetur; igitur non est, quare pecunijs mediantibus non liceat fratribus tale sibi procurare bonum. Consequentia probatur; Nam si necessitas corporalis satis est, (vt omnes nostræ Regulæ fatentur expositores) vt Religiosi nostri ordinis ad eam subleuandam pecuniam possint procurare; igitur à fortiori id ipsum possunt respectu necessitatis spiritualis: alias enim absurdum esset, si Religiosi nostri ordinis pro necessitate corporali ad pecunias recursum possent habere, & non pro spirituali subleuanda necessitate, & eò magis, si concedamus, (vt concedendum est) posse Religiosos nostri ordinis virtute Cruciatæ à casibus in Bulla Cœnæ Domini contentis absolui, vbi ex vi nostrorum priuilegiorum quàmplures docent (licèt immeritò) talis absolutionis beneficium consequi non
9 posse. Et confirmatur, quia sanctum ac salubre consilium, & omnibus modis animæ procurare salutem; atque ideò esto, quod Religiosi ex vi suorum priuilegiorum suas possint animas à pœnis liberare purgatorij, id etiam alijs vijs procurare sanctum ac meritorium est. Quamobrem non est aliqua robusta ratio, quã ducti negare possimus, recursum ad pecunias eis non licere pro tanto lucrando bono.
10 His addo cum *cum Ludouico à Cruce*, quòd sicut licitum est Religiosis prædictis, permittere, seu petere ab aliquo spirituali amico, vt pro ipsis cuehendis in equo aut in mari pecuniam soluat, iuxta ea, quæ docet *Corduba lib. 5. de indulgentiis q. 26. vers. verum est*, ita id licet eisdem ad Bullam sumendam Cruciatæ indulgentiasque lucrandas: & hoc modo dicuntur etiam ipsi per se facere, quod Bulla faciendum præcipit: atque sic etiam sentiunt *Rosella in summa tit. indulgentia §. 17. & Ioannes Maior in 4. dist. 20. quos citat, & sequitur Corduba vbi suprà*. Tandem probatur, quia

Reue-

Reuerendiss. atque Illustriss. Dominus Don Antonius de Trejo, cum Vicarij Generalis nostri ordinis fungeretur officio, in quibusdam ordinationibus, seu aduertentijs anno 1614. à se editis, & in Prouincias Hispaniæ missis declarat, (habito priùs virorum eruditissimorum consilio) *nos posse vti Bulla Cruciatæ, quò ad lucrandas indulgentias, & quoad absolutionem à casibus in Bulla Cœnæ Domini, & alijs, etiam sedi Apostolicæ reseruatis, dummodò confiteamur confessori approbato ab ordin. quæ omnia veniunt intelligenda quantū ad moniales.* Huius Reuerendissimi declaratio magni est ponderis, & grauissimæ auctoritatis; tum ob ipsius maximam peritiam; tum quia (vt ipse ait) adest plurimorum doctissimorum consensus. De hac declaratione mentionem fecit *P. Fr. Ioannes à Trinitate in expositione casuum in nostro ordine reseruatorum, loco, quo suprà.*

QVAESTIO TERTIA.

Vtrum per Bullam Cruciatæ derogentur omnia priuilegia Regularium quatenùs obstant concessionibus in ipsa contentis.

CAPVT PRIMVM.

Referuntur Priuilegia Regularium Prælatis concessa vsum Cruciatæ impedientia quo ad reseruatorum absolutionem.

SVMMARIVM.

1 *Multa Pontificia prohibitiones, quibus omnibus cuiuscunque ordinis Regularibus vsus interdicitur Cruciatæ.*

2 *Xistus Quartus statuit, quod fratres Regularis obseruantiæ Ordinis Minorum absque suorum superiorum licentia, vllo vti possint Priuilegio quoad reseruata.*

3 *Innocentius octauus idem ordinauit, & strictè prohibuit vsum Bullæ Cruciatæ quo ad articulum eligendi confessarium pro reseruatorum absolutione obtinenda.*

4 *Alexander Sextus declarauit, non esse suæ intentionis, fratres Cistercienses posse vti priuilegio Bullæ Cruciatæ, aut iubilæi, derogans omnes, & singulas concessiones sub quibusuis clausulis, & formis.*

5 *Idem pro fratribus Prædicatoribus statuit Iulius III. dum Illustrissimus Caietanus Generalatus munere fungeretur.*

6 *Pius IIII. quoque hoc ipsum prohibuit pro fratribus Ordinis Prædicatorum.*

7 *Gregorius XIII. pro Religiosissimis atq; sapientissimis Patribus societatis Iesu idem constituit.*

8 *Clemens VIII. edidit peculiare indultum fratribus Ordinis S. Mariæ de Monte Carmelo, quo indulsit Superioribus eiusdem ordinis, quod fratres non possint vti Bulla Cruciatæ quo ad eligendū confessarium gratia obtinēdæ reseruatorum absolutionis.*

9 *Sanctiss. tandem Dominus noster Vrbanus VIII. confirmauit dictam Clementis Octaui Constitutionem.*

1 Quamplura sunt priuilegia Prælatis omnium ordinum mendicantium, seu non mendicantium à Summis Pontificibus concessa quibus prohibentur Religiosi Bullam accipere Cruciatæ, absque suorum superiorum facultate in ordine ad reseruatorum absolutionē, de quibus mentionem fecerunt *Pater Suar. tom. 4. de Religion. lib. 2. cap. 16. n. 5. P. Miranda tom. 2. sui Manualis qu. 34. art. 5. Aloysius à Cruce in expositione Bullæ Cruciatæ disp. 1. cap. 1. dub. 1. nu 3. Trullench. in exposition. Bull. Cruc. lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 6. nu. 6.* quæ omnia hic referenda curauimus pro maiori dicendorum intellectu.

2 Sixtus IIII. qui præfuit Ecclesiæ anno Domini 1471. Pontificatus sui anno tertio ordinauit, *quod fratres minores Regularis obseruantiæ non possint absolui à casibus Reseruatis Ministris, nisi de licentia Generalis, aut eorundem Ministrorum, seu vicariorum Prouincialium, non obstantibus litteris eiusdem Sixti sub quacunque verborum forma eisdem fratribus concessis.* Habetur hæc constitutio in monumento nostri ordinis primæ impressionis folio 54. & secundæ fol. 50. & refertur *in compendio verbo, Absolutio ordinaria quoad fratres §. 15.* Innocentius Octauus, qui secutus fuit prædictum Sixtum anno Domini 1489. Pontificatus sui anno primo id

3 ipsum declarauit; & statuit, *Minores fratres non posse nec debere eligere confessores, nec à casibus reseruatis absolui virtute Bullæ Cruciatæ, quam ipse dederat in Hispania, nisi de consensu, & beneplacito suorum Prælatorum Prouincialium, seu Generalium, & quòd quæcunq; alia absolutio facta quoad fratres, irrita esset & inanis.* Habetur in supradictis monumentis nostri ordinis in prima impressione fol. 56. & in 2. folio 52. concess. 59. & refertur *in com-*

4 *pendio vbi suprà §. 16. & verbo Cruciata §. 2.* Idem statuit postmodum Alexander Sextus, qui Ecclesiæ præfuit post Innocentium prædictum anno Dom. 1492. pro fratribus ordinis Cistercien. prout habetur in ipsorum compendio *verbo, Cruciata §. 1. & 4.* vbi dicitur; *non esse suæ mentis, propter Bullas Cruciatæ, aut Iubilæum, aut alias similes concessiones, sub quacunque derogatione, aut tenore, etiam cum clausula, quacunque prohibitione sublata, atque etiam viuæ vocis oraculo, pænitentiarijs Sancti Petri, aut quibusuis alijs hactenus factis, vel faciendis, velle derogare indultis, & concessionibus dicti*

5 *ordinis.* Hoc ipsum posteà concessit Iulius Tertius fratribus Prædicatoribus anno Domini 1509. dum esset *Caietanus* Generalis Magister eiusdem ordinis. Sed tandem post ipsum Leo Decimus, qui præfuit Ecclesiæ circa annum 1513. ædere duplicem fecit prohibitionem; prima habetur in supplemento fol. 6. concess. 178. & refertur *in compendio verbo, Absolutio ordinaria quo ad fratres §. 21.* vbi statuit, *prohibuit atque declarauit, quod nullus fratrum minorum Regularis obseruantiæ possit accipere Bullas Cruciatæ, seu alias indulgentias generales concessas, aut concedendas, vt possit vti gratijs ibidem contentis, vtpotè contra Regularis ordinis statuta, confiteri quibuscunque sacerdotibus, & absolui à casibus reseruatis, & in diebus ieiuniorum manducare*

ducare lacticinia, & facere alia, quæ non docent Religiosos tam alta, & Stricta professionis, nisi solùm ob aliquam necessitatem particularem, pro qua dicta obseruantiæ authoritas non esset concessa, & tunc examinata huiusmodi necessitate à Generali, vel Prouincialibus Ministris, aut Custodibus, & de eorum expressa licentia in scriptis habita: non obstantibus Bullis, etiam si in eis expressè inhibeatur Prælatis sub censuris, ne subditos suos à talium Bullarum acceptione prohibeant, & subditis libera facultas eas accipiendi tribuatur, & non obstantibus cæteris in contrarium facientibus quibuscunque. Et refertur etiam in dicto compendio *verbo Cruciata §. 2.* secunda prohibitio habetur in dicto supplemento fol. 40. concess. 144. & refertur in compendio *verbo, absolutio ordinaria quoad fratres §. 22.* qua prohibuit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, *ne fratres prædicti, aut moniales S. Claræ, seu tertiæ Regulæ vtantur vllo modo gratijs, libertatibus, & immunitatibus Bullarum Cruciatarum, seu aliarum consimilium, quouis quæsito colore, contra obedientiam ordinis, & absque speciali suorum Prælatorum licentia.*

6 Pius Quintus anno Domini 1571. hoc ipsum prohibuit pro fratribus ordinis Prædicatorum, vt refert Passarellus in compendio fol. 117. quem

7 secutus Gregorius XIII. hoc idem statuit, & declarauit pro Religiosis Societatis Iesu, & refertur in ipsorum cōpendio titulo, *absolutio §. 11.* nempe: *non esse nec fore unquam suæ intentionis, aut Sedis Apostolicæ, vt personæ dictæ societatis, absque expressa sui superioris licentia, vtantur facultatibus, quæ in iubilæis, Bullis Cruciatæ, confessionalibus, aut alijs quibuscunque Apostolicis indultis communitatibus, aut priuatis personis, aut pijs locis quomodocunque aliter huc vsque concessa sunt, aut imposterum concedentur: etiam si in illis expressè indulgeatur, vt omnes Regulares, etiam mendicantes eiusmodi facultatibus vti possint.*

8 *Clemens deinde Octauus anno Domini 1599. Pontificatus sui anno Octauo Decreuit, & statuit, concessionem Sanctæ Cruciatæ, & aliorum indultorum particularium, quantum ad prædictum articulum eligendi confessorem, & absoluendi à casibus reseruatis, minimè locum habere in fratribus, & sororibus, siue monialibus ordinis excalceatorum B. Mariæ de Monte Carmello, ac aliorum quorumcunque ordinum, & cōgregationum cuiusuis instituti mendicantium, & non mendicantium, tam Prouinciæ Hispaniæ, quàm extra eam vbilibet habitantium; sed esse suæ intentionis; quòd ijdem fratres, & sorores, siue Moniales, quantum attinet ad sacramentum pœnitentiæ, seu confessionis administrationem, dispositioni suorum Prælatorum subiecti sint: id quod Apostolica authoritate tenore præsentium perpetuò declarauit eisdem tamen Prælatis præcepit ac strictè mandauit, vt in vsu eiusmodi potestatis secum subditis suis benignos, & faciles exhibeant.* Tandem Beatissimus, ac Sanctissimus

9 Dominus noster Vrbanus Octauus, qui nunc fæciliter viuit, & regnat cui Deus longam præstare dignetur vitam, prout Sancta Romana Catholicaque indiget Ecclesia, hanc supradictam cōfirmauit Clementis Octaui Constitutionem, idemque statuit; sed quia de ista Vrbani Octaui Cōstitutione quæstione sequenti specialiter tractaturi sumus, vbi commodiùs referemus: quæ omnia libuit adducere, vt faciliùs, quæ senserim aperiā.

CAPVT SECVNDVM.

Allata priuilegia Regularium superioribus concessa per Bullam Cruciatæ non derogari, qui doceant.

SVMMARIVM.

1 *Omnes prohibitiones Pontificias, quibus Religiosis omnium ordinum vsus interdicitur Cruciatæ absq; Prælatorum licentia ad eligendum confessarium pro reseruatis, non esse per Bullam Cruciatæ derogatas, qui docuere.*

2 *Priuilegium generale speciali non derogat, nisi illius expressè faciat mentionem.*

3 *Bulla Cruciatæ priuilegium est generale Maiestati Philippi Quarti concessum.*

4 *Adducitur Textus Bullæ Cruciatæ, quo ostenditur, priuilegia, gratias, & facultates Mendicantium superioribus concessa quoad eorum fratres non esse derogata.*

5 *Facultas eligendi confessarium, si daretur Religiosis, esset occasio votum violandi Castitatis.*

7 *Per nullam Bullę Cruciatę clausulam Mendicantiū derogantur priuilegia; & quare.*

7 *Per Bullam Cruciatæ Regularium non suspenduntur Priuilegia, quibus possunt commutare vota, & à Censuris absoluere.*

1 PRohibitiones omnes proximo capite adductas, quibus Religiosis omnium ordinū vsus Bullæ interdicitur Cruciatæ absque licentia Prælatorum ad eligendum confessarium pro reseruatis, non derogari per Bullam Cruciatam, docuere quāplures grauissimi Doctores, præsertim *P. Suarez tom. 4. de Religione lib. 2. cap. 16. nu. 3. & 4. Reginaldus tom. 1. lib. 8. cap. 3. sect. 3. num. 37. Sebastianus Acosta de Andrade in expositione Cruciatæ q. 107. Corduba in adnotati: super Regul. Seraphici P. nostris Francisci cap. 9. q. 8. punct. 2. Passarellus de Priuilegijs Minimorum cap. 10. Ledesma 2. p. 4. qu. 29. art. 2. Miranda in Manuali Prælatorum tom. 2. q. 34. art. 15. conclus. 2. Rodriquez tom. 1. qq. Regular. q. 21. art. 10. & expositione Bull. Cruciat. §. 9. nu. 24. Ioannes à Trinitate in expositione casuum in nostro ordine reseruatorum dub. 5. Fr. Martinus à Sancto Ioseph in expositione Regulæ nostræ cap. 16. num. 19. & seqq. Garzias de beneficijs 2. p. cap. 5. à nu. 6.* & alij quamplures.

2 Hæc sententia ex eo ostendi potest primò, quia priuilegium generale non derogat speciali, nisi illius expressam faciat mentionem, vt docent *Syluester verbo, Priuilegium, quæsito 10. Tabiena eodem verbo, quæsito 14. Ledesma in 2. p. 4. quæst. 2. art. 2. Abbas Panormitan. in cap. veniens & ex causa 25. quæst. 2. per totam*: Atqui priuilegium Bullæ Cruciatæ est generale ad Hispaniam, & alia Regiæ Maiestatis Philippi IV. Regna, Priuilegium autem

autem huius, seu illius Religionis est speciale; igitur cùm non fiat de eo mentio expressa derogatum non debet censeri per generalem clausulam Bullę. Qua ratione quamplures Doctores apud *Sanchez tom. 1. in opere morali lib. 2. cap. 10.* docent, per Generalem clausulam Bullę Coenę Domini absolutionem Heresis prohibentis non derogari Episcoporum priuilegia de absoluendo ab illa in foro interiori, quando est occulta. Item Summi Romani Pontifices Religionibus Priuilegia concedentes ad vsum impediendę Cruciatę profectò minimè ignorabant, Bullę Cruciatæ in Hispania singulis publicare annis cum clausulis derogatorijs aliorum priuilegiorum; igitur per tales clausulas generales censebant, non derogari, aut suspendi specialia Religionum priuilegia ab ipsis concessa, aliàs frustra illa concederent, cùm nullum possint sortiri effectum.

4 Secundò, quia in dicta Bulla expresè habetur, non derogari per illam priuilegia, gratias, & facultates mendicantium concessa superioribus quoad eorum fratres, ibi; *In hac autem derogatione nostra nolumus comprehendi similes, vel dissimiles facultates concessas mendicantium ordinum huiusmodi superioribus quoad suorum ordinum fratres, nec per illam aliquod ipsis præiudicium afferre:* atqui Mendicantium priuilegia, quibus Bullam accipere Cruciatæ sine facultate suorum superiorum in ordine ad reseruatorum absolutionem prohibetur Religiosis, & elargitiones sunt superioribus in ordine ad suos fratres factæ, non contra illos, sed in fauorem, cùm sint in eorum maiorē profectū, & vt meliùs illos cōtineāt in Regulari obseruantia: Nam ampla libertas eligendi quemcunque in ordine approbatum confessarium ad quoscunque reseruatos casus potiùs ei noceret, vt expresè innuunt Summi Pontifices superiori capite relati, præsertim Gregorius XIII. teste Priuilegiorum Collectore *verbo, Cruciata §. 3. & 5.* vbi dicitur, quòd nec est, neque esse debet Pōtificis intentio, aliquid concedere, vndè ordinis disciplinam labi contingat; & infrà dicitur, quòd per talem libertatem eligendi confessorem daretur Religiosis occasio violandi votum castitatis, vt experti dicere possunt: hæc ibi; Igitur per

6 nullam clausulam Bullæ Cruciatæ Mendicantium derogantur priuilegia, cùm semper fiat in illis exceptio priuilegiorum Mendicantium superioribus in ordine ad suos fratres concessorū. Vnde *Ledesma suprà relatus ait*, semper Religiones habere priuilegia per breuia Pontificū, quod indulgentiæ non valeant Religiosis quoad confessionale, sine suorum Prælatorum licentia.

7 Tandem tertiò probatur; quia per Bullā Cruciatæ Regularium priuilegia ad alios à peccatis, & censuris, etiam reseruatis absoluendos, & ad vota commutanda, præter excepta in bulla, non suspenduntur, vt communiter omnes Cruciatæ expositores docent, & praxis, atque vsus id confirmat; igitur neque etiam intelligendum est, alia derogari priuilegia, per quorum derogationem disciplina relaxetur Regularis, & ampla detur peccandi occasio. Hæc sunt potiora fundamenta, quibus allegati Authores affirmare astringuntur, prohibitiones in proximo capite adductas per Bullam non derogari Cruciatæ.

CAPVT TERTIVM.

Ad conuincendam horum Doctorum sententiam, adducitur, atque expenditur Textus Bullæ Cruciatæ.

SVMMARIVM.

1 *Adducitur Textus Bullæ Cruciatæ ibi;* non obstantibus quibuscunque decretis &c.

2 *Prædictus Textus dilucidè expenditur.*

3 *Priuilegiorum reuocatio non pendet à Principis potestate, sed voluntate.*

4 *Priuilegiorum reuocatio fieri solet per clausulam Generalem*, non obstantibus quibuscunque priuilegijs &c.

5 *Priuilegia in corpore iuris inserta non reuocātur per clausulas Generales præcisè in posteriori priuilegio positas.*

6 *Princeps procedens per viam statuti, aut legis per clausulas Generales, omnia reuocat priuilegia in corpore iuris inclusas.*

7 *Quid requiritur, ad hoc, vt priuilegia, quæ in suo tenore continent, vt reuocari non possint, nisi eorum mentio fiat de verbo ad verbum, ad hoc, vt reuocata censeantur.*

8 *Clausula*, omnia pro insertis, & expressis habentes, *tres operatur effectus; & qui illi sint.*

9 *Declaratur Clausula Bullæ Cruciatæ ibi;* expresè derogamus, & derogatum esse volumus, ceterisque contrarijs quibuscunque.

10 *An per clausulam prædictæ Bullæ Cruciatæ Pontifex excipiat priuilegia concessa Regularium superioribus?*

11 *Priuilegia impedientia Bullæ Cruciatæ vsum quoad electionem confessarij pro reseruatis, non censentur facultates, aut gratiæ concessæ Superioribus in ordine ad eorum fratres, & quare.*

12 *Quid reuera importent illa verba Cruciatæ nimirū* In hac autem derogatione nostra nolumus comprehendi similes, aut dissimiles facultates concessas Mendicantium Ordinum huiusmodi superioribus quoad suorum Ordinum fratres.

13 *Omnia & singula priuilegia, ac prohibitiones Apostolicas, quibus interdicitur fratribus cuiuscunque Ordinis Bullæ Cruciatæ vsus, esse per dictas clausulas derogata, qui affirment.*

14 *Aloysius à Cruce, vt sibi contrarius impugnatur.*

15 *Clausula*, Quorum tenores & pro expressis habentes, *est talis naturæ, vt omnia & singula priuilegia, non solùm generaliter, verùm etiam & specialiter deroget, in quantum dispositioni, in qua ponitur, aduersantur.*

16 *Clausula*, non obstantibus quibuscunque decretis, constitutionibus, statutis, consuetudinibus, Bullis, & priuilegijs, *in Bulla Cruciatæ apposita est tantæ efficacitatis, vt deroget quācunque conciliarem dispositionem.*

17 *Vir-*

17 *Virtute prædictæ Clausulæ omnia priuilegia in mare Magno contenta derogari videntur;*

1 HAud obscurè prædictorum sententia DD. conuinci potest, si verba Textus Bullæ Cruciatæ priùs expendamus. Sic enim ibi habetur; *non obstantibus quibuscunque decretis, constitutionibus, statutis, consuetudinibus, Bullis, Priuilegijs, litteris, Indulgentijs, Bulla mare magnum nuncupata, & ordinibus editis, aut approbatis etiam pluries, non solùm ab inferioribus, sed à nobis, & à nostris prædecessoribus cum quibusuis clausulis, derogationibus, ac iuramentis, & ex quacunq; causa, & expeditione contra Turchas, & siue per modum legis vniuersalis siue sub alia forma, siue in fauorem Ecclesiarum etiam cathedralium, siue in fauorem alicuius militiæ tam S. Iacobi de spata, de Calatraua, & Alcantara, quam aliarum quarumlibet, & siue etiam in fauorem publicarum personarum, aut vniuersitatum emanauerint: quoniam in his omnibus & singulis, etiam quòd de verbo ad verbum debuissent in præsentibus inseri, habẽtes, & haberi volentes omnia pro insertis, & expressis de verbo ad verbum, ex certa scientia, & motu proprio, & de nostræ potestatis plenitudine, eatenùs, quatenùs directè vel indirectè præfatis in toto, aut in parte contrariantur, aut aliquando quamquam minimum præiudicium, seu impedimentum afferant, expressè derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrarijs quibuscunq; In hac autem derogatione nostra nolumus comprehẽdi similes, vel dissimiles facultates concessas mendicantium ordinum huiusmodi superioribus quo ad suorum ordinum fratres, nec per illam aliquod ipsis præiudicium afferre: quinimmò illa omnia quoad suorum ordinum fratres, vt præfertur, durare volumus.*

2 Ex his nonnullæ particulæ veniunt dilucidandæ quatenùs ad impugnandam allatam deseruiunt sententiam; Igitur aduertendum est primò, priuilegiorum expressam reuocationem diuidi in specificam, & particularem, ac in genericam, & vniuersalem: priori modo fit, quando non solũ expressis verbis priuilegia reuocantur, sed etiam in specie, & in particulari; quando nimirum specificata ac determinata priuilegia, vel indiuidualiter abrogantur, atque reuocantur: & tunc, Principis potestate reuocandi priuilegij supposita, de qua non est dubitandum, quia priuilegiorũ

3 reuocatio (vt docet *Germon. de indultis Cardinal. §. Irritum fol. 509 nu. 6. & 11.*) non pendet à Principis potestate, sed voluntate, quæ satis per verborum expressionem constat apertè, *vt Suarez lib. 8. de legib. cap. 38.* & nos cum eo docuimus in nostris disputationibus pro iuris Pontificij *defens. disp. 3. qu. 2. cap. 1.* nulla est difficultas, nec licèt in dubium, & controuersiam verti talem reuoca-

4 tionem priuilegiorum. Secundo modo fieri solet expressa reuocatio non tantùm in specie, sed in genere, per clausulam scilicet generalem, *non obstantibus quibuscunque priuilegijs*, & illa etiã regulariter sufficit, quia genus de se comprehendit species, vt eodem loco adnotauimus, & *disp. 1. qu. 2. cap. 3. num. 22.* Dixi consultò, *Regulariter*, primò, propter priuilegia in corpore iuris inclusa, quæ aliquid speciale ius ad sui reuocationem requirunt: nam eo ipso, quòd in corpore iuris in-

5 seruntur, non tantùm priuilegia, sed leges publicæ censentur: & Ideò per generalem clausulam priuilegiorum reuocatoriam non reuocan-

6 tur in posteriori priuilegio positam; Secùs verò, si Princeps procedat per viam statuti, aut legis, quia tunc clausulæ generales operantur ad reuocationem priuilegiorum in Iure incorporatorũ, vel si addatur clausula derogatoria legum, seu canonum; vt rectè notat *Gloss. in Authentica quia, C. vbi de crimin. verbo illic*, omni priuilegio, quæ ibi communiter probatur, & sentit *Glossa in leg. hæres absens ff. de iudic. verbo excusatur, & Glossa leg. 3. Cod. de silentiarijs lib. 10.* & potest sumi ex verbis illius legis; *non præiudicatur à quacunque generalitate pragmatica.* Ita videtur sentire *Iason in l. 1. Cod. solut. matrim.*

7 Secundò etiã notanter dixi, *regulariter*, propter priuilegia, quæ in suo tenore continent, vt reuocari non possint, nisi eorum mentio fiat de verbo ad verbum, vel aliquid simile, vt docent *Felin. in cap. nonnulli de rescript. nu. 6. & Panormit. cap. Cùm instantia nu. 5.* summa tamen omnium est, oportere, vt addantur alia verba reflexiua, vt reuocari possint, vt vbi dicatur, *non obstante tali, vel tali clausula, reuocata intelligãtur*, vel signatim dicatur, *non obstante priuilegio sub quorumcunque verborum forma concesso*, vel aliquid simile, *vt in Clement. 1. de sepulturis in fine, & Clement. 2. eiusdem tituli;* Ratio esse potest, quia non est Summus Pontifex cogendus, vt de verbo ad verbum talia referat priuilegia, quæ fortassè scire non potest, neque priuandus est potestate illa reuocandi, quãdo oportuerit; ergo satis est, vt per verba generalia, quæ priora comprehendunt, sufficienter explicet mentem suam: hoc posteriori modo generaliter per clausulas, non obstantibus quibuscunque decretis &c. derogantur omnia & singula priuilegia, quæ obstant, vel obstare possunt directè, vel indirectè in toto, vel in parte huiusmodi Cruciatæ priuilegio.

8 Aduertendum est secundò, quòd clausula illa nimirùm, *quoniam illis omnibus & singulis, etiam quòd de verbo ad verbum debuissent in præsentibus inseri, habentes, & haberi volentes omnia pro insertis & expressis de verbo ad verbum, ex certa scientia, motu proprio, & de nostræ potestatis plenitudine*, maximam habet vim, & efficacitatem; & enim tres habere inuenio apud Doctores operationes. Prima est, non solùm, vt toti priuilegiorum tenores inserti in genere censeantur, verùm etiam indiuidualiter, & specificè, ac si quilibet illorum esset insertus de verbo ad verbum cum omnibus suis qualitatibus, modis, formis, solitis clausulis, vel etiam insolitis. Ita Martha *clausula 96. nu. 6. Sesse decis. 93. nu. 15. Cardinalis Tuscus conclus. 329. num. 6. Ioannes Franc. in suo Thesaur. fori Ecclesiast. p. 1. cap. 13. num. 21. Crauetta consil. 126. num. 7. & sequentibus, Rebuffus super concordia tit. forma mandati Apostolicis verbo, pro expressis, Flamin. qu. 14. nu. 16.*

num. 16. *Rizzius Collectanea* 949. *effectu primo*, *&* *alij*, *quos ipse allegaui loco vbi suprà*.

Secunda operatio est, formaliter exprimere ea, quæ obstant, vel obstare possunt Bullæ huiusmodi Cruciatæ: Ita Sacra Rota Roman. in vna Sabiniensi Castri rotundi coram Illustriss. *Coccino* 8. Februar. 1627.

Tertia est, derogare omnibus his priuilegijs, litteris, Bullis, indulgentijs, Bullę mare magnum nuncupatæ, quibusuis Religionibus concessis, quæ Bullæ aduersantur Cruciatæ ita ex *Crauetta resoluit dicto consil.* 190. *num.* 6. etiam his quæ habent clausulam derogatoriam ad futura priuilegia ex *Flamin. dicta q.* 14. *num.* 16. *Riccio dicta Collectanea* 949. *effectu* 4. *Marth.* 1. *p. clausul.* 123. *n.* 9. ita quòd Pontifex in huiusmodi verbis derogat specificè omnia, & singula priuilegia, concessiones, et gratias quascunque quomodolibet à Sancta sede Apostolica, & suis prædecessoribus quibuscunque ordinibus mendicantibus, & non mēdicantibus factas sub quibuscunque formis, & clausulis insolitis, & de necessitate exprimendis. In genere verò virtute illius clausulæ, *pro insertis, & expressis de verbo ad verbum*, *ex certa scientia*, *& motu proprio*, derogat omnia & singula priuilegia, indulcta, Bullas, litteras, indulgentias, etiam cum clausula derogatoria ad futura priuilegia habentia; vt Anastasius Germonius ex *Caputaquense decisione* 121. *concludit de indulctis Cardinalium §. ac irritum num.* 14. *in fine*, quatenus obstare possunt, vel obstant in totum, vel in partem concessionibus, atque gratijs indicta Bulla Cruciatæ contentis.

9 Et vlteriùs aduertendum est; quod virtute eiusdem clausulæ omnia supradicta indiuidualiter, seu singulariter tenta, motu proprio, & ex certa scientia, atque de plenitudine potestatis derogantur. Sic enim ibi Summus Pontifex concludit, *expressè derogamus*, *& derogatum esse volumus*, *cæterisque contrarijs quibuscunque*; quæ clausula omnia & singula, quæ aduersantur dictis Bullæ Cruciatæ concessionibus, derogantur. Vide ad hoc quæ docuimus in nostis disputationibus pro iuris Pontific. *defens. disp.* 3. *qu.* 2. *cap.* 1. *per totum & q.* 3. *cap.* 4. *num.* 17. quæ hic cum proportione optimè applicari possunt.

10 Sed obijcies; in dicta vltima clausula Summus Romanus Pontifex excipere videtur priuilegia concessa omnium ordinum superioribus, etenim sic habet: *In hac autem derogatione nostra nolumus comprehendi similes, vel dissimiles facultates concessas Mendicantium ordinum huiusmodi superioribus quo ad superiorum ordinum fratres, nec per illam aliquod ipsis præiudicium afferri*; Igitur priuilegia Regularium concessa superioribus, quibus Religiosis vsus interdicitur Cruciatę in ordine ad eligendum confessarium pro absoluendo à reseruatis non censentur derogata.

11 Respondeo, negando consequentiam, quia Pontifex ibi priuilegia dumtaxat superioribus concessa quoad eorum fratres in suo robore ac efficacitate relinquit: At qui priuilegia impediētia Bullæ Cruciatæ vsum quoad electionem cōfessarii pro reseruatis nō sunt facultates, aut gratiæ concessæ superioribus in ordine ad eorum fratres: hoc enim non est in fauorem fratrum, sed potiùs contra fratres, cùm id sit valdè odiosum, & molestum illis; igitur manifestum est ibi nullam fieri eorum exceptionem.

12 Alij autem aliter respondent, negantes consequentiam; ratio verò negationis est, quia sub illo facultatum nomine, quas ibi Summus Romanus Pontifex excipit, comprehenduntur gratiæ, & indulgentiæ quædam, quas Regulares Prælati suis possunt applicare subditis, etiam si Bulla careant Cruciatæ: immò iuxta probabilē, & ferè communem sententiam de illis solùm videtur esse sermo, & certè id mihi persuadeo, quoniam euidenter hoc ostendunt verba illa, *similes*, *vel dissimiles facultates*, quæ cùm sint relatiua, ad gratias, & facultates, quæ in superioribus enarrantur, referri debent; atqui certum est, illas esse indulgentias peccatorum, atq; censurarum absolutiones, nec non votorum commutationes, quæ omnia ad suos subditos iure priuilegiorum facere optimè possunt Prælati Regulares; Igitur de illis tantùm fit exceptio. Potest etiam id intelligi de priuilegijs concessis superioribus in ordine ad suos fratres pro tempore interdicti, & ad oua, & lacticinia vescenda; immò & ad absoluendum eos à multis casibus in iure Papæ reseruatis: Pontifex ergo in Bullę derogatione has omnes excipit facultates superioribus concessas in ordine ad suos fratres, non tamen priuilegium ad impediendum vsum Bullę fratribus.

13 Ex his igitur manifestè apparet, Cruciatę omnia, & singula priuilegia, ac prohibitiones in primò cap. huius quęstionis relata derogata esse. Ita sentiunt *Ioannes à Cruce de statu Religion. lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 12. *concl.* 3. *Saucius in Selectis disp.* 44. *nu.* 10. *ad finem & nu.* 13. *Basilius Pontius de Leone lib.* 5. *de matrimonio cap.* 2. *n.* 7. *& Clarius lib.* 2. *cap.* 19. *§.* 2. *nu.* 13. *& nouissimè in tract. de pænitentia cap.* 4. *dub.* 2. *Ruimendes Secretarius Concilij ipsius Cruciatæ in Regno Lusitaniæ* in quodam tractatu, quem de hac materia edidit *cap* 1. *concl.* 1. *Sorbus in addit. ad compendium verbo, Cruciata §.* 5. *versic. deinde dico*, *Aegidius Trullench in expositione Bullæ Cruciatæ lib.* 1. *§.* 7. *cap.* 1. *n.* 11. *Aloysius à Cruce sibi contrarius in exposit. Bullæ Cruciatæ disp.* 1. *cap.* 1. *dub.* 9. *num.* 4. *vers.* 1. *quia in Bulla Cruciatæ*. Dixi sibi contrarius, quia *cap.* 11. *in responsione ad* 2. *secundæ sent. id negare videtur, & dub.* 10. *num.* 4. *& sequentib.* Collector priuilegiorum ordinis mendicantium in cōpendio verbo, absolutio, vbi referens verba Innocentij Octaui, quibus declarauit, fratres minores non posse eligere confessores pro reseruatorum absolutione virtute Bullę Cruciatę, quam ipse cōcesserat in Hispania, statim ipse collector ait; aduertendum est, quod similem reuocationē fecerunt alij Pōtifices, qui dederunt Bullas Cruciatę, sed istę reuocationes non sunt perpetuę, quia non extenduntur ad Bullas Cruciatę futuras, & ideò quandocunque venerit noua Cruciatę,

ciatæ, oportet habere nouam reuocationem illius, ad hoc, vt fratres nequeant illa vti. Hæc ille. Ex quibus omnibus manifestè conuincitur sententia Doctorum in secundo huius quæstionis cap. adducta.

15 Conuinci faciliùs autem potest, si hæc omnia ad formam reducantur Syllogisticam, & quidē à priori sic: etenim clausula, *quorum tenores, etiam pro expressis habentes*, quæ in Pontificijs ponitur dispositionibus, est talis naturæ, vt deroget omnia, & singula priuilegia, non solùm generaliter, verùm etiam & specificè, atque indiuidualiter, quatenus tali dispositioni obstant, atque aduersantur: atqui in Bullis Cruciatæ huius temporis, quinimmò, & in omnibus à Pio Quinto concessis habetur talis clausula; igitur priuilegia præcedentia verè derogantur, quantum ad hoc, per subsequentem expeditionem nouæ Bullæ Cruciatæ. Huius discursus maiorem propositionem ostendunt *Martha, Sesse, Cardinal. Tusch. Crauetta, Rebuff. Menochius, locis citatis*, & alij apud *Barbosam de clausulis, clausula dicta, quorū tenores*: illamque communiter habent *Cassiodorus Regul. 10. Cācellariæ Passarell. lib. de priuileg. Minimor. cap. 8. 12. & 13. Angelus ver. excommunicatio 5. casu 3. Sylnester verbo, exemptio quæsito 11. & verbo, priuilegium quæsito 10. Armilla eodem verbo num 6. & v. exemptio n. 11. & alij quamplures apud Tusch.* ratione verò probatur; tum quia impossibile est, omnes concessiones antecedentium Pontificum in aliquo vno inserere priuilegio, vt de se patet; ergo sufficienter derogātur per clausulam pro expressis habentes. Vndè compendium mendicantium titulo, *Priuilegia, circa finem, verbo, Indulgentiæ stationum quoad fratres §. 7.* ait, esse plusquàm manifestum secundùm stylum Curię Romanæ derogari priuilegia præcedentia, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, ibique insererentur, virtute clausulæ, pro expressis habentes, quia in nullis reuocationibus inseruntur litteræ Apostolicæ, nisi aliquando ad abundantiorem cautelam; tum quia in iure ad derogationem priuilegiorum, aut testamenti habentis clausulam derogatoriam sequēntis, satis est clausula generalis, vt docet *Antonius Gabriel tom. 7. lib. 6. tit. clausul. colum. 5. per totum Couarruuias Rubric. de testament. p. 2. n. 19. & 20. Tabien. verbo, priuilegium, quæsito 15. n. 16. Rosell. verbo, exemptio num. 1.* Igitur ad reuocationem priuilegiorum superioribus Regularium concessorum satis est huiusmodi clausula, prout suprà notabili secundo ostendimus, cum vtriusque sit eadem prorsus ratio.

16 Rursùs clausula, *non obstantibus quibuscunque decretis, constitutionibus, statutis, consuetudinibus, Bullis, Priuilegijs, &c.* in Bulla Cruciatæ contenta est tantæ efficacitatis, quando apponitur, ex certa scientia, & motu proprio, vt deroget quācunque conciliarem dispositionem, quando additur verbum illud, *Apostolicis*; Igitur à fortiori reuocat, seu derogat quæcunque priuilegia, gratias, facultates, Indulta, & huiusmodi, quatenùs aduersantur Priuilegio, cui illa apponitur, ac subinde virtute talis clausulæ omnia priuilegia in *mare magnum* contenta, omnes, & quascunque Bullas, litteras, indulta, Decreta, statutaq; quatenus in totum, vel in partem aduersantur Bullæ Cruciatæ, vel aliquod quamquam minimum præiudicium, seu impedimentum ipsi Cruciatæ afferunt, derogantur. Consequentiæ omnes sunt notæ; Antecedens ostendunt *Puteus decis. 294. lib. 2. Mandos. de signatura gratiæ titulo, de prouisione versiculo, derogatio dicti Concilij, & vers. Quæro Papam, Iacobantius de Concilijs lib. 5. art. 18. in fine, Flam. paris. lib. 6. de resignatione quæst. 2. num. 34. Felin. in cap. nonnulli de rescriptis nu. 8. vers. rescripto, Iacobus Adrette de omnimoda Regularium exemptione ibi, cū clausulæ alias prærogatiuas vincunt, Cassad. decis. 14. num. 3. de præbendis*; & deducitur *ex Clement. 1. & Clement. dudum ad finem de sepulturis, & cap. finali de sent. excommunicationis in 6.* Ipse latè pro iuris Pontificij defens. *disput. 3. qu. 3. cap. 4. n. 17. Pater Suarez lib. 8. de legibus cap. 38. nu. 2.* vbi ostendit, per clausulam generalem, *non obstantibus quibuscunque Priuilegijs*, reuocari omnia priuilegia præcedentia.

QVAESTIO QVARTA.

Vtrum Bulla Cruciatæ, quatenus Regularibus facultatem eligendi confessarium pro absoluendo à reseruatis præstat, sit per nouum Decretum Sanctissimi Domini Nostri Papæ Vrbani Octaui derogata?

CAPVT PRIMVM.

Adducitur Breue, & nonnullæ adnotationes ad eius intelligentiam necessariæ apponuntur.

SVMMARIVM.

1 *Bulla Cruciatæ præbet omnibus Christi fidelibus facultatem, qua absolui possunt à casibus tam sedi Apostolicæ reseruatis, quàm ordinario.*

2 *Absolutio à casibus, & censuris in Bulla Cœnæ contentis in foro externo non suffragatur.*

3 *Omnium ordinum Regulares, & Moniales, quantum ad sacramentum pænitentiæ, seu confessionis administrationem, Ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum, & sedi Apostolicæ quoad sibi reseruata subduntur.*

4 *Ex vi Sanctissimi Domini Nostri Vrbani VIII. Constitutionis Cruciatæ nequeunt Regulares absolui à reseruatis Summo Romano Pontifici.*

5 *Constitutio eiusdem Sanctissimi Domini Nostri Vrbani Octaui eandem recipit interpretationem, ac Clementis Octaui; & quare.*

6 *Constitutio Sanctissimi Domini Nostri Vrbani VIII. cùm sit illius Clementis extensiua, & declaratiua, eodem modo exponi debet quoad articulum eligendi confessarium extra proprium Ordinem.*

7 *Clementis Octaui Constitutio solùm impedit, seu prohibet, ne Religiosi extra Ordinem eligant confessarium pro absolutione à reseruatis.*

8 *Constitutio Vrbani Octaui non interdicit vsum suorū priuilegiorum ipsis Regularibus concessorum à sede Apostolica, vt possint absolui à suis superioribus reser-*

reseruatis, & Sedi Apostolicæ, de suorum superiorum licentia.

9 *Existente hac Sanctissimi Domini Nostri Constitutione, iure priuilegiorum suorũ, sicut priùs poterant absolui à reseruatis Summo Pontifici Regulares, ita & modò.*

Innouatio Constitutionis Fel. Recordat. Clementis Papæ Octaui super Bullam Cruciatæ, & Regulares quo ad Sacramentum pœnitentiæ.

Vrbanus Papa Octauus. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

IN speculo militantis Ecclesiæ, nullo licèt meritorum suffragio, diuina dispositione constituti, & attentè considerantes, sacros Regularium Ordines tantas Ecclesiæ Dei vtilitates omni tempore attulisse, vt ad eas conseruandas, & instaurandas Romani Pontifices prædecessores nostri magnam iure optimo diligentiam semper adhibuerint; dignum quin potius reputamus, vt, eorundem Pontificum vestigijs inhærentes, ad eas Pastoralis vigilantiæ partes iugiter intendamus, vt eisdem ordinibus disciplinæ Regularis obseruantia Sanctè & intacta conseruetur: & si quæ illi obesse dignoscuntur, opportunæ Constitutionis Ministerio salubriter remoueantur. Aliàs si quidem Fel. Record. Clementi Papæ Octauo prædecessori nostro per Procuratorem Generalem Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo nuncupatorum fuit expositum, quòd cùm in Bulla Cruciatæ Sanctæ, & alijs priuilegijs ab Apostolica Sede concedi solitis, detur facultas eligendi confessarium idoneum ab ordinario approbatum, qui possit Christi fideles absoluere à Casibus Ordinario, & Sedi Apostolicæ reseruatis; Religiosi prædicti Ordinis, seu eorum nonnulli, etiam prædictis facultatibus vti præsumebant, in detrimentum eorum Regularis disciplinæ. Quare idem Clemens prædecessor sua perpetuò valitura constitutione declarauit, facultatem, & concessionem Sanctæ Cruciatæ, & aliorum indultorum, quantum ad prædictum articulum eligendi confessarium, & absoluendi à casibus reseruatis, non habere locum cum fratribus, & sororibus Monialibus, quorumcunque ordinum, & congregationum cuiusuis instituti mendicantium, & non mendicantium, tam in Prouincia Hispaniæ, quàm extra eam vbilibet Constitutis, neque eis suffragari, sed eiusdem Clementis prædecessoris intentionem fuisse, quòd ijdem fratres, & moniales, quantum ad Sacramentum pœnitentiæ, seu confessionis administrationem, dispositioni suorum Prælatorum subiecti essent, prout in dicti Clementis prædecessoris in simili forma breuis desuper sub die 23. Nouembris 1599. Pontificatus sui anno Octauo expeditis litteris, quarum tenores præsẽtibus pro expressis haberi volumus, pleniùs continetur. Nihilominus, sicut nobis non sine animi molestia innotuit, nonnulli ordinis fratrũ Prædicatorum professores, prætextu Bullæ eiusdem Sanctæ Cruciatæ, ac dictorum indultorum, confessarium huiusmodi, qui eos, vt præfertur, absoluat, eligere posse prætendunt, & forsàn eligunt etiam ad præsens, postquàm litteræ nostræ sub die 14. Iunij 1624. Pontificatus nostri anno primo, super facultate eisdem Regularibus confessarium ad effectum huiusmodi eligendi ad quinquennium proximum tunc concessa emanarunt, iam pridem ab anno, & vltrà expirauerunt; in maximũ status, & obseruantiæ Regularis præiudiciũ. Nos præmissis, quantum nobis ex alto conceditur, obuiare, ac felici tam eorundẽ fratrum Prædicatorũ, & B. Mariæ de Monte Carmelo Religiosorum, quàm omnium, & quorumcunque aliorum cuiuslibet ordinis, Congregationis, Societatis, & instituti, etiam speciali mentione, & nota digni, vtriusque sexus tam mendicantium, quam non mendicantium statui, atq; directioni, & aliorum Christi fidelium saluti consulere volentes, præfatæque Clementis prædecessoris declarationi inhærentes, illamque tenore præsentium innouantes, &, quatenùs opus sit, ampliantes, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, concessiones Sanctæ Cruciatæ, quæ respectu facultatis huiusmodi etiam laicis, & Clericis sæcularibus cuiuscun-

2 *que status, gradus, qualitatis, & conditionis, etiam speciali nota dignæ, quo ad casus reseruatos, etiam in Bulla Cœnæ Domini (hæresi excepta) contentos nonnisi in foro conscientiæ, non autem in foro externo suffragatur, aliorumque indultorum huiusmodi, quantum ad prædictum articulum eligendi confessarium, & absoluendi à prædictis casibus reseruatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, cum fratribus, & monialibus prædictis fratrum Prædicatorum, & aliorum quorumcunque ordinum, & congregationum, Societatisq; & instituti prædictorum mendicantium, & non mendicantium tam Prouinciæ Hispaniæ, quàm extra eam vbilibet constitutorum locum minimè habuisse, neque habere, neque illis vllo modo suffragari potuisse, neque posse, excepto dumtaxat illo quinquennio, quo litteræ nostræ huiusmodi, vt præfertur, durauerunt: si quidem die 14. mensis Iunij 1529. proximè præteriti iam spirauerunt; sed nostræ intentionis fuisse, & esse, quod ijdem fratres, & moniales, quantum ad sacramentum pœnitentiæ, seu confessionis admini-*

3 *strationem, ordinariæ dispositioni suorum Prælatorũ, & Sedi Apostolicæ quò ad sibi reseruata subiecti sint, eorundem tenore præsentium perpetuò declaramus: decernentes præsentes nostras litteras &c.*

4 Pro cuius constitutionis Apostolicæ intellectu notare in primis oportet, quòd hac constitutione Religiosis quorumcunque ordinum in vniuersum vsus Bullæ Cruciatæ interdicitur, quantùm ad articulum eligendi confessarium, & absoluendi à casibus reseruatis tam Prælatis, quàm Sedi Apostolicæ in bulla Cœnæ contentis, quæ constitutio illi Clementis tantùm addit, vt Cruciatæ vsus Religiosis censeatur prohibitus etiam respectu casuum reseruatorum Sedi Apostolicæ in Bulla Cœnæ Domini contentorum, ac proinde hac perpetua existente constitutione, videtur dicendum, non posse Religiosos virtute Sanctæ Cruciatæ sibi confessarium eligere pro casuum Bullæ Cœnæ Domini absolutione.

5 Verùm hæc constitutio Sanctissimi Domini Nostri Vrbani Octaui eandem expositionem admittit, quam illa Clementis; Etenim *Rodriquez in summa tom. 3. cap. 7.* opinatur, fore exponendam ita, vt prædictis Religiosis solùm bullæ interdicatur vsus Cruciatæ quo ad articulum eligendi confessorem pro reseruatis, non tamen ab alijs etiam mortalibus mouetur, quia (vt in iure disponitur) ex proœmio Constitutionis limitanda est eiusdem determinatio: sic *Tiraquell. tract. de cessante causa limit. 1. nu. 55. Riminald. consil. 540. num. 78. volum. 5. Bursat. consil. 76. num. 9. Gutticrez lib. 3. practicar. quæst. 17. num. 90. Molin. lib. 1. de primogeniis capit. 5. num. 34. & 35. Ceuallos commun. contra commun. tom. 3. quæst. 838. num. 114. Burgos de paz consil. 32. num. 6. Salas de legibus disp. 17. sect. 9. nu. 2.* & alij communiter. In proœmio autem præcitatæ constitutionis sic habetur: *Cum in Bulla Cruciatæ, & aliis priuilegiis, quæ ab Apostolica sede concedi solent, detur facultas eligendi confessarium idoneum ab ordinario approbatum, qui possit Christi fideles absoluere à casibus ordinario reseruatis, & à quibusdam etiam, quæ dictæ sedi reseruata sunt, Religiosi dicti ordinis, seu eorum nonnulli iis etiam vti præsumant.* Ex quibus infert *Rodriquez vt suprà*: atque ita sensisse, & subscripsisse viros doctissimos Academiæ Salmaticensis, testatur ibidem *Rodriquez*.

6 Atque ita exponenda venit Sanctissimi Domini Nostri Vrbani Octaui allata Constitutio, eò quòd cùm sit extensiua, & declaratiua illius Clementis, eodem modo est exponenda, limitanda, seu declaranda, vt habetur in authentica, constitutio, quæ innouat §. Vndè, vers. in illis collat. 3. & decretum innouans intelligendum est secūdùm tenorem decreti innouati *leg. in testament. ff. de condit. & demonstrat.* Et eò fortiùs, quia idem expressis verbis ipsemet Summus Pontifex Vrbanus declarat, si rectè ponderentur, ibi; *Sed nostræ intentionis fuisse, & esse, quòd iidem fratres, & moniales quantum ad sacramentum pænitentiæ, seu confessionis administrationem, ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum, & Sedi Apostolicæ quo ad sibi reseruata subiecti sint, eorundem perpetuo tenore præsentium declaramus.* Ex quibus apertè deducitur, virtute huius Cōstitutionis solùm prohiberi Religiosos Cruciatæ vsus quoad articulum eligendi confessarium extra ordinem, & absoluendi à reseruatis eorum dumtaxat superioribus.

7 Præterea *Villalobos in summa tom. 1. tract. 27. clausul. 9.* refert multorum opiniones, præallegatam Clementis Octaui Constitutionem limitandam fore, vt solùm impediat, seu prohibeat, ne Religiosi extra ordinem eligant confessarium pro absolutione à reseruatis, cùm huiusmodi constitutio ad hoc solùm fuerit requisita, vt colligitur ex relat. quæ initio illius exponitur, si verba rectè ac consideratè legantur: sic enim legitur ibi; *& illorum prætextu eligunt confessorem aliquando præter eos, qui à suis Prælatis eorum confessionibus deputati sunt, quod aliquando in speciale eorum vergit detrimentum*; refertque pro hac sententia *Alfonsum Curiel, & Ansol. Augustin.* vtrumque eruditissimum, & successiuè primarium Sacræ Theologiæ in Academia Salmanticensi professorem; Petrum Cornejum Carmelitanū magnæ eruditionis, æstimationisque virum in eadem Academia Cathedram Durandi Regentem, Ferdinandum similiter de Campo Franciscanum in eiusdem Ciuitatis conuentu prælectorem vtique doctissimum, & plures alios Societatis, & Dominicanæ familię præstantissimos, quos etiam nominatim refert *Ioannes à Cruce de statu Religionis lib. 1. cap. 6. dub. 13. conclus. 3.* igitur eodem modo intelligenda venit hæc Sanctissimi D. N. Vrbani VIII. Constitutio iuxta tradita in præcedenti numero,

8 Insuper notandum est, hac Vrbani Octaui constitutione minimè Religiosis interdici suorum vsus priuilegiorum, vt absolui possint à suis superioribus reseruatis etiam Sedi Apostolicæ, vel à quocunque alio de suorum licentia superiorum, quod euidenter ostenditur ex eiusdem constitutionis verbis ibi; *Concessionem Sanctæ Cruciatæ, quæ respectu facultatis huiusmodi etiam laicis, & Clericis sæcularibus cuiuscunque status, & conditionis, aliorumque indultorum huiusmodi, quantum ad prædictum articulum eligendi confessarium, & absoluendi à casibus reseruatis locum minimè habuisse*. Ex quibus solùm colligitur, Summum Romanum Pontificem prohibere voluisse ne religiosi Bulla vterentur Cruciatæ quantum ad articulum eligēdi confessorem extra Religionem pro absolutione reseruatorum tam ipsis superioribus, quàm Apostolicæ Sedi; non verò interdicitur, vt virtute suorum priuilegiorum, deq; superiorum licentia, non valeant absolui à reseruatis etiam Papæ; eò quòd Bulla Cruciatæ, aliaque similia priuilegia Summus Pontifex in hac sua constitutione derogat, quæ communiter laicis sæcularibusuè Clericis conceduntur; atqui priuilegia, & concessiones Religiosis à Sancta Sede concessa Apostolica specialiter, non sunt largita laicis, & sęcularibus Clericis, veluti est quoddam priuilegium Pauli Tertij, cuius meminit *Fr. Martinus à Sancto Ioseph in Bullarum Sanctissimi Domini Nostri Vrbani Octaui exposit. folio mihi 498. num. 6.* Patribus concessum Societatis Iesu, quo gaudere existimabant communiter Regulares, ac proinde non censetur derogata *& actus agentium non operantur vltrà fines eorum l. non omnis ff. si certum petat cap. ad audientiam de decimis*.

9 Quamobrem clarè existente prohibitionis decisione, non est cur coniectetur; *quia in claris non est locus coniecturis leg. continuus §. cùm ita ff. de verbor. obligat. Glos. consuetudinem in leg. pediculis 32. §. Argento de auro, & argento legat.* Vndè constanter dicendum est, hac stante Constitutione Vrbani Octaui, posse Religiosos absolui ab omnibus Summo Pontifici reseruatis virtute suorum priuilegiorum. Neque interdicitur, vt virtute Cruciatæ absolui non possint à censuris, quo-

quomodolibet Summo reseruatis Pontifici, prout manifestè indicant supradicta verba, videlicet; *quantum ad prædictum articulum eligendi confessorem, & absoluendi à casibus reseruatis locum minimè habuisse*: ac proinde constans est, Religiosos, veluti anteà, posse vti suis priuilegijs, & absolui à peccatis, & censuris Sanctæ Apostolicæ Sedi reseruatis quater in anno, & vna vice in vita, & altera in mortis articulo, ac in diebus & sollemnitatibus Domini Sabaoth, Beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac omnium Sanctorum, nec non & in festiuitatibus Sanctorum ordinis respectiuè cuiusuis Religionis, pro vt suprà loco proprio dicebamus.

CAPVT SECVNDVM.

Opinio *Aloysij à Cruce*, nec non *Patris Antonij Dianæ* reprobatur.

SVMMARIVM.

1 *Aloysij à Cruce inconstantia aperitur.*

2 *Patris Antonij Dianæ demonstratur inconstantia.*

3 *Per Bullæ Cœnæ Domini publicationem non derogatur Bullæ Cruciatæ.*

4 *Priuilegium, quod transit in contractum, non potest à Principe reuocari. Bulla Cruciata est priuilegium per modum contractus concessum, & ideò non potest reuocari.*

5 *Iusta existente causa, recompensatione facta, seu dato æquiualenti, congruum est Principi reuocare Priuilegium à se concessum per modum contractus lucratiui.*

6 *Summus Roman. Pontifex, iuxta Authoris sententiam, potest nulla facta recompensatione, omnia, & singula priuilegia per modum contractus concessa reuocare.*

7 *Cur per Bullam Cœnæ Domini non derogetur Bullæ Cruciatæ, per SS. verò D. N. Vrbani VIII. Constitutionem vtique.*

8 *Clausula*, quorum tenores etiam pro expressis habentes, *in Bulla Cœnæ Domini apposita quam efficacitatem habeat circa Bullæ Cruciatæ derogationem.*

9 *Clausula*, non obstantibus priuilegijs, indulgentijs, &c. *in Bulla Cœnæ Domini apposita derogat omnia, & singula priuilegia in genere, & in specie, etiam Concilij Tridentini dispositiones.*

10 *Ostenditur, derogari Concilium Tridentinum per clausulam*, non obstantibus, *Bullæ Cœnæ Dñi.*

11 *Bullæ Cruciatæ publicatio habet vim nouæ confirmationis.*

12 *Publicatio Cruciatæ eandem vim habet circa Constitutionem Vrbani Octaui, ac circa Bullam Cœnæ.*

13 *Bulla Cruciatæ non reuocatur per Bullæ Cœnæ Domini publicationem quoad absolutionem à reseruatis, ibi; soli Romano Pontifici, iuxta Aloysium à Cruce.*

14 *Reprobatur Aloysius à Cruce, & ostenditur in §. Cæterum non reuocari facultates absoluendi à casibus in Bulla Cœnæ contentis, sed tantùm interdici, ne sub priuilegiorum, atque indultorum quibuscunque concessorum prætextu, quis absolui possit.*

15 *Quid sit prætextus.*

16 *Prætextus non semper fictam, aut tantum causæ figuram, aut speciem offert, sed aliquando veram.*

17 *Romanus Pont. in §. illo*, Cœterum, *non derogat explicitè priuilegia, sed tantùm indirectè, & ex eo non apponitur clausula illa*, per modum contractus.

18 In §. non obstantibus priuilegijs Bullæ Cœnæ &c. *falsum est, tantùm reuocari, seu cassari indulta quibuscunque concessa, ne possint per sedem Apostolicam excommunicari.*

19 *Dictio*, etiam, *apposita in prædicto* §. non obstantibus, *ponitur non solùm explicatiuè, sed declaratiuè quoque.*

20 *Dictio*, &, *ex sua natura, quid in dispositione posita includat.*

21 *Bulla Cœnæ Domini cur non reuocet, secundùm iudicium Authoris, Bullam Cruciatæ.*

22 *Post SS. D. N. Vrbani VIII. Constitutionem possunt iuxta Aloysium à Cruce Regulares omnes virtute Cruciatæ eligere confessarium, à quo valeant absolui à reseruatis sedi Apostolicæ.*

23 *Bullæ Cruciatæ publicatio, quæ fit in singulis annis, habet vim nouæ confirmationis & innouationis.*

24 *Sanctissimi Dom. Nostri Constitutio in quantum Regularibus vsum interdicit Cruciatæ, an obstet ipsimet Cruciatæ.*

25 *Publicatio Cruciatæ, quid operatur secundùm Aduersariorum mentem.*

26 *Senatores supremi eiusdem Sanctissimæ Cruciatæ Concilij, nomine Catholicæ Maiestatis, de hac Constitutione supplicauere.*

1 HIs, quæ in proximo notauimus capite, minimè obstantibus, Reuerendissimus noster *P. Fr. Aloysius à Cruce in exposit. Bullæ Cruciatæ disp. 1. c. 1. dub. 11.* est sibi valdè contrarius: Nam dub. 10. hac in re problematicè se habuit, quatenùs fundamenta vtriusque sententiæ diluens, affirmat esse probabile, per Bullam Cruciatæ omnia Summorum Pontificum priuilegia præcedētia superioribus concessa, quibus vsus prohibetur Cruciatæ, quoad articulum eligendi confessariū pro à reseruatis absoluendo esse derogata, & *dub. 9. num. 4.* ostendens, posse Regulares Bullam sumere Cruciatæ, ad id probandum assumit, Bullam Cruciatæ omnia priuilegia contraria ijs, quæ in dicta bulla continentur, siue sint cōcessa Monasterijs, siue sodalitatibus, siue Ecclesijs, aut pijs locis, seu vniuersitatibus, aut peculiaribus personis cuiuscunque gradus, & conditionibus existant, cum quibuscunque clausulis solitis, & insolitis derogare: hæc ibi: dubio deinde 12. esse derogatam probare conatur Bullam Cruciatæ per Sanctissimi D. Nostri Vrbani Octaui dictam Constitutionem, quantum ad articulum eligendi virtute Cruciatæ confessarium, etiam intra ordinem pro reseruatorum absolutione: quibus in

2 locis valdè inconstans est. Idem docet *Pater Diana sibi quoque contrarius 4. parte tractat. 4. Miscellaneo resolut. 43. & nouissimè Fr. Martinus à Sancto Ioseph in expositione huius Apostolicæ*

constitutionis *num. 1. ex parte Aegidius Trullench in exposit. Bullæ Cruciatæ lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 9. nu.* 27. postquàm latè probauit, posse Religiosos bulla vti Cruciatę pro reseruatorum absolutione eligere confessarium, etiam extrà Religionem, statim in hunc modum subiungit: Attamen non obstantibus adductis pro prima sententia à num. 18. vsque ad numerum 25. inclusiuè, supposita Vrbani Octaui Constitutione existimo (saltem eo viuente, vt inquit *Diana*) dictam primam sententiam sequi non posse, ideòque Regulares nō posse virtute Bullæ eligere confessarium pro reseruatis inuitis eorum Prælatis; quia Pontifex expresse declarat suam intentionem esse, vt priuilegium eligendi confessarium ratione Bullæ non suffragetur Regularibus, tam viris, quam fœminis cuiuscunque ordinis, & instituti, & reuocat eorum priuilegia, si quæ sunt. hactenus *Aegidus Trullench*.

3 Verùm hæc sententia ex horum Doctorum placitis facilè, atque manifestè impugnatur. Et primò sic; per Bullæ Cœnæ Domini publicationem bulla non derogatur Cruciatæ: ita *Aloysius à Cruce cap. 10 dub. 4. per totum, Diana vbi suprà Resolut.* 18. *& nouissimè Pater Sanctorus à Melfi super statuta, & constitutiones ordinis nostri cap. 2. statuto* 14. *versiculo 3. per Bullam Cenæ*; igitur per hanc nouam Sanctissimi Domini nostri Vrbani Octaui Constitutionem bulla non derogatur Cruciatæ quo ad hanc partem, vt nimirum non possint Regulares pro reseruatorum obtinenda absolutione sumere saltem intra Religionem, eligendo quem maluerint, confessorem. ostenso antecedente consequentia tenet: est enim in

4 vtraque par ratio; quod ita ostendunt. Priuilegium, quod transit in contractum, non potest (regulariter loquendo) reuocari à Principe: atqui Bullæ Cruciatæ priuilegium transit in contractū; igitur non potest à Summo Pontifice reuocari: ac subinde per Bullæ Cœnæ Domini publicationem non censetur Bulla Cruciatæ reuocata. Consequentia tenet; Minor patet ex ijs verbis, porque deis tanta limosna, os concedo; maior probatur, eò quod Princeps suo adstringitur cōtractu, ac per illum est ius plenè acquisitum tertio: at iuri alteri acquisito nequit ipse absque causa legitima præiudicare; vt docent *Felinus in cap. nouit de iudicijs num. 8. Alexander toto consilio* 101. & maximè *num. 5. Ruin. consil.* 130. *num.* 19. *Iason leg. Barbarius ff. de off. Prætoris num. 34. Bolognetus consil. 3. num. 16. Nauarrus §. in leuitico notabili 28. num. 7. Antonius Gabriel tom. 3. commun. lib. 3 tit. de iure quæsito concl. 6. num. 10. & 19. Burgos de Paz in proæm. legum Tauri num 336. Antonius Cuccus lib. 1. institut. maior*; Igitur non potest Pontifex Bullam reuocare Cruciatæ; & per cōsequens ex vi, & efficacitate publicationis Bullæ Cœnæ non censetur derogata Cruciatæ bulla, vt expresse affirmant *Rodriquez in expositione §. 9. num. 67. & in addition. ad eundem §. num. 62. & in quæst. 69. regul. tom. 1. quæst. 20. art. 9. Henriquez lib. 7. de indulgentijs cap. 21. versicul. nec videtur, Acosta in expositione eiusdem Bullæ quæst. 55. Sanchez in summa lib. 2. cap. 11. num. 26. versic. & confirmatur, & lib. 8. de matrimonio disp. 33. num. 10. Fagundez super quinque præcepta Ecclesiæ lib. 8. cap. 8. num. 33. Villalobos tract. 27. clausul. 4. nu. 11. in adnotationibus ad compendium priuilegiorum verbo, Cruciata vers. ex quibus, Fernandez in examin. Theol. moral. p. 3. cap. 9 sect. 111. n. 5.*

5 Consultò dixi, regulariter loquendo, quia si iusta adsit causa, facta recompensatione, seu dato æquiualenti, tunc potest Princeps reuocare priuilegium per modum contractus concessum, vt multis citatis probant *Bolognetus dicto consil. 3 nu. 16. Mattienzo lib. 5. recopil. tit. 10. de legib. Glossa 1. num. 13. Gregorius Lopez in leg. 2. fin. tit. 1. p. 2. verbo, buen cambio, Sanch. vbi suprà, & Aloysius à Cruce loco citato*; Igitur si causa adsit iusta (vt præsumendum est) mouens summi Pontificis animum ad reuocandam Cruciatam quoad hanc partem, quod Religiosi sumere non valeant illam ad hūc effectum, nimirum eligendi cōfessarium prò reseruatis; nihilominùs dum pretium receptum non soluit seu æquiualens non reddit, non est censenda reuocata.

6 Hoc argumentum efficacissimum existimamus in horum Doctorum opinione, in nostra autem sententia nullius est roboris: demonstrauimus quippe in nostris disputationibus pro iuris Pontificij defensione *disp. 4. quæst. 4. & 5. cap. 2. & 3. per totum*, posse Summum Romanum Pontificem, nulla facta recompensatione, omnia, & singula priuilegia per modum contractus concessa reuocare, Nec non contra *Sanchez* esse Bullam Cruciatæ tempore Iubilæi suspensam: hic enim solùm conuincere intendimus aduersariorum sententiam ex eorum propria doctrina.

7 Respondebunt fortasse pro *Aloysio à Cruce Pater Diana, & Trullench*: negando consequentiam; quia maximum intercedit discrimen inter reuocationem Bullæ Cruciatæ virtute processus Bullæ Cœnæ Domini factam, & inter hanc, quàm Summus Romanus Pontifex Vrbanus virtute suæ Constitutionis nouissimè intendit; Etenim qui affirmant Bullam Cruciatæ esse per Bullam Cœnæ Domini Derogatam; eo ducuntur fundamento, quia clausula, *non obstantibus*, habet efficacitatem reuocandi omnia, & singula priuilegia dictæ Bullæ Cœnæ aduersantia; & licèt verùm sit per huiusmodi clausulam reuocari facultates omnes, tam generales, quàm speciales quo ad casus Bullę Cœnæ, non tamen videntur reuocari facultates indiuiduales, de quorum numero existimari quodammodo possunt eæ, quæ virtute Cruciatę conceduntur, quo ad dictos casus; quoniam licet in Cruciata non exprimantur in indiuiduo omnes casus Bullæ Cœnæ, exprimitur nihilominus hæresis, dum peculiariter fit exceptio illius, & consequenter omnes alij vidētur expressi; Exceptio enim firmat Regulam, vt habetur in iure. Atq; idem videtur de alijs casibus sentiendū, ac si omnes essēt expressi, vt in simili probat *Text. in c. qui ad agendū de procur. lib. 6.* vbi expresso aliquo

quo

quo articulo ex multis speciale mandatum exigentibus, adiecta clausula generali, omnes aliæ expressæ intelliguntur. Atque hinc deducitur, quoad casus Bullæ Cœnæ facultatem Cruciatæ reuocari non posse, nisi in indiuiduo reuocetur, nō verò in genere, seu in specie dumtaxat. Verùm per hanc nouam SS. D. N. Vrbani VIII. Bullam Cruciatæ quoad hanc partem non derogatur per clausulas Generales, *non obstantibus, & quorum tenores*, sed in indiuiduo expressè, ac proinde virtute Bullæ Cœnæ Domini non censetur derogata, quo ad casus in eadem Bulla Cœnæ contentos, Bulla Cruciatæ; secùs verò per hanc constitutionem Vrbani VIII. quoad articulum eligendi confessarium pro reseruatis.

8 Atqui hæc responsio non est digna tanto viro; non enim satisfacit argumento, vt ipsemet loco, *quo suprà, dub. 8. num. 1. in fine* optimè probauit; *quia tamen, inquit, hæc solutio non satis omnibus placet, idcircò respondetur secundò*: profectò, non satisfacit, quoniam clausula, *quorum tenores & pro expressis habentes*, in Bulla Cœnæ Domini apposita, est tantæ efficaciæ, vt quod non solùm Bullæ Cruciatæ tenor intelligatur insertus, efficiat in genere, & in specie, verùm etiam & indiuidualiter; ita vt omnes facultates in illa contentæ exprimantur singulariter de verbo ad verbum cum omnibus suis qualitatibus, modis, formis, solitis clausulis, vel etiam insolitis, prout docuerunt quamplures Doctores, tam iuris Pontificij, quàm Cæsarei; præsertim *Martha de clausulis clausul. 96. nu. 6. Ioseph de Sesse, Aragon. decis. 93. nu. 15. Cardin. Tusch. conclus. 329. num. 6. Ioan. Franc. in suo Thesaur. fori Eccles. p. 1. cap. 13. num. 21. Crauett. conclus. 12. num. 7. Rebuff. super concord. tit. forma Mandat. Apostolic. verbo, pro expressis, Flamin. quæst. 14. num. 16. Riccius collectan. 949. effectu 1. & ex Crauett. resoluit Menoch. consil. 190. n. 24. & de præsumpt. lib. 6. quæst. 34. num. 6* & alij quamplures; Igitur si in huius Doctoris sententia ad hoc, vt Bulla Cruciatæ intelligatur derogata per Bullæ Cœnæ Domini publicationem, nihil aliud exposcitur, nisi expressio illius singulariter, & in indiuiduo, certè virtute illius clausulæ omnes facultates in illa concessæ habentur indiuidualiter, & singulariter expressæ, & consequēter reuocatæ.

9 Insuper per clausulam illam in Bulla Cœnæ appositam, *non obstantibus priuilegijs, indulgentijs, indultis, & litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus supradictis, &c.* non solùm omnia, & singula priuilegia in genere, & in specie cum suis qualitatibus, modis, & formis intelliguntur reuocata, sed quatenùs obstant dictæ Bullæ Cœnæ, cassantur, & reuocantur, vt nedum doctorum communis suadet opinio, Verùm quoque, & Concilij Tridentini dispositiones; igitur à fortiori virtute illius clausulæ generalis, *non obstantibus*, reuocantur facultates omnes, tam generales, quàm speciales, & in indiuiduo quoad casus Bullæ Cœnæ, ac subinde facultates indiuiduales bullæ Cruciatæ; non enim est altioris, seu dignioris conditionis, quàm sit conciliaris dispositio: Ista autem virtute illius clausulæ intelligitur derogata, prout *Putheus, Mandosius, Iacobantius, Flam. Paris. Felin. Aldrette, & alij supracitati docuerunt*, & præsertim Concil. Tridentin. habens illam singularissimam prærogatiuam, vt nunquam cēseatur in aliquo derogatum, nisi in indiuiduo de eo fiat mentio; Igitur, & Bulla Cruciatæ: atqui, hac stante expressione singularissima, non concedit *Pater Aloysius à Cruce, nec Pater Diana*, esse derogatam Bullam Cruciatæ; igitur ex eò quòd specialiter derogetur per hanc constitutionem Vrbani Octaui, quo ad hanc partem, seu articulum, vt non possit eligi confessarius pro reseruatis; ex eodem fundamento, quia Cruciata est concessa per modum contractus lucratiui, videtur dicendum, non reuocari per specialem istam nouissimam Vrbani Octaui Constitutionem.

10 Quod verò Concilium Tridentinum derogetur per clausulam generalem, *non obstantibus*, probaui latè in nostris disputationibus pro iuris Pontificij defensione *disputat. 3. quæst. 3. capit. 2. à num. 4. & sequentibus, & cap. 2.* vbi varia decreta Pontificia ad hoc ostendendum adduximus, quibus addo, esse valdè probabile, quinimmò certū, vt *Sanchez lib. 2. summæ cap. 10. in fine*, per Bullam Cœnæ Domini reuocari facultatem concessam Episcopis in Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 6.* de Reformatione quoad absolutionem ab hæresi, & cæteris casibus Bullæ Cœnæ, nulla facta mentione concilij Tridentini, nec specialiter de tali facultate in indiuiduo; ita docuere quamplures doctores, præsertim *Mayolus lib. 5. de irregularitate cap. 46. num. 6. vers. caueant, Toletus in summa in Bulla Cœnæ excomm. 14. in fine, Guttierez q. Canon lib. 1. in priori æditione, cap. 13. final. Bartholom. ab Angel. in suo examin. confessor. Dialog. 5. §. 544. Antonucius in sua Chathisi lib. 1. c. 25. annotat. 9. & lib. 3. cap. 2. Pater Azorius tom. 1. lib. 8 instit. moral. capit. 19. quæsito 3. & cap. 10. quæsito 10.* vbi testatur se audiuisse à Religioso docto, & fide digno, sic declarasse Clementem Octauum; *Pater Suarez tom. 4. ad tertiam partem disp. 30. sect. 2. num. 5. Penna in directorio inquisitor. 3. p. qu. 92. Comment. 141. versic. penult.* dicens, in supremo Generali Inquisitionis Prætorio Romano sæpè pronunciatum esse, non posse iam Episcopos ab hæresi occulta absoluere, quia per Bullam Cœnæ sit Tridentino derogatum; *Viualdus recantans palinodiam in Candelabro sacramentorum in editione nouiori anno 1602. in 1. parte de absolution. sacramentali, Paramus de origine Inquisitionis lib. 3. qu. 90. num. 191. Molin. tom. 4. de iustitia, & iure disp. 64. num. 5. Vgolin. de casib. Papæ reseruatis in 2. p. cap. §. 4. super versiculum, etiam prætextu quarumcunque facultatum num. 3. Filiarc. de officio sacerdotis tom. 1. p. 2. lib. 2. cap. 25.* paulò post principium, *P. Diana 1. p. tract. de absolution. ab hæresi resol. 2. in fine*, vbi probabiliorem existimat hanc sententiam, consentit *Aloysius à Cruce vbi suprà in responsione ad 3.*

11 Neque valet quod respondet *Pater Aloysius à Cruce loco vbi suprà num.* 3. non esse eandem rationem Concilij Tridentini, & Cruciatæ: Cruciata enim (ait) singulis annis publicatur, & quæuis publicatio est veluti noua confirmatio, secùs autem concilium; non valet certè, quia, vt ipsemet *P. Aloysius à Cruce illo dub. 4. num.* 11. respondens ad quandam obiectiunculam ait, quòd promulgatio Cruciatæ, quæ singulis annis fit, non est noua concessio, seu voluntas concedentis, sed prioris continuatio; & ideò per talem publicationem Cruciatæ non tollitur reuocatio per præcedentem Bullæ Cœnæ inducta; igitur quoad hoc est eadem ratio de Bulla Cruciatæ, ac Concilio Tridentino, ac subinde si Concilium Tridentinũ ex efficacitate illius clausulæ, *non obstantibus &c.* derogatur quo ad absolutionem ab hæresi, certisque casibus in Bulla Cœnæ contentis; igitur & Bulla Cruciatæ, non obstante eiusdem publicatione.

12 Quòd si illud discrimen aliquid operari potest, certè pro nobis quammaximè facit, ex eo quòd publicatio Bullæ Cruciatæ, quatenùs nouæ confirmationis vim habet, vt omnes fatentur (teste eodem *P. Aloysio à Cruce eodem nu. quo suprà*) non videtur derogari virtute Bullæ Cœnæ Domini quo ad absolutionem à casibus ibi reseruatis; Igitur illa confirmatio idem operabitur respectu istius nouæ Constitutionis Vrbani Octaui, eò quòd cùm in singulis quoque annis publicetur, nouam acquirens confirmationem, ac innouationem, videtur non derogari.

13 Minùs dignam cognoscimus responsionem secundam, qua idem *P. Aloysius à Cruce dub.* 5. soluere conatur principale nostrum argumentũ; Respondet quippe, non esse Bullam Cruciatæ per publicationem Bullæ Cœnæ Domini reuocatam quoad absolutionem à reseruatis, ibi, Soli Romano Pontifici, eò quod in *§. cæterum*, quo reuocantur facultates quæcunque quibuscunq; concessæ absoluendi à casibus in Bulla Cœnæ reseruatis, non additur clausula, etiam per viam contractus; sed ea solùm apponitur in *§. non obstantibus*; vbi reuocantur quæcunque indulta quibuscunque concessa, ne possint per sedem Apostolicam excommunicari, vt notãt communiter expositores, & potissimùm *Sayr. lib. 3. de censuris cap. 21. num.* 12. Vndè cùm facultas absoluendi à casibus prædictis virtute Cruciatæ fit per modum contractus, videtur dicendum, quòd nullatenùs reuocetur; cùm ex vi *§. Cæterum*, vbi dicta Clausula non apponitur, nec ex vi *§. non obstantibus*, vbi de huiusmodi facultate non agitur reuocetur; hactenùs ille *dubio 5. disputat. v. cap.* 10. *num.* 2.

14 Non cognoscimus certè dignam tanto viro hanc responsionem; multa quippè falsa inuoluit ob terminorum ignorantiam, si quidem in *§. Cæterum* non reuocantur facultates quæcunque quibuscunque concessæ absoluendi à casibus in Bulla Cœnæ contentis, sed tantùm interdicitur, ne sub priuilegiorum, atque indultorum quibuscunque concessorum prætextu absoluantur, ibi; *Cæterum à prædictis sententijs nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstita, absolui possit, etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum, quibuscunque personis Ecclesiasticis, & secularibus, & quorumuis ordinum &c.* prætextus

15 enim velamen est quo moueri se aliquis simulat ad aliquid faciendum, cùm tamen alia causa moueatur: sic enim hac voce vtitur *Suetonius in vita Cæsaris, & in vita Tyberij*, prout adnotauere *P. Azorius 1. p. lib. instit. moral. lib. 5. cap. 12. Bonacin. de censur. in bulla Cœnæ reseruat. Cau. 13. & 14. Filiuc. ibidem, Henriquez tom. 3. summæ tract. de Pontific. Claue lib. 2. cap. 12. & cap. 21. §. 2.* & ita in isto Canon. Summus Romanus Pontifex prohibet, vt nullus à supradictis sententijs nisi à Romano Pontifice absolui possit sub colore ficti, aut falsi, seu simulati priuilegij quibussuis, & quomodo-

16 libet concessi. Verùm quia nonnunquam hoc nomine, *sub prætextu*, Canones, & leges significant etiam veram causam, non verò solùm simulatam, aut fictam, aut quę tantùm causę figuram, & speciem offert, vt in *leg. sub prætextu C. de transact.* habetur, sub prętextu instrumẽti posse reperiri, transactionem finitam rescindi, iura non patiuntur. Quæ lex confirmatur *in cap. inter monasterium de sentent. & re iudicat.* vbi dicitur; sub nouorum instrumentorum prętextu lites nõ debent instaurari; & in capite suborta, eodem tit. dicitur; prætextu priuilegij de nouo reperti non debet sententia retractari: in quibus locis profectò non solùm instrumentum, aut priuilegium fictum, & simulatum, sed etiam verùm, & certum, quod post repertum est, nomine, sub prætextu significetur, & *in leg. sub prætextu C. de transact.* legimus, quod sub prętextu instrumẽti post reperti *in leg. Imperatores ff. de re iudicat.* dicitur; sub obtentu nouorum instrumentorum restitui negotia minimè oportet: at reuerà hæc lex locũ habet in instrumentis veris, & certis de nouo repertis, ex quibus negotia expedita, & finita retractari non debent: ergo etiam hoc nomen, sub obtentu, quo vsus est *Gil. lib. 10. Noct. cap. 22.* in iure siue Cęsareo, siue Canonico continet causam veram, & certam, & non solùm simulatam, & fictam; & *lege sub prætextu C. de hæred. action.* decernitur, sub prętextu ętatis pupilli debitoris hęreditarij creditorum exactionem differri non posse; ergo ętas impuberis debitoris hereditarij petitionem debiti nõ impedit, aut differt in tempus pubertatis. Sanè hoc modo semper Summi Pontifices, quorum est, ambigua, incerta, vel obscura verba suarum litterarum interpretari, distinguere, ac declarare, hanc vocem, sub prætextu, acceperunt: Quare quamuis in litteris huiusmodi processus in Cœna Domini dicitur; etiam prætextu *quarũuis facultatum, & indultorum quibuscunque personis Ecclesiasticis, secularibus, & quorumuis ordinum, etiam mendicantium ac militarium Regularibus &c.* Reuera prohibent Pontifices,

ne à

ne à prædictis casibus vllus adeat absoluere sub prætextu veri priuilegij quibusuis personis, & quomodocunque concessi; & ideò non solùm ly, sub prætextu, excludit falsa, seu ficta priuile-
17 gia, verùm quoque vera, & certa. Ex quibus manifestè apparet, hic Summum Romanum Pontificem non derogare priuilegia, nisi tantùm implicitè, seu indirectè, & ideò non apponitur etiam clausula illa, per modum contractus.

18 In §. autem, non obstantibus *Priuilegijs, indulgentijs, litteris Apostolicis*, vbi apponitur clausula illa, *Ex quauis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis*, falsum profectò est, tantū reuocari, ac cassari indulta quibuscunque concessa, ne possint per sedē Apostolicam excommunicari; etenim Sum. Pontifex, postquā omnia, & singula priuilegia, indulgentias, & litteras Apostolicas reuocauerit quibuscunque personis cuiuscunq; status, conditionis, dignitatis, & praheminentiæ, etiam Pōtificali, Imperiali, Regali, seu quauis Ecclesiastica, & mundana præfulgentibus dignitate concessa reuocauerit; statim subiūgit, *etiam continentibus, quòd excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam de verbo ad verbū &c.*

19 Ex quibus verbis dictio illa, *etiam*, quammaximè ponderanda est, eò quòd ponitur non solùm implicatiuè, vt communiter vtriusque iuris statuunt DD. *Cald. consil. 225. an per istam formam in fine v. huiusmodi, Bologn. in Addit. ad consil. Ioan. Aran. num. 7. Aretin. cons. 100. in casu prædicto num. 25. in fine vers. nam illa dictio, Alexander consil. 116. Animaduersis nu. 14. versi. nam de natura*; Verùm quoque, & ponitur declaratiuè, *Cald. d. cons. 225. Tusch. tom. 2. concl. 275.* itaque Pontifex ibi declarat, quæcunque priuilegia facultates, gratias, &c. à sede Apostolica concessas Regibus, Imperatoribus, etiam per viam contractus, ac quæcunque alia ipsis concessa, vt excommunicari, aut anathematizari, etiam per sedem Apostolicam esse derogata quo ad casus in prædicta Bulla Cœnæ Domini contentos, etiam si concederentur per
20 modum contractus lucratiui. His addo, quòd prædicta dictio, *etiam*, ex sua natura includit sub eadem dispositione omnia, quæ post ipsam sequuntur, ita vt dispositio quoad omnia disposita habeat locum quo ad inclusa per dictionem prædictam, vt docuit *Calder. consil. 237. in fine vers. nec obstat, de præbendis*; igitur per clausulam, non obstantibus, non solùm generaliter, verùm etiam specificè, seu in indiuiduo derogantur priuilegia, quę obstant dictæ Bullę Cenæ, omnia, & quæcūque illa sint, & quibusuis personis quacunque fulgentibus dignitate Imperiali Regali, aut quauis alia, tàm Ecclesiastica, quàm mundana per modum contractus lucratiui concessa, quamuis contineant, Principes sæculares excommunicari non posse à sede Apostolica: ex quibus omnibus manifestè apparet, quàm futilis sit illa *P. F. Aloysij à Cruce responsio.*

21 Meliùs, & probabiliùs igitur dicendum est, Bullam Cruciatę non censeri derogatam per publicationem Bullæ Cœnæ Domini; eò quòd, cū per modum contractus lucratiui singulis sumentibus illam concedatur, interim quòd Summus Romanus Pontifex restitui prætium non iubet, potest dici, non fuisse, nec esse suæ intentionis, & voluntatis illam derogare. Vndè infertur, quòd per istam nouissimam Sanctissimi Domini Nostri Vrbani VIII. Constitutionem non derogatur Bulla Cruciatæ quò ad articulum eligendi confessarium: Quòd si id negent, non est cur negare quoque non debeant, esse derogatam per clausulas generales dictæ Bullæ Cœnæ Domini; cùm non desinant grauissimi Doctores, etiam Hispani id affirmare, præsertim *Garzia de Beneficijs tom. 2. p. 11. cap. 10. n. 130. & sequ. Iacobus Bleda in opusculo defensionis fidei in causa Moriscorum cap. 31.*

22 Secundò principaliter impugnatur allata sententia sic: Virtute Cruciatæ Religiosi cuiuscunque ordinis post istam Sanctissimi Domini nostri Vrbani VIII. Constitutionem eligere possunt confessarium pro absolutione à casibus in Bulla Cœnæ Domini reseruatis: ita *P. Aloysius à Cruce in exposit. Bulla disp. 1. cap. 1. dub. 9. num. 6.* ibi, quia certum est virtute Cruciatæ posse à casibus in Cœna Domini contentis absolui, non ita ex vi suorum priuilegiorum, vt suo loco (Deo dante) ostendemus: sic ille ibi; Igitur virtute eiusdem Cruciatæ, etiam quo ad articulum eligendi confessarium pro à reseruatis omnium ordinum superioribus absolutione possunt Religiosi eligere confessarium, saltem intra ordinem. Consequētia tenet, quia Pontifex vtrumque prohibet, vt illa verba ostendunt, nimirùm, *aliorumque indultorum huiusmodi, quantum ad prædictum articulum eligendi confessarium, & absoluendi à prædictis casibus reseruatis etiam in Bulla Cænæ Domini contentis, cùm fratribus, monialibus prædictis fratrum Prædicatorum, ac aliorum quorumcunque ordinum, & congregationum, societatisque, & instituti prædictorum mendicantium, & non mendicantium &c. locum minimè habuisse, neque habere*, & paulò inferiùs, *sed nostræ intentionis fuisse, & esse, quod ijdem fratres, & moniales, quantum ad sacramentum pænitentiæ, seu confessionis administrationem, ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum, & sedi Apostolicæ quò ad sibi reseruata subiecti sint*; Igitur cur non de istis? quamobrem assignare vtique debeant *P. F. Aloysius à Cruce, nec non P. Diana* rationem differentiæ, quàm certè nunquam assignabunt; Igitur euidens est, quòd si post nouissimam hanc Vrbani Octaui Constitutionem eligere valent Religiosi Confessarium virtute Cruciatæ pro casuum in Bulla Cœnæ Domini reseruatorum absolutione, virtute eiusdem pro reseruatis superioribus etiam eligere possunt.

23 Tertiò, Bullæ Cruciatæ publicatio, quæ in singulis fit annis, habet vim nouæ confirmationis, vt *P. Fr. Aloysius à Cruce disp. 1. cap. 10. dub. 4. n. 11. & dub. 5. num. 6. in fine affirmat*; at qui confirmatio habet vim nouæ concessionis, seu innouationis, si ex certa scientia fiat: Ita *Glossa in cap. diuersitatem, & textus in cap. 1. & cap. veniens, & Glossa* ibi,

ibi, *verbo, confirmamus*, *Barthol. in l. more ff. de iurisdict. omnium iudic. n. 5. Felin. in cap. interdilect. de fide instrum. num. 6. & 14. Decius in cap. 1. de confirm. vt ibi, vel inutili, Parisius lib. 4. consil. 3. num. 38. Bald. in leg. si donatio C. de donat. idem Barthol. in l. si constet ff. de appella. Tusch. verbo, confirmatio ex certa scientia per totum, Suarez lib. 8. de legib. c. 18. num. 13. ipse pro iuris Pontificij defens. disp. 1. cap. 3. conclus. 1. num. 2.* Igitur ex vi talis confirmationis, seu innouationis, cui æquiualet nouæ Cruciatæ publicatio, cùm fiat cum clausulis derogatorijs, vt suprà visum est; derogat quascunque concessiones, declarationes, prohibitiones, & huiusmodi, quæ ipsi obstant, vel obstare possunt: Con-
24 stans autem est, quòd hæc noua Constitutio, seu dispositio declaratiua Sanctissimi Domini Nostri Vrbani Octaui, in quantùm Religiosis vsum Bullæ interdicit Cruciatæ quò ad articulum eligendi confessarium, & absoluendi à reseruatis, non solùm obstat ipsi Cruciatæ, verùm quoque maximum affert præiudicium, eò quòd regulares ferè omnes, hac stante declaratione, retardãtur Bullam sumere Cruciatæ; Igitur censenda est
25 per talem publicationem derogata. Et confirmatur, quia ex mente aduersariorum, præsertim *P. Aloysij à Cruce cap. 1. dub. 11.* publicatio Bullæ Cruciatæ est tantæ efficacitatis, vt omnia, & singula priuilegia quibusuis concessa personis, in quantum dictæ obstant Cruciatæ, præcedentia deroget; atqui Sanctissimi Domini Nostri nouissima Constitutio non solùm præcedit Bullæ Cruciatæ publicationi, verùm quoque & dictæ Bullæ Cruciatæ nouissimè post eam ab ipsomet Sanctissimo Dom. specialiter concessæ; Igitur tam ex vi publicationis, quàm ex vi nouæ, & specialissimæ concessionis, derogatur præcedens dispositio prohibens Religiosis vsum Cruciatæ.
26 Quartò, quia Senatores supremi eiusdem Sanctissimæ Cruciatæ consilij nomine Catholicæ Maiestatis statim de hac constitutione per Regium Oratorem Romæ existentem eidem Sanctissimo Domino nostro Vrbano VIII. supplicationes humiliter porrexerunt: quibus stantibus, iuxta communiorem sententiam, effectus eiusdem Constitutionis suspendi videtur vsque quo de sua mente Summus Pontifex edoceat. Hæc pauca sufficiant pro prædictorum Doctorum sententiæ impugnatione.

QVAESTIO QVINTA.

Vtrum Regulares vti possint Bulla Cruciatæ quoad articulum eligendi confessarium, & absoluendi a reseruatis tam suis superioribus, quàm Sedi Apostolicæ?

CAPVT PRIMVM.

Doctissimi P. Suarez sententia, nec non nonnullorum moderniorum ponitur, cum suis fundamentis.

SVMMARIVM.

1 *Quid Pater Suarez senserit de concessione Cruciatæ Regularibus facta quoad facultatem absoluendi à reseruatis,*
2 *Vox, sub prætextu, in Bulla Pij Quinti posita quid importet.*
3 *Omnes prohibitiones adductas quæst. 3. cap. 1. non esse prohibitiones, sed Pontificias derogationes affirmat Suarez.*
4 *Adducitur Eminent. Dominor. Cardinalium Sacræ Congregationis Concilij Tridentini responsio ad Patriarcham Valentinum declarans, nullam esse virtute Cruciatæ concessam Monialibus facultatem pro reseruatorum obtinenda absolutione,*
5 *Constitutio Sanctissimi Domini Vrbani VIII. est dumtaxat declaratiua,*
6 *Bullarum Cruciatæ tenor nunquam mutatur.*
7 *Concessio Regularibus eligendi confessarium extra Ordinem pro reseruatorum obtinenda absolutione si esset virtute Cruciatæ facta, quam deformitatem haberet, iuxta Suarez sententiam.*
8 *An nobis fratribus Ordinis Minorum ex præcepto Regulæ sit vsus Cruciatæ interdictus quo ad articulum eligendi confessarium pro obtinenda à reseruatis absolutione.*
9 *Cur Concilium Tridentinum, bis, aut ter in anno, statuit esse confessarium extraordinarium ab Episcopo, seu à Regulari superiore assignandum?*
10 *Adducitur quædam Constitutio nostri Ordinis facta in Capitulo Generali Romæ celebrato anno 1612. declarans, non licere fratribus nostri Ordinis vti Cruciata quoad articulum eligendi confessarium pro reseruatorum obtinenda absolutione.*

1 OMnia ferè fundamenta, quibus duci possunt Authores, quos paulò inferiùs citabimus, ad asserendum, non posse virtute Bullæ Cruciatæ Regulares eligere confessarium, & à reseruatis suis absolui superioribus, funditùs in superioribus capitulis eneruauimus: Verùm quia *Pater Suarez tom. 4. de Religione cap. 16. num. 5.* & nonnulli alij Moderniores, quos ipse vidi, alijs ad hoc idem ostendendum vtuntur rationibus, operæ pretium etiam duximus, illos in hoc capite referre. Eò igitur ducitur *Suarez*, quia talis facultas nunquã fuit per Bullam Cruciatæ Religiosis concessa. Quod ostendere conatur primò; quia Pontifices ferè omnes *suprà q. 1. cap. 1.* relati in citatis rescriptis, verbis vtuntur non tam concessiuis, quàm declaratiuis; ergo non reuocant facultatem per Bullam concessam. Antecedens patet ex Bulla Pij Quinti, vbi referens factum, ait; *nonnulli his facultatibus vti præsumunt, & illarum prætextu eli-*
2 *gunt confessorem*: vbi verbum, *præsumunt*, & vox, *prætextu*, indicant, id non legitimè fieri: & posteà concludit, illa priuilegia quoad hoc non habere locum in prædictis fratribus; *Apostolica (inquit) authoritate, tenore præsentium perpetuò declaramus.* Clariùs verò Gregorius decimus XIII. in decreto Societatis declarat, non esse, nec fore nunquam mentis suæ, aut sedis Apostolicæ, vt personæ societatis &c. Alexãder Tertius in fauorem Cistercīensium similiter declarauit, *non esse mentis suæ, &c.* Paulus V. etiam confirmauit de nouo omnia priuile-

priuilegia Societatis, quæ anteà erant reuocata, vt pristinum haberent vigorem, in Bulla anni
3 1606. quæ incipit, *quantum Religio &c.* Ex his ergo, & similibus Colligit Doctissimus *Suarez*, illam non fuisse restrictionem, sed iuridicam bullæ declarationem, ac proinde, & esse perpetuam, ac nunquam reuocari, & esse vniuersalem: nam licèt ad peculiarem Religionem dirigatur, quia ad illius petitionem facta est, tamē omnes comprehendit, in quibus eadem ratio iuridicæ declarationis versatur.

4 Simile quoque argumentum ex quadam declaratione Cardinalium facta ad petitionem Patriarchæ Valentini sumit, qua declaratur, Moniales Episcopo subditas non posse vigore facultatis in Bulla concessæ alios confessarios, præter eos, qui ad audiendas ipsarum monialium confessiones ab eodem ordinario approbati fuerint, eligere. Tenor autem dictæ declarationis sic est: *Congregatio Concilij censuit, quatenùs gratia ex Bulla Cruciatæ pertinet ad moniales, non posse vigore facultatis in eadem Bulla concessæ alios eligere confessores, præter eos, qui ad audiendas confessiones earum ab ordinario sunt approbati.* Quæ declaratio (inquit *P. Suarez*) non potuit fundari in speciali aliquo priuilegio illis monasterijs, vel Episcopis eorum Prælatis concesso; quia nec de illo constat, neque illa interrogatio, seu petitio declarationis fuisset necessaria, si tale priuilegium existeret: fundatur ergo in ratione iuridica, quæ alijs Regularibus communis est.

5 Secundò, quia Sanctissimus Dominus Noster Vrbanus Octauus in præallegata seu Constitutione perpetuò declarat, concessionem illam, aliorumque priuilegiorum, seu indultorum particularium, quæ ab Apostolica sede concedi solent largitionem, quantum ad articulum eligendi confessorem, & absoluendi à casibus reseruatis cum Religiosis, & monialibus quorumcunq; ordinum locum minimè habere, nec censeri; sed suæ intentionis existere, quòd prædicti Religiosi, & moniales, quantum ad sacramentum pœnitentiæ, seu confessionis administrationem, dispositioni suorum Prælatorum subiecti sint. In qua quidem Constitutione declarat Summus Pontifex, nec esse suæ intētionis, nec Sedis Apostolicæ fuisse, vel esse, quòd Religiosi, vel moniales cuiuscunque ordinis vti possint priuilegijs Cruciatæ ad effectum eligendi confessorem, vel absoluendi à reseruatis.

6 Ex quibus efformari potest argumentum ad mentem *P. Suarez* sic; non solùm alij Summi Pontifices, verùm etiam & Vrbanus VIII. Cruciatæ concessionem, & priuilegia illius declarat, quoad eligendum confessorem, vel ad absoluēdum à reseruatis non habuisse, nec habere locū in Religiosis, & monialibus vsque ad eius tempora: ergo neque modò habebit. Valet consequentia, quia tenor Bullarum subsequentium est omnino idem, & immutatus, præsertim quo ad extensionem, seu comprehensionem personarum, quæ priuilegijs Bullæ vti possunt, & solùm certo numero annorum v. g. sexto quoque anno nouam à Sede Apostolica accipit confirmationem, vel renouationem, eodem (inquam) manente tenore bullæ: ergo si anteà cōcessio Cruciatæ non comprehendebat personas Religiosas, nec modò comprehendit; nam noua extensio ad illas non censetur fieri, nisi id explicetur aliqua clausula, seu verborum declaratione. Ratio verò huius esse potest illa, quam ex *Suarez adducit Pater Aloysius à Cruce vbi suprà, c.*
7 *1. dub. 12. num. 6.* quia sub clausula Generali non comprehenduntur particularia, quæ nō erat quis verisimiliter in specie concessurus, vt habetur ex Regulis Iuris *in 6. cap. 2.* atqui huiusmodi facultas habet in Religiosis quandam difformitatem; Igitur non est verisimile Religiosos comprehendi sub verbis solùm generalibus quo ad illam facultatem, etiam si quoad alios bullæ fauores cōprehendantur. Maior, & consequentia patent. Minor autem ostenditur; quia talis facultas vergeret sanè in Religionis maximum detrimētum. Ad hæc Pontifex dum generale concedit Priuilegium, non præsumitur comprehendere particulares casus, qui vel præiudicium tertij inducūt, vel sunt contra speciale alterius ius: In casu autem, de quo nunc agimus, intercedit Religionis præiudicium, vt indicant Pontifices prædicti in suis declarationibus; & speciale ius, quod absq; dubio habet aliquid magis speciale, quàm ius Parochorum, vel Episcoporum circa suos subditos sæculares: Prælati namque Regulares habent specialem obligationem procurandi non solùm salutem spiritualem, sed suorum subditorum perfectionem, & suæ Religionis conseruationem; ergo non est verisimile, quòd Pontifex talem intendat Regularibus virtute Cruciatæ concedere facultatem.

8 Tertiò pro nobis Minoritis vrget magis difficultas; quia capitulo 7. nostræ Regulæ præcipitur sub pœna lethalis culpæ, prout declarauere Summi Pontifices, præsertim Clemens Quintus in Clementina, exiui de Paradiso de verbor. signific. §. item ordo; vt pro reseruatis ad ministros habeatur recursus Prouinciales; *si quis (inquit) fratrum, instigante inimico, mortaliter peccauerit, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter fratres, vt recurratur ad solos Ministros Prouinciales, ad eos teneantur recurrere quàm citiùs poterunt, sine mora;* Igitur cum ex præcepto Regulæ necessarius sit ad superiores Prouinciales aditus pro reseruatorum absolutione obtinenda, non videtur dicendum, quòd virtute Cruciatæ possit nostri aliquis Religiosus ordinis minorum eligere confessarium pro absoluendo à reseruatis; quia tunc Bulla Cruciatæ certè dispensaret Regulæ nostræ præceptum, quod nullus sanæ mentis adhuc ausus est affirmare. Totus iste discursus de se euidens est, solùm vltima consequentia indiget probatione, quam sic ad mentem aduersariorum ostendo; Nam Bullæ Cruciatæ concessio quamquam sexto quoque anno concedatur, nihilominus perpetua censetur; quia semper Sum-

Summi Romani Pontifices eam concedunt, & concedere consueuere; Igitur si nostri ordinis Religiosis vti liceret vsus Cruciatæ quo ad articulum eligendi confessarium, & absoluendi à reseruatis, nunquam esset recursus ad Ministros Prouinciales pro reseruatis; Quòd non est rationi consonum; neque videtur dicendum, eam fuisse tot Summ. Pontificum mentem, vt vellent in nostræ Regulæ præceptum dispensare. Hæc consequentia patet per dictam Regulam Generalem Iuris in *6.* vbi statuitur, *quod in Generali concessione non veniunt ea, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus; leg. obligat. 6. ff. de pignor. & ibi Glossa leg. se io amico io §. 1. de an. legat.*

9 Quartò tandem probatur à simile ex Concilio Tridentino *sess. 20. cap.* 10. vbi statuitur, quod bis, aut ter in anno monialibus detur extraordinarius Confessarius: illum tamen esse voluit ab Episcopis designatum, vel Regularium superioribus. Ratio est, quia cùm illa esset lex perpetua, censuit Sacrum Concilium esse maximum inconueniens, liberam tribuere monialibus facultatē, vt vna, vel altera vice in anno possent suo arbitrio eligere confessorem; Igitur non videtur credibile, Pontificem Regularibus, siuè fratribus, siuè monialibus absolutam concedere veniam id semper faciendi virtute Cruciatæ, vel cuiuscunque alterius priuilegij, quod vel sit perpetuum, vel cōtinuam successionem, quæ semper duret, præsertim pro absolutione à casibus reseruatis. Ita sentiunt, non solùm ante, verùm etiam & post Constitutionem Sanctissimi Domini Nostri Vrbani Octaui *Aloysius à Cruce vbi suprà n. 10. per totum, Diana 4. p. tract. 4. Miscellaneo resol. 43.* & in vniuersum *P. Suarez loco citato, Vecchius in praxi nouitiorum disp. 9. dub. 3. num. 7. Coriolan. de casib. reseruat. p. 1. sect. 3. art. 14. Portel in dub. Regular. verbo, Bulla Cruciatæ num. 1. P. Miranda tom. 2. sui Manualis q. 34. art. 15. concl. 2. Acosta in exposit. Bullæ Cruciatæ q. 107. per totam, Cordub. in addit. super Regul. nostram cap. 7. q. 8. puncto 2. Ioannes à Trinitate in exposit. casuum in nostro ordine reseruatorum dub. 5. n. 3.* vbi adducit quandam constitutionem in cap. Generali totius ordinis Romæ celebrato anno 1612. prohibentē vsum

10 Cruciatæ, cuius verba sunt; *Declarat Capitulum Generale esse in sua vi prohibitiones Clementis VIII. ne liceat Regularibus vti Bullæ Cruciatæ priuilegio, atque ita nulli licere (prætextu illius) eligere confessorem, vel à casibus reseruatis absolui*; id quòd declarauit etiam Illustrissimus atque Reuerendiss. *Fr. Antonius à Trejo* Episcopus Carthaginensis tunc totius nostri ordinis Vicarius Generalis in suis aduertentijs anno Dom. 1614. à se editis, & in Prouinciam Hispaniæ missis, de qua suprà mētionem fecimus, vbi sic habet; declarat, (*habito priùs eruditissimorum consilio*) *vsum Bullæ Cruciatæ esse nobis prohibitum, tam quoad absolutionem à casibus Prælatis Religionis reseruatis, quàm quoad eligendum confessorem extra ordinem, pro quibuscunque peccatis, siuè reseruatis, siuè non reseruatis.* Idem docet *Passarellus de priuilegijs minimorum cap.* 10.

CAPVT SECVNDVM.

Allata *P. Suarez* sententia reijcitur, fundamentaque pro ea adducta diluuntur.

SVMMARIVM.

1 *Ex contextu Bullæ Cruciatæ reprobatur Pater Suarez, ostenditurque eiusdem Bullæ vigore Regularibus semper fuisse concessum priuilegium eligendi confessarium pro reseruatorum obtinenda absolutione.*

2 *Omnia Priuilegia Clericis sæcularibus concessa, censentur concessa Regularibus.*

3 *Priuilegia omnia concessa Laycis à suis Principibus, quatenùs fauorabilia sunt, intelliguntur concessa Religiosis, & alijs Ecclesiasticis personis.*

4 *Priuilegium eligendi confessarium pro reseruatorum obtinenda absolutione, & merè spirituale.*

5 *Est erroneum, affirmare, priuilegia spiritualia salutem animarum respicientia non esse concessa etiam Religiosis.*

6 *Bullæ Cruciatæ largitiones Regularibus omnibus congruunt, excepto priuilegio oua, & lacticinia comedendi.*

7 *Doctores omnes negantes, Regulares posse eligere confessarium virtute Cruciatæ pro reseruatis, affirmant, fuisse, & esse tale priuilegium concessum Regularibus per Cruciatam.*

8 *Verba Pij Quinti iuxta verum intellectum expenduntur.*

9 *Eminentissimorum Dominorum Sacræ Congregationis Concilij Tridentini Cardinalium declaratio apertè demonstrat, per Cruciatam esse Monialibus concessum Priuilegium eligendi confessarium.*

10 *Sacerdos ab Ordinario non approbatus pro Monialibus non potest ab eisdem eligi in confessarium.*

11 *Confessarius ab Ordinario approbatus pro Monialibus potest eligi ab ipsis, & eas absoluere à reseruatis, iuxta intellectum dictæ congregationis responsionis ad Archiepiscopum Valentinum factæ.*

12 *Responsio Sacræ Congregationis Cardinalium non declarat, Bullam Cruciatæ non præbere Monialibus facultatem eligendi confessarium, sed inclinat tantùm in opinionem Archiepiscopi iuxta aliquos Doctores.*

13 *Constitutio Sanctissimi Domini Nostri Papæ Vrbani Octaui absolutè nō interdicit vsum Cruciatæ quoad articulum eligendi confessarium, sed prohibet, vt electio non fiat extra ordinem.*

14 *Per dictam Constitutionem non declaratur, nunquā fuisse concessam per Cruciatam Regularibus facultatem eligendi confessarium gratia reseruatorum obtinendæ absolutionis.*

15 *Ex vi annuæ publicationis Cruciata habet vim, & efficacitatem derogandi omnes, & singulas Apostolicas Constitutiones, quatenùs obstant, vel obstare possunt dictæ Bullæ Cruciatæ facultatibus, & concessionibus.*

16 *Facultas eligendi confessarium in Bulla Cruciatæ Regularibus concessa minimè habere potest illam deformitatem, quàm somniauere Suarez, & Aloysius à Cruce.*

17 *Facul-*

17 *Facultas eligendi confessarium pro reseruatis absoluendis, respectu clericorum, sicut non habet deformitatem, ita nec respectu Religiosorum.*

18 *Ferè nullum detrimentum sequitur Ordinibus Mendicantium, vel non Mendicantium, ex quo possunt Religiosi virtute Cruciatæ pro reseruatorum obtinenda absolutione eligere confessarium.*

19 *Concessiones omnes in Bulla contentæ Cruciatæ non sunt Generales, sed specialissimæ, quia singulariter singulis personis eam accipientibus conceduntur.*

20 *Bullam Cruciatæ vllo modo, ex quo præstat nostri Ordinis Religiosis facultatem eligendi quem maluerint confessorem pro reseruatis, dispensare in præcepto nostræ Regulæ in cap. 7. contento, Declaratur dilucidè.*

21 *Concilium Tridentinum non rectè adducitur ab Aduersarijs in proposita difficultate.*

1 QVammaximè hæc *P. Suarez sententia displicet*; Etenim facultatem eligendi confessorem, & à reseruatis absoluendi virtute Cruciatæ nūquam fuisse Religiosis concessā, non video, Vndè doctissimus iste Pater rationabiliter colligere potuerit; Quia in primis, omnibus, quibus sumendi Bullam Cruciatæ conceditur facultas, præstatur quoque eligendi confessarium, & absoluendi à reseruatis etiam Sedi Apostolicæ: Atqui Religiosi omnes, quatenùs in partibus vbi Cruciatæ concessum est priuilegium degunt, sumere possunt Cruciatam; igitur eis concessa est facultas eligendi confessarium, & absoluendi à reseruatis. Maior est certa ex contextu eiusdem Bullæ, vbi sic habetur: *Et vt puriùs preces Deo fundere, & eò efficaciùs diuinum auxilium implorare possint, quò peccatorum vinculis absoluti in litteris contenta adimpleuerint; vt ijdem omnes, ac eorū singuli, dicto biennio durante, quemcunq; presbyterum sæcularem, vel cuiusuis etiam mendicantium ordinū Regularem ex ijs, qui ab ordinario, & quo ad Regulares semel tantū approbati fuerint, in confessorē eligere, & ab eo quorumcunq; peccatorum, ac censurarum &c.* Cōsequentia tenet. Minor probatur in primis ex dictis in prima Quæst. huius disputationis, & eiusdem Cruciatæ contextu ibi: *Capitula Ecclesiarum, Monasteria, & loca etiam Regularium, & Mendicantium, & tam fœminarum, quam masculorum, si pro decem personis eorundem Capitulorum, & locorum vnum, nec pauciores suis expensis mittant*: & paulò inferiùs; *Insuper quoque tam prædictis omnibus, quàm illis, qui nec in hanc expeditionem ibunt, nec alios (vt prædictum est) mittent; si infrà biennium prædictum ex bonis sibi à Deo collatis in hanc causam liberaliter pro Religionis defensione contulerint, dummodò tamen infrà positum summarium receperint, & penès se habeant.* Ex quibus verbis satis apertè patet, Regulares omnes, non solùm sumere posse Cruciatam verùm quoque & illius gaudere facultatibus, & insuper ex his conuincitur *P. Suarez*; eò quòd prædicta verba omnes facultates demonstrant, sumentibus illam esse concessas, ac subinde Regularibus etiam quo ad articulum eligendi confessarium, & absoluendi à reseruatis.

2 Secundò, quia si facultas eligēdi confessarium, & absoluendi à reseruatis, nunquam per Bullam Cruciatæ fuisset concessa, vt *P. Suarez* constanter opinatur, vel esset, quia in illa respectu Regularium non conceditur talis facultas; vel quia ibi Religiosi quantùm ad huiusmodi excipiuntur articulum; vel tandem quia Religiosi, in quantùm Religiosi, non comprehenduntur sub illa Christianorum generalitate in ordine ad gaudendum dictæ Cruciatæ gratijs, ac fauoribus: sed nullum istorum dici potest; Igitur minimè est asserendū, nunquam fuisse huiusmodi eligendi confessariū, & absoluendi à reseruatis Religiosis concessam facultatem. Maior est certa ex sufficienti diuisione, consequentia tenet; Minor quo ad primam partem patet ex paulò superius eiusdem Cruciatæ allatis verbis: quoad secundam partem probatur, quia omnia priuilegia Clericis concessa intelliguntur etiam concessa Religiosis, quatenùs sub Clericorum nomine comprehenduntur, & de se patet, & omnes vtriusque Iuris, ac Sacræ Theologiæ Doctores affirmant, & nos probauimus latè *lib. 1. de Triplici libert. Ecclesiast.* Atqui omnes facultates, indulcta, & gratias, quę in dicta Bulla continentur Cruciatæ, esse Clericis concessa, certum est & constans; igitur & Religiosis, quatenùs sub eorum nomine comprehenduntur.

3 Et insuper priuilegia omnia laicis à suis concessa Principibus, quatenùs fauorabilia sunt, concessa esse censentur Religiosis, omnibusq; alijs Ecclesiasticis personis; igitur à fortiori priuilegia spiritualia, quæ ex sua propria ratione animarū commodum, ac salutem intendunt, Laicis, & Clericis concessa potiori iure ex hoc capite concessa censenda sunt esse Religiosis: Verùm priuilegium eligendi confessarium, & absoluendi à reseruatis est spirituale hanc continens formalitatem, vt indicant illa verba; *Et vt puriùs preces Deo fundere*; Igitur semper fuit Religiosis concessum. Omnes consequentiæ sunt notæ, assumptum probant Doctores in cap. Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, præsertim *Decius num. 225. de cōstitu. & latè Surdus in consil. 2. nu. 35. & seqq. volum. 1. Alexander in consil. 211. num. 2. volum. 2. Ioannes Lecirier in tract. de primogenitis lib. 1. quæst. 24. num. 3. in fine & num. 16. in fine*, & Doctores communiter Iuris Cæsarei. Ad hæc faciunt Doctores sentientes, quòd Ecclesiastici gaudere possunt beneficio statuti, quod stetur iuramento passi damnum, vt ex *Castrens. leg. omnes populi n. 8. vers. item an Clerici. Alexand. consil. 41. num. 4. & sequ. & consil. 111. volum. 7. Decius consil. 114. in dub. 1. & consil. 175. dub. 1.* & alijs ad hoc cumulatis per *Plotum in tract. de in litem iurando n. 854. vers. Clerici tamen, concludit Martha de iurisdict. p. 4. centuria 1. casu 82. num. 3. & sequentibus*; quia Ecclesiastici cùm sint Ciues illius Ciuitatis, vt firmat *Barthol. in leg. 1. ff. ad Municip. num. 11. & Baldus cap. 1. de Vassal. qui Arma bellica depos.* vbi dicit, Ecclesiasticos esse de corpore Ciuitatis, ac proinde gaudere omnibus, & singulis priuilegijs

illius

illius Ciuitatis habitatoribus, & ciuibus cōcessis; Igitur. Quo ad tertiam verò partem patet, quia nefas est affirmare priuilegia, & gratias spirituales, quæ ex sua intrinseca ratione bonum, ac salutem animarum intendunt omnibus Christi concessa fidelibus, non esse quoque cōcessa Religiosis, quatenùs Religiosi sunt, eò quòd tunc viderentur priuari spiritualibus beneficijs, eo solo titulo, quia Religiosi, quod profectò valdè est abhorrendum; vel quia Religiosi non veniunt sub illa Christianorum generalitate comprehensi; quod certè asserere, temerarium, atque erroneum est.

6 Prætereà Conuincendum puto fore doctissimum *Suarez* hoc argumento, quia cùm Summus Pontifex sumentibus Cruciatæ Bullam ad vescendum ouis, & lacticinijs in quadragesima præbet facultatem excipit Regulares, ibi; *sub hac tamen gratia, & concessione vltimò dicta; eò quòd Ecclesiastici sæcularibus abstinentiores esse debeant, minimè comprehendi volumus Patriarchas Primates Archiepiscopos, Episcopos, neque alios inferiores Prælatos, neque quaslibet personas Regulares, ac ex sæcularibus eas, quæ in presbyteratus ordine constitutæ sint, quo ad quadragesimalia ieiunia:* cùm verò facultatem concedit ad confessarium eligendum, nullam Regularium facit exceptionem; Igitur euidens signum est, velle ibi Pontificem Regularibus talem concedere facultatem, veluti concedit omnibus alijs Ecclesiasticis, aliàs enim illos exciperet, sicut excipit in priuilegio lacticiniorum. Et certè ad hoc valdè sunt ponderanda verba illa; *sub hac tamen gratia, & concessione vltimò dicta*, nimirum, quo ad facultatem vescendi ouis, & lacticinijs: Nam, ly, *vltimò dicta*, includit omnia priora priuilegia, & demonstrat, esse Regularibus concessa, & solùm priuari beneficio ouorum, lacticiniorumque comedendorum: atqui certum est in superioribus concedi eligendi confessarium, & absoluendi à reseruatis facultatem; Igitur quo ad hunc articulum non excipi Religiosos, certum est; ac proinde sēper per Bullam Cruciatæ hanc fuisse concessam Religiosis facultatem.

7 Accedit tandem, quòd Doctores vtriusq; sententiæ nunquam negauere, per Bullam Cruciatæ non fuisse Religiosis quo ad articulum eligēdi confessarium, & absoluendi à reseruatis concessam facultatem, sed fuisse per nōnullos Summos Pontifices restrictam, seu limitatam ad Religionum Prælatorum instantiam: Quinimmò qui oppositam tenent sententiam, vt *P. Corduba in adnotat. ad compendium mendicantium verbo, Cruciata, & super nostram Regulam cap. 7. quæst. 3.* affirmat, esse probabile, Religiosos vti posse Bulla Cruciatæ ad confessarium eligendum pro reseruatorum absolutione. Idem tenet *Rodriquez in exposit. Bullæ §. 9. num. 25.* vbi expressè ait, nostram sentētiam esse probabilem, & securè procedere eos, qui in praxi eam sequuntur; ibidemque hortatur confessarios, ne scrupulum inijciāt Religiosis, qui ad casus reseruatos absque Prælatorum facultate vtuntur Bulla. *Et tom. 2. qq. Regularium licèt q. 21. art. 3.* oppositam defendat sententiam, ait nihilominus; *non auderem illos cōdemnare, qui sine tali licentia vtuntur Bulla, quantum ad hos articulos, scilicet reseruationis casuū, & reliquorū quæ in ea continentur. Pater Diana tract.* 11. de Bulla Cruciatæ probabilem etiam existimat nostram sententiam *Resol.* 14. *versic.* quid ego sentiam dicam breuiter, dum Doctorum iudicio nostræ sētentiæ remittit probabilitatem. Et nouissimè *Aloysius à Cruce in expositione Bullæ Cruciatæ disp. 1. dub. 12. c. 1. n. 1. in fine.* asserit, docere nonnullos, posse Religiosos virtute Cruciatæ, Bulla SS. D. N. Vrbani VIII. minimè obstante, eligere confessarium pro reseruatis; quam sententiam putant probabilem, eò quòd contrariam, quam ipse tenet ibi in principio numeri secundi, vocat veriorem, prout *P. Diana 4. p. tract. 4. Miscellan. Resol.* 43. *adnotauit*, Alij autem Doctores, dum ex Summor. Pontific. declarationibus Cruciatam quoad articulum eligendi confessorem pro Regularibus esse derogatam probare conantur, fatentur profectò esse, ac fuisse Regularibus virtute illius concessam talem facultatem. Hi sunt *Garzia de Benefic. Ledesm. Cordub. Passarell. Acosta, & Henriquez locis suprà citatis*.

8 Superest, vt rationibus, quibus *P. Suar.* ducitur, satisfaciamus. Ad primam respondeo, negando consequentiam; Nam Pontifices maximi licèt declaratiuis verbis vtantur, non ex eo sequitur, per Bullam Cruciatæ non esse quo ad articulum confessarium eligendi, & absoluendi à reseruatis Religiosis concessam facultatem, cùm ex contextu eiusdem Cruciatæ id manifestè constet, vt paulò superiùs probauimus. Neque verba Pij V. sunt declaratiua, si rectè ponderentur: ait enim; *nonnulli his facultatibus vti præsumunt, & illarum prætextu eligunt confessorem*; Nam vox, *prætextu*, non solùm fictam, sed etiam veram, & realem facultatem demonstrant, eò maximè quando in Pontificijs diplomatibus apponitur, vt rectè ponderauit *Azorius vbi suprà*, ac proinde non dicit tales facultates non esse veras, nec minùs illis esse, nec fuisse concessas, sed declarat, imposterùm suæ intentionis esse, nō licere vti Religiosis Bulla Cruciatæ quo ad prædictum articulum confessarium eligendi, & absoluendi à reseruatis. Idē dicendum est de alijs Pontificijs dispositionibus per *Patrem Suarez adductis*; Vndè non benè colligit, id quod intendit, nimirùm, nunquam fuisse concessam similem Religiosis facultatem.

9 Ad declarationem Eminentissimorum Sacræ Congregationis Sacri Concilij Tridentini Cardinalium respondeo, oppositum omnino deduci: Nam ibi Eminentissimi Domini apertè fatentur, fuisse, & esse Monialibus concessam virtute Cruciatæ facultatem eligendi confessarium, & absoluendi à reseruatis: solùm enim declarāt, cōfessarium virtute eiusdem Bullæ eligendum pro Reseruatis ex approbatis ab ordinario esse debere; Ita enim clarè, & manifestè demonstrant verba illa, *non posse vigore facultatis in eadem Bulla*

con-

concessæ alios eligere confessores, præter eos, qui ad audiendas confessiones earum ab ordinario sunt approbati. Ratio huius decisionis esse potest, quia quandoque Episcopi in licentia concedenda Christi fidelium audiendarũ confessionum limitant sic; *Exceptis monialibus*: Confessores igitur, qui sic limitatam obtinent licentiam, virtute Cruciatæ eligi non possunt ad effectũ audiendi Monialium confessiones, non solùm in ordine ad reseruata
11 crimina, verùm & ad non reseruata. Cœterum eos, qui absolutè sunt ab ordinario approbati, nō prohibet Sacra Cardinalium Cōgregatio, vt Moniales eligere non valeant ad effectum, vt absoluantur à quibusuis censuris, & peccatis, etiam Apostolicæ reseruatis Sedi. Et sic patet, licentiã eligendi confessarium, & absoluendi à reseruatis fuisse concessam Monialibus.

12 Aliter autem dici posset, illam interpretationẽ à Sacræ Congregationis Cardinalibus super negotijs Concilij Tridentini præpositis ad instantiam Archiepiscopi Valentini fuisse factam. qui cùm in ea esset opinione, non licere .s. monialibus priuilegio vti Cruciatæ ad confessarium eligendum, ipsi etiam Eminentissimi Domini tanquam probabiliori annuere per hoc tamen non fuit ab eis declaratum, facultatem hanc aliquando, & semper in Bulla Cruciatæ non fuisse concessam.

13 Per idem respondetur ad nouam Constitutionem Sanctissimi Domini Nostri Vrbani Octaui, qua interdicuntur Religiosis Bullæ vsus Cruciatæ, non quidem absolutè etiam quo ad hunc articulum eligendi confessarium, & absoluendi à reseruatis, sed dumtaxat, vt talis electio non fiat extra ordinem, *vt suprà qu. 3. cap. 1. probauimus*. Dato nihilominus, & non concesso, prædictam Sanctissimi Domini Nostri Constitutionem Cruciatæ in vniuersum vsum Religiosis prohibere; exinde tamen non rectè colligitur; Pontificem maximum declarare, talem vnquam virtute eiusdem Cruciatæ facultatem fuisse concessam, cùm solùm declaret, suæ intentionis esse, & fuisse, prohibere imposterùm Religiosis Cruciatæ vsum.

15 Ad argumentum verò, quod ex his efformat *Suarez* Respondeo, negando consequentiam, & ad probationem dico, Bullarum subsequentium tenorem, quamquam idem, & immutatus omnino sit, nihilominus ex vi annuæ publicationis efficacitatem, & vigorem habere derogandi omnes, & singulas constitutiones Apostolicas in contrarium facientes, seu in quantum obstant, vel obstare valent Bullæ dictæ Cruciatæ facultatibus, & concessionibus; certè cùm omnes aliæ Pontificiæ declarationes præcedant, derogari videntur per eiusdem Bullæ posteriorem publicationem; & eò magis, quia in aduersariorum sententia habet cum nouæ confirmationis atque concessionis.

16 Ad aliam verò rationem, quam *Ex Suarez efformat P. Aloysius à Cruce* respondeo, negando minorem; Etenim plus quàm falsum est, facultatem eligendi confessarium pro reseruatis virtute Cruciatæ Religiosis cōcessam habere illam deformitatem, quam ipse putauit. Et certè quæ deformitas esse potest in tali concessione, cùm illa præstetur, vt puriùs (vt inquit Pontifex) preces Deo fundere, & eò efficaciùs diuinum implorare possint auxilium? Et si est deformitas in
17 Religiosis cur non quoque in Clericis? Quòd si talis deformitas ex eò à *Suarez, & Aloysio à Cruce deducitur*, quia vergeret in magnum Religionum detrimentum, hoc quoque negamus, quia sufficienter reputari potest, vt benè *lib. 1. c. 1. §. 7. dub. 9.* aduertit; propter Ecclesiæ bonum, quod Pōtifex facere potest, vt supremus Pastor, & suis prouideret ouibus, pro vt eis expedire iudi-
18 cauerit. Addo, parùm, aut ferè nihil derogari ex hoc Regulari disciplinæ, vt quoque falsò putauit *Pater Diana 1. p. tract. de Bulla Cruciatæ Resol. 14. in fine*; Sicut nec derogatur multùm de disciplina Ecclesiastica, ex eo quòd Laici, & sæculares Clerici quem maluerit eligunt confessorem pro Episcopis reseruatis. Sicut enim consuetudo totius Ecclesiæ est, vt Episcopi sibi atrociora reseruent crimina, & nihilominùs Summus Pontifex, propter totius Ecclesiæ bonum, hanc tollit reseruationem ad Ecclesiasticam conseruandam disciplinam valdè necessariam; ita licèt consuetudo sit in Religionibus, vt Prælati sibi nonnullos reseruent casus, & determinatos assignent confessarios, propter Regularis disciplinæ conseruationem; potest nihilominus Pontifex virtute Bullæ hoc tollere, propter bonum commune, quod sequitur Ecclesiæ, ex eò quòd plures Bullam accipiunt Cruciatæ.

19 Vel aliter respondeo, negando consequentiã; Nam ex falsa intelligentia illa sequitur; Etenim concessiones omnes in Bulla contentæ Cruciatæ non sunt concessiones Generales sed specialissimæ, vt ipsemet *P. Fr. Aloysius à Cruce in exposit. Bullæ Cruciatæ disp. 1. ca. 10. dub. 5. n. 1.* Et ratio est; quia singulis personis singulariter consideratis per modum, & viam contractus conceduntur, atque adeò dum singulæ singulas accipiunt Bullas, videtur, quòd Summus Pontifex ineat cum eis singulariter contractum, ac proinde Religiosi Bullam sumentes Cruciatæ in ordine ad gratias in eadem concessas non comprehenduntur sub illa clausula generali, & cōsequenter expressè in specie, seu indiuiduo censentur Religiosis Bullam recipientibus præpositæ.

20 Ad Tertium respondeo, negando, Bullam Cruciatæ dispēsare in præcepto nostræ Regulæ contento in cap. 7. si fratres nostri ordinis sumere Bullam possent Cruciatæ quo ad articulum eligendi confessarium, & absoluendi à reseruatis; Ratio est quia in illo cap. 7. Regulæ non est sermo de peccatis occultis vt latè *disp. 7. q. 8. c. 2.* diximus; sed de peccatis publicis, & manifestis, vt docuere *Diuus Bonauentura super 7. nostræ Regulæ cap. & Cordub. ibidem q. 1.* qui allegat Gregorium Nonum, Innocentium Quartum, Vgonem, & Pisanum in eodem capite, & serenam cōscientiam *cap. 9. §. 5.* vbi allegati Doctores obseruant, &

benè, hoc septimum nostræ Regulæ capitulũ allusionẽ facere ad Ecclesiæ consuetudinem, quãdo superiores publicas pœnitentias pro publicis imponebant peccatis. Hinc infertur, septimum caput istud non loqui de pœnitentia, seu confessione sacramentali, sed de pœnitentia, & punitione à Prælatis ordinis, subditis publicè peccantibus imponenda. Et hoc ita esse conuincitur ex textu, vbi dicitur; *Ipsi Ministri iniungant illis pœnitentiam, vel iniungi faciant*, non autem dicitur absoluant, vel absolui faciant, prout latè loco citato docuimus. Vndè cùm facultas Bullæ Cruciatæ, quæ Religiosis conceditur sit pro foro dũtaxat conscientiæ, in nullo potest nostræ Regulæ derogari præcepto. Dispensaretur vtique, si vsus illius facultatis per Bullam concessæ Cruciatæ ad externum ordinarentur forum, impediretque ne nostri ordinis Prælati publicas nõ possent fratribus publicè peccantibus pœnitentias imponere: profectò videretur in aliquo esse per Bullam Cruciatæ dispensatum præceptum de recursu ad Ministros habendo Prouinciales, pro reseruatorum absolutione. Vndè argumentum procedit ex falsa nostræ regulæ intelligentia.

21 Ad quartum verò respondeo, Concilium Tridentinum ibi loqui independenter de Bullis Cruciatæ, quarum expeditio libera est Pontificibus, & contingere poterit, illas non expediri; Et licèt expediantur, id non est pro omnibus fidelibus, sed pro illis dumtaxat, qui commorantur in Regnis Hispaniarum. Vndè quia standum in solo Iure communi seclusoque omni alio priuilegio, confiteri non possunt Moniales, nisi tantùm proprio sacerdoti; prudenter idcircò Concilium Tridentinum prouidet, vt bis, terue in anno extraordinarij deputentur confessarij, quibus libentiùs sua peccata aperire valeant. Quare ex hoc Concilij Tridentini testimonio potiùs robustum aliquod sumi potest argumentum contra aduersariorum sententiam, quàm contra id, quod ipsi intendunt.

Ad illud tandem, quod ex nostris Generalibus Constitutionibus, & Illustrissimi atque Reuerendissimi D. Antonij de Trejo obijcitur, quid sit respondendum, ex dictis nõ obscurè colligi potest.

CAPVT TERTIVM.

Bulla Sanctissimi Domini N. Papæ Vrbani Octaui etiam supposita constitutione, posse Religiosos cuiuscunque ordinis Bullam sumere Cruciatæ, eaque vti quoad articulum eligendi confessarium, & absoluendi à reseruatis tàm superioribus, quàm Sedi Apostolicæ, demonstratur.

SVMMARIVM.

1 *Omnium mendicantium, vel non mendicantium Ordinum Religiosi, atque Moniales, absque suorum venia Prælatorum, virtute Cruciatæ eligere possunt confessarium, & absolui ab ijs, quæ sunt superioribus reseruata.*

4 *Adducitur Clementis Octaui dispositionis interdicentis vsum Cruciatæ Regularibus quo ad articulum eligendi confessarium verus intellectus habitus à Salamantinis Doctoribus.*

3 *Omnes Religiosi cuiusuis Ordinis, ac Moniales, supposita Sanctissimi D. N. Vrbani Octaui Constitutione; possunt absque suorum superiorum venia accipere Cruciatam, & ab ipsis reseruatis à quocunq; absolui Sacerdote approbato, quem ipsi maluerint.*

4 *Qui Doctores hanc resolutionem tenere debent.*

5 *Bulla Cruciatæ non derogatur per Constitutionem SS. D. N. Vrbani Octaui.*

6 *Congruum est omnibus Regularibus, & Monialibus, etiam post nouam hanc SS. Papæ Vrbani Octaui Cõstitutionem, extra ordinem eligere confessarium pro à mortalibus non reseruatis absolutione, iuxta Aloysium à Cruce.*

7 *Vsus Cruciatæ interdicitur Regularibus per prædictam Constitutionem, tam pro non reseruatis, quàm pro reseruatis.*

8 *Expenditur eleganter dicta Constitutio Domini N. Papæ Vrbani Octaui.*

9 *Summo Romano Pontifici nulla sunt peccata per se, & solitariè sumpta reseruata, sed tantùm per accidens, seu secundariò.*

10 *Dictio, &, habet vim implicandi, & coniungendi, & ponitur loco dictionis*, etiam.

11 *Secundùm dictam Constitutionem omnes Regulares quoad peccata in vniuersum, idest tam reseruata, quàm non reseruata, dispositioni suorum Prælatorum subduntur.*

12 *Aloysius à Cruce conuincitur.*

13 *Intellectus dictæ dispositionis suprà adductus qua ratione nonnullis modernioribus non placeat?*

14 *Lex non includit illud, ad quod mens, & ratio legis non se extendit.*

15 *Declaratur intentio, & mens Summi Romani Pontificis, nimirùm, quæ fuerit circa peccata reseruata tam Ordinum Prælatis, quàm Sedi Apostolicæ ex eiusdem Pontificis verbis.*

16 *Summi Pontificis mens, quando non est sufficienter in dispositione declarata, est restringenda, seu declaranda, iuxta ea, quæ in principio ponuntur.*

17 *Sanctissimi Domini Nostri Constitutio hæc non fuit Romæ publicata.*

18 *Leges Pontificiæ ad hoc, vt obligent, opus est, vt publicentur in singulis Diœcesibus, & Prouincijs, iuxta Opinionem nonnullorum; quos sequitur Diana.*

19 *Constitutio Pontificia ad hoc, vt suum sortiatur effectum, secundùm Patrem Dianam, & alios, necesse est, vt non solùm legatur quotannis in Monasteriorum Capitulis, verùm etiam vt adscribatur in libris quorumcunque ipsarum Religionum statutorum.*

20 *Quando dubitatur, an lex fuerit publicata, vel vsu recepta, non obligat in conscientia.*

21 *Licitum est super aliqua lege suplicationem Summo Romano Pontifici porrigere, & interim eius suspendere obligationem.*

22 *Publicatio Bullæ Cruciatæ pro sequenti anno non est eadem cum præcedenti, sed noua, & diuersa.*

23 *Concessio Bullæ facta ab vno Pontifice etiam pro toto suæ vitæ tempore multis æquiualet concessionibus.*

24 *Suarez olim docuit abortum Summo Pontifici reser-*

reseruatorum virtute Cruciatæ prohibitum ab-solui posse sequenti anno per illam absolui.

1 OMnes Regulares tam mendicantes, quàm non mendicantes, tam fratres, quàm moniales, absque suorum venia Prælatorum, virtute Cruciatæ eligere posse confessarium, & absolui ab ijs, quæ sunt superioribus reseruata, tenendum esse doceo. Hanc enim nostram assertionẽ ante hanc nouissimam Sanctissimi Domini Nostri Vrbani Octaui Constitutionem docuere quã plures doctissimi Salmãticensis Academiæ super hoc consulti anno 1559. præsertim *Magister Bannes primarius theologicæ facultatis, Alphonsus Luna, & Orellana ordinis Prædicatorum, & Magister Chiaues Regis Hispaniæ Confessarius, Gueuara, Ludouicus de Leone, & Mendoca Ordinis Sancti Augustini, & Magistri Sacræ Theologiæ, ac eius Professores in Salmanticensi Academia; & Magister Sumel Generalis Ordinis Sanctæ Mariæ de Mercede* affirmauit nostram hãc assertionem esse veram, esseque communem praxim Religionum. Idem docuere *Magister Didacus Roo: Decanus facultatis Theologicæ eiusdem Academiæ, & Magister Sancius Magistralis Canonicus Salmantinus.* Et quamquam grauissimi, doctissimique isti Doctores ante Decretum Clementis Octaui eam docuerunt, Alij tamen Salmantini post eiusdem Clementis Octaui Constitutionẽ prohibentem Religiosis Cruciatæ vsum
2 quo ad superioribus reseruata idem constanter affirmauerunt, teste *Villalob. summ. tom. 1. tract. 27. nu. 12.* ij verò sunt *Alphonsus Curiel, & Antol. Augustini* ambo doctissimi, ac sapientissimi viri, & in eadem Academia Salmanticensi successiuè primarij professores; Doctissimus *Petrus Cornejo in eadem Academia Cathedram Durandi regens*, & quamplures alij Religiosissimi, atque sapientiss. Patres Dominicanæ familiæ, ac Societatis Iesu, quos nominatim recenset, & sequitur *Ioannes à Cruce de statu Religionis lib. 1. cap. 6. dub. 13.* quatenùs (vt suprà dicebamus) illam præallegatam Clementis Octaui Constitutionem limitant, vt solùm impediat, seu prohibeat, ne eligant Religiosi confessorem extra ordinem pro absolutione à reseruatis, eò quòd illa constitutio ad hoc dumtaxat fuerit requisita, vt deducitur ex verbis eiusdem constitutionis ibi; *& illorum prætextu eligunt confessorem aliquando præter eos, qui à suis Prælatis eorum confessionibus deputati sunt, quod aliquando in speciale eorum vergit detrimentum.* Quæ quidem limitatio, seu interpretatio optimè accommodari huic nouæ Sanctissimi Domini Nostri Vrbani Octaui Constitutioni potest, cùm sit eadem, & eisdem ferè verbis dispositio: igitur si eodem modo potest interpretari, profectò non obstat hæc Constitutio, quin nostra assertio iuxta tot, tantorumque doctissimorum placitum non sit vera.

3 Probari tamen potest ex dictis *qu. 2 & 3.* & ex duobus præcedentibus capitulis. Vnde dico secundo; omnes, & quoscunque Religiosos, supposita eiusdem Sanctissimi D. N. Vrbani Octaui Constitutione, ac Moniales sumere posse absq; suorum licentia superiorum, Bullam Cruciatæ, & ab ipsis reseruatis à quocunq; absolui, sacerdote, quem ipsi maluerint, dummodo sit à suo superiore approbatus, iuxta eiusdem Bullæ Cruciatæ tenorem. Hanc nostram assertionem tenere debent omnes Moderniores, qui absolutè docent, Bullæ Cruciatæ vsum non esse Regularibus quo ad articulum eligendi confessarium, & absoluendi à reseruatis interdictum. Hi sunt *Sancius in Selectis disp. 44. n. 10. ad finem, & n. 13. ad finem doctissimus Basilius Pontius de Leone lib. 5. de matrim. c. 2. n. 7. & distinctius lib. 2 c. 13 §. 2. nu. 13. & nouissimè in materia de sacramento pœnitentiæ c. 4. n. 2.* & alij quamplures quos suprà allegauimus quatenùs, Clementis Octaui constitutione non obstante in hanc venerunt sententiam; igitur idẽ tenere deberent, supposita etiam Sanctiss. D. N. Vrbani Octaui Bulla, est enim in vtraque vna ratio. Probabilem quoque hanc nostram assertionem putauit *P. Fr. Aloysius à Cruce vbi suprà dub. 12. num. 2. in principio*, dum affirmat, suam sententiam solùm esse veriorem, nostram verò in fine numeri primi existimat probabilem, eamque docere videtur *Aegidius Trullench in expositione Bullæ Cruciatæ lib. 1. cap. 1 num. 19.* Vbi hæc habet *Nihilominus tamen, supposita etiam dicta Constitutione Vrbani Octaui, si, & vbi illa à superioribus non*
4 *est subditis notificata, & intimata, & ab illis acceptata, videtur alicui, posset etiam probabiliter dici, posse primam sententiam sua probabilitate non carere, & idem in hoc casu dici, esse de hoc priuilegio, ac de alijs Regularium, ac dictum est hoc dubio n. 11. de Constitutione Clementis Octaui, quod etiam supponere videtur Ludouicus à Cruce suprà dub. 12. numer. 2. vbi existimat, verius esse Regulares non posse eligere confessarium pro reseruatis;* quibus verbis supponit primam sententiam (idest nostram) etiam nunc non esse destitutam veritate, & probabilitate. Hactenus ille ibi.

5 Nostra hæc assertio, eisdem rationibus, quibus proximo capite *P. Suarez* impugnauimus sententiam, optimè ostenditur, & ex dictis *cap. 1. & 2. quæst. 3.* vbi latè ostensum est per hanc Sanctissimi Domini Nostri Vrbani Octaui nouissimam Constitutionem minimè esse Bullam derogatã Cruciatæ, quoad articulum eligendi confessariũ, & absoluendi ab ijs, quæ sunt superioribus reseruata; at Iterùm sic ostenditur.

6 Omnibus Religiosis cuiusuis ordinis, atque monialibus, virtute Bullæ Cruciatæ, absque suorum superiorum licentia, post nouam hanc Sanctissimi Domini Nostri Vrbani Octaui Constitutionem confessarium libet eligere, etiam extra Religionem pro à mortalibus absolutione superioribus minimè reseruatis: ita *Aloysius à Cruce vbi suprà dub. 12. n. 2.* Igitur eis quoque licet confessarium eligere saltem intra ordinem pro eorũ absolutione, quæ superioribus sunt reseruata. cõsequentia ex eo cõuincitur, quia eodẽ modo per hãc Vrbani cõstitutionẽ interdicitur Regularibus vsus Cruciatæ quo ad articulũ eligẽdi confessariũ,

& absoluendi à non reseruatis, & à reseruatis, sed non obstat per aduersarios Bulla quoad non re-
7 seruata; igitur nec quoad reseruata. Quod eodem modo prohibeatur Cruciatæ vsus in ordine ad vtramque patet euidenter ex eiusdem Constitutionis verbis ibi; *sed nostræ intentionis fuisse, & esse, quòd ijdem fratres, & moniales quantum ad Sacramentum pænitentiæ seu confessionis administrationem, ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum subiecti sint*; Etenim cum vniuersaliter loquatur Summus Pontifex de Sacramento pœnitentiæ, absq; vlla limitatione, videtur voluisse intelligere de peccatis mortalibus, tam reseruatis, quàm non reseruatis.

8 Quæ verba mihi videntur multiplicem posse habere sensum; primus est, *quod cuiusuis ordinis, ac Congregationis mendicantium, & non mendicantium Religiosi, quoad Sedi Apostolicæ reseruata suorum Prælatorum etiam subiecti sint dispositioni quãtum ad sacramentum pęnitentiæ, seu confessionis administrationem*; & ita ly, *reseruata*, solùm ad censuras, quæ Summo Romano Pontifici reseruantur, habent relationem. Vndè sensus est, Regulares omnes, quo ad sacramentum pœnitentiæ, seu confessionis administrationem, ita subijciantur suorum Prælatorum ordinariæ dispositioni, vt à reseruatis etiam Sedi Apostolicæ, virtute Cruciatæ à nemine absolui possint, nisi à suis dumtaxat Superioribus, vel ab eorum habentibus auctoritatem.

9 Dixi notanter, *ad censuras*, quia Summo Romano Pontifici his temporibus nõ reseruantur peccata per se, sed tantùm per accidens, quatenùs ipsi sibi censurarum reseruant absolutiones, vt *P. Suarez docet tom. 4. ad tertiam partem disp. 29. sect. 2. num. 3.* vbi id ex multis iuribus eleganter comprobat, & alij, præsertim *Graffius lib. 1. decision. cap. 13. nu. 40. Caietanus verbo, casus, Toletus in summa lib. 3. cap. 14. n. 1. Aloysius à Cruce in Bulla Cruciatæ disp. 1. ca. 3. dub. 1. n. 5. Nauarrus, & Henriquez apud ipsum ibidem nu. 2.*

10 Secundus sensus est, vt ly, & habeat vim implicandi, & coniungendi, & ponatur loco alterius dictionis hoc est, etiam, ita vt verbum illud, *reseruata*, relationem dicat etiam ad ordinum superiores, & ita sensus sit, Religiones omnes, quoad reseruata tam suis superioribus, quàm Sedi Apostolicæ, dispositioni suorum superiorum quoad forum pænitentiæ perpetuò subiaceant; ita vt nunquam vllo tempore eis liceat Bulla vti Cruciatæ, vel aliquo alio indulto, sub cuius prętextu ab alio, quàm à suis superioribus absolui valeant. Posterior sensus magis menti Summi Pontificis videtur consonus, & posteriori textui magis accommodatus.

11 Et vlteriùs verba illa si iuxta sonum litteræ, & secundùm id, quod important, attentè considerentur, reuera demonstrant, iuxta mentem Summi Pontificis quo ad peccata mortalia, tam reseruata, quàm non reseruata, quod dispositioni ordinariæ suorum Prælatorum perpetuò ita subiecti sint, vt nullo modo eis liceat Bullam sumere Cruciatæ ad effectum eligendi confessorem, etiam intra Religionem, à quo absolui possint, etiam à non reseruatis: quoad verò reseruata; Sedi Apostolicæ eiusdem dispositioni sint subiecti; ita vt etiam virtute Cruciatæ non possint ab illis absolui. Duas in istis Summi Romani Pontificis dispositionis verbis inuenio Constitutiones; In prima prohibet vsum Cruciatæ Religiosis quantùm ad articulum eligendi confessarium, & absoluendi ab ijs, quæ sunt superioribus Religionum reseruata; In secunda etiam quo ad hunc articulum interdicitur vsus eiusdem Cruciatæ quoad reseruata Apostolicæ Sedi, ibi; & Sedi Apostolicæ quo ad sibi reseruata subiecti sint, hoc est subijciantur, vt subijciuntur Regulares omnes, ac moniales Sedi Apostolicæ quo ad sibi reseruata. Si hunc igitur tertium sensum tenere velimus, prout reuęra video esse tenendum, sic efformo argumentum; Summus Romanus Pontifex decernit, Religiosos omnes quo ad pœnitentiæ Sacramentum ordinariæ suorum Prælatorum dispositioni perpetuò debere esse subiectos: atqui pœnitentiæ sacramentum omnia includit peccata, tam reseruata, quàm nõ reseruata; Igitur subditis Religiosis interdicitur Cruciatæ vsus, ita vt absque suorum Prælatorũ venia eligere non valeant quemcunque confessarium, à quo absolui possint à non reseruatis. Consequentia hæc de se est certa, & euidens; Nihilominus *P. noster Aloysius à Cruce, & P. Diana eam non admitterent*; Igitur neque talem Summi Pontificis verborum intelligentiam; ac proinde, si in istorum Doctorum sententia virtute Cruciatę eligere possunt Regulares, ac Moniales pro à mortalibus non reseruatis absolutione confessarium Bulla Sanctissimi Domini nostri Vrbani Octaui non obstante, possunt quoque pro reseruatis, cùm vna vtriusque sit ratio.

12 Ex quibus rursùs principaliter nostram probauimus assertionem sic: Summus Romanus Pontifex quo ad sibi reseruata statuit, quoad forum pœnitentiæ Religiosos suorum superiorum perpetuò subiacere dispositioni, ita vt à nullo alio absolui possint virtute Cruciatæ: Atqui *P. Fr. Aloysius à Cruce fatetur*, virtute Cruciatæ posse Religiosos, & Moniales eligere confessarium, & absolui à Papæ reseruatis, etiam post hanc Sãctissimi D. Papæ Constitutionem; Igitur cur non possunt & à reseruatis superioribus? Consequẽtia tenet; Maior patet. Nam cum post illum verbum, *Sedi Apostolicę*, non ponatur virgula, videtur primus sensus magis consonus textui, ac proinde maior huius discursus, iuxta illum priorem sensum, seu declarationem, censetur manifesta.

13 Hæc minimè aliquibus Modernioribus placent: Vndè respondent prædicta verba non posse habere illam intelligentiam, quam eis suprà adaptare conabamur, quia veniunt intelligenda iuxta superiora; Cùm enim priùs bis interdiceret reseruatorum absolutionem Religiosis virtute Cruciatæ, restringenda quoq; sunt illa verba, quæ paulò anteà declarauimus iuxta clausulam posi-

positā in prima dispositionis parte, siue ponatur principio, siue in fine eò quòd semper censetur referri ad omnia contenta in eadē clausula, capitulo, secundò requiris de appellationibus, vbi id obseruant DD. & *cap. causam de rescriptis, cap. Apostolus 32.q.7.l. item quia ff. de pactis §. vlt. leg. Titia §. 2. C. famil. leg. quoties C. de pactis leg. petens ff. si certum petat leg. lecta est ff. de legat. 1. lege Auia ff. de condit. & demonstrat. lege talis scriptura §. vltimo ff. de legat. 1. & verbo vlt.* illa generalia eiusdem conditionis intelligi debent iuxta subiectam materiam, nimirum casuum reseruatorum quorum absolutionem interdiceret faciendum virtute Cruciatæ *cap. Indulgentia de verbor. significat.* Item hæc vltima verba ea non comprehendunt, quæ Summus Pontifex sub eis comprehēdi noluit: Constans autem est, illis noluisse prohibere vsum Cruciatæ Religiosis quoad articulum eligendi confessarium, & absoluendi à non reseruatis, quia lex non includit illud, ad quod mens, & ratio legis non se extendit, *lege, non dubium Cod. de legib. leg. 1. Cod. quæ sit longa consuetudo*: & ideò vbicunque legis ratio habet locum, habet etiam lex, *leg. 1. Cod. interdicto* &: hoc etiam si legis verba contradicant, *leg. scire oportet, §. aliud in verbo ff. de excusat. Tutor. textus in leg. 3. ff. de liber. præterit.* quia vbi (inquit) manifestissimus est sensus testatoris interpretatio verborum nunquam tantum valet, vt melior sensus existat, *& cap. Consuetudo dist. 1.* vbi dicitur, quòd lex est, quid quid in ratione consistit. Et clausula generalis in fine posita per particularem limitāda venit, nimirum, quia absolui Religiosi non possunt virtute Cruciatæ à reseruatis; eò quòd clausula præcedens est maioris efficaciæ ad determinanda subsequētia, quàm sequens ad determinanda præcedentia, *Glossa 1. in leg. quisquis ff. de legat.* Cùm igitur clausula generalis huius Constitutionis per duas speciales præcedentes determinetur, euidenter colligitur, Summum Pontificem solùm ibi voluisse vsum prohibere Cruciatæ, quo ad reseruata, non verò quo ad non reseruata. Hæc quidem Doctor nostræ Religionis, qui nouissimè de hac SS. D. N. Vrbani Octaui Constitutione edidit expositionem.

15 Et quamquam ipse cap. 1. Tertiæ quæstionis huius disputationis ita senserim, re posteà maturiùs, ac attentiùs cōsiderata, illam expositionem minùs probabilem existimaui. Vndè aliter in hoc capite iudicaui esse dicendum, & accomodatiorem verbis Summi Pōtificis adaptauimus expositionem. Vndè iterùm aduerto, Sanctissimum Dominum nostrum Vrbanum Octauum hac in sua noua dispositione tria facere; primùm, confirmat, innouat, declarat, & extendit, prout opus fuerit, Clementis Octaui dispositionem, ibi; *præfataque Clementis prædecessoris declarationi inhærentes, illamque tenore præsentium innouantes, & quatenùs opus sit, confirmantes &c.* Secundùm, Bullam Cruciatæ, quo ad casus in Bulla Cœnæ Domini contentos nemini in foro externo suffragari declarat; pro verò foro interno prædictæ Bullæ Cruciatæ non solùm quo ad superioribus reseruata, verùm quo ad Sedi Apostolicæ, priuilegium respectu cuiuscunq; ordinis Regularium, & monialium non habere, nec habuisse locum, ibi; *aliorumque indultorum huiusmodi, quantum ad prædictum articulum eligēdi confessarium, & absoluendi à prædictis casibus reseruatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, cum fratribus, & monialibus prædictis.* Et tandem tertiò suam declarat esse intentionem, Religiosos, atque Religiosas omnes quo ad pœnitentiæ sacramentum ordinariæ suorum Prælatorum dispositioni perpetuò esse subiectas. Verùm quantū ad Sedi reseruata Apostolicæ, eiusdem Sedis dispositioni, quæ vltima clausula duo (vt dicebamus) specificè continet; primum est, quòd statuit, in quantum ad omnia peccata, ita ordinariè subijci Regulares suorum dispositioni Prælatorum, vt pro ipsis absoluendis nullo modo possint confessarium eligere; secundum pro Sedi Apostolicæ reseruatis eiusdē subijci Sedis dispositioni: Cùm igitur in posteriori clausula restringatur dispositio per illam vocem, *reseruata*, certum est, in prima voluisse Pontificē declarare, suæ fuisse intentionis, vt nullo modo virtute Cruciatæ Religiosos posset confessarium eligere, tam extra, quàm intra Religionem pro etiam non reseruatis, iuxta decretum Clementis Octaui super casuum reseruatione ab omnibus Regularium superioribus obseruandum, & Pauli Quinti statuentium certum, determinatumque numerum fore per Regularium superiores pro vnoquoque conuentu, seu domo determinandum confessariorum pro subditis absoluendis à non reseruatis.

16 Ex his igitur patet, nihil posse nouum istius Constitutionis Vrbani Octaui ius iuuare; etenim vltima Summi Pontificis dispositio, cùm sit clara, atque manifesta, declarari, aut restringi minimè potest ex clausula in principio eiusdem dispositionis posita; Nam quando Papæ mens non esset sufficienter declarata, certè restringenda, seu declaranda esset iuxta ea, quæ in principio ponuntur. Ita sunt intelligenda omnia Iura suprà allegata; loquuntur enim in casu, quo dispositionis verba ita sunt obscura, vt aliter intelligi nequeant, non verò quando sunt clara, & manifesta, vel quando ea, quæ disponuntur in posteriori parte legis, aduersentur ijs, quæ statuuntur in principio. Item dici potest, illa iura locum dumtaxat habere posse quo ad clausulas generales, non verò quo ad dispositiones indiuiduales, quales censendæ sunt huiusmodi Domini Papæ ita specialiter disponentis. Et profectò si indiuidualiter ita disponit, opus nō est ad iura recurrere: firma igitur remanet nostra ratio. Si igitur hæc Sanctissimi Domini Nostri Vrbani Octaui Constitutione possint Regulares, ac moniales omnes virtute Bullæ Cruciatæ confessarium eligere, etiam extra ordinem, pro mortalium non reseruatorum absolutione, iuxta sentētiam istius noui expositoris, cur non à reseruatis?

17 Hæc SS. Domini Papæ Constitutio Romæ

non fuit publicata; igitur nullius est roboris respectu Bullæ Cruciatæ, vt intelligatur quo ad articulum eligendi confessarium, & absoluendi à reseruatis derogata; ergo sicut ante virtute Cruciatæ Religiosi, atq; Religiosæ poterant confessorem eligere pro reseruatorum absolutione, possunt, & modò. Consequentia tenet; quia lex ante promulgationem non est lex; Nam de ratione eius intrinseca est, vt sufficienter promulgetur; & ideò non habet vim legis, neque effectus ante sui promulgationem, vt sentiunt *P. Suarez lib. 8. de lege fauorabili cap. 40. n. 1. & 2. Vazquez 1. 2. disp. 4. cap. 4. Medina 1. 2. q. 80. art. 4. & Sotus de iust. & iure q. 1. art. 4. lib. 1. & alij quamplures*. Quòd non fuerit publicata, patet, quia vt ipse comperi experientia, cùm Romæ fungerer Pœnitentiarij, ac Cappellani eiusdem Sanctissimi Domini Vrbani VIII. munere apud lateranum, quamplures adhibui diligentias ad hoc comparandum, ac multoties cum Procuratore fratrum Prædicatorum Prouinciarum Regni Lusitani, ad cuius instantiam huiusmodi emanauere litteræ Apostolicæ, super hoc idem sermonem habui, qui affirmauit, prædictas litteras Patribus omniũ Religionum procuratoribus nõ fuisse intimatas,
18 seu notificatas. Esto nihilominus quod Romæ publicatæ fuissent huiusmodi Apostolicæ litteræ, adhuc consequentiæ nostri argumenti sunt manifestæ; Nam in primis in opinione *P. Dianæ* nonnullorumq; Doctorum, quos statim citabimus, leges Pontificiæ ad hoc vt obligent, opus est, vt publicentur in singulis Diœcesibus, & Prouincijs. Ita *Serrarius in suis opusculis Theologicis tom. 3. disp. de legib. num. 16. & sequentib. Sà verbo lex n. 9. Solorus de potest. confessor. c. 9. qu. 5. Medin. in 2. p. quæst. 80. art. 4 dub. 1. post secundam conclusionem, & dub. vlt. conclus. 5. Angelus ver. lex num. 13. Sotus de iust. & iure lib. 1. qu. 1. art. 4. Ludouic. Carbo de legib. 3. disp 9. Corradus p. 2. q. 90. art. 4. ad secundum; P. Miranda in Manual. Prælator. tom. 2. q. 25. art. 4. conclus. 5. Victorellus in notis ad Manuel. Nauarri c. 23. nu. 40. Molin. de iust. & iure tract. 2. tom. 2. disp. disp. 395. Layman. Theolog. Moral. lib. 1. tract. 4. cap. 3. num. 3. Beccanus in summa Theologic. p. 2. tract. 3. cap. 6. num. 5. & 6. in fine*, Idem *P. Diana de legibus tract. 10. resol. 8.* & alij, quos citauimus, atque impugnauimus in nostris disputationibus pro iuris Pontificij defens. *disp. 6. q. 1. cap. 1. per totum, præsertim à num.* 4. Atqui hæc noua constitutio non est publicata, neque intimata in Hispania, eiusque Prouincijs; igitur per eam non derogatur Bullæ Cruciatæ.

19 His addo ex *Patre Diana tract. 6. de Paupertate Religiosa resol.* 1. vt hæc constitutio Pontificia deroget Cruciatam quo ad articulum eligendi cõfessarium, & absoluendi à reseruatis, opus esset, vt non solùm legi deberet, quot annis in capitulis Monasteriorum, verùm etiam exarandam, atque scribendam esse in libris quorumcunque ipsarum Religionum statutorum: ita (inquit *Diana, Ioannes Valerus verbo, munera*: At constans est, hanc constitutionem nullibi lectam fuisse, nec in libris aliorum statutorum cuiusuis Religionis exaratam, atque scriptam, vt testari potest ipsemet *P. Diana*; Igitur.

20 Et confirmatur primò; quia quando dubitatur, an lex fuerit publicata, vel vsu recepta, non obligat in conscientia: Id circò potest quis contra legis dispositionem operari, vt idemmet *Pater Diana docet tract. 10. de legibus Resol. 3. Citans Salam in 2. p. q. 21. tract. 8. disp. vnica sect. 18. nu. 169. Azorium 1. p. institut. moral lib. 2. cap. 19. quæst. 12.* Atqui modò dubitatur, an hæc Sanctissimi Domini Vrbani Constitutio sit sufficienter publicata, seu vsu recepta; Igitur possunt Religiosi tuta conscientia in opinione *Dianæ* vti Bullæ Cruciatæ quo ad articulum eligendi confessarium, & absoluendi à reseruatis.

21 Confirmatur secundò, licitum esse super aliqua lege supplicationem Summo Romano Põtifici porrigere, & interim eius suspendere obligationem, illamque minimè obseruare: ita docet *T. Diana vbi suprà Resol. 6.* ad quod statuendum adducit *Patrem Didacum Cranado in 2. p. controuers. 7. tract. 3. 1. parte disp. 7. num. 9. Malderum 2. p. qu. 80. art. 3. dub. 2. Salam de legib. disp. 13. sect. 4. nu. 20. Suar. de legib. lib. 4. cap. 16. n. 6. Villalobos in summa tom. 1. tract. 2. dub. 16. num. 6.* Ad hoc idem citari possunt omnes doctores, quos loco suprà citato allegauimus, atque reijcimus: Atqui per Regiam Catholicam Maiestatem super hac nouissima Constitutione Sanctissimi Domini Nostri Vrbani Octaui fuit supplicatum, vt in superioribus diximus; Igitur in opinione *Dianæ* non est derogata Bulla Cruciatæ ad effectum eligendi confessarium, & absoluendi à reseruatis; Ac proinde ipse *P. Diana* docere debuerat, vti posse etiã post hanc constitutionem tutè Religiosos priuilegio Cruciatæ quo ad hunc articulum.

22 Præterea nostra assertio ostendi potest optimo argumento, quo vtitur *Basilius Pons de Leone in quodam suo manuscripto de pœnit. cap. 4. dub. 2. prout citatur à Patre Fratre Aloysio à Cruce disp. 1. cap. 1. dub. 12. nu.* 14. quia Bulla Cruciatæ cùm singulis promulgetur annis, promulgatio pro sequenti anno non videtur propriè eadem cum præcedẽte, sed noua, ac diuersa, quamquam eiusdem sit Pontificis; Igitur requiritur noua declaratio etiam pro singulis annis, ad hoc vt Bulla Cruciatæ derogata censeatur pro Religiosis quo ad articulum eligendi confessarium; igitur illa non obstante, in suo semper remanet robore ac firmitate, ac subinde licitè illa vti possunt Religiosi, etiam quo ad articulum eligẽdi confessorem, & absoluendi à reseruatis. Posterior consequentia est certa prior probatur; Quia Pontificiæ declarationes, cùm suprà Bullæ Cruciatæ concessiones cedant, durare plus non possunt, quàm durat ipsa Cruciata, sed Bulla Cruciatę per vnum dumtaxat durat annum, igitur & declaratio, seu prohibitio edita à Pontifice. Deinde quia Bulla in subsequenti anno iterùm publicatur, & ex vi talis publicationis de nouo conceditur, censetur, eo ipso Summum Pontificem suam reuocare con-

constitutionem, etiam quatenùs absque vlla limitatione, seu restrictione concedit.

23 Primum antecedens, in quo esse potest difficultas, probatur; quoniam concessio Bullæ facta ab vno Pontifice etiam pro tempore suæ vitæ, multis æquiualet concessionibus, ita vt sint annuæ repetitæ concessiones. Hoc enim priuilegium, vt dictum est dumtaxat annuum est, & singulo quoq; anno finitur, & expirat, ita vt elapso promulgationis anno, quemquã tali priuilegio frui non posse, certum est, nisi sequenti promulgetur anno, & denuò Bullam sumat. Exemplum accomodatissimum habetur in iure, quoniam si in singulos annos relictum sit legatum, vel vsus fructus, censentur plura annua legata, & quolibet anno repetita, *leg. cũ in singulos ff. de ann. legat.* Idem videtur dicendum de Bulla, quæ pro pluribus conceditur annis, & quolibet finitur anno, & incipit cum noua promulgatione, vt benè inquit *Basilius loco citato*, vbi hoc confirmat exem-

24 plo ex alio casu valdè simili: Nam Sixtus V. in quadam sua Constitutione contra procurantes abortum edita, id peccati genus sibi absoluendũ reseruauit, voluitque, vt virtute Cruciatæ quis absolui nequiret: Expresse enim illi derogauit. Et nihilominus doctissimus *P. Suarez* de hoc cõsultus respondit, posse per Bullam Cruciatæ anni sequẽtis ab eo absolui peccato, cùm illud sit annuum, & nouum priuilegium, & nouo eo concesso, prima videtur derogata constitutio, cuius in nouo priuilegio nulla fiebat expressio, seu exceptio. Hoc autem consultum testatur doctissimus *Basilius* legisse, & apud se habuisse, Huic efficacissimo argumento quamuis respondere tenetur *P. Fr. Aloysius à Cruce vbi suprà*, negans, *Suarez* talis fuisse opinionis, eò quòd oppositum docuerat *tom. 4 de religion. lib. 2. cap. 16.* nihilominus argumento non satisfacit, vt legenti haud obscurè patebit. Ex his omnibus igitur rationibus, mihi ita sentiendum venit.

QVAESTIO QVINTA.

Nouis nostra hæc allata opinio illustratur rationibus ex aduersariorum desumptis fundamentis; eiusque aperitur contra nonnullos recentiores probabilitas, atque securitas: vt in praxi Regulares omnes ea tutè vti valeant.

CAPVT VLTIMVM.

SVMMARIVM.

1 *Eminentissimi Domini Cardinalis de Lugo fundamẽtum futile putat Suarez, & quare.*

2 *Bullam Sanctiss. Cruciatæ non fuisse Regularibus, concessam, vult Suarez.*

3 *Ex proprijs assertis reprobatur Diana, & Lezzana putantes, solùm pro tempore vitæ Vrbani VIII. nostram opinionem fuisse probabilem.*

4 *Assignatur discrimen inter priores Summorum Pontificum declarationes prohibentes vsum Cruciatæ Regularibus, ac Vrbani VIII. Constitutionem.*

5 *Euertitur Cardinalis fundamentum principale ex aliorum responsione, & quare.*

6 *Vita SS. D. N. Innocentij X. durante, cur probabilis censendam nostram sententiam.*

7 *Inuito Generali præposito societatis Iesu potest Presbyter eiusdem Religionis virtute Cruciatæ eligere Confessarium pro Sedi Apostolicæ reseruatorum obtinenda absolutione.*

8 *Toto vitæ Vrbani VIII. tempore cur tutè potuerint Regulares vti Bulla Cruciatæ quoad articulum eligendi confessarium pro reseruatis.*

9 *Concessio facta ex pacto oneroso non potest à Summo Romano Pontifice reuocari.*

10 *Bulla Vrbani VIII. In speculo militantis Ecclesiæ non habuit suum effectum, & quare.*

11 *Priuilegium Cruciatæ fuit ab Vrbano VIII. absque vlla limitatione concessum.*

12 *Breue Vrbani VIII. fuit mandato Regis Catholici retentum in Senatu supremo Castellæ, & supplicatum ad Romanum Pontificem.*

13 *Absolutio ab hæresi occulta an sit casus Episcopalis? Et an secundùm alios possit illa virtute Cruciatæ absolui?*

14 *Clausula derogatoria Bullæ Cœnæ derogari facultatem Bullæ Cruciatæ, docet Garzias.*

15 *Adducuntur quamplurima Doctorum, atq; qualificatorum Sanctissimæ Inquisitionis testimonia pro nostræ sententiæ probabilitate.*

VEram nostram hanc sententiam pluribus robustis validissimisque comprobatam fundamentis, quę latè hactenus expendimus, im-

1 probabilem *Eminentiss. Cardinalis de Lugo de pænit. disp. 20. sect. 9. n. 153. & 193. & Lezana tom. 3. de casib conscientiæ ad personas Ecclesiasticas vtriusque sexus spectantibus, verb. Bulla Cruciatæ. n. 29. existimauere*. Ducitur Cardinalis ex multorum Summorum Pontificum declarationibus ab eo *num. 154. & 155. relatis*, quas suprà nos dilucidè sumus interpretati: sibi persuadens potissimùm hac in re fundamentum hoc irrefragabile. Atqui nullius roboris, quinimmò futile illud putat *Suarez de Relig. tom. 2. cap. 16. num. 3. & 4.* ex quo aliorum Summorum Pontificum successorum priores minimè ligare potuerunt manus, modumque imponere, vt absque vlla valerent limitatione Bullam concedere Cruciatæ veluti nonnulli effectiuè iam concesserunt. Et quamuis ipse *Suarez* ex Bullæ Cruciatæ contextu hanc conetur responsionem impugnare, abhorret nihilominus aliorum defendendi modum, & ad alium minùs

2 verum recurrit; negando nimirum, fuisse aliquando Regularibus Bullam concessam Cruciatæ. Quem quidem modum ex eiusdem Bullæ Cruciatæ verbis suprà reprobauimus. Licet ergo hoc principale atque potissimum fundamentum, ex quo omnes aliæ efformantur rationes, (vt intuenti patet) in præcedentibus capitulis sit eneruatũ, placuit nihilominus ex eisdem præfatorum Auctorum assertis rationibus fundamenti huiusmodi ostendere vanitatem.

3 Et primò ex *Diana, & Lezana locis vbi suprà*, ibi: *Vndè esto priùs opposita sententia probabilis, videretur*;

tur; modò tamen post dictam Bullam Domini Vrbani VIII. (vt Diana in additionibus secundæ partis resolut. 9. ait) non est probabilis, nec tuta in praxi: quod (ait) intelligendum saltem venit, dum viuit idem Sanctissimus, quem Deus conseruet. Hactenus Lezana. Ex quibus sic efficacissimum efformo argumētum. Ante Vrbani Octaui Decretum, in speculo militantis, declarationibus Pontificijs prioribus, quas refert Cardinalis *suprà nu.* 154. minimè obstantibus, ita fuerat nostra probabilis sentētia, vt Regulares tutè potuerint vti Bulla Cruciatæ quo ad articulum eligendi Confessarium, saltem intrà proprium ordinem: vt *Diana cit. loc.* suprà fatetur, ab eoque à superioribus absolui reseruatis: igitur & post Decretum eadem gaudet probabilitate atque securitate. Probatur consequentia: Etenim Summorum Pontificum priora Decreta Bullæ Cruciatæ Regularibus vsum quo ad superioribus reseruata interdicentia non sunt minoris roboris, ac efficaciæ ac est decretum Vrbani; igitur veluti illa non obstant, quominus non sit nostra probabilis atque secura sententia, ita nec istud Vrbani.

4 Respondebis fortassè, negando consequentiā; quia non est par ratio de illis, ac isto: Etenim priora derogata censentur virtute concessionum aliorum Pontificum, qui de nouo Bullam concesserunt Cruciatæ: ideòque per nouā huius publicationem, illis non obstantibus, tutè quoad hunc articulum vti potuerunt Regulares Bulla ipsa Cruciatæ. Firmo verò stante Vrbani Octaui Decreto, Cruciatæ Bulla quoad hoc intelligitur derogata: ex quo desumitur discrimen inter hanc Apostolicam Constitutionem, & alias priores. Meritò igitur probabilis nonnullis doctissimis viris prior visa est sententia, nunc verò improbabilis omninò est.

5 Verùm hæc responsio non iuuat pro aduersarijs: etenim in primis eneruatur principale Cardinalis de Lugo fundamentum, quod existimat potissimum & irrefragabile. Secundò, quia præter dicta in superioribus, Capitulis, Bulla Vrbani Octaui non inficit; quia rationes quibus Doctores Salmaticenses ducuntur ad sentiendum, non obstare Clementis Octaui Constitutionem prohibentem Regularibus vsum Bullæ Cruciatæ quo ad articulum eligendi confessarium pro reseruatis, militat quoque (prout notauit *Aloysius à Cruce*) pro hac Vrbani Constitutione. Item, nostra sententia in vita Vrbani non erat probabilis ex aduersariorum mente; igitur nunc durante SS. D. N. Innocentij X. vita, quam Deus optimus maximus (enixè precor) ei longissimam ad vniuersalis Ecclesiæ vtilitatem præstare dignetur;
6 est probabilis: nullo alio sanè fundamento, nisi solo assignato; quia per nouam Pontificis concessionem omnia, quæ obstant Cruciatæ reuocata intelliguntur.

7 Præterea secundò non obstat Decretum Vrbani Octaui In speculo militantis, quominus Præsbyter (Verbi gratia) Societatis Iesu accipere inuito Præposit Generali possit Bullam Cruciatæ, & eligere cōfessarium, ab eoque à casibus reseruatis Summo Pontifici absolui: igitur non obstat, quominus absolui virtute eiusdem à peccatis Præposito Generali absolui. Antecedens non negaret Cardinalis, conceditur quippe à *Patre Aloysio à Cruce, à F. Martino à Sancto Ioseph*, alijsq; aduersarijs. Consequentia est formalis; Etenim Vrbanus Cruciatę vsum Regularibus non solùm à reseruatis superioribus interdicit, verùm etiam à reseruatis Summo Romano Pontifici: igitur veluti nō impedit Decretum Vrbani, quominus possint Bulla vti Cruciatæ quoad articulum eligendi confessarium, & ab eo à casibus Sedi Apostolica reseruatis absolui; ita quoque à superioribus reseruatis absolui possunt.

8 Tertiò principaliter, durante anno 1630. quo Vrbanus edidit Constitutionem Regularibus vsum Cruciatæ interdicentem quo ad hunc articulum, potuit quilibet Regularis tutè Bulla vti Cruciatæ pro Prælatis reseruatorum obtinenda absolutione: igitur tutè absque vllo conscientię scrupulo in subsequentibus quatuor, vel quinq; potuit annis. Antecedens patet; quia eo anno Summus Romanus Pontifex pro Bullæ Cruciatæ concessione copiosam aureorum accepit quantitatem: igitur priuilegium hoc concessum ex pacto oneroso, & per modum contractus lucratiui non potuit derogari, nisi saltem prætio restituto. *Vt Suarez lib. 8. de legib. cap. 37. nu. 5. Vazquez in opusculis cap. 6. §. 1. dub. 1. num. 15. & dub. 2. num. 33. Lessius lib. 2 cap. 33. num. 35. Salas de legib. disp. 17. sect. 14. num. 80. Ex iuristis Antonius Gabriel de iure quæsito non tollendo concl. 6 num. 5. Felinus in cap. 1. de constitutionibus num. 12. Panormit. lib. consilior consil. 3. & in cap. Peruenit de immunit. Ecclesiast. Baldus, Bartholus, & alij docent communiter.* Atqui non constat nostro Potentiss. Regi Catholico, eo anno fuisse tale pretium restitutū; igitur ex quo non potuit derogari, manet priuilegium integrum saltem pro illo anno: & consequenter Regulares, qui Bullam acceperunt Cruciatæ illa eligendi confessarium pro reseruatorū obtinenda absolutione potuerunt tutè gaudere facultate. Consequentia primi argumenti conuincitur ex assertis *à Cardinale num.* 192. ibi; *licet*
9 *concessio prima fuisset ex pacto oneroso*, & ideò eandem non potuerit, vel debuerit reuocari, vel limitari; cœterum quando post sexennium fit alia noua concessio, sicut Pontifex potest eam non concedere amplius Cruciatam, sic potest eam non concedere, nisi cum nouis limitationibus: prout eam limitauit Pius Quintus. Pactum enim onerosum præteritum habuit totum suum effectum: transacto autem tempore concessionis, cessat concessio, & eius etiam onus, & fit noua concessio cum nouo onere. Hactenus Cardinalis. Igitur durante toto reliquo illo tempore, ab anno videlicet 1630. vsq; ad completum sexennium non obstabat tale Vrbani Decretum; eò quòd nullum, firmo remanente pacto, censebatur.

10 Restat modò, vt ostendamus, nullum tale Decre-

Decretum habuisse effectum, in toto reliquo vitæ Vrbani tempore: Quod sic efficaciter demōstramus. Ab anno 1630. vsque ad annū 1636. ex paulò superiùs dictis nullum habuit, nec potuit, nec debuit tale Vrbani VIII. Decretum habere effectum; supposito pacto oneroso cum nostro Catholico Rege inito, tū ex aduersarijs, tum ex communi Doctorum sententia, quorum copiosum numerum disputatione sexta pro iuris Pontificij defensione allegauimus: igitur in suo robore, & efficacitate Bulla Cruciatæ, absque vlla prorsus limitatione existebat: ac proinde tutè absque vllo conscientiæ scrupulo Regulares omnes eam accipientes gaudere potuerant

11 facultate eligendi cōfessarium saltem intra proprium ordinem, ab eoque à peccatis suis Præpositis reseruatis absolui. Anno 1637. in quo de nouo Regi hoc priuilegium absolutè absque vlla limitatione, seu restrictione fuit ab eodem Pontifice Vrbano concessum; vt ex toto diplomate euidenter patet: igitur vsque ad vltimum vitę suę tempus non fuit reuocatum, limitatum, neque truncatum dictæ Bullæ Cruciatæ priuilegium: & consequenter Regularibus non interdictus Cruciatæ vsus quoad dictum articulum eligendi confessarium pro reseruatis. Consequentia tenet: antecedens probatur: pactum etenim ineundo cum Rege Pontifex, operæ prætium erat, vt suæ manifestaret mentis declarationem, atque dicti priuilegij limitationem, seu trūcationem: (quod quidem Cardinalis non negat, quinimmò concedit) atqui non constat de tali limitatione, seu Pontificiæ mentis declaratione in noua concessione Regi facta, neq; publicata in ipsa pacti conuentione fuit; igitur censetur priuilegium absolutè & absque vlla limitatione concessum.

12 Confirmatur, quia si à Rege fuisset hoc Cruciatæ priuilegium ita limitatum (vt contendunt aduersarij) ab Vrbano concessum acceptatum, teneretur sanè per suum Generalem Commissarium intimare, & publicare omnibus Regularibus accipientibus Bullam Cruciatæ talem limitationem, & truncationem; vt docuerunt *Sotus*, & alij: quia priuilegij limitatio, seu reuocatio debet priuilegiario intimari, ad hoc, vt suum sortiatur effectum. Atqui nunquam huiusmodi limitatio, seu reuocatio fuit publicata, quinimmò Breue huiusmodi (vt in superioribus dictū est) in supremo Castellæ Senatu de mandato Regis vt sibi præiudiciale retentum; igitur nullum habuit effectum hoc Vrbani Breue: ac proinde non obstat, quin possint Regulares veluti antea, Bulla vti Cruciatę, & eligere confessarium ad obtinendum reseruatorum absolutionis beneficium.

Quartò, ex Cardinalis argumento *num.* 162. ibi; *Quia declarationes suprapositæ prædictorum Pontificum iisdem verbis, & eodem tenore factæ sunt, sicut illa alia declaratio, qua idem Gregorius XIII. in quodam motu proprio quem ad litteram affert Emmanuel Rodriquez in additionibus ad Bullam §. 9. nu. 66. declarauit, quòd non intelligebatur concessa absolutio ab hæresi, etiam si in Bulla Cruciata, vel alijs similibus concederetur facultas absoluendi à casibus contentis in Bulla Cęnæ: & tamen propter hanc Gregorij declarationem omnes fatentur, semper debere intelligi exceptionem illam, & id certissimum esse fatetur Thomas Sanchez lib. 2. Decalogi cap. 12. n. 10. ergo propter similem declarationem sæpissimè à tot Pontificibus repetitam idem omninò in casu nostro dicendum esse*. Hactenus ille. Ex quibus verbis hanc efficacissimam sic efformo rationem. Hæc Summi Romani Pontificis declaratio (nimirum Gregorij XIII.) minimè impedit, quominus aliquis virtute Cruciatæ ab hæresi omninò occulta absolui possit; (prout nonnulli, quos citat *Aloysius à Cruce sentiunt*) igitur in nostro casu nulla erit difficultas, vt Regularis ex Cruciatę priuilegio confessarium eligere possit ad effectum absolutionis à Prælatis reseruatorum obtinendi beneficium. Probatur antecedens, quia peccatum hæresis omninò occultum ex quo Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* Episcopis determinauit esse committendam facultatem absoluendi (prout nouissimè post innumeros alios Doctores, quos citat *Sanchez loco paulò superiùs* pro Cardinale allegato, tenet *Granado* 2. 2. *controuersia* 1. *tract.* 15. *disput.* 14. *sect.* 2. *num.* 8.) est casus Episcopalis. Ita *Sanchez in oper. moral. tom.* 1. *lib.* 4 *capit.* 45. *num.* 7. Casus verò Episcopales virtute Cruciatæ, toties quoties opus fuerit, absolui possunt; igitur minimè obstat Gregorij XIII. declaratio. Consequētia patet, quia veluti hac interpretatione & intellectu non negamus hoc Cruciatæ priuilegium; ita nostra declaratione, ac interpretatione suprapositа, sanè Cardinalis negare non posset, sæpè ab eo repetitas Pontificum declarationes non impedire, vt Regulares possint absolui à reseruatis suis superioribus.

14 Item clausula derogatoria Bullæ Cœnæ Domini derogari facultatem Bullæ Cruciatæ absoluendi à casibus eiusdem Bullæ ex declaratione Clementis Octaui docet *Garzias tom.* 2. *par.* 11. *cap.* 10. *n.* 130. *Et Bleda in opusc. defens. fid. in causa Moriscor. cap.* 31. testatur duos viros Hispanos repulsos ab Episcopatu, cum examinarētur coram dicto Summo Romano Pontifice, quod dixerint in Hispania casus Bullæ Cœnæ absolui posse per Cruciatam: atqui tam Cardinalis ipse, quàm omnes alij aduersarij constantissimè tenent non obstare supradictam Clementis VIII. declarationem, quominus virtute Cruciatæ possint fideles absolui à casibus Bullæ Cœnæ; igitur cur affirmare possint tam Cardinalis, quam alijs, Summorum Pontificum declarationes vsum Cruciatæ Regularibus interdicentes obstare, vt non valeant prædicti Regulares, ac Moniales Cruciatā accipientes eligere confessarium, ab eoque absolui à culpis, & peccatis suis superioribus reseruatis? Ex his clarè & euidenter patet quam futile sit Cardinalis fundamentum.

15 Tandem nostram hanc sententiam probabilem, probabilissimam, opposita probabiliorem, piam, indulgentijs consonam, doctissimi ac sapientissimi Patres Sacri ac Sanctissimi tribunalis Inqui-

Inquisitionis Regni Siciliæ à Consultis, quibus examinandam ex nostra supplicatione Illustriss. fidei censores commiserunt, censuere. Quorum placita hic inserenda necessariò duximus. Et primò Sanctissimi Patris Nostri Dominici Doctores Sacræ Theologiæ ita censurauere. Iudicamus, esse probabilem istam opinionem, & tritam in scholis.

Fr. Ioannes Vincentius Candia Magister.

Opinatur, hanc opinionem rationabiliter à nonnullis existimari probabilem, ac totam in praxi.

Fr. Thomas Gallutio Magister, & Regens

Fr. Laurentius Berthonto Magister.

Ex nostro Minori Seraphico ordine. Iudico, esse probabilem, & in conscientia piam.

Fr. Angelus à Politio Ordinis minorum Lector Iubilatus, & Sanctiss. Inquisitionis qualificator.

Hanc opinionem, quam validis & optimis rationibus, ac robustis fundamentis Adm. Reu. Pater Iuniparus à Drepano Ordinis Minorum strictioris obseruantiæ in tractatu de Prælator iure reseruationis defendit ac tuetur, probabiliorem opposita, & in conscientia tutiorem, & indulgẽtijs fauorabiliorem, & animabus vtiliorem, iudico, & approbo.

Fr. Ioseph de Camarata Minorum obseruantium Prouinciæ P. Lector iubilatus, & Sanctiss. Inquisitionis qualificator.

Prędicta opinio, quàm Adm. Reu. P. Iuniparus à Drepano Ordinis Minorum strictioris obseruantiæ de Prælatorum Regularium iure reseruationis sustinet vt vidi, non solùm probabilis est iudicanda, sed etiam demõstratiua censenda, eo modo, quo in talibus potest cadere demonstratio, nec sano iudicio opposita potest defendi.

Fr. Gregorius à Cetara Ordinis Minor. obseruantium Prouinciæ Principatus in Conuentu S. Mariæ Angel. Ciuitatis Panormi Lector Generalis.

Supradictam P. Fr. Iunipari à Drepano nostræ Religionis Theologi, & olim in Sacra Lateranẽsi Pœnitentiaria D. Papæ pœnitentiarij, ac Capellani opinionem probabilem, tutam, & in praxi inoffenso pede practicabilẽ iudico, & post tot viros censeo. In Conuentu nostro Sancti Antonini Panormi die 16. Nouembris 1643.

Fr. Sanctorus de Melphi eiusdem Pœnitentiariæ iam Præses, & Prouincijs Vallis Mazzariæ Ordinis Minorum de obseruantia Reformatorum Comm Visitator.

Ex nostris Doctissimis sapientissimisque Patribus Conuentualibus.

Fr. Gaspar Sghemba Theologus Ordinis Minorum.

Vt magis probabilem in conscientia tutam, & indulgentijs consona. Hic Sapientissimus Pater multa luculenter scripsit, ac scribit; præsertim de futuris contingentibus.

Opinio hæc multis, & grauissimis Authoribus probatur. Fr Bonauentura Milo Conuentualis Regens Panormi. Prædictam opinionem satis piam, & probabilem existimo. *Fr. Hyeronimus Sghemma Concilis Reges Panormi.*

Ex Patribus nostris Capuccinis.

Existimo hanc opinionem probabilem ac rationabilem. *Fr. Ludouicus à Panormo Capuccinus Lector Theologiæ, & casuum, & Sanctissimæ Inquisitionis qualificator.*

Probabilem prædictam opinionem reputaui semper: eamque doceri posse in scholis, sancta Bulla Cruciatæ. *Fr. Thomas à Panormo Sac. Theolog. Lector, & SS. Inquisitionis qualificator.*

Ex nostris Patribus Tertij Ordinis.

Existimo hanc etiam opinionem rationabiliter à nonnullis probabilem censeri. *Fr. Ioannes Alberghini Sac. Theolog. Doctor, & Sanctissimæ Inquisitionis qualificator.*

Iudico, hanc opinionem probabilem, & tritam in scholis. *Fr. Franciscus Calona Sac. Theol. Doctor, & SS. Inquisitionis qualificator.*

Censeo hanc opinionem esse probabilem, & piam. *Fr. Petrus Margana Sac. Theolog. Doctor, & Regens Panormi.*

Ex patribus Carmelitis, & Augustinianis.

Ego Magister Benedictus Calandra Sac. Theol. Doctor, & Conuentus Carmelitarum Panormi Regens supradictam opinionem affirmatiuam probabilem censeo.

Ego Magister Fr. Marcellus à Castro Ioanne ordinis Sancti Augustini assero, supradictam opinionem esse probabilem.

Hæc omnia tot, tantorumque Doctorum Patrum approbationes, & iudicia adduximus, non solùm ad nostræ sententiæ probabilitate illustrãdam, verùm quoque ad aperiendum, quàm inconsideratè nouitatis censuram Pater Petrus à Salerno Societatis Iesu, cui hoc opus approbandum fuerat commissum, huic sententiæ tribuit. Et sanè quamplures doctissimi sapientissimique Patres eiusdem Illustriss. ac inclytæ Societatis Iesu, si eis liceret, nec essent suis constitutionibus impediti, se subscriberẽt: cum ijdem nobis enixè persuaserint, vt eammet opinionem typis mandaremus tanquam cunctis Regularibus quammaximè necessariam: quorum nomina bonis ducti rationibus subticemus.

QVAESTIO SEXTA.

Vtrum tacita Prælatorum licentia satis sit, vt Religiosus Bullam possit sumere Cruciatæ, ad effectum eligendi confessarium, & absoluendi à reseruatis?

CAPVT VNICVM.

Tacitam Prælatorum licentiam satis esse ostenditur, & quomodo.

SVMMARIVM.

1 *De superiorum venia, omnes Regulares Bullam possunt sumere Cruciatæ, ad effectum eligendi confessarium, & gratia absolutionis obtinendæ.*

2 *Licentia tacita non satis est.*

3 *Licentia tacita sufficit ad hoc, vt Religiosi possint accipere Bullam Cruciatæ, ad effectum eligendi con-*

confessarium pro reseruatorum obtinenda absolutione.

4 *Consensus tacitus dat iurisdictionem.*

5 *Consuetudo omnium Religionum, quæ fit circa Bullæ Cruciatæ acceptionem.*

6 *Regulares, de solo tacito superiorum consensu, extra tempus quadragesimæ, virtute Cruciatæ, vescuntur ouis, & lacticinijs.*

7 *Tacitus consensus explicito æquiualet.*

8 *Nouitij Omniũ ordinum possunt vti priuilegio Bullæ Cruciatæ, absque superiorum licentia, etiam quo ad articulum eligendi confessarium pro reseruatorum obtinenda absolutione.*

9 *Nouitij, absque vllo superiorum præiudicio, vti possunt Bulla Cruciatæ, sine eorum beneplacito.*

10 *Nouitij à quocunque maluerint absolui possunt confessario approbato à reseruatis, etiam si ab ipsis careat auctoritate absoluendi.*

11 *Prælati Regularium iure priuilegiorum Nouitios absoluere possunt à censuris, & votis Papæ reseruatis.*

12 *Per solùm religionis ingressum omnia Nouitiorum vota censentur commutata.*

13 *Prælati Regularium an possint sibi respectu Nouitiorum reseruare casus; ita vt ipsis tantùm congruum sit eos ab eisdem absoluere?*

14 *Prælati Regularium non possunt coercere Nouitios ne priuilegijs à Summo Pontifice concessis vtantur.*

15 *Nouitij an sint verè Religiosi?*

16 *Prælati Regulares aliquando debent Nouitijs præbere facultatem mutandi Confessarium; & quare.*

1 CONstantissimum est apud omnes, & absque vlla controuersia, de superiorum licentia posse omnes cuiusuis ordinis Religiosos Bullam sumere Cruciatæ ad effectum eligendi confessarium, & absoluendi à reseruatis. Quòd enim vertitur in dubium est, an requiratur expressa superiorum licentia, vel tacita sufficiat? In qua difficultate *P. Aloysius à Cruce in exposit. Bullæ Cruciatæ disp. 1. cap. 1. dub. 13.* respondit, requiri Prælatorum facultatem expressam, ita vt tacita non satis sit, ad hoc vt Religiosi, ad hunc effectum, possint sumere Bullam Cruciatæ. Putat autem suam probare sententiam, eò quòd Leo X. id exprimit, quod & alij fecerunt Pontifices; tum etiam quia sic deducitur ex Sanctiss. D. Vrbani Octaui Constitutione suprà allegata, quatenus in illa statuit, vt Regulares teneantur suorum dispositioni stare Prælatorum quo ad sibi reseruata: vndè colligit non sufficere Prælatorum tacitam veniam, sed requiri necessariò expressam.

3 Verùm hæc sententia mihi minimè probatur. Veriùs igitur tenendum est, posse, ex tacita Prælatorum licentia, Regulares eligere cõfessarium, ad effectum, vt absoluantur à reseruatis virtute Cruciatæ. Ita tenet expressè *Henriquez lib. 7. de indulgentijs cap. 22. n. 4. Rodriquez in exposit. Bullæ Cruciatæ §. 9. num. 25. Ioannes à Cruce de statu Religionis, Sancius in Selectis, Basilius Pontius de Leone, Ruiz Mandez locis suprà citatis, & nouissimè Trullench in exposit. Bullæ Cruciatæ lib. 1. §. 7. c. 1. dub. 9. numer. 28. vers. nota* Denique, consentire videtur *Aloysius à Cruce vbi suprà*, dum hanc nostram sententiam putat probabilem, atque piam. Probari potest primò, eò quòd licèt sæpè contingat, expressam non habere Regulares suorum Prælatorum facultatem, dum nec ab eis explicitè datur, nec à subditis explicitè petitur, vt est communis in his Hispaniarum Prouincijs Religionũ vsus; habent nihilominus ad id tacitam superiorum veniam, quatenùs permittũt, & volunt suos sumere subditos Bullã Cruciatæ: atqui qui tacet, seu non impedit, cùm potest, consentire videtur;

4 vt habetur ex Regulis à Iuristis communiter traditis: tacitus autem consensus dat iurisdictionem, vt docuit *Nauarrus in cap. placuit de pœnit. dist. 6. n. 96.* & consuetudo dat iurisdictionem, ex *Nauarro cap. 27. num. 255.* & habetur *ex cap. final.* si duo cũ *Glossa de officio ordinarij*, & quamplures alij apud *Aegidium Trullench in decalog. lib. 1. cap. 7. dub. 11. vers. 2. sequitur*: sed sic est, quòd in multis Reli-

5 gionibus, etiam Mendicantibus, quinimmò & in omnibus, vident Prælati subditos, absque ab eis impetrata licentia, Bullam sumere, ad effectum absolutionis à reseruatis obtinendæ; & hanc esse vniuersalem suarum Religionum consuetudinẽ: imò vidi in nonnullis Prouincijs nostrorum discalceatorum superiores ipsos pro singulis sui cõuentus Religiosis Bullas singulas procurare Cruciatæ; ergo ex tali consuetudine, & tacito consensu, licitè possunt Regulares vti Bulla ad prædictum effectum, absque suorum Prælatorum expressa licentia.

6 Secundò probatur, quia si tacita non satis esset superiorum licentia, esset hoc maximè, quia per Leonem X. aliosque Summos Romanos Pontifices, id Regularibus interdicitur: sed hoc non obstat, ad hoc, vt Regulares, de solùm tacita Prælatorum licentia, vti possint Cruciata; Igitur. Minor patet, quia nõ solùm Regulares fuerunt prohibiti à Leone X. Bullæ vsu ad prædictum effectum, sed etiam ad vescendum cibis vetitis, vt habetur in compendio priuilegiorum Mendicantium, titulo, Cruciata, in fine, & titulo, absolutio quo ad fratres §. 21. sed hoc non obstante, ex Prælatorum tacito consensu, vt consuetudo ipsa demonstrat, vti possunt, & de facto vtuntur prædicti Regulares Bulla ad cibos prohibitos; igitur non obstat Leonis Decimi constitutio, quin ex eodem tacito consensu, vel introducta consuetudine, vti possint priuilegio pro à reseruatis absolutione.

7 Neque obstat, si dicas in *cap. si Episcopus, de pœnitentia, & remissione* habetur, nulla consuetudine introduci posse, vt quis pro sua libertate eligat confessarium. Non obstat profectò, quia prædicti Regulares, dum ex suorum tacito consensu Prælatorum id videntium, & non prohibentium, prædictæ Bullæ vtuntur priuilegio, iam non ex suo arbitratu absolutè, sed ex tacita suorum Prælatorum voluntate, eligunt confessarium: Tacitus autem consensus explicito æquiualet, vt cũ multis doctis. *P. Suar. de legib. lib. 8. docet*; igitur.

8 Solet

8 Solet autem hìc quæri, an Nouitij cuiuscunq; Religionis possint, absque Prælatorum licentia tacita, vel expressa, sumere Bullam Cruciatæ ad effectum eligendi confessarium, & absoluendi à reseruatis? Ad quam difficultatem respondent nonnulli recentiores, non posse. Ita *Cordub. lib. 1. q. 30. & Collector Priuilegior. Mendicantium verbo, absolutio quo ad fratres §. 4. dub. 2. & Passerellus in compendio Minimorum tit. notandū Priuilegia §. 15.* Nihilominus his non obstantibus, dicendum est, constantissimè, posse absque vlla licentia tacita, vel expressa, Nouitios vti priuilegio Bullæ Cruciatæ, ad prædictum effectum absolutionis à reseruatis obtinendæ. Ita *P. Suarez tom. 4. de Religione c. 16. n. 10. P. Fr. Aloysius à Cruce in exposit. Bullæ Cruciatæ disp. 1. cap. 1. dub. vlt. Henriquez lib. 7. de indulgentiis cap. 21. Rodriquez in Bulla Cruciatæ §. 4 n. 27. & tom. 1. quæstionum Regularium quæst. 21. art. 11. & Lopez in summa lib. 1. cap. 27. & nouissimè Aegidius Trullench. vbi suprà, P. Diana tract. 11. de Bulla Cruciatæ Resol. 15. Ledesma in summa tom. 1. tract. de pænit. cap. 13. dub. 14. Fernandez in exam. Theolog. Moral. p. 3. cap. 9. §. 8. nu. 9. & alij.* Ratio esse potest, tum quia nouitij, ex quoad Regulæ præcepta non tenentur, nec sub lethali obedire Prælatis; non videtur, quòd adstringi possint, vt non valeant Bullam sumere Cruciatæ, eiusq; indistinctè gaudere facultatibus, etiam quo ad articulum absoluendi à reseruatis, etiam sedi Apostolicæ. Antecedens, absque vlla controuersia, admittitur ab omnibus Doctoribus, prout cum *Syluestro verbo, Nouitius. 5. quæsit. 6. Rosel. eodem v. §. vltimò, Angel. ibid. §. 18. Soto de iust. & iur. lib. 7. q. 2. art. 1.* adnotauit *Aloysius à Cruce in expositione Bullæ Cruciatæ disp. 1. cap. 1. dub. vltimo nu. 2.* Consequentia patet, eò quòd multò grauius esset, illos ad Bullā non gaudendum pro à reseruatis absolutione adstringere, quàm alia Regulæ adseruanda præcepta, ergo ad id obligari non possunt, cùm eadem sit vtriusque ratio.

9 Tum quia, si Bulla nouitij vti non possint Cruciatæ quo ad articulum eligendi confessarium, & absoluendi à reseruatis, & absque superiorum licentia expressa, vel tacita, esset quammaximè, quia afferretur superioribus præiudicium, vt falsò docuere aduersarij in præcedentibus: Atqui respectu Nouitiorum cùm nullum sit superioribus reseruatum peccatum; igitur ex vsu Bullæ Cruciatæ, ex quo nouitij illa vti possunt, nullum eis sequitur præiudicium. Maior. & consequentia sunt notæ. Minor est de se certa, vt docent *Emmanuel Sa verbo, casus, Rodriquez tom. 1. qq. Regularium q. 22. art. 11. Portel in dub. Regular. verbo Nouitij absolutio n. 24. Coriolanus de casib. reseruatis p. 1. sect. 3. art. 14.*

10 Vndè infertur, quod Nouitius intra ordinem à casibus reseruatis absolui potest à quocunque approbato confessario authoritatem pro à reseruatis absoluendo non habente, quia Nouitius non subiacet reseruationi.

Sed dices, Religionum Prælatis iure priuilegiorum concessa est dumtaxat facultas absoluēdi Nouitios, vt constat ex compendio priuilegiorum Mendicantium *tit. Absolutio ordinaria quo ad fratres §. 4.* vbi dicitur, quòd Minister Generalis, & Prouincialis, eorum vicem gerentes, ac custodes eos nouitios absoluere possint, atque cum eis dispensare; ergo alijs præter istos non vide-
11 tur concessa facultas eos absoluendi. Respondeo, superioribus ordinis cuiusuis, vtique verum esse, iure priuilegiorum concessam esse facultatē absoluendi Nouitios à censuris, & votis Papæ reseruatis; ne nouitij his vinculis innodati, occasione quærendi absolutionem, vel dispensationem Pontificis, à perseuerantia in Religione impediantur. Ita *Pater Corduba lib. 1. q. 30.* Verùm hæc responsio non placet *P. Aloysio a Cruce*, quia
12 (vt ipse ait) per se loquendo, nullum votum est, quod sufficienter per Religionis ingressum non commutetur: quod si votum fuisset de strictiori Religione, etiam per Mendicantium priuilegia sufficienter satisfit voto in illarum quamlibet ingrediēdo, & in quamcunque aliam Religionem, quæ mendicantium communicet priuilegijs. Vndè ad argumentum respondet, per priuilegia verè ibi esse concessam facultatem superioribus Nouitios absoluendi à peccatis non autem ex eo sequitur, quòd Nouitij, ratione specialis priuilegij, cuiusmodi est Bulla Cruciatæ, non possint absolui à reseruatis ab alijs, quàm ab ipsis Prælatis assignatis.

13 Neque obstat, si dicas; qui potest absoluere, potest ligare, & è conuerso; cùm ligare, & absoluere sacramentaliter eiusdem sit potestatis, ex *cap. si Petrus 24. q. 1. & cap. inferior, dist. 21. & ex leg. quo condemnare ff de re iudicat. & ex leg. nemo l. a prima ff. de reg. iur.* Atqui Religionum Prælati à peccatis absoluere valent nouitios, Igitur & ligare: & consequenter coercere, dum in Monasterio manent, & in disciplina perseuerant Regulari: Igitur non possunt absolui per alios confessarios, præter ab eisdem Prælatis assignatos: non obstat profectò, quia licèt Prælatus possit quandiù manet in Religione ligare nouitium ad non vtendum priuilegijs ab alio inferiore dimanantibus Prælato; non valet nihilominus illum coer-
14 cere, ne Priuilegijs à Summo concessis Pontifice vtatur; tum quia regulariter loquendo, non potest Prælatis per se dumtaxat alios Religiosos prohibere priuilegiorum a Summis Pontificibus concessorum vsu; non enim inferior respectu superioris, etiam in priuilegiorum vsum, aliquam habere potest facultatem; tum quia priuilegia habent cuiuscunque prohibitionis clausulam derogatoriam præsertim Bulla Cruciatæ.

15 Tandem probatur principaliter quia nisi possent nouitij Bulla vti Cruciatæ, ad effectum eligendi confessarium, & à reseruatis absoluendi, quam maximè esset, quia vsus Cruciatæ in vniuersum est Religiosis interdictus, vt voluere Doctores in proxima quæst. citati, quos ibi impugnauimus: Atqui si talis vsus Cruciatæ esset verè Religiosis prohibitus, vt falsò allegati Doctores volunt, esset vtique Religiosis, qui sunt verè

Reli-

Religiosi: At nouitij non sunt verè Religiosi, vt communiter docent *Syluester v. Religio 5. quæsit. 9. 10. & 12. Rosell. ver. Nouitius §.12.tom. 1. quæstionum Regular.q.21.art. 11. P. Portel, Coriolanus, & Aloysius a Cruce locis citatis*, & constat *ex capitulo, Religiosi de sent.excomm. in 6.* vbi non interdicitur Nouitijs condere testamentum, neque illud (vt eleganter docet *Couarr. cap. 12. de testament.num. 4.*) reuocare: & deducitur *ex Trident. sess. 25. de Regul. cap. 16.* nec puniri potest à Prælato perpetuo carcere, etiam si sit delictum atrocissimum, vt inquit *Coriolan. loco vbi supra, & Pater Aloysius a Cruce loco citato*, vbi falsò citat *Syluestrum, & Rosell.* & Ratio ipsa id manifestè demonstrat, quia nouitij cùm ante probationis annum impletum tria Religionis essentialia non emiserint vota, quæ sunt necessaria ad constituendum verum Religiosum, manifestè sequitur ipsos minimè esse veros Religiosos; Igitur Cruciatæ Bullæ vsus, etiam quoad eligendi confessarium articulum, ac à reseruatis absoluendi, non est eis interdictus, neque interdici potest à Religionum Præfectis.

16 Tandem pro complemento huius quæstionis, consulerem Prælatis omnium ordinum cum *Coriolano*, vt aliquando nouitijs præberent facultatem mutandi confessarium, vt puriori conscientia ad Eucharistiæ Sacramentum accedant, quo certè optimè facere poterunt, si tempore alicuius festi, vel in alijs diebus ad communionem deputatis, ipsi Prælati consultò, & superiores domus, seu Magistri nouitiorum in aliud eant Monasterium. Maximum esset hoc profectò Concilij Tridentini dispositioni consonum: Nam si Monialibus datur confessarius extraordinarius, vt pluries in anno possint facilius suas expiare conscientias; cur id nouitijs concedere non liceat? Melius quippe esset hoc illis præstare, quàm quòd sæpè confessiones faciant inualidas, & non integras, propter timorem, quem de suo habent superiore, vel Magistro: eò quòd existimant, quòd professionis tempore eis sit negaturus suffragium. Id etiam obseruare debent pro Religiosis nouiter professis, dum sub Magistrorum directione manent. Est enim salubre consilium, quia maximè hoc conduceret, non solùm pro reseruatis occultis, si quod aliquod haberent, verùm quoque & pro alijs culpis. Multoties enim, tum pro maxima verecundia, tum ob timorem, quem de suo concipiunt Magistro, non integrè sua confitentur peccata: sicut experientia compertum est.

PARS SECVNDA SECVNDÆ PARTIS.

De peccatorum indirecta reseruatorum absolutione.

IN huius tractationis prima secundæ partis de peccatorum directa absolutione egimus reseruatorum: superest tractandum de iisdem quatenus indirectè absoluuntur. Quæ quidem absolutio fieri contingit in casibus, in quibus confessio aut superiori fit, aut eius habenti auctoritatem: Absolutio nihilominus cùm directè in ipsam culpam non cadat reseruatam; dicendum est, quibus modis, & quonam pacto huiusmodi peccatorum reseruatio indirectè tolli potest, & absolutio quoque in obliquo præstari: atque difficultates, & dubia, quæ hac in materia insurgunt, à nobis hìc veniunt examinanda, atque resoluenda. Quoniam verò quamplura ex absolutione virtute magni iubilæi præstita specialiter insurgunt hoc in loco pertractanda dubia præsentē in hac tractatus parte existimauimus examinare disputationem, vt difficultates, quæ ex eius oriuntur resolutione, ob continuationem, faciliùs percipiantur. Erat profectò tractanda in prima parte.

DISPVTATIO PRIMA.

De facultate absoluendi à peccatis superioribus reseruatis subditis concessa Religiosis tempore Iubilæi.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum Religiosi tempore magni Iubilæi possint eligere confessarium, etiam extra ordinem, quem maluerint tam ex Regularibus quam ex sæcularibus presbyteris, absque suorum superiorum licentia?

CAPVT VNICVM.

Vera *Nauarri* opinio proponitur sequenda.

SVMMARIVM.

1 *Virtute magni iubilæi non posse Regulares eligere quem maluerint confessarium pro obtinenda à reseruatis absolutione, qui doceant.*

2 *Regulares omnes, ac moniales cuiuscunque Ordinis, tam Mendicantium, quàm nō Mendicantium, tempore Magni Iubilæi eligere valent confessarium, tam sæcularem, quàm Regularem pro reseruatorum absolutione.*

3 *Populo Christiano quammaximè necessarium est, vt aliquando committatur facultas alijs confitendi, quàm ordinarijs confessarijs.*

4 *Adducitur decisio Eminentissimorum Cardinalium Sacri Concilij Tridentini determinans, posse Regulares virtute Iubilæi eligere confessarium, tam sæcularē, quàm Regularē ex approbatis ab Ordinario.*

5 *Tempore Iubilæi potest eligi in confessarium à Religioso quilibet presbyter Regularis à suo proprio Prælato approbatus.*

6 *Potest Regularis alium Regularem cuiuscunque Ordinis virtute Iubilæi in confessarium eligere, & ab eo absolui, etiam si non sit à superiore suo approbatus, si tamen licentiam habeat ab Episcopo loci audiendi Christi fidelium confessiones.*

1 TEmpore magni iubilæi (voco magnum iubilæum illum, quod à Summis Pontificibus toti conceditur Ecclesiæ pro publicis necessitatibus, maximè quando primò eliguntur) non posse Religiosos sibi, quem maluerint, eligere confessarium pro reseruatorum absolutione, nisi id expressè habeatur, sentit Capuccinus ad compēdium primæ partis in resolutionibus de materia absolutionum §. hinc recentiores: & consentire etiam videtur *P. Suarez to. 4. de Rel. lib. 2. c. 16. n. 7.*

2 Nihilominus constanter tenendum esse doceo, posse Regulares omnes, ac Moniales cuiusuis ordinis tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, tempore Magni iubilæi eligere sibi cōfessarium, quem maluerint, tam sæcularē, quàm Regularem pro reseruatorum absolutione. Ita *Nauarr. lib. 5. consilior. tit. de pænit. & remiss. consil. 19. Coriolanus de casib. reser. p. 1. sect. 3. art. 13. Portel in dub. Regul. pluribus in locis, præsertim verbo*, con-

confessor erga fratres, & verbo, confessoris approbatio in additione n.4.& ver.confessor pro Iubilæo vers. oppositum tenet *Nauarrus Corduba in Annotat. ad compendium Mendicantium verbo, Cruciata, & super Regulam Diui P. Nostri Francisci cap. 7. quæst. 3.* etiam si in suis Iubilæis Summi Romani Pontifices clarè & expressè id non explicent, veluti fecerunt nonnulli recentiores; nimirum, Sixtus V. Gregorius XIV. Clemens Octauus, Paulus V. Gregorius XV. & Sanctissimus Dominus noster Vrbanus Octauus, qui hodie viuit, & felix regnat in Diui Petri Sede in nonnullis generalibus huc vsque promulgatis iubilæis. Hæc nostra sententia nonnullis potest probari rationibus; & primò, quia lex, per quam redditur ad ius antiquum, est fauorabilis, & amplianda, quia res facilè ad suam antiquam redit naturam *cap. ab exordio dist. 35. Felin. conf. 1. n. 1. Couarruuias in cap. Alma mater 2. p. §. 4. in fine, Glossa celebris in cap. statutum verbo numerandum de præbendis in 6. Tiraquellus de primogenijs q. 24. n. 6. & de retract. in præfat. n. 58. & de pænis temperand. causa 51. nu. 18. Palatius in repetitione cap. 8. nu. 5. & sequentib. Acunna in 1. p. decreti dicto cap. ab exordio in vers. postquàm n. 2.* Igitur cùm secundùm iura antiqua quilibet Christianus possit cuilibet sæculari confiteri presbytero, ad quem morem concessio ista generalis Iubilæi facit adire subditos; sequitur, quòd est concessio fauorabilis, & amplianda: ita vt in omnibus vtriusque sexus Regularibus locum obtineat.

3 Secundò, quia vtile est, quinimò (moraliter loquendo) & necessarium populo Christiano, vt aliquando detur facultas alijs confitendi, quàm ordinarijs confessarius: Vndè Tridentinum concilium *sess. 25. de Regular. cap. 10.* iubet, vt Monialibus bis, terue in anno extraordinarij offerantur confessores: cùm igitur in iubilæis Summi Romani Pontifices maiorem ostendant liberalitatē, quàm in alijs concessionibus & ijdem eligendi cōfessorem præstent veniam; videtur, quòd, licèt non exprimant, id tamen etiam Regularibus, ac monialibus concedant. His connecto, quod ferè in omnibus Iubilæis Summi Pontifices verba ponunt id clarè, vel virtute sonantia, vt *P. Portel loco cit. testatur*. Præterea tertiò probari potest, quòd hæc sit expressa Sum. Pontificis mens, quàmquā eam non explicent, quia solent in Bullis hæc, aut similia apponere verba; Summ. Pontificum prædecessorum inhærentes vestigijs, ex quibus deducitur mens, quod id quoq; vellet facere, seu præstare, quòd prædecessores concesserunt. Atqui prędecessores ita expressè concesserunt, vt experientia compertū est; Igitur &c. & eò magis, quia non sequuntur illa incommoda, quæ sequerētur in alijs perpetuis priuilegijs, ex quibus ductus *Suarez loco, quo sup.* cum alijs, negauit, Religiosos vti posse Cruciatæ priuilegio, ad effectum eligendi confessarium; quia cùm pro vna tantum vice, & rarò, & ex grauissimis causis, putà propter aliquod solemne iubilæum, concedatur talis facultas; non solùm sine præiudicio Religionum, sed etiam cum fructu, potest interdum fieri, quinimò conducit id concedi, ad subueniendum omni personarum generi, & vni, vel alteri, qui fortassè ob nimiam verecundiam, aut prauam consuetudinem oneratam habent conscientiam.

4 Tandem probatur ex quadam Eminent. Cardinalium Sacræ Congregationis Concilij Trid. super hoc negotio interrogatorum, an nimirum tēpore iubilei concessi cum facultate, vt pœnitētes possint sibi eligere confessarium quemcunq; siue Regularem; siue sæcularem, à quo possint absolui &c. an scilicet virtute dictarum litterarū Apostolicarum, Religiosi confiteri possint sæcularibus sua peccata presbyteris approbatis ab Episcopo loci, & ab eis absolui, cùm ipsi Regulares ordinario non sint subiecti? die 15. Decembris 1580. Eminentiss. DD. responderunt; *Congregatio Concilij pro maiori parte sensit pro negatiua: dixit tamen dubium referendum esse Sanctissimo D. qui posteà die 19. Decemb. 1591. respondit in consistorio, tempore iubilæi posse omnes Regulares confiteri peccata sua sacerdotibus etiam sæcularibus approbatis ab ordinario ad audiendas confessiones; Nam in Bulla non fit mentio, nisi de ordinario eorum, qui audiunt confessiones, non autem de ordinario pænitentiū.* Quibus verbis clarè indicat Pontifex Maximus posse virtute iubilæi Religiosos Religiosasq; eligere sacerdotem sæcularem ab Episcopo ipsius met sacerdotis approbatum: tunc enim eligitur confessor approbatus ab Episcopo ipsius Clerici electi; neque tenebuntur Religiosi, aut Religiosæ eligere confessarium Regularem ordinis approbatum à suo Prælato Regulari, qui est superior ipsius Religiosi, seu ouis pœnitentis.

5 Ex quibus infero, posse Religiosum tempore iubilæi eligere confessorem Regularem cuiussuis ordinis, quem maluerit, ex approbatis à superiore ipsiusmet electi confessarij. Sic indicant illa verba; *nisi de ordinario eorum, qui audituri sunt confessiones.* Ordinarij autem Regularium quoad Religiosos, quorum excipiunt confessiones, sunt eorum Prælati; igitur satis est istorum approbatio. Ratio est, quia lex generaliter loquens, generaliter intelligenda est. Argumento *ex cap. si Euangelica dist. 55. & l. non distinguemus ff. de recept. Arbitr. l. 1. §. Generaliter ff. de legat. præstandis l. de pretio ff. de publicana in rem actione, & ibi Glossa, & Glossa in d. cap. si euangelica in ver. excepisse, citans capitulum, consuluisti 2. q. 5.* cùm igitur in vniuersū de ordinario sacerdotis electi in confessorem loquatur, illius dumtaxat necessaria est approbatio, ac subinde nulla alia requiritur; Nam tunc censetur talis sacerdos sic electus approbatus à Sum. Rom. Pontifice. Item certum est, posse Religiosum intra ordinem sibi eligere quemcunq; maluerit sacerdotem approbatum à suo superiore, absque eo, quòd sit ab episcopo illius loci, in quo degit; igitur certum est, posse alium Regularem, dummodò sit approbatus à suo superiore, in cōfessarium eligere, & ab eo absolui à reseruatis.

6 Hinc infero vlterius, posse Regularem eligere alium Regularem cuiuscunque ordinis, virtute iubilæi in confessarium, & ab eo absolui, etiam

si non sit approbatus à suo superiore, dummodo sit iuxta Concil. Trid. ab Episcopo loci approbatus; Ratio est, quia in hoc casu existimatur tāquā si esset sæcularis presbyter, atqui, virtute Iubilæi, sæcularis presbyter ad hoc, vt possit eligi, satis est, quod sit ab Episcopo approbatus; Igitur & Regularis. Hoc autem limito, dummodò talis Regularis sit de se expositus ad quorumcūque excipiendas confessiones; quia tunc pœnitens (iuxta opinionem probabilem) excusatur, ex quo talis Regularis absq; sui superioris licentia, sic confessiones audiendo peccat, quia non cooperatur ad eius peccatum.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum, virtute alicuius indulgentiæ per modum Iubilæi concessæ, possit Religiosus eligere quemcunq; maluerit confessarium pro reseruatorum absolutione?

CAPVT PRIMVM.

Declaratur discrimen inter indulgentiam plenariam, & indulgentiam per modum iubilæi concessam.

SVMMARIVM.

1 *Inter indulgentiam plenariam, & plenissimam nullum discrimen esse cognoscit Author.*

2 *Plenariam indulgentiam discriminari à pleniori, docet, & probant Nauarrus, & alij.*

3 *Iubilæus differt ab indulgentia plenaria, pleniore, & plenissima; eò quòd suprà indulgentiam addit facultatem commutandi vota, & eligendi confessarium.*

4 *Indulgentia concessa per modum Iubilæi an præstet facultatem vota commutandi, & absoluendi à reseruatis?*

1 INdulgentia plenaria aliquando dici solet plenior, quandoq; verò plenissima, solùm amplificationis gratia; nullum enim inter plenam, pleniorem, & plenissimam cognoscimus discrimen. Ita *Graffius in appendice lib. 2. cap. 1. num. 2. Toletus lib. 6. cap. 24. num. 2. Valentia tom. 4. disput. 7. quæst. 20. punct. 3. versiculo primi generis, Cardinal. Belarminus lib. 1. de indulgent. cap. 9. Conich. disput. 21. num. 5. ad finem, Sotus in 4. dist. 21. Bonacin. de indulgentijs disp. 6. quæst. 1. punct. 2. propos. vnica num. 5. Aloysius à Cruce in exposit. Bullæ Cruciatæ disput. 1. cap. 8. dub. 1. conclus. 1. num. 5.* vbi pluribus rationibus id latè ostendit, & alij quamplures moderniores.

2 Verùm *Reginaldus lib. 7. cap. 13. sect. 2. & Nauarrus in comment. de indulgentijs*, notabili nono, existimant, indulgentiam plenariam differre à pleniore, & istam à plenissima, in hoc, quòd plena dicitur, qua tota peccatis confessis relaxatur pœna; plenior vera qua tota pœna debita tum peccatis omnibus confessis, tum etiam mortalibus in confessione oblitis obliuione, quæ non impedierit (hoc est, non peccaminosa) eorum, deletionem: plenissima denique, quæ totam pœnam peccatis debitis tam confessis, quam oblitis, tamque mortalibus delet. Ratio autem sic distinguendi inter se plenam, pleniorem, & plenissimam indulgentiam esse potest; quia in extrauagantis communis de pœnitentia, & Remissione verbis hęc differentia contineri videtur, verba autem sunt: *non modò plenam, & largiorem, immò plenissimam omnium suorum concedimus veniam delictorum.* Hæc enim indicant Pontificis mentem esse, maius aliquid concedere, quàm simpliciter plenam, concedendo indulgentiam: Atqui hoc discrimen est voluntarium; Nam ex Summi Pontificis allegatis verbis non colligitur illa differentia, quam excogitarunt *Nauarrus, & Reginaldus*; Nam illa reduplicatio solùm indicat quandam amplificationem, seu quandam emphasym denotantē animum Pontificis illum esse, vt vellet sua Pontificia auctoritate concedere indulgentiam eo modo, quo poterat, vt paulo superiùs allegati Doctores ostendunt.

3 Iubilæus autem in eo discriminatur ab indulgentia plenaria, pleniore, & plenissima, quia suprà indulgentiam addit facultatem vota commutandi, eligendique confessarium pro casibus absoluendis reseruatis. Ita *Corduh. lib. 5. de indulgentijs quæst. 9. & 11. Toletus vbi suprà cap. 24. num. 6. Reginaldus loco citato num. 146. Bonacin. Graffius vbi suprà, Nugnus in additionibus quæst. 25. art. 2. diff. 2. concl. 3. Canus, Victoria*, & alij quamplures apud ipsum.

4 Hinc colligo differentiam inter indulgentiam plenariam, & inter indulgentiam plenariam concessam per modum iubilæi; Nam ista, ex vi talis particulæ indulgentiæ additæ, concedit facultatē absoluendi ab omnibus censuris, & casibus reseruatis. Ita sentiunt *Graffius in lib. 4. casuum conscientiæ num. 29.* vbi inquit; Illa particula, per modum iubilæi, aliquid addit suprà indulgentiam, *Rodriquez in summa tom. 1. cap. 18. num. 2. Coriolanus de Casibus reseruatis p. 1. sect. 3. art. 13. versiculo, In hac sententia, Suarez, Reginaldus vbi suprà, quo in loco inquit*; indulgentiam in forma iubilæi plus ceteris plenissimis habere ex accidēti hoc nomine, quòd simul cum ea sæpè concedatur facultas absoluendi à casibus reseruatis, & commutandi vota, & interdum dispensandi super rebus malè possessis, quarum veri Domini ignorantur. Hactenus *Reginaldus*. Ex quibus stabilitur discrimē inter indulgentiam absolutè concessam, & cum additamento, in forma iubilæi, seu, per modum iubilæi.

CAPVT SECVNDVM.

Quid senserit doctissimus *Pater Suarez*, resoluiturque Quæstio.

SVMMARIVM.

1 *Religiosos non posse, virtute indulgentiæ concessæ per modum Iubilæi, sibi eligere confessarium, & ab eo absolui à reseruatis, docet Suarez.*

2 *Indulgentia concessa per modum Iubilæi nihil aliud importat, quàm indulgentiam plenariam ad instar iubilæi.*

3 *Reli-*

3 *Religiosos, virtute indulgentiæ concessæ per modum iubilæi, sibi eligere posse confessarium, & ab eo à reseruatis absolui.*

1 DOctissimus *P. Suarez tom. 5. ad 3. p. disp. 7. sect. 5. nu. 9.* tenere videtur, non posse Religiosum sibi eligere cõfessarium & ab eo à reseruatis absolui, virtute indulgentiæ concessæ in forma, seu per modum iubilæi. Idem docuit *tom. 4. de Religion. lib. 2. cap. 16. num. final.* vbi expressè loquitur de Bullis Trinitatis, aut aliarum confraternitatum, & similibus indultis, in quibus conceditur talis facultas. Ducitur, quia si Religiosus possit, virtute talis indulgentiæ, eligere sibi confessarium quemcunque maluerit, & absolui à reseruatis, esset profectò, quia in tali concessione vox illa additur, per modum iubilæi: atqui (vt ipse inquit) id non est verisimile, vt voluissent Sũmi Pontifices tam amplam virtute talis indulgentiæ concedere facultatem, & eò maximè, quia explicatio illius vocis, Iubilæi, quæ totam illam potestatem includat, nullo iure, aut authoritate ostenditur; igitur &c. Vndè licèt iubilæo sæpè soleat illa potestas, vel facultas concedi; tamẽ iubilæus propriè id nõ significat: sumpta est enim illa vox ex scriptura, in qua iubilæus annum remissionis significabat: & inde translata est ad significandam plenam remissionem, quæ per indulgentiam conceditur. Deinde illa potestas cõmutandi vota, vel absoluendi à Censuris, non est diffinita, & certa, sed interdũ ampla est, & interdum magis restricta; ergo in absoluta voce iubilæi non potest intelligi aliqua potestas huiusmodi.

2 Sed quanta erit? non amplissima, quia hæc non semper, sed rarò conceditur, neque cum certa aliqua restrictione, quia hęc nulla est diffinita, sed arbitraria ad voluntatem concedentis: Non est ergo verisimile, tam Voce Iubilæi potestatem tam confusè concedit. Et ideò quoties conceditur illa potestas speciatim exprimitur, etiam si iubilæus concedatur; vt ex vsu constat: quando ergo indulgentia conceditur per modum iubilei, nil aliud significatur, nisi concedi indulgentiam plenariam, qualis concedi solet in iubilæis: quod si simul dicatur, concedi indulgẽtiam plenariam ad instar iubilæi, est repetitio quædam ad maiorem explicationem, & commendationem indulgentiæ, non verò est noua concessio. Hactenus *Suarez.*

3 Verùm hæc *Suarez* sententia, licèt probabilis à nonnullis existimetur, mihi non probatur; eò quòd fundamentum, quo ipse ducitur, consistit in explicatione, seu significatione vocis, seu nominis iubilæi. Vndè veriùs, & probabiliùs censeo esse dicendum, posse nimirum Religiosum, virtute talis indulgentiæ, sibi eligere confessarium, quem maluerit, & ab eo absolui à peccatis, quæ sunt superioribus reseruata, absque eorum licentia. Hæc assertio patet ex supradictis, eamque docent *Rodriquez, Graffius, & Coriolanus, locis suprà citatis:* & consentiunt *P. Corduba in summa latina R. P. Iuniperi à Drepano de Casib. reser. quæst. 22. & Reginaldus, vbi suprà* Etenim illud additamentum, scilicet in forma iubilæi, aliquid operari debet: atqui aliud importare non potest, nisi concessiones, quæ fieri solent in bullis iubilęi plenissimi: in huiusmodi autem Bullis (vt *Bonacina, & Reginaldus, locis citatis,* quinimmò ipsa experientia docent) habetur facultas eligendi confessarium, & absoluendi à reseruatis; Igitur virtute talis indulgentiæ, eò quòd in ipsa contineri videtur huiusmodi facultas, optimè potest Religiosus eligere sibi confessarium, & à reseruatis absolui; & eò magis, (vt ipsemet *Pater Suarez fatetur, loco proximè citato*) quia cùm huiusmodi indulgentiæ non sint perpetuæ, sed per breuissimum temporis spatium concessæ, incommoda illa, seu præiudicia, quæ ex perpetuis priuilegijs oriri solent, non sequuntur; Igitur concedendum est, mentem Summi Romani Pontificis in huiusmodi concedendis indulgentijs eam fuisse, vt vellet Religiosos, ac alios Christi fideles vti hoc priuilegio: & profectò ita interpretanda est mens Papæ talem largientis indulgentiam; tum quia intendunt Christi fideles in vniuersum consequi indulgentiam, quam faciliter consequi non possunt, quando reseruatis sunt innodati peccatis, & ob verecundiam proprio nolunt confiteri sacerdoti: Tum quia gratię latè interpretandę sunt, & maximè in fauorabilibus, quæ non sunt in tertij præiudicium: vt latè probat *Corduba lib. 5. de indulgentijs q. 9. proposit. 3.* igitur non est, cur huiusmodi indulgentiæ limitentur, ob solam nominis iubilæi interpretationem.

QVAESTIO TERTIA.

Vtrum Religiosus, qui incidit in peccata reseruata tempore iubilæi ex eiusdem confidentia, gaudere possit facultate ibidem concessa eligendi confessarium, vt absoluatur ab illis reseruatis, quæ tempore iubilæi ex confidentia commisit.

CAPVT PRIMVM.

Ponitur sententia negatiua cum suis fundamentis.

SVMMARIVM.

1 *Religiosum, qui ex confidentia iubilæi in casum incidit reseruatum, non posse sibi eligere confessarium, & ab eo absolui, qui affirment.*

2 *Religiosus peccans ex confidentia priuilegij, quasi causa ex se primò, non potest vti tali priuilegio, pro obtinenda eiusdem peccati absolutione.*

3 *Religiosus peccans ex confidentia iubilæi, non quatenus mouens, sed quatenùs facile præbet remediũ, potest eligere confessarium, & absolui ab omnibus peccatis reseruatis.*

4 *Eleemosyna non delet peccata, quando ex eiusdem confidentia committuntur.*

5 *Priuilegium non valet, quando præbet delinquendi materiam, aut reddit homines ad peccandum audaciores.*

6 *Qui propè Ecclesiam delinquit spe immunitatis, Ecclesiastica non gaudet immunitate.*

7 *In generali concessione non veniunt intelligenda, quæ verisimiliter non esset quis in speciali concessurus.*

1 NOn posse Religiosum, qui ex confidentia iubilæi in peccata incidit reseruata non solùm superioribus, verùm etiam Summo Romano Pontifici, virtute eiusdem iubilæi, eligere sibi confessarium, & ab eo absolui ab illis; sentiunt quamplures Iurisperiti cum *Ioanne Lupo in cap. per Vestras §. 10. de donat. & Couarr. 2. variar. cap. 2 nu. 26. Oros Opusc. 1. Felinus in sermon. vers. 3. Nauarr. §. in Leuitico. Ex Theologis illam docent. D. Anton. 1. p. §. 5. cap. 3. Armilla verbo, indulgentiæ in fine, Tabiena eodem verbo num. 24. Syluester eodem verbo 5. quæsit.* 10. quatenùs docent Priuilegiatos sic esse absoluendos absolutè à peccatis &c. Præterea, quæ ex confidentia huius indulcti commisisti. Expressiùs verò hanc sententiam tenet *Pater noster Corduba in summa q. 22.* & nonnulli alij Moderniores præsertim *Rodriquez in Bulla Cruciatæ §. 9. num. 99.*

2 Verùm *Pater Corduba*, quem sequitur *Rodriquez loco suprà citato lib. 5. de indulgentijs q. 37. præposit.* 7. distinguens de confidentia, asserit, quòd peccare ex confidentia contingit dupliciter, primò, vt priuilegium, cuius confidentia priuilegiarius peccat, sit quasi causa motiua, & quasi per se primò; vt si diceret quis: occidamus illum, vel percutiamus Clericum, quia Bullam habemus, per quam absolui possumus. Vel si dicat: hoc, vel illud peccatum adulterij, aut fornicationis facere volo, quia adest iubilæum, virtute cuius à quocunque possum absolui sacerdote.

3 Secundò, quod non personaliter moueat, sed tantùm facilitet; eò quòd si non haberet tam facilè remedium, non peccaret: dicit ergo *Corduba*, quòd qui hoc secundo modo peccat, potest virtute iubilæi, vel Bullæ Cruciatæ, aut alterius huic similis priuilegij, etiam si expressè dicatur in illis, quòd non possit absolui à peccatis ex confidentia commissis, optimè absolui; quia illo modo delinquere non est propriè ex confidentia peccare. Qui verò primo modo peccat absolui non potest, quia talis fiducia est causa motiua, & impulsiua peccati, & sic daretur occasio, ex vi talis iubilæi, seu priuilegij ad peccandum.

4 Hæc sententia in vniuersum nonnullis potest ostendi rationibus. Et primò *ex cap. Quando de cōsecratione dist. 4. & Capit. Illud de Clerico excommunicato ministrante, & ex leg. 1. §. hæc autem actio ff. si quis testamentum, & Lectantius 6. Diuini instit.* vbi ait, quòd quamuis Eleemosyna peccata deleat, non tamen illa deleri, si quis ex confidentia illius peccauerit; igitur qui ex confidentia priuilegij, seu iubilæi peccat, ei suffragari iubilæum nō debet. Et confirmatur ex textu in *capit. Nulli de*

5 *sent. excomm.* vbi Doctores omnes probant, non valere priuilegium, quod aut præbet materiam delinquendi, aut reddat homines audaciores ad peccandum; Igitur iuuare non potest (ex quo redditur Religiosus ex confidentia Priuilegij iubilæi audacior ad peccandum) eum fauor, & facultas concessa in eiusdem iubilæi Bulla ad sibi eligendum confessarium pro talis peccati absolutione reseruati; Nam iuxta commue Axioma, qui priuilegio abutitur, priuatur eo.

6 Secundò, quia qui delinquit propè Ecclesiam spe immunitatis, non gaudet immunitate; vt docent *Gambacurta lib. 5. cap. 19. Villad. in Polytica c. 3. n. 106. Farin. de immunit. cap. 16. num. 214. Ambrosin. de immunit. Eccles. cap. 5. n. 4. Iannet. in 2. 2. disp. 5. q 8. dub. 1. n. 17. Zanard. in decret confess. p. 1. de sacram. pœnit. cap. 18. casu 5. Ioannes Deuia in Cur. Philippica p. 5. §. 12. nu. 21. Barbos. in Collectan. lib. 3. tit. 49. & alij apud Couarr.* Item, qui peccat cum consanguinea spe matrimonij, priuatur spe dispensationis per Tridentinum, vt docet *Nauarrus in cap. si quando de rescriptis*, Igitur similiter Religiosus, qui peccat ex fiducia iubilæi, priuatur facultatibus, & gratijs in ipso conrentis.

7 Tertio, quia in generali concessione non veniunt intelligenda, quæ verisimiliter non esset quis in speciali concessurus, vt constat ex *cap. in Generali de Regul. Iuris in 6. & ex cap. si Episcopus de pænitentia, & remissione eodem libro*: atqui nulli illo modo peccant; concederet Papa in speciali tale priuilegium, vt ex se patet; non est quippe credendum, quod alicui concederet, quòd esset ei incentiuum peccati, cuiusmodi censetur esse facultas absoluendi ab ijs, quæ cum talis facultatis committuntur fiducia; ergo dicendum est, de facto non concedi ab eo iubilæum, semper enim facienda est interpretatio, vt vitetur peccatum, iuxta *leg. 1. C. de ijs, quæ §. si fundum*.

CAPVT SECVNDVM.

Religiosum, qui ex confidentia iubilæi in peccata incidit reseruata, gaudere posse facultate illius ad eligendum confessarium pro reseruatorum absolutione demonstratur; & argumentis oppositæ sententiæ sati fit.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus qui ex confidentia priuilegij in peccata incidens reseruata potest vti facultate in illo præstita priuilegio eligendi confessarium pro reseruatorum absolutione.*

2 *Peccata omnia commissa ex fiducia confessionis, aut Baptismi per eadem remittuntur sacramenta.*

3 *Concessio Generalis generaliter, & absolutè est intelligenda, atque interpretanda.*

4 *Gratiæ, quæ in iubilæo conceduntur, non tendunt in bonum priuatum, sed in totius Ecclesiæ beneficium; Quapropter latè sunt interpretandæ.*

5 *Fauor, & beneficium Principis latè explicandum est quantum verborum sensus patitur, & quantum fieri potest, absque tertij præiudicio.*

6 *Qui spe veniæ promptior ad delinquendum constituitur, ratione priuilegij, debet illo priuari, non verò actu priuatur.*

7 *Improbabile, quinimmò falsum est, eum, qui propè Ecclesiam, ex fiducia ad eam confugiendi, aliquod com-*

committit crimen, priuari Ecclesiæ immunitatis priuilegio.

8 *In antiquis Cruciatæ Bullis habebatur clausula, etiã si earum fiducia peccaretur.*

9 *Nihil infert, quòd in Bulla iubilæi prædicta clausula non apponitur; eò quòd apponi solet non necessariò, sed ad conscientias pacandas.*

10 *Religiosus prope festum solemne, ex confidentia in aliquod incidens crimen reseruatum, eò quòd Prælati solent in illo suam concedere auctoritatem; tute illa vti potest.*

1 PRobabiliorem, atque veriorem alteram existimamus sententiam, quæ docet posse Religiosum, qui ex confidentia priuilegij in peccata incidit reseruata, vti facultate in illo concessa priuilegio eligendi confessarium pro reseruatorum absolutione. Hanc sententiam communiter sequuntur recentiores, præsertim *Bellarminus de indulgentijs lib.1.c. 10. in fine, Ledesma 2.p.4.q. 29. art.1. Filiuc. tom.1. tract.8. cap.10. quæsit. 8. nu.262. Curiel de iubilæo pag.91. Acosta in Bulla Cruciatæ qu. 45. Rodriquez in Bulla Cruciatæ §.9.n.99. Sà, verbo, indulgentia in fine, idem significat Nauarrus in Manuali cap.6.n.4. & tract. de iubilæo notabili 34. nu. 4. Cordub. ex parte dicto lib. 5. q. 37. Aloysius à Cruce in exposit. Bullæ Cruciatæ disp.1. cap.1. dub.5. num.5. Viualdus cap.42. de confess. Bonacin. de pænit. sacram. disp.5. q.7. puncto 5. proposit.2. n.17. Reginaldus lib. 8. nu.34. Leo tract. de iubilæo p.2. q.8. n.14. Molphes. in summa tom.1. tract. 7. cap.16. nu.47. Sanctarel. de iubilæo cap.8. dub.10.* Idem *Bonacin. de legib. disp. 4. q.2. puncto 6. §.3. n.12. Sanchez in summa tom. 1. lib. 4. cap.54. n.18. Villalobos in summa tom.1. tract.27. clausul.9. §.2. num. 19. Pater Diana tract.9. de Bulla Cruciatæ resol.16.*

Ostendi autem potest primò sic; quia Religiosi ex suorum priuilegiorum fiducia peccantes absolui possunt virtute illorum; igitur Religiosus, qui peccat peccato suo reseruato superiori ex fiducia iubilæi, potest vti facultate in illo concessa pro confessore eligendo, à quo absolui potest à

2 tali peccato. Confirmatur; quia peccata commissa ex fiducia confessionis, aut Baptismi, per eadem remittuntur sacramenta; igitur eadem ratione poterit Religiosus virtute iubilæi absolui à peccatis reseruatis, in quæ ex eiusdem iubilæi fiducia prolapsus est.

3 Secundò, quia vbi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, ex *cap. si euangelica dist.55. & ex cap. solitæ de maior. & obedit. §. nobis autem, & ex Glossa in cap. consuluisti 2.q.5. & cap. Saluator 1.q.3. vers. indefinitè: & sumitur argumentum in cap. Porrò, & cap. plantata de priuilegijs*; atqui in Bulla priuilegij non distinguitur, neque fit exceptio de peccatis commissis ex confidentia, sed in vniuersum loquitur; concessio autem generalis generaliter quoque est intelligenda, seu interpretanda, *leg. non distinguemus ff. de recept. Arbitr. leg. 1. §. generaliter ff. de legat. præstand. leg. de pretio ff. de publicana in rem action. vbi Glossa, & Glossa in d. cap. si euangelica, in verbo, excepisse*; igitur nec nos distinguere debemus. Confirmatur; quia gratiæ, & facultates, quæ in dictis iubileis præstari solent, latè sunt explicandæ, seu interpretandæ; Igitur cùm ibi nulla sit facta exceptio de peccatis ob illius fiduciam commissis; non est, cur eos restringamus ad sola peccata, quæ non committuntur

4 ex fiducia iubilæi. Antecedens probatur, tũ quia concessio facultatum in iubilæis contentarum dirigitur, atque ordinatur (regulariter loquendo) non ad bonum priuatum, sed ad totius Ecclesiæ publicum ad publicę subueniendum necessitati, pro vt optimè agumentatur *Pater Suarez to. 5. ad tertiam partem disp.52. sect.2.* Quæ autem ad publicam totius Ecclesiæ vtilitatem conceduntur, latè sunt explicanda: tum quia huiusmodi concessio, est fauor à voluntate pendens superioris illam concedere potentis: fauor autem, &

5 beneficium Principis latè explicandum est, quãtum verborum sensus patitur, & quantum fieri potest absque tertij præiudicio *leg. vltima ff. de cõstitut. Principum.* Ita *Suarez, vbi suprà, Henriquez lib.7. de indulgentijs cap.30. Bonacina de indulgentijs disp.6. quæst.1. punct.7.* Tandem probari potest argumento, quo in simili vtitur *Aloysius à Cruce, vbi suprà num.6.* quia in multis priuilegijs exprimitur, non valere indulgentiam, si eius delinquatur confidentia, vt notauit *Nauarrus §. in Leuitico notabili 3. nu. 7. & Corduba vbi suprà propos. 3.* sed exceptio firmat Regulam in contrarium, ex *textu in cap. Dominus 32.q.7.* Igitur vbi non exprimitur, priuilegium ei non prodesse, qui ex fiducia illius peccat, semper valebit, & consequenter sic peccanti licitum est illo vti. Vltima consequentia est clara, prior patet, quia priuilegium (vt paulò superiùs probauimus) latè est interpretandum, & maximè in fauorabilibus, vt eleganter ex multis probat *Corduba lib.5. de indulgentijs qu.9. proposit.3.* Igitur non est, cur priuilegium limitetur ad peccata, quæ patrata non sunt ex iubilæi fiducia.

6 Superest, vt argumenta pro opposita sententia diluamus. Ad primum respondeo, iura illa solùm probare, eũ, qui ex spe veniæ promptior fit ad delinquendum, dignum esse illius priuatione, non tamen actu illo esse priuatum. *Lactan.* autem rectè interpretatur *Diu. Thom. & Caietan. 2.2.q. 21. art.2. ad. 3. ad textum verò cap. Nulli,* dico, ibi intelligi de priuilegio, quod ex natura rei, & non ex vitio priuilegiato occasionem præbet delinquendi. Ad illud verò iuris axioma, Respondetur, quòd sicut peccator (vt inquit *Diuus Augustin.*) pane, quo vescitur, videtur indignus, & nihilominùs actu illo non priuatur; ita qui prætextu priuilegij peccat, dignus quidem est eo priuari, nisi id in illo exprimatur.

7 Ad secundum nego antecedens, falsum quippe est, eum, qui prope Ecclesiam, ex fiducia confugiendi ad eam, aliquod commisit crimen, Ecclesiæ immunitatis non gaudere priuilegio, vt benè docuere *Fagundez de præceptis Ecclesiæ tract.2. lib. 4. cap. 8. num. 45. Suarez tom.1. de Religion. tract.2. lib. 3. cap. 11. num.4. Ioannes de la Cruz in direct. confess. p.1. præcepto 8. q.3. art.3. dub.1. concl.1. Nauarrus cap.*

cap.25.num.22. P. Diana semper de hac re laudandus tract.1.de immunit. Ecclesiar. Resol. 3. vbi citat Tabienam verbo immunitas num.10. Syluestrum eodem verbo 3. nu. 5. Angelum ibidem num.17. Armillam eodem verbo num. 12. Id quoque docere videtur *P. Fr. Aloysius à Cruce, vbi suprà, in responsione ad tertium:* & videtur colligi *ex textu, & Glossa in cap. final. de immunitate Ecclesiar.* Vel aliter ad antecedens respondeo, eum, qui in Ecclesia, vel propè eam deliquit, non gaudere quidem immunitatis priuilegio; non quidem. quia spe ad Ecclesiam confugiendi peccauit; sed quia, in quo quis deliquit puniri debet, vt colligitur ex *eodem cap. final. de immunitat. Ecclesiar.* vbi Pontifex huius rei grauissimam assignet rationem, nimirùm, quòd frustra legis auxilium inuocat, qui peccat in legem. Ad illud verò de matrimonio; ita esse ex speciali Decreto Tridentini, cognoscimus; In nostro nihilominus casu, tale decretum nullius esse roboris, dicimus.

8 Ad vltimum respondet *Aloysius à Cruce vbi suprà*, quòd etiam id concedi solet in speciali ad euitandos scrupulos, & alia similia inconuenientia. Vndè (inquit) olim in nonnullis Cruciatæ Bullis habebatur, earum virtute posse absolui, etiam si earum fiducia peccaretur. Quamobrem ita dicendum est de Bulla iubilæi, quòd licèt talis clausula ibi non apponatur; nullum fieri potest argumentum contra nostram sententiam: eò quòd apponi solet, non quod sit necessaria, sed solùm ad pacandas conscientias, vel ad scrupulos vitandos.

10 Ex his colligo, quòd si Religiosus propè festum solemne ex fiducia in aliquod crimen incidit reseruatum, quòd Prælati suam solent in illo concedere facultatem eligendi quemcunq; voluerint Religiosi confessarium, vt absoluantur à reseruatis, vti legitimè potest tali facultate ad hunc effectum, & ab illo absolui.

QVAESTIO QVARTA.

Vtrum Religiosus, qui in priori hebdomada iubilæum lucratus est, & statim in vnum incidit crimen reseruatum, possit in secunda hebdomada, faciendo opera, quæ in iubilæo præscribuntur, absolui ab illo crimine reseruato?

CAPVT PRIMVM.

Ponitur Prima sententia.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui in prima hebdomadà virtute iubilæi absolutus fuit à reseruatis, si statim in aliud incurrit reseruatum, potest in secúda hebdomada iterùm ex eiusdem iubilæi priuilegio absolui.*

2 *Priuilegium concedens indulgentiam pro aliquo tempore non est restringendum, ita vt semel tantùm obtineri possit intrà illud tempus.*

3 *In anno iubilæi cuilibet congruum est intra tale tempus illud pluries lucrari.*

1 Pater Henriquez *lib. 3. de pænit. cap. 16. num. 3. & lib. 7. de indulgentijs, Reginaldus lib. 8. num. 64. Portel de dub. Regular. verbo, casus Reseruati nu. 2. Graffius de indulgentijs cap. 5. num. 32. & Rodriq. cap. 184. in summa*, docent Religiosum, & quemlibet alium Christianum qui postquàm in prima hebdomada, factis omnibus diligentijs, consecutus est iubilæum peccatorum reseruatorum, quæ anteà commiserat, posse, virtute eiusdem iubilæi, peccata, quæ post talem consecutionem cõmiserat, in secunda hebdomada, adhibitis conditionibus in iubilæo contentis, iterùm absolui, quod docuere *Nauarrus §. in leuitico notabili 32. n. 47. & notabili 34. num. 7. Angelus verbo, indulgentia, & Rosell. ibidem, Leo in tract. de iubilæo p. 2. q. 8. nu. 11. Floren. de casib. reseruatis q. 1. cap. 4. §. 3. num. 22. Sanctarell. tract. de iubilæo cap. 8. dub. 9. Fernandez in examin. Theolog. Moral. p. 3. cap. 9. §. 17. sect. 2. nu. 3. Bonac. de legib. disp. 4. q. 2. punct. 6. §. 3. num. 12. Molphes. tom. 1. summæ tract. 11. cap. 15. num. 204. Villalobos in summa tom. 1. tract. 27. claus. 9. §. 2. num. 6. P. Diana tract. 11. de Bulla Cruciatæ resol. 17. citans Sanchez*, sed immeritò, quia aliud sentit, vt statim dicemus, & alij quamplures apud *Sanctarellum, vbi suprà*. Fundamentum autem, quo ducuntur isti Doctores, in primis illud est; quia cùm iubileum non restringat, non est, cur negetur, bis illum obtineri posse, ac subinde qui in prima iubilæi hebdomada post eius consecutionẽ peccauit aliquo reseruato crimine, potest in secúda absolui dummodò faciat opera omnia ad iterùm iubilæi gratiam obtinendã requisita.
2 Secundò, quia si Priuilegium concedat indulgentiã pro aliquo tempore, non est restringendum, vt semel tantùm obtineri possit intrà illud tempus, sed etiam pluries, si necessariæ repetantur preces, vel alia opera similia, prout communiter fatentur Doctores in materia de indulgentijs: Teste *Sanchez loco statim citando*.
3 Accedit id, quod asserit *Nauarrus, loco vbi suprà*; nimirum in anno iubilæi posse quemlibet etiam pluries intrà illum annum effectum, & omnem gratiam illius iubilæi obtinere, si Romæ existens, pluries opera requisita faciat.

CAPVT SECVNDVM.

Altera negatiua sententia vt probabilior elicitur, & proponitur sequenda.

SVMMARIVM.

1 *Non posse Religiosum his vti iubilæi priuilegio, ad effectum eligendi confessarium, gratia obtinendi reseruatorum absolutiones.*

2 *Iubilæum non conceditur copulatiuè, nec indefinitè, sed tantùm disiunctiuè.*

3 *Indulgentijs in Bulla Cruciatæ concessis semel tantùm gaudere potest, qui eam vnica tantùm vice accipit.*

4 *Valor indulgentiæ pendet ex forma, & verbis concessionis.*

5 *An quando Prælatus suam concedit auctoritatem ad absoluendum à reseruatis per tres, aut quatuor dies,*

dies, Religiosus peccans peccato reseruato intra illorum dierum terminum, possit absolui ab illo reseruato?

6 *Religiosus, qui peccat spe absolutionis obtinendæ, potest absolui à reseruatis eodem modo, quo Religiosus, qui incurrit casum reseruatum intra illorum dierum terminum, quo Prælatus præstitit suam facultatem pro reseruatorum obtinenda absolutione.*

1 VErùm P. *Suarez tom. 2. de Religion. lib. 2. de irritat. dispensat. & immutatione voti cap. 16. nu. 17. Sanchez in opere morali lib. 4. cap. 54. num. 30.* censent, non posse quempiam bis vti iubilæi priuilegio, ad effectum eligendi confessarium, & absoluendi à reseruatis. Idem sentire videntur *Diuus Thom. in addit. q. 25. art. 2. ad 4. Diuus Antoninus 1. p. tit. 10. cap. 3. §. 3. Paludan. in 4. dist. 20. q. 4. art. 7. Durandus ibidem qu. 4. Cordub. de indulgentijs lib. 5. q. 23. aliàs 30. Felinus in tract. de indulgentijs, Syluester verbo, Indulgentia §. 8. vers. 3. Tabiena ibidem §. 13.* & multi Canonistæ *in cap. final. de pænit. & remiss.* & nouissimè consentire videtur cum aliqua *dist. Pater Fr. Aloysius à Cruce in exposit. Bullæ Cruciatæ disp. 1. cap. 8. dub. 13. vers. his omnibus non obstantibus num.* 10. quatenus docent, indulgentiam visitantibus feria sexta, aut à primis Vesperis ad secundas concessam non posse eam quēpiam bis lucrari: secus verò aiunt, si absque temporis explicatione dicat; concedit visitantibus Ecclesiam Beati Petri, seu Pauli, &c.

2 Probari potest primò, quia Iubilæum non conceditur copulatiuè, vt in vna, & altera hebdomada obtineri possit, nec indefinitè, vt pro alijs duabus hebdomadis cōparetur; sed expressè sub forma disiunctiua; v. g. *qui prima hebdomada post publicationem, vel in sequenti post illam:* quæ verborum forma, vel alia æquiualens semper repetitur in Bullis iubilæi, vt videri licet in iubilæis vltimò à Sanctissimo Domino N. Vrbano Octauo concessis, & ex toto contextu manifestè apparet, intentionem Pontificis semper esse, & fuisse, vnam tantum concedere plenissimam indulgentiam, ac remissionem, & facultatem ad absoluēdum à reseruatis &c. *hac vice tantùm*, vt ibidem dicitur; id est vna vice in vna vel altera hebdomada, & in ordine ad vnam dumtaxat indulgentiam.

3 Secundò à simili de Bulla Cruciatæ, in qua conceditur tanquam specialissima facultas, vt qui duas acceperit, bis indulgentijs gaudere possit, alijsque in ea concessis gratijs; Igitur præsupponit tanquam certum Pontifex, quod possit nemo pluries lucrari iubilæum, nisi expressè id concedat, cùm igitur id in iubilæo expressè non habeatur, profectò censendum est, tantùm in vna hebdomada lucrari posse.

4 Neque rationes pro opposita sentētia adductæ aliquid valent; quia valor indulgentiæ, & priuilegij concessio pendent ex forma, & verbis eius; ideò argumenta à simili sunt inefficacia in ista materia, nisi in omnibus seruetur similitudo; vt benè aduertit ex *Patre Suarez Sanchez loco, vbi suprà*. Quamobrem impertinens est ad hunc locum expendere difficultatem illam, quam tangunt Doctores pro prima sententia allegati, an indulgentia pro aliquo tempore indefinitè concessa lucrari possit toties, quoties. Neque etiam circa opinionem *Nauarri* (inquit *Suarez*) immorandum est; Nam forma concessionis semper est consideranda, & consuetudo multum valere poterit, præsertim Romæ, vbi adest Summi legislatoris præsentia; Quamobrem ea, quæ in iubilæo, quod singulis vigintiquinque annis conceditur, huic iubilæo, de quo agimus, applicari rectè non possunt.

5 Quæres, quando Prælatus suam concedit auctoritatem a reseruatis absoluendi per tres, aut quatuor dies, poterit ne subditus à casu reseruato intra illorum terminum dierum perpetratum absolui? Respondeo, posse; Ita *Nauarrus lib. 5. cons. 43. n. 2. de sent. excom. Graffius lib. 9. decis. c. 15. n. 44. & in appendice lib. 1. cap. 7. num. 51 Henriquez lib. 3. c. 16. n. 5. & lib. 7. c. 63. n. 6. Reginald. lib. 8. num. 34. Portel in dub. Regularib. verbo, casus reseruati nu. 2. in fine, Diana tract. 11. de Bulla Cruciatæ resolut. 18. Bonacin. de sacram. pænit. disp. 5. q. 7 punct. 5. §. 2. præposit. 2. nu. 16. citans Sayrum in Claui Regia, Azorium, Bellarminum, & alios.* Ratio est, quia toto illo tempore durat facultas absoluendi à reseruatis; Igitur sacerdos, qui potest absolutionē à peccatis commissis impendere, potest etiam à peccatis intra tale tempus perpetratis: ac subinde subditus Religiosus ab illis absolui potest: Veluti potest, qui commisit aliquod reseruatum intra terminum illius hebdomadæ, in quo lucratur iubilæum, dummodò præstet opera requisita.

6 Addo, hoc procedere, etiam si Religiosus peccatum commiserit, etiam spe absolutionis obtinendæ. Ita colligo ex *Viualdo cap. 42 de confessione, Filliucio tract. 8. n. 262. Graff.. Reginaldo, Henriquez, Aloysio à Cruce, & Bonacin. locis citatis*. Secùs verò, si Prælatus dicat, se illam facultatē præstare pro solis præteritis; vel limitet, vt non absoluatur à casibus ob fiduciam commissis futuræ veniæ concedendæ: aut limitet his verbis, vt puriùs possitis hanc præsentem celebrare festiuitatem: Tunc enim standum est ipsius verbis, prout alibi declarauimus. Ita *Portel loco quo suprà*.

QVAESTIO QVINTA.

Vtrum possit Religiosus sibi, virtute iubilæi eligere confessarium, & à reseruatis absolui ante consummata, seu incepta opera in eo petita; vt initio hebdomadæ, qua comparandum est? & posteà eo non comparato, an reuiuiscant peccata reseruata, de quibus fuerat absolutus?

CAPVT VNICVM.

Quo ad vtramque partem breuiter resoluitur Quæstio.

SVMMARIVM.

1 *Virtute iubilæi potest Religiosus, antequam opera ibi*

ibi præscripta perficiantur, sibi eligere confessarium, & à reseruatis absolui, dummodò id fiat bona fide.

2 *Religiosus virtute iubilæi, quod lucrari intendebat, absolutus, si illud postea non comparauit liber est à reseruatis, à quibus licitè fuit absolutus, secùs verò, si non intendebat illud consequi.*

3 *Religiosus, qui tempore iubilæi intendebat illud lucrari, posteà, mutata voluntate non lucratus est, incidit in pristinam reseruationem, si fuit à reseruatis absolutus secundùm aliquos Doctores.*

4 *Peccata reseruata non reuiuiscunt, si Religiosus de illis absolutus virtute iubilæi in principio primæ hebdomadæ, animum lucrandi iubilæi mutauit.*

1 QVo ad primam huius quæstionis partem respondeo, posse Religiosum, virtute iubilæi, antequam opera sibi præcepta perficiantur, sibi eligere confessarium, & à reseruatis absolui: dummodò id fiat bona fide. Ita *Pater Suarez tom. 2. de Religione lib. 6. capit. 16. numer. 6.* vbi sic habet; quia hoc modo potest quis absolui virtute iubilæi in principio hebdomadæ, & ante alia opera pia necessaria ad indulgentiam, vt cum maiori fructu fiant; & tunc absolui potest à casibus reseruatis. Hæc ille. *Et latiùs tom. 4. ad tertiam p. disp. 31. sect. 4 nu. 4 Sanchez in opere morali lib. 4. cap. 54 nu. 42. Portel in dub. Regular. verbo, voti dispensatio n. 52.* idem insinuant *Vazquez de pænit. q. 91. art. 7. dub. 6. n. 5. Reginald. lib. 8. n. 59. Bonacin. de pænit. sacramento disput. 5. q. 7. punct. 5. proposit. 2. n. 16.* & alij statim citandi. Ratio esse potest, eò quòd nullus ordo in iubilæo præscribitur, vt absolutio à reseruatis in iubilæi finem, aut donec alia opera fiant, reseruetur. Dixi notanter in conclusione; *dummodò id fiat bona fide;* quia cum priuilegia hæc in ordine ad comparandum iubilæum concedantur, & per modum præparationis ad illud, vbi deficit illius comparandi animus, nihil conceditur.

2 Quo ad verò secundam partem, non est vna Doctorum sententia; Etenim putant nonnulli, Religiosum virtute iubilæi, (quod lucrari intendebat) absolutum, si illud posteà non comparauit, liberum à reseruatis manere, à quibus licitè fuerat absolutus: Si verò illud non intendebat lucrari, non remanere liberum à reseruatione. Ita *P. Suarez, Sanchez, Bonacina locis citatis, Vazquez tom. 4. ad 3. partem q. 91. art. 3. dub. 6. nu. 4. vers.* sed re hac meliùs considerata, *Zerula in praxi de pænit. cap. 10. qu 40. Filiuc. tract. 7 cap. 10. nu. 309. Nauarr in summa cap. 26. nu. 12. Corduba in summa qu. 21. Henriquez lib. 6. de pænit. cap. 16. nu. 6. & lib. 7. de indulgentijs cap. 11. nu. 4.* idem *Suarez tom. 4. ad 3. partem, vbi de confess. disp. 31. sect. 4. n. 5. & latiùs tom. 5. de censur. disp. 7. sect. 5. à nu. 30. vsque ad 34. Rodriquez tom. 1. summæ cap. 184. Vgolin. de censur. tabul. 1. cap. 10. §. 4. Sanchez lib. 8. de Matrimon. disp. 15. nu. 20. Graffius 1. p. decision. lib. 4. cap. 15. num. 37. Eman. Sà verbo, absolutio, Nuñus in addit. ad 3. p. q. 5. art. 2. vers.* sed tamen. Ratio horum Doctorum est; quia absolutio non fuit data sub conditione, sed absolutè, nec data fuit ad reincidentiã, vt pœnitens reincidat, nisi præstat ea, quæ præscribuntur ad iubilæum consequendum: remanet igitur pœnitens absolutus, modò bona fide fassus sit, cum intentione præstandi cætera ad iubilæum obtinendum necessaria. Cùm enim Sũmus Pontifex facultatem absoluendi à reseruatis per ordinem ad consequendum concedat iubilæum, sequitur deficiente intentione præstandi necessaria ad obtinendum iubilæum, absolutionem à reseruatis non valere.

3 Ex opposito voluere alij, Religiosum, qui tempore absolutionis lucrari intendebat iubilæum, & posteà, vera mutata intentione; non lucratus est, incidere in pristinam casuum reseruationem. Isti sunt *Angles in Floribus Papæ vbi de confes. q. 3. art. 5. diff. 4. Rodriquez* sibi cõtrarius in Bulla Cruciatæ *§. 2. n. 8.* & alij quamplures; quos tacito nomine refert *P. Corduba loco, quo suprà.* Ducuntur, quia reseruatorum absolutio tacitam quandam habet conditionem, nimirum; si posteà iubilæum obtineatur, virtute cuius impensa est. Verùm prior sententia est verior omninò sequẽda: tum ob tantorum Doctorum authoritatem, tum etiam ob validam rationem, qua nituntur, quia quamuis ea absolutio in ordine ad futuri iubilæi consecutionem fuerit impertita, nihilominus non pendet ab ea, vt à conditione de futuro: sic enim absoluere nefas est, prout communior Theologorum docet sententia in materia de pænitentia, neque absolutio censurarum, quæ virtute eiusdem iubilæi impertitur, est data ad reincidentiam: Id enim iubilæum non explicat; & solet Pontifex exprimere, quando id intendit; vt manifestè colligitur ex cap. eos, qui de sent. excommunicat. in 6.

4 Hinc sequitur, Religiosum absolutum à reseruatis tempore iubilæi non reincidere in casus reseruatos, vel (quod idem est) peccata illa reseruata, de quibus fuerat absolutus, non reuiuiscere, si posteà quàm fuit ab illis absolutus in principio hebdomadæ, animum lucrandi iubilæum mutauit.

QVAESTIO SEXTA.

Vtrum Religiosus, qui in principio hebdomadæ firmum ac constans habens propositum obtinẽdi iubilæum, sibi elegit confessarium, & ab eo fuit à reseruatis absolutus, peccet mortaliter, si posteà, mutata voluntate, non comparet.

CAPVT VNICVM.

Duæ extremæ referuntur sententiæ, & negatiua, vt benignior ab Authore proponitur sequenda.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui fuit virtute iubilæi à reseruatis absolutus, lethaliter peccat, si relinquit deinde opera in iubilæo præscripta, iuxta Suarez, & aliorum sententiam.*

2 An.

2 *An hoc peccatum sit reseruatum Superiori, ita, vt à nullo alio possit absolui.*

3 *Religiosus non peccat, qui in principio hebdomadæ virtute iubilæi lucratus est reseruatorum absolutionem, si posteà relinquit voluntariè cætera opera in iubilæo præscripta; iuxta aliorum placitum.*

4 *An allata sententia ansam præbeat pœnitentibus.*

1 IN hac difficultate duas inuenio oppositas sententias: prima est *P. Suarez tom.4. ad 3.p. disp. 31. sect.4.n.5. in fine, & tom.2. de Religion. lib.2. cap. 16. num.11. & Portel in dub. Regular. verbo, voti dispensatio num.52.* asserentes grauiter peccare Religiosum, aut quemlibet alium pænitentem, si post peccatorum absolutionem reseruatorum virtute iubilæi obtētam, voluntariè omittit reliqua opera ad indulgentiam obtinendam iubilæi necessaria. Ducitur doctissimus Pater ad id sentiendum, quia illud est etiam in fraudem iubilæi, & contra virtuale pactum in facultate illa inclusum ad illum finem concessa; Nam consequenter imponere videtur onus, & obligationem faciendi cœtera necessaria ad prædictum effectum, & videtur se habere tanquam pœnitentia iniuncta, & acceptata in satisfactionem pro talibus culpis. Quòd si dicas, huiusmodi pactum non probari; respondet, non probari quidem explicitè, bene autem implicitè: & ideò si tale pactum explicitum non sit, est implicitum, & quasi intrinsecè ex natura rei inclusum in tali actione, seu ministerio, vt rectè & fideliter fiat: vt colligi potest ex tacita Pontificis intentione talem facultatem concedentis. Et certè hæc videtur esse Pontificis intentio, dum præscribit opera ad iubilæum obtinendum necessaria. Patet esse hoc rationi consentaneam; quia si omittit ea, quæ ad consequendum requiruntur iubilæum, non lucratur indulgentias; non quidem ex alio capite, nisi quòd non seruatur pactum imbibitum in tali concessione, quod acceptauit statim ac se determinauit ad iubilæi indulgentias lucrandas. Item cùm huiusmodi facultas concedatur ad bonum totius Ecclesiæ commune; videtur teneri adimplere omnia, quæ ad illam consequendam præscribuntur, saltem ex eo capite, quia tenetur quis se conformari cum voluntate sui capitis: ac proinde si desinat id facere, quod exigitur, reus esse culpæ videtur.

2 At si quæras, manet ne hæc culpa reseruata? respondet *Suarez*, quod qualiscunque illa fuerit, minimè remanet reseruata; quia nullo iure hoc cauetur: ac proinde potest ab illa absoluere quilibet sacerdos communem habens iurisdictionem: Sicut quando quis confitetur superiori peccatum reseruatum, & ab illo condignam accipit satisfactionem, quæ quodammodo videri potest manere reseruata, quatenus à nullo inferiori sacerdote tolli, vel commutari potest: nihilominùs licèt debito tempore implere omittat, & in eo grauiter peccet, non manet tamen illud peccatum eidem superiori reseruatum, nisi hoc ipsum ab eodem superiore exprimatur, ac declaretur: quia nullo iure hoc statum est, immò ordinariè nimium rigorosus censetur Prælatus, qui id faceret.

3 Altera sententia negat, talem Religiosum reum esse grauis culpæ. Ita sentit *P. Sanchez lib. 1. de matrimonio disp.43. num.5. & lib.8. disp.15. num.24. & lib.4. in opere Moral cap.54. n.54. Henriquez lib. 3. de pœnit. cap.16. n.6. & Bonacin. de sacram. pœnit. disp.5. q.7. puncto 5. proposit.2. sub nu.18. Sanctarellus de iubilæo cap.22. n.4. Naldus in summa verbo, indulgentia nu.4. Floren. de casibus reseruatis p.1. cap.6. §.6. nu.2. Portel in addit. ad dub. Regul. ver. iubilæum Gaspar Hurtado disp.11. diff. 9. Pater Diana tract. 4. de sacramentis resol.45. in fine*; quia talis Religiosus nil promisit; nec obligationem illi aliquam imposuit confessarius; nec iubilæum talem exigit obligationem; nec de tali Pontificis intentione constat: & si ea esset, facilè posset illam explicare. Nec aliqua ratione probatur, ex natura rei includi id pactum in ea actione: sed satis est propositum bona fide. Sicut etiam ad absolutionem à peccatis obtinendam satis est propositum bona fide imposterùm ab illis obtinendi, absque noua alia obligatione, præter antiquam vitandi illa, quæ consurgat ex impensa obligatione illius propositi. Quare non est, cur præceptū imponatur absque vrgenti fundamento; eò vel maximè, quòd vbi dubium est de præcepti impositione, iudicandum sit in fauorem libertatis in eo dubio possidentis.

4 Hæc sententia quidem probabilissima est, & in praxi omnino sequenda; quàm *P. Suarez tom. 2. de Religion. lib.2. cap.6. n.11.* approbare videtur: solùm enim displicet ipsi, quatenùs hæc sententia ansam præbet pœnitentibus: sic enim ait; ego verò semper censeo, non esse satis tutum dare tantam licentiam pœnitentibus. Nec videtur satis, quòd illud propositum sit necessarium ad valorem talis absolutionis, & quòd possit posteà tam facilè mutari, vel non impleri, sine culpa. Verùm hæc, & alia, quæ ibi connectit, sunt gratis dicta, & absque rationabili fundamento. Vndè semper mihi probabilior, atque verior visa est opinio *P. Sanchez*, & ideò sequendam omninò existimo.

QVAESTIO SEPTIMA.

Vtrum Religiosus, qui virtute iubilæi, firmum & constans habens propositum illud lucrandi, in principio primæ hebdomadæ sibi eligit confessarium, & ab eo fuit absolutus à reseruatis, si posteà non adimpleuit omnia, quæ ad consequendum iubilæum sunt præscripta, in illa hebdomada, sed in secunda verè censeatur absolutus à reseruatis.

CAPVT PRIMVM.

Ponitur prima sententia cum suis fundamentis.

SVMMARIVM.

1 *Ad hoc, vt Religiosus consequi possit iubilæi concessiones, requiritur, vt omnia opera in illo præscripta expleantur.*

2 Dictio,

2 *Dictio*, Pariter, *& dictio*, &, *in Bulla iubilæi apposita, quid operantur.*

3 *Non potest, ad effectum lucrandi iubilæum, quis in altera hebdomada vno die ieiunare, quod ieiunium reliquit in prima hebdomada.*

4 *Opera præscripta in Bulla iubilæi, non est improbabile, fieri posse in vna duarum hebdomadarum.*

5 *Declaratur, quid prædictæ dictiones*, pariter, &, *in Bulla iubilæi posita significent.*

6 *Particula illa, in altera hebdomada, non ponitur limitatiuè, sed ampliatiuè.*

NVlla potest esse in hac quæstione, quo ad peccatorum absolutionem reseruatorũ,
1 difficultas. Probauimus quippe in quinta huius disputationis quæstione, esse Religiosum verè absolutum, & peccata reseruata, ex eò quòd omisit opera præscripta in priuilegio, seu facultate iubilæi, non reuiuiscere. Solùm difficultas esse potest circa indulgentiæ consecutionem; & quamuis per se ad hanc materiam non pertineat huiusmodi examinare difficultatem: non erit nihilominus inutile. Duas enim cognosco in præsenti difficultate sententias. Prima est *Henriquez lib. 7. de indulgentijs c. 11. n. 2.* vbi hęc habet: Si quis prima hebdomada ieiunauit, & dedit Eleemosynam; non satis est, vt in secunda hebdomada solùm communicet, sed omnia opera intrà vnam hebdomadam debent expleri. Idem sentire videtur *Pater Sanchez in opere moral. lib. 4. cap. 54. n. 28.* vbi loquitur de votorum commutatione, atq; reseruatorum absolutione. *Didacus Nuñus 3. p. in addit. q. 27. art. 3. dub. 5. ad finem, & Sanctarel. de iubilæo cap. 7. dub. 1.*

2 Ostendunt hanc sententiam allegati authores nonnullis minimè spernendis rationibus. Et primò, iubilæum, nisi præstentur ea, quæ in Bulla à Summo Pontifice præscribuntur, minimè obtinetur: Atqui Summus Pontifex exigit, vt hæc omnia fiant vna & eadem hebdomada: dicitur enim; *qui feria Quarta, Sexta, & Sabatho alterius ex duabus hebdomadis ieiunauerint, pariterque peccata sua confessi, & à Sanctissima communione refecti fuerint, &c.* vbi notanda est illa vox, *Pariter*, & illa dictio, *&*, quæ significant coniunctionem, & vnionem in eadem hebdomada; igitur qui hæc omnia in vna non implet hebdomada, non lucratur iubilæum, neque indulgentiam consequitur.

3 Secundò; quia non licèt vno, vel altero die vnius hebdomadæ ieiunare, translato secundo, & tertio ieiunio in sequentem hebdomadam; igitur neque licet aliqua pia præstare opera in vna hebdomada, & alia in secunda.

4 Hæc sententia quamquam sit probabilis, & in praxi consulenda; nihilominus opposita in sequenti capitulo probanda est speculatiuè, saltem probabilior, & benignior. Vndè rationes allatæ non conuincunt. Ad primam enim respondetur; opera, quæ Summus Pontifex exigit in Bulla, sufficienter præstari, quamuis fiant duabus heb-
5 domadis. Neque aliquid iuuant pro Aduersarijs particulæ illæ, *Pariter*, &, *&*, (vt subtiliter adnotauit *Bonacina loco infrà notando*) ita vt sit sensus, qui prima, vel secunda hebdomada processioni interfuerit, vel Ecclesiam, aut Ecclesias visitauerit altera ex duabus hebdomadis, indulgentiam consequatur.

6 Rursùs, si vox illa pariter, connecteret opera in eadem hebdomada, connecteret etiam in eadem die, in qua ieiunandum est, quod nullus adhuc ausus est docere. Neque obstat particula illa, *altera*, quia non apponitur districtiuè, & limitatiuè ad facultatem præstandi pia opera in vna, & eadem hebdomada restringendam, sed ampliatiuè, vt in prima, vel secunda hebdomada fiant, & ne vltrà primam, vel secundam differantur hebdomadam.

Ad secundam rationem respondetur in primis, hoc esse in ieiunio peculiare, quòd præscribitur ad modum sacrorum temporum, quæ ieiunio eiusdem hebdomadæ coluntur. Secundò aliter responderi potest, nimirum, hoc idem esse dicendum de ieiunio, quod de reliquis operibus asseritur, quæ non necessariò pręstanda sunt in vnica hebdomada.

CAPVT SECVNDVM.

Altera sententia refertur, & probatur.

SVMMARIVM.

1 *Opera, quæ ad consequendum iubilæum exiguntur, posse fieri partim in vna, & partim in alia hebdomada, qui doceant?*

2 *Qui aliquid ex operibus præscriptis secunda hebdomada facit, dicitur facere illud altera ex duabus hebdomadis.*

3 *An probabilis Opinio in materia indulgentiarum prosit, quando veritas est in oppositum?*

4 *Opera omnia ad iubilæum lucrandum, si in die Dominico aliqua præstentur hebdomadæ sequentis, in eadem hebdomada fieri censentur.*

5 *Processionibus interesse est quædam laboris species, & quare.*

6 *Summus Romanus Pontifex ita fieri ad lucrandum iubilæum exigit opera pia, vt facienda sint in vna, ac altera hebdomada; ita, si aliqua in vna, aliaque in altera perficiantur, non lucratur iubilæum.*

1 EX opposito altera sententia docet, non opus esse, vt omnia pia opera, quæ necessariò ad consequendam iubilęi indulgentiam præstantur, in vna & eadem hebdomada, sed fieri posse partim in vna, & partim in altera. Ita sentiunt quamplures doctissimi Patres ex societate Iesu, & *Bonacina de indulgentijs disp. 6. q. 1. puncto 5. Pater Diana de sacr. pœnit. resol. 153.* Potest autem hæc sententia nonnullis fundari rationibus. Et primò, quia (iuxta communiorem sententiam) licitum est in prima hebdomada ieiunare, eleemosynam facere, Ecclesias visitare, dilata confessione, & communione in proximè sequentem Dominicã Diem, quamuis hæc præcipuè in iubilæo præscribantur: vt docet *Nauarrus de orat. Miscell. 95.* Rodri-

Rodriquez in summa 1.p.c.184.n.14.& Sanchez loco citato ex parte:& ita vsu receptum videtur; igitur non est necessarium, vt opera, quæ ad lucrandū exigit Pontifex iubilæum, omnia præstentur in vna & eadem hebdomada.

2 Secundò; quia licèt interesse processioni prima hebdomada, & in secunda præstare cætera opera pia à Summo Pontifice præscripta: vt clarè constat ex illis verbis; *qui processioni interfuerint, vel Ecclesiam, seu Ecclesias saltē semel visitauerint, &c.* ergo non opus est, vt omnia pia opera in eadem fiant hebdomada; Tertiò, quia qui facit aliquid secunda hebdomada, dicitur id facere altera ex duabus hebdomadis, vt in Bulla præscribitur; Igitur consequitur iubilæum. Quartò tandem; quia Summus Pontifex valdè cupit fideles participes fieri huius pretiosissimi Thesauri;igitur possumus ipsius mentem benignè, & amplè interpretari; quantum fieri potest semper verborum seruata proprietate, vt fideles Summi Pontificis voluntati moram gerere,& commodiùs obedire possint. Hac autem facta interpretatione, videlicet hoc modo seruatur optimè verborum proprietas, & commodiùs Summi Pontificis adimpletur voluntas; igitur.

3 Hæc sententia est quidem probabilis, & priore benignior, quia est magis hominum accommodata dispositioni. Quia tamen Doctores,qui eam constituunt, absque necessitate existimant, non esse consulendam: eò quòd in indulgentiarum materia probabilis non prodest opinio ad indulgentiam consequendam; quando veritas est in oppositum; vt probant *Syluester verbo, confessor 1.q.19.Nauarr.tit.9.n.7. Guttierez Canonicarum qq. cap.62.nu.26. Reginaldus Salas de legibus disput.10. sect.3.n.14.vers. confirmatur,Filiucius tract.10.cap. 6. quæsito 4.n.205.Graffius cap.5.n.65.Socin. in cap. nostro n.77.Bonacin.de indulgentijs disp.6.q.1.punct. 5.propos.3.nu.27.& nu.34.Sanchez,Suarez, & Conichius apud ipsum*; Quamobrem huius sententiæ rationes,quibus fundantur,veniunt soluendæ.

4 Ad primam respondeo, concedendo antecedens, & consequentiam; Nam opera omnia ad iubilæum lucrandum necessaria,quamquam nōnulla in die præstentur Dominico; moraliter loquendo, censentur fieri in vna & eadem hebdomada, vt statim dicemus. Ita communis ac vniuersalis vsus Ecclesiæ optimè interpretatur; pro vt ipsemet fatetur *Bonacina*. Ad secundam respondeo, similiter consequentiam negando; similiter consequentiam negando, Etenim pro-

5 cessionibus interesse in prima hebdomada ratione illius laboris, qui habet quandam laboris speciem, in quātum comitatur processio, in qua intersunt Prælati, aliæque Ecclesiasticæ personæ, quandam specialem habet concessionem ex benigna mentis Summi Pontificis interpretatione, vt valeat tale opus pro sequenti hebdomada. Secùs verò si quis Ecclesiam, vel Ecclesias visitet particulariter;tunc enim ad indulgentiam consequendam in alia hebdomada prodesse nō potest tale opus in præcedente præstitum hebdomada.

6 Ad tertium nego consequentiam,& ad antecedens respondeo,verum esse, eum, qui aliquid in secunda facit hebdomada, præstare dici illud in altera ex duabus hebdomadis, prout præscribitur in Bulla; quia verò Summus Romanus Pontifex opera pia à se præscripta ita exigit ad lucrandum iubilæum, vt in vna,vel altera hebdomada fiant (quæ à quouis eligitur ad indulgentiam lucrandam) disiunctiuè; necessarium est, vt in illa omnia præscripta opera præstentur; & ita si aliqua in vna fiant hebdomada,& alia in altera, non satisfacit quis cōditionibus necessariò requisitis, à quibus indulgentiæ consecutio pendet;ac subinde non lucrabitur iubilæum.

Ad vltimam respondeo, verum esse Summi Pontificis mentem hac in re benignè posse interpretari;quia tamen nullus adhuc ita interpretatus fuit,vt aliqua opera in Bulla prescripta fieri in vna possint hebdomada, & in altera lucrari indulgentia,nec in vsu hoc receptum aliquando fuit; ideò dicendum est, Summi Pontificis mentē nunquā talem fuisse. Et certè si ea esset,aliquādo in iubilæis fuisset explicatum, cùm hæc difficultas in omni tempore, quo solet iubilæum occurrere, semper fuerit inter viros doctos exagitata.

CAPVT TERTIVM.

Opinio Authoris.

SVMMARIVM.

1 *Aliqua opera,quæ in iubilæo præscribuntur,necessariò sunt perficiēda in illa hebdomada, in qua lucratur iubilæum.*

2 *Nonnulla opera pia præscripta in iubilæo transferri possunt in diem sequentis hebdomadæ priorem, videlicet in diem Dominicum.*

3 *Lucratur iubilæum ille,qui in priori hebdomada omnia fecit requisita, & in die Dominico sequentis hebdomadæ sumpsit Eucharistiam.*

4 *Lucratur iubilæum ille,qui firmo & constanti animo lucrandi ipsum in priori hebdomada nonnulla opera præscripta fecerit, alia transferendo in subsequentem hebdomadam.*

5 *Nulla existente rationabili causa, opera pia, quæ in Bulla iubilæi strictè præscribuntur, non possunt in diem Dominicam subsequentis transferri hebdomadæ.*

6 *Interueniente aliqua rationabili causa,nonnulla opera pia ex his, quæ in iubilæo præscribuntur, transferri possunt in diem Dominicam sequentis hebdomadæ.*

7 *Opera pia,quæ strictè in forma iubilæi præcipiuntur, occurrente necessitate transferri possunt, ita, vt partim fieri possint in vna hebdomada, & partim in altera.*

8 *Quænam causæ sufficientes ad id faciendum assignari possunt?*

1 VTriusque sententiæ solutis rationibus, superest nostram constituere:pro qua nonnulla priùs veniunt aduertenda. Primò igitur obseruandum est,opera, quæ in iubilæi præscri-

buntur Bulla in duplici esse discrimine. Quædam enim ita strictè præscribuntur, & adeò necessaria, regulariter loquendo; vt præstanda sint in illa necessariò hebdomada, in qua lucrandum est iubilæum; vt sunt ieiunia. Dicitur quippe in Bulla: *Qui feria Quarta, Sexta, & Sabatho alterius ex duabus hebdomadis ieiunauerint, pariterque peccata sua confessi, & à Sanctissima communione refecti fuerint, &c.* ita vt non possint transferri, vt liceat v.g. in prima hebdomada ieiunare, & in secunda, nimirum feria tertia, & quarta Ecclesiam, seu Ecclesias visitare, eleemosynam dare, & cetera facere opera, quæ ibi ad consequendam exiguntur indulgentiam. Ita enim hæc præcedentibus coniunguntur iudulgentiam. Ita enim hæc præcedentibus coniunguntur, vt inseparabilia censeantur; Etenim in textu habetur; pariterque peccata sua confessi, & à Sãctissima communione refecti fuerint. Particula enim, *pariter*, & particula, *&*, præcisam vnionem, & coniunctionem in eadem hebdomada important; vt colligitur ex *leg. mihi, & Titio ff. de verbor. obligat. & in leg. Reos §. cum in tabulis ff. de duob. Reis & in leg. si hæredi plur. ff. de condit. instit.* prout etiam notanimus in nostris disputationibus pro iuris Pontificij defens. *disp. 4. q. 4. cap. 2. cum Iason in l. 1. n. 3. & seqq. ff. de iust. & iure Decio consil. 89. n. 2. Nacta consil. 573. n. 14. tom. 4. Parisio consil. 95. nu. 6. vol. 1. &*
2 *alijs ibi relatis*. Alia autem sunt, quæ transferri possunt, non quidem in posteriorem hebdomadam, sed in primam eiusdem diem, nimirum, in diem Dominicam, eò quòd dies Dominica existimari consueuit (moraliter loquendo) etiam prioris hebdomadæ dies: in quantum aliquo modo dici potest finis præcedentis, & subsequentis hebdomadæ principium. Quapropter censeo, ita semper fuisse vsurpatum, vt experientia compertum est, non solùm in vrbe, verùm etiam in toto Christiano Orbe; Etenim constans est, fideles, nullo eos remouente scrupulo, transferre consueuisse communionem in sequentem hebdomadam, & multoties etiam confessionem.

3 Atque hinc infertur, posse eum, qui in secunda hebdomada omnia opera, quæ in Bulla præscribuntur iubilæi præstauit, transferre communionem, & fortasè etiam confessionem in diem sequentis hebdomadæ Dominicam: quoniam his præstare videtur ea, quæ Summus Pontifex pro iubilæo assequendo exigit, & consequenter iubilæum vere consequi.

4 Secundò notandum est, quòd si quis in iubilæo v.g. prioris hebdomadæ aliqua opera pia ex illis, quæ in Bulla præscribuntur fecerit, v. g. dederit eleemosynam, Ecclesiam, vel Ecclesias visitauerit, sua fassus fuerit peccata, cum firmo lucrandi iubilæum proposito, altera verò in hebdomada cætera præstet opera iuxta formam, & modũ in Bulla præscriptum, censendus est, omnia præstasse, ac si in vna eadẽque hebdomada fecisset, in qua lucratur iubileum; quia tunc dicitur facere id, quod in Bulla præscribitur, iuxta ea, quę petit secundæ sententiæ secundum argumentum.

5 His notatis, dico primò; nulla existente necessitate, aut sufficienti, rationabiliuè causa, non posse opera pia in Bulla præscripta iubilæi, etiam ea, quæ fieri possunt, in sequentem diem Dominicã transferri, vt comparari iubilæum posit. Hæc assertio est pro vtraque sententia; Expressè enim hoc fatetur ipsemet *Bonacina vbi supra*. Hæc opinio probabiliter, inquit, sustineri posse videtur, quamquam oppositam in praxi, præcisa aliqua necessitate, vel rationabili causa, censeo consulendam: tum quia tutior est; tum quia grauissimorum Doctorum fulcitur auctoritate; tum quia in materia indulgentiarum non prodest opinio probabilis ad consequendam indulgentiam, si veritas sit in oppositum. Sic ibi. Probari autem potest ex paulò superiùs dictis, & rationibus pro prima sententia efformatis.

6 Dico secundò, si aliqua interueniat rationabilis causa, aut necessitas, nonnulla opera pia in iubilæi Bulla præscripta in sequentem transferri possunt Dominicam diem, iuxta ea, quæ paulò superiùs declarauimus. Hæc assertio est pro secunda opinione, & optimè probatur argumento vltimo pro illa efformato. Et certè tunc potest optimè interpretari voluntas Summi Pontificis ea fuisse, cùm valide cupiat, fideles huius præciosissimi Thesauri participes fieri; Igitur ipsius mẽtem benignè, & amplè interpretari possumus, quantum verborum proprietas suffert, vt fideles Summi Pontificis voluntati morem gerere, & commodiùs obedire possint. Hoc autem modo facta interpretatione verborum, (vt benè inquit *Bonacina*) seruatur proprietas, & commodiùs Summi Pontificis adimpletur voluntas.

9 Dico Tertiò, quòd si aliquando adeò grauis occurrat occasio, vt necesse sit, opera, quæ strictè in Bulla iubilæi præscribuntur, transferri, possunt (de consilio tamen confessoris) transferri, ita, vt partim in vna, & partim in altera fieri possint hebdomada: & in hoc sensu existimo verum *Bonacinæ* sententiam. Et sic argumenta illa benè probant intentum:

8 Quæres; quænam causa, seu necessitas rationabilis adiudicari possit, ad hoc, vt opera in iubilæo præscripta, non sit opus, vt omnia præstentur in vna eademque hebdomada? Respondeo, nullam posse certam assignari Regulam, sed hoc prudentis esse remittendum confessoris iudicio: communiter autem respectu hominum infimæ Plebis, erit diuturna occupatio, & Dominorum obsequium, continuusuè subueniendæ propriæ necessitatis labor, aut aliquid huiusmodi: respectu verò nobilium, erit aliqua notabilis occupatio, qualis esse solet illa, quam Reipublicæ Gubernium, communeuè bonum, familiæuè conseruatio petit; & huiusmodi, iuxta vniuscuiusq; hominis statum, respectiuè loquendo.

QVAESTIO OCTAVA.

Vtrum Religiosus; virtute iubilæi, suæ culpæ, cuius absolutio est superioribus reseruata, socium in confessarium eligere possit, & ab eo absolui? vel

vel (quod idem est), an confessarius virtute iubilæi electus alicuius criminis reseruati socium, seù collegam absoluere possit?

CAPVT PRIMVM.

Bonacinæ sententia cum suis fundamentis refertur.

SVMMARIVM.

1 *Non potest confessarius, virtute iubilæi, vel alterius facultatis, audire in confessione illumque absoluere à peccatis quomodolibet reseruatis, qui fuit socius criminis.*

2 *Confessarius culpæ socius non est approbatus ad socij criminis, seu complicis audiendas confessiones.*

3 *Adducitur Concilium Septimum Prouinciale.*

4 *Fœmina tempore iubilæi non potest absolui à confessario approbato ad confessiones tantùm virorum audiendas.*

5 *Confessarius excommunicatus non potest tempore iubilæi administrare pænitentiæ sacramentum.*

6 *Prohibitio, qua cauetur, ne confessarius socium culpæ audiat, vel absoluat, non est propriè reseruatio.*

7 *Reseruatio obligationem præcisam inducit pænitenti legitimo suo se præsentandi Superiori.*

8 *Sacerdos socius culpæ, etiam in articulo mortis, eligi non potest ab eo, qui fuit complex in delicto.*

1 AVdacter *Bonacina tom. 1. de sacramento pænitentiæ disput. 5. quæst. 7. punct. 5. §. 5. num. 10.* sustinet, non posse confessarium virtute iubilæi electum, vel alterius facultatis, reseruatorum socium in confessione audire, vel absoluere; hoc enim, docet, non solùm habere locum respectu peccati carnalis; verùm etiam respectu aliorum peccatorum, tam reseruatorum, quàm non reseruatorum. Hanc suam sententiam nonnullis rationibus probare conatur; Et primò authoritate septimi Concilij Prouincialis *tit. de sacramento pænitentiæ versic. sic. Qui criminis alicuius*, vbi expresse interdicitur, ne criminis socius aut particeps, suæ culpæ mortalis complicem audiat in confessione. Et in Synodo Diœcesana XI. titulo Monita executionis Decretorum, quæ ad sacramentalia, versiculo, confessario, non solùm prohibetur, ne confessarius criminis socium in confessione audiat, verùm etiam, & adimitur iurisdictio, ita, vt confessio facta confessario culpæ socio irrita sit, & nulla: immò confessarius socium criminis audiens, vel absoluens, in excommunicationem Episcopo incidit reseruatam.

2 Secundò; quia ad hoc vt confessarius sic electus audire & absoluere possit criminis socium, oportet, vt ab Episcopo, seu alio superiore Episcopalem habente iurisdictionem sit approbatus: atqui confessarius culpæ socius non censetur approbatus ad confessiones complicis audiendas, sed censetur omnino positiuè reprobatus: igitur criminis socium nec in confessione audire, nec

3 absoluere valet. Maior, & consequentiæ sunt notæ. Minor patet ex verbis dicti Concilij Prouincialis, vbi dicitur; *Interdictum sciat sibi munus audiendi confessiones illorum, quos socios &c.* & verbis Synodi citatæ, in qua prædictus confessarius iurisdictione priuatur, iniuncta excommunicationis pœna.

4 Tertiò; quia sicut fęmina tempore iubilæi non potest absolui à confessario approbato ad confessiones tantum virorum audiendas; ita multominus socius culpæ poterit absolui à confessario complice, cùm sacerdos culpæ socius non censeatur approbatus, sed omnino reprobatus ad complicis audiendas confessiones. Consequentia tenet, antecedens docent *Pater Suarez de pænitentia disputat. 27. sect. 7. numer. 3. & Rodriquez tomo 1. summæ capit. 60. numer. 4. conclusion. 4.*

5 Quartò, quia opposito dato, sequeretur etiam, confessarium excommunicatum, vel suspensum posse virtute iubilæi sacramentum administrare pęnitentiæ, cùm par ratio videatur: sed hoc est absurdum; ergo etiam absurdum videtur, confessarium posse complicem absoluere; Nam quòd in illo efficit excommunicatio, in hoc efficit prohibitio sub excommunicatione.

6 Quintò; quia prohibitio, qua cauetur, ne confessarius socium culpæ audiat, vel absoluat, non est propriè reseruatio, cùm reseruatio directè imponi soleat in pęnam peccati pęnitentis: atqui in hoc casu hæc prohibitio non solùm posita est in pęnam pęnitentis, verum etiam & in pęnam confessarij, qui cum pęnitente commisit delictum; igitur &c.

7 Sextò tandem; quia reseruatio obligationem se præsentandi legitimo superiori, vel eius facultatem pro reseruatis habenti importat: atqui hæc prohibitio talem non importat obligationem, cùm pænitens absolui possit à quolibet confessario iurisdictionem habente, licèt non possit absolui à confessario complice; ergo hæc non est propriè reseruatio; & consequenter confessarius non potest virtute iubilæi, vel alterius facultatis circa reseruata, complicem criminis absoluere.

8 Ex quibus infert, eum, qui alteri consilium occidendi, furandiuè dederit, quiuè cum alio grauiter detraxerit, vel pactum inijt patrandi aliquam turpitudinem mortaliter peccaminosam, non posse eum, cui consilium dedit, vel cùm quo detraxit, vel pactum inijt, in confessione audire, vel absoluere, modò peccatum fuerit mortale. Hoc adeò existimat verum, vt non possit vnquam, etiam in articulo mortis, eligi talis sacerdos in confessarium ab eo, qui culpæ fuit socius, si adsit alius sacerdos. Hactenus *Bonacina*.

CAPVT SECVNDVM.

Allata sententia reijcitur, & Auctor statuit, quid sit sentiendum.

SVMMARIVM.

1 *Virtute iubilæi congruum est feminæ sibi eligere confessarium pro viris dumtaxat approbatum.*

2 *Parochus potest, virtute iubilæi, eligi in confessarium à pænitente, qui est alterius Parochiæ.*

3 *Ad hoc, vt sacerdos eligi possit in confessariũ virtute iubilæi, non requiritur actualis iurisdictio, sed satis est, quòd sit approbatus.*

4 *Ad hoc, vt confessor virtute iubilæi à Socio criminis sit eligibilis, satis est, vt respectu aliquorum sit approbatus.*

5 *Ademptio iurisdictionis tam respectu alicuius criminis, quàm personæ, est propriè, & verè reseruatio.*

6 *Peccatorum reseruatio formaliter includit obligationem iurisdictionis, & obligationem respectu pænitentis se præsentandi nimirum.*

7 *Quid sit propriè peccatorum reseruatio?*

8 *Si sacerdos, qui est criminis socius, virtute iubilæi, non posset eligi à complice in confessarium, quæ inconuenientia sequerentur.*

9 *Peccatorum reseruatio est in pænam peccati ordinata.*

10 *Eodem modo potest absoluere socium sacerdos virtute iubilæi, sicut potest à reseruatis.*

11 *Quare potest confessor virtute iubilæi absoluere à reseruatis, non verò socium criminis secundùm Bonacinam.*

12 *Bonacina euidenter reprobatur.*

13 *Potest Religiosus virtute iubilæi, vel alterius facultatis, sibi à suo superiore concessæ eligere confessarium criminis socium, gratia obtinendæ absolutionis à reseruatis.*

14 *Concilium Septimum Mediolanense an fuerit à Romano Pontifice approbatum?*

15 *Prohibitio illa Septimi Concilij Prouincialis Mediolanensis est vera peccatorum reseruatio.*

16 *Prohibitio illa Synodalis, qua interdicitur ne confessarius absoluat socium criminis, est vera peccatorũ reseruatio, quæ tollitur virtute iubilæi.*

17 *Sacerdos, qui fuit socius criminis, licèt respectu complicis nõ sit approbatus, est in se tamen approbatus, sufficienter virtute iubilæi eligi potest.*

18 *Expenduntur verba Septimi Concilij Prouincialis Mediolanensis.*

19 *Cur sacerdos excommunicatus non potest eligi in cõfessarium virtute iubilæi.*

20 *Omnis enim iurisdictionis restrictio seu ademptio, respectu nonnullorum peccatorum, à Papa tempore iubilæi tollitur.*

21 *Ad veram constituendam peccatorum reseruationem, satis est ablatio, seu concessio absoluendi iurisdictionis.*

1 HAec *Bonacinæ* sententia impugnari faciliter potest, propria eius argumenta contra ipsum retorquendo. Etenim primò; virtute iubilæi potest fœmina absolui à confessario approbato ad confessiones dumtaxat virorum audiendas; Igitur à fortiori, potest Religiosus pœnitens, vel quilibet alius à sacerdote absolui, qui fuit eiusdem perpetrati criminis socius. Consequentia tenet ex eodem *Bonacina*. Antecedens in eius opinione est certum; Nam *disputat. 5. quæst. 7. punct. 4. §. 1.* in hunc modum probat; Quia iubilæus aliud non exigit, nisi vt sacerdos approbatus sit ab ordinario; atqui verum est dicere, hunc esse verè approbatum ab ordinario; tum quia versamur in materia fauorabili, consequenter extendenda; tum quia sequeretur, fœminam virtute iubilæi non posse eligere Parochum alterius Parochiæ, quem constat, ab Episcopo non admitti ratione beneficij Parochialis ad confessiones omnium audiendas, sed ad pascendas oues illius Parochiæ; tum quia non est idem omnino approbatio, & iurisdictio; quia iurisdictio supponit approbationem; ad confessionem autem alicuius faciendam tempore iubilæi non requiritur, vt eligatur confessarius aliàs habens iurisdictionem in ipsum pœnitentem; sed sufficit, vt eligatur confessarius ab ordinario approbatus, cui Summus Pontifex confert iurisdictionem. Hæc *Bonacina*. Idem docent *Henriquez lib. 6. de pænitentia cap. 6. num. 8. & lib. 7. cap. 12. num. 4.* referens *Medinam, & Angelum in commentario, littera q. Conichius disp. 8. de pænit. dub. 7. n. 55. Nuñus in addit. ad tertiam partem quæst. 8. art. 5. dub. 9. vers. ad decimum argumentum, Sanchez lib. 8. de Matrimonio disp. 34. n. 16. Ledesma de pænit. cap. 13. dub. 8.* dum probabilem existimat horum Doctorum sententiam, & alij quamplures.

3 Ex quibus secundum efformo argumentũ contra *Bonacinam*. Ad eligendum confessarium virtute iubilæi non requiritur actualis iurisdictio in pœnitentem, sed satis est, quòd sit approbatus: Quæ approbatio pœnitentis etiam non respicit personam; Igitur, confessarius, qui alias est approbatus virtute iubilæi eligi potest pro reseruatorum absolutione à criminis socio. Consequẽtia tenet; Nam licèt respectu istius personæ, ratione illius conciliaris dispositionis, talis confessarius iurisdictionem non habeat; nihilominus ex vi facultatis pœnitenti concessæ virtute iubilæi, statim ac in confessarium eligitur, Summus Pontifex ei confert iurisdictionem necessariam ad talem absoluendum pœnitentem; Igitur non obstat illa Prouincialis Concilij prohibitio, quin socius criminis virtute iubilæi eligi possit in confessarium.

4 Neque aliquid valet, si respondeat *Bonacina*, quod confessarius ille, qui est criminis socius respectu complicis non sit approbatus, ac proinde eligi non potest virtute iubilæi: non valet certè; quia confessarius in eius sententia, qui ad virorum dumtaxat excipiendas confessiones est approbatus, respectu fœminarum certè positiuè reprobatus censetur; & nihilominus ipse fatetur, virtu-

virtute iubilæi posse fœminarum audire confessiones, easque absoluere; Igitur quamquam non sit confessor socius criminis respectu complicis approbatus, satis est, vt aliquo modo respectu aliorum sit approbatus, vt eligibilis sit à pœnitente, qui fuit particeps, seu complex in tali crimine.

5 Tertiò; quia prohibitione, quæ habetur in illa Diœcesana Synodo, non solùm interdicitur audire sociorum confessiones, eosuè absoluere, verùm etiam & adimitur ita iurisdictio, vt confessio confessario culpæ socio facta irrita sit ac nulla: atqui ademptio iurisdictionis tam respectu alicuius criminis, quam personæ, est formalissimè reseruatio, vt rectè *Pater Suarez tom. 4. ad tertiam partem disputat. 29. sect. 1. num. 1. & Coriolanus de casibus reseruatis parte 1. sect. 1. articulo 3. vers. hìc autem notandum est*; Igitur non obstat hæc reseruatio facta ab illa Synodo, quin virtute iubilæi non sit eligibilis in confessarium socius criminis, eò quòd per iubilæum tollitur talis reseruatio, & confessario sic electo sufficiens præstatur iurisdictio, qua socium criminis audire in confessione, & absoluere possit. Hæc consequentia est manifesta ex concessis à *Bonacina*, quatenus negat prohibitionem illam esse verè reseruationem; quod est falsissimum.

6 Respondebis fortasse, negando minorem propositionem, quia reseruatio duo includit, ablationem nimirum iurisdictionis, & obligationem respectu pœnitentis se præsentandi suo legitimo superiori, obtinendi gratia reseruatorum absolutionem. Porrò cùm illa conciliaris prohibitio ademptionem dumtaxat iurisdictionem dicat, non videtur propriè, quòd sit alicuius criminis reseruatio.

7 Atqui hæc responsio non satisfacit argumento; Nam omnes in vniuersum Doctores reseruationem diffinientes dicunt reseruationẽ nihil aliud esse, nisi ablationem, seu non concessionem iurisdictionis ab absoluendum ab aliquo peccato, quamuis circa alia concedatur; Igitur cùm confessario criminis socio tollatur respectu talis criminis absoluendi iurisdictio; sequitur euidenter, quòd sit formaliter reseruatio, ex qua sequitur etiam obligatio pœnitenti, vt teneatur alium adire confessorem, qui auctoritatem seu facultatẽ absoluendi ab illo habeat; quæ obligatio, satis esse potest, vt illa prohibitio verè censeatur peccatorum reseruatio.

8 Quartò, si hæc sententia *Bonacinæ* aliquid haberet veritatis, euidenter sequeretur, quòd pœnitẽs esset facultate sibi à Romano Pontifice præstita priuatus, quòd *Bonacina* non cõcederet. Probatur sequela, nã in iubilæo omnibus Christi fidelibus conceditur facultas eligendi quem maluerint approbatum ab ordinario sacerdote; atqui confessarius criminis socius verè censetur approbatus, ex supradictis; igitur si ex prohibitione conciliari non potest pœnitens hunc eligere, manifestè apparet, quòd sit Põtificia tali facultate priuatus pœnitens. Et vlteriùs sequitur quod illa constitutio conciliaris posset etiam futuras Pontificias derogare concessiones, quòd Catholicorum nemo ausus est affirmare.

9 Et insuper ex his sextum efformo argumentũ: Reseruatio peccatorum est in pœnam peccati ordinata, ex eodem *Bonacina, vbi sup.* Igitur, si virtute iubilæi socius criminis, in cuius fauorem facultates in illo contentæ largiuntur, eligere confessarium criminis socium pro illo absoluendo pœnitens non posset, certè saltem indirectè, seu consecutiuè illa prohibitio esset in eius pœnam ordinata; atqui hæc tunc verè censeretur peccatorum reseruatio; quæ cùm per iubilæum tollatur, sequitur, quòd confessarius criminis socius à complice sit eligibilis in confessarium gratia obtinendæ cuiuscunque peccati tam reseruati, quàm non reseruati absolutionis.

10 Tandem impugnari potest hæc sententia eodem argumento, quòd contra se ipsum format *Bonacina*, sic, si confessarius socium culpæ non potest in confessione audire, vel absoluere, virtute iubilæi, vel alterius facultatis; esset quammaximè, quia non censetur approbatus: sed hæc ratio militat quoque in alijs casibus reseruatis, in quibus confessario videtur adempta iurisdictio: sicut ergo confessarius potest virtute iubilæi, vel alterius facultatis absoluere à reseruatis; ita etiam poterit virtute iubilæi, vel alterius facultatis audire in confessione complicem, eumq; absoluere, ac subinde eligibilis virtute iubilæi erit.

11 Ad hanc rationem respondet *Bonacina*, negãdo minorem, negationis assignans rationem, seu disparitatem, quia in prohibitione adest positiua, & & specialis reprobatio, sub pena peculiaris excõmunicationis, quæ non reperitur in alijs casibus reseruatis, nisi eo generali modo, quem ipsemet eadem *quæstione punct. 5. §. 2. nu. 14.* explicat.

12 Verùm hæc responsio ei prodesse non potest, nam specialis prohibitio, & generalis eiusdẽ sunt in ordine ad effectum dispositionis, conditionis, & naturæ, tam in Bulla Cœnæ Domini §. quod si fortè aliqui, non solùm sedi Apostolicæ reseruãtur casus inibi contenti, verùm quoque sub anathematis pœna interdicitur, ne quis audeat ex sacerdotibus quomodocunque approbatis, & priuilegiatis ab illis quempiam absoluere. Idem interdicitur in Bulla Clementis Octaui, quæ incipit; *Sacra Congregatio*, apud *Quarantam, verbo, casus reseruatus*, & apud *Gambacurtam cap. 3. n. 5.* Nam ibi Summus Pontifex sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, alijsque grauissimis penis priuationis officij præcipit, nequis extra mortis articulum prætextu cuiuscunq; priuilegij, absoluat a casibus in Bulla Cœnæ contentis, & ab excommunicatione ob clericorum contrectam percussionem, vel ob violationem Monialium clausuræ ad malum finem, vel ob immunitatis Ecclesiæ violationem, iuxta Gregorij XIII. Constitutionem, quæ incipit Ad tollendum, quæ prohibitio ita specialiter, seu indiuidualiter quẽpiam afficit, ac si contra peculiarem personam esset facta: atqui constans est apud omnes, virtute

Cruciatæ, & iubilæi posse quemcunque eligere sibi confessarium, & ab huiusmodi reseruatis absolui casibus; igitur ex quo illa prohibitio conciliaris censetur specialis, non impedit, quominus possit confessarius virtute iubilæi, vel alterius facultatis absoluere socium criminis. Et certè non impedit, quia prohibitio sub pœna excommunicationis illa à Concilio Prouinciali facta etiam est per modum cuiusdam generalitatis, eo modo quo est prohibitio illa Clementis VIII. Igitur veluti ista non impedit. sic neque illa.

13 Patet igitur ex his, quid sit in hac re dicendum; nimirum, posse Religiosum virtute iubilæi, vel alterius facultatis sibi à suo superiore concessæ, eligere confessarium criminis socium, gratia absolutionis obtinendæ. Ita sentiunt Doctores, quatenus docent fœminam, quæ habuit cum proprio confessario rem, posse ab illo absolui. Non esse tamen faciendum, doceo, nisi graui existente necessitate, seu aliquo notabili infamiæ periculo. Ita *Villalobos in summa cap.6. de pænitent. 1. p. tract. 9. diff. 42. & Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 3.*

14 Restat vt argumentis satisfaciamus *Bonacinæ*. Ad primum Respondeo, nō constare, septimum illud Mediolanēse Prouinciale Concilium Summi Romani Pontificis fuisse authoritate celebratum, atque confirmatum. Concesso nihilominus ita celebratum, atq; confirmatum; constans est, non fuisse vbique publicatum, atque receptum; quod satis est, in opinione *Bonacinæ*, ad hoc, vt vbique non præcisam inducat obligationem, vt in simili de Tridentino probat ipsemet *de matrimonio q. 11. punct. 7. propos. vnica*; quia lex non obligat, nisi sit promulgata, & acceptata, vt communiter volunt Doctores *in cap. 1. de Tregua & pace*, & latè ostendunt *Sanchez lib. 3. de matrimonio disp. 18. n. 8 Henriquez lib. 11. cap. 8. n. 8. Petrus de Ledesma q. 45. art. 4. punct. 3. Reginald. lib. 31. n. 176. Conich. disp. 27. dub. 1. n. 14. & Filiucius tract. 10. cap. 8. nu. 199.*

15 Quia verò hæc responsio in nostra sententia non potest habere locum; docuimus quippe in nostris disputationibus pro iuris Pontificij defens. *disp. 6. ad l.* Canonicæ valorem, & efficacitatem non requiri populi acceptationem, ac proinde aliter respondendum est; prohibitionem nimirū illam conciliarem, qua interdicitur, criminis socium non posse in confessione audire complicē delicti, esse vere quandam reseruationis speciem, seu personæ reseruationem; quæ tempore iubilæi cùm tollatur virtute illius, potest vtique optimè illa conciliari, minimè obstāte prohibitione, socius criminis eligi, & complicem audire in cōfessione, illumque absoluere.

16 Per idem respondetur ad synodalem dispositionem, quæ nihil aliud est, nisi quædam reseruatio propriè, & in se, & virtute iubilæi, seu cuiuscuis alterius facultatis, aut priuilegij tollitur: ac proinde non est hæsitandum, quòd illa stante, nō possit socius criminis complicem audire, & à peccatis etiam reseruatis absoluere. Neque ex eo, quòd ibi suspenditur iurisdictio respectu complicis, intelligitur simpliciter, & positiuè cōfessor ille reprobatus ad audiendas omnium Christi fidelium confessiones, sed tantummodò ratione illius personæ, quæ est criminis complex, quæ approbatio satis est, vt tēpore iubilæi, & alterius cuiuslibet priuilegij possit eligi in confessarium, vt paulò superiùs ex eodem *Bonacina* probauimus.

17 Ad secundum concedo maiorem, sed minoris probationis posteriorem nego partem, & cōsequentiam. Nam licet talis sacerdos non sit approbatus quo ad complicis confessionem audiēdam, est nihilominus se verè approbatus, quod satis est, vt possit virtute iubilæi in confessarium eligi, etiam ab eo, qui fuit complex delicti, eumque ex vi talis electionis in confessione audire, & ab omnibus quibuscunque tam reseruatis, quàm

18 non reseruatis absoluere peccatis. Ad probationem verò minoris respondeo, per verba illa Prouincialis Concilij Septimi non interdici, seu absolutè suspendi iurisdictionem confessario audiēdi, atque absoluendi omnes Christi fideles, sed dumtaxat in casu, quo est alicuius criminis socius, seu particeps; & hoc solùm respectu illius pœnitentis, qui est culpæ complex: ac proinde illa approbatio sufficit ad hoc, vt electus ei virtute iubilæi Pontifex Summus conferat iurisdictionem, vt possit eum in confessione audire, & à peccatis absoluere reseruatis.

19 Ad tertium nego antecedēs; Nam falsum est, confessarium approbatum ad audiendas virorum dumtaxat confessiones, tempore iubilæi non posse fœminarum quoque audire, prout ipsemet *Bonacina* cum multis alijs ostendit: Vndè nego etiam sequelam.

Ad quartum negatur sequela: non enim est simile de presbytero excommunicato, ac de illo, qui sub pœna excommunicationis interdicitur, ne huius, vel illius audiat confessionem; Nam ille ex vi excommunicationis redditur omninò insufficiens, dum censura non tollitur, ad sacramenta ministranda; quapropter virtute cuiusuis priuilegij, aut iubilæi, repugnat vt possit in confessarium eligi: iste verò, quia solùm sub pœna excommunicationis est prohibitus, ne huius excipiat confessionem; ablata tali prohibitione, incidere in censuram non potest; cùm igitur per iubilæum tollatur, liber ac aptus remanet, vt etiā à complice delicti possit eligi in confessarium, & consequenter hunc à quibusuis absoluere peccatis, etiam reseruatis.

20 Ad quintum respondeo; prohibitionem illam, qua confessario interdicitur iurisdictio ad criminis complicis excipiendam confessionem, esse verè, & in rigore (vt dictum est) reseruationē; quia respectu confessoris adimitur iurisdictio, & respectu pœnitentis est priuatio facultatis concessæ sibi virtute priuilegij. Vndè fit, vt grauissima pœna sequatur pœnitenti. Cœterum cùm nullus Papæ inferior potestatem habeat restringendi facultatem à Summo Pontifice concessam; euidenter sequitur, quod, stante iubilæo, illa

illa prohibitio, seu reseruatio suum non potest habere effectum, neque locum habere, vt socius, seu particeps criminis culpæ complicem possit audire in confessione, & absoluere.

21 Et per hoc ad vltimū respondetur, satis esse, ad veram constituendam peccatorum reseruationē ablatio, seu non concessio iurisdictionis absoluēdi. Quod verò pœnitenti oriatur se suo præsentandi superiori obligatio, est quidē per accidens; nam cùm priuetur propria libertate, qua omnes alij gaudent fideles; sequitur illi non solùm incommodum, verùm quoque & graue onus, cum adstringatur alteri, & non illi, quem ipse maluerit, confiteri peccata. Vndè sequitur, totum illum discursum esse falsum.

DISPVTATIO SECVNDA.

De peccatorum reseruatorum indirecta absolutione, quæ virtute Iubilæi fieri posset.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum Religiosus, qui virtute iubilæi à peccatis fuit absolutus reseruatis, possit, transacto tempore Iubilæi, à reseruatis oblitis iterùm à quocunque approbato confessario absolui?

CAPVT PRIMVM.

Titulus Quæstionis declaratur, & quorundam refertur sententia cum suis fundamentis.

SVMMARIVM.

1 *Pænitens, qui alicuius peccati obliuiscitur, si in numero peccatorum includitur, non tenetur iterùm confiteri, cùm ei venit in mentem.*

2 *Peccatorum obliuio duplex; Culpabilis, & inculpabilis: & quæ illa sint.*

3 *Quotuplex sit huius difficultatis sensus.*

4 *Religiosus virtute iubilæi absolutus à reseruatis non potest, eiusdem iubilæi transacto tempore, absolui à reseruatis oblitis à quocunque sacerdote, sed ab habente dumtaxat facultatem.*

5 *Religiosus à suo superiore à reseruatis absolutus, ab oblitis deinde non potest ab alio absolui, qui auctoritatem eius non habeat.*

6 *Absolutus à reseruatis oblitis eodem modo manet obligatus confitendi illa suo superiori, ac ille, qui non reseruatorum peccatorum obliuiscitur.*

1 PRo tituli Quæstionis intellectu, suppono primò, non procedere hanc difficultatem de peccatis oblitis contentis tamen virtualiter in aliorum reseruatorum confessione, quæ iam ritè confessa fuere: vt si confessus fuissē nouē periuria paulò minusuè, & posteà certò agnoscam esse decem, vel vndecim; tunc certum est, non teneri pœnitentem pro eo peccato iterùm confiteri alicui. Ita docent quamplures grauissimi Doctores in materia de confessione, teste *Aloysio à Cruce in exposit. Bullæ Cruciatæ disp. 1. cap. 3. dub. 9. num. 4.* Sed intelligitur difficultas, quando peccatum oblitum virtualiter non continetur in alijs legitimè confessis, vt si sit noua species.

2 Suppono secundò, duplicem esse peccatorum obliuionem; Inculpabilem, seu non peccaminosam, & culpabilem, seu peccaminosam. Obliuio inculpabilis dicitur illa, quando quis, omnibus adhibitis necessarijs diligentijs pro sua expiāda conscientia, alicuius reseruati criminis non recordatur. Culpabilis verò est, quando non adhibentur diligentiæ, quas adhibere solent homines timoratæ conscientiæ, cùm ad sacramentum accedunt pœnitentiæ; sed superficialem quandam faciunt examinationem, vel non curant, vt sibi in mentem veniant peccata. Doctores has duas obliuionis species vocare solent inuincibilem, & vincibilem: in præsenti non quærimus de obliuione culpabili, seu peccaminosa; (De hac enim sermonem faciemus in sequenti quæstione) sed de obliuione criminis reseruati inculpabili.

3 Tertiò suppono, duplicem in hac quæstione inuolui difficultatem; Primam, an Relihiosus, transacto iubilæi tempore, possit absolui ab illo peccato reseruato, & oblito per superiorem? Secundam, an à quocunque approbato, licèt non præhabeat aliquam in reseruata iurisdictionem? De prima non est hæsitandum: eò quod de ea res est manifesta: de secunda hìc est agendum.

4 His suppositis fuit nonnullorum opinio, non posse Religiosum virtute iubilæi absolutum ab oblitis reseruatis, transacto eiusdem iubilæi tempore, à quocunque absolui approbato sacerdote, sed adire teneri superiorem, gratia absolutionis obtinendæ. Hæc sententia nonnullis probari solet rationibus; primò, quia facultas absoluendi à reseruatis datur pro determinato tempore pro vna, vel duabus hebdomadis; Igitur eo transacto, non poterit Religiosus ille absolui iterùm à reseruatis in confessione oblitis. Consequentia est euidens; eò quòd iurisdictio data ad tempus, similiter, & priuilegium, elapso tempore, pro quo fuit concessa, cessat omninò.

5 Secundò; quia si quis à superiore absolutus à reseruatis, transacta illa confessione, alicuius posteà peccati recordetur reseruati, ab alio absolui non potest, sed tenetur ad illum reddire pro illius absolutione: Igitur similiter, si quis virtute iubilæi absolutus fuerit; non poterit, elapso tempore, virtute iubilæi à quocunq; approbato confessario à reseruatis in confessione oblitis absolui. Consequentia patet à paritate rationis. Antecedens quoque ex eo patet, quia si superior alicui confessario suas pro reseruatis committeret vices, pœnitens profectò si alicuius obliuisceretur, non posset

posset alium posteà pro absolutione adire, quàm illum eundem, quem sibi superior assignauerat; Igitur idem est cùm ipse superior per se ipsum absoluit, quia tunc nihil aliud facit, quàm eam exercere facultatem, quam alijs ipse solet conferre.

6 Tertiò; quia cùm quis est à reseruatis absolutus, etiam manet absolutus à reseruatis oblitis: atque adeò, si posteà illorum recordetur, talia peccata, velut alia mortalia non reseruata, manent: Atqui, elapso tempore iubilæi, nō potest absolui ab alijs mortalibus à quocunque approbato præcisè, sed ab habente iurisdictionem in ipsum; Igitur si, iubilæi elapso tempore, alicuius recordetur reseruati in confessione obliti, non poterit absolui, nisi ab eo, qui iurisdictionem in alia habet mortalia: & non ab approbato dumtaxat. Hanc sententiā tenuere quamplures Iuniores, quos tacito nomine *citat Aloysius à Cruce, loco citato.*

CAPVT SECVNDVM.

Vera sententia comprobatur: & argumenta in proximo capite adducta diluuntur.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus virtute iubilæi absolutus ita liber manet à reseruatis in confessione oblitis, quid, tempore iubilæi transacto, à quocunque voluerit, potest absolui confessario.*

2 *Tempore iubilæi omnium peccatorum tollitur reseruatio.*

3 *Superior præstans facultatem, vt Religiosus per certas personas possit absolui à reseruatis, ex suo Tribunali omnia reseruata excludit.*

4 *Qui affirmant, facultatē absoluendi à reseruatis fluere simul cum tempore concessam in iubilæo.*

5 *Superior concedens facultatem absoluendi à reseruatis in fauorem pœnitentis concedit.*

6 *Pœnitens virtute iubilæi absolutus quam iurisdictionem acquirit respectu reseruatorum oblitorum.*

7 *Discrimen inter facultatem absoluendi à reseruatis præstitam à superiore, & à Summo Romano Pontifice, quid sit.*

8 *Peccata reseruata cùm memoriæ occurrunt, licèt sint in confessione aperienda, veluti omnia alia peccata mortalia, non tamen censentur reseruata.*

1 VEra sententia docet, Religiosum virtute iubilæi absolutum à reseruatis ita remanere liberum à peccatis reseruatis in confessione oblitis, vt cuicunque maluerit approbato presbytero fateri illa possit, & licitè absolui. Ita sentiunt *Suarez tom. 4. ad 3. partem disp. 31. sect. 4. Pesantius in Addition. ad 3. partem q. 10. de integritate confessionis disp. 10. conclus. 1. Vazquez tom. 4. ad tertiam partem q. 91. art. 3. dub. 5. num. 10. Nuñu: in ædition. ad tertiam partem q. 9. art. 2. ad finem dub. 4. Reginaldus lib. 6. num. 152. Sanchez in summa lib. 2. cap. 12. num. 9. Conichius disput. 8. dub. 12. num. 93. Sayrus de pænit. cap. 16. n. 9. & cap. 34. num. 3. Filiucius tract. 7. cap. 10. quæsit. 12. n. 313. Bonacina de sacramento pænit. disp. 5. quæst. 7. punct. 5. §. 5. 1. prop. nu. 1. & seqq. Molfesius tract. 7. cap. 21. num. 2. & seqq. Aloysius à Cruce, vbi suprà, Henriquez lib. 6. cap. 16. num. 5.* ex antiquioribus, *Adrianus de confess. q. 4. Angelus verbo, confessio 1. num. 12. Rosella verbo, confessio 2. nu. 9. Syluester eodem verbo 1. quæsito 4. Gabriel in 4. dist. 17. q. 1. dub. 2.* qui etiā asserit, idem dicendū esse de eo qui omisit aliquod reseruatum, putans inuincibiliter non esse peccatum. Ex Canonistis *Nauarrus cap. 26. num. 13. Couarruuias in cap. Alma mater p. 1. §. 11. nu. 12.* item *Nauarrus in cap. consideret §. cautus nu. 32.* & alij quamplures apud citatos Authores. Quibus addo *Ioannem à Trinitate in expositione casuum reseruatorum in nostro minorico ordine dub. 8. conclus. 2. n. 1. Coriolanum de casibus reseruatis p. 1. sect. 3. art. 13. versiculo, vnum hic animaduerto. Portel in dub. Regul. verbo, casus reseruati n. 8. versic. si quis Durante; & Diana tract. 4 de sacramentis Resol. 40.*

2 Hæc nostra sententia probari potest primo: quia eo ipso, quod Summus Romanus Pontifex facultatem præstat cuicunque, vt tempore iubilei sibi, quem maluerit, eligat confessarium approbatum ab ordinario, vt à reseruatis absoluatur; eorum tollit reseruationem. Etenim esse reseruata nihil aliud erat, quàm iurisdictionem apud ipsum dumtaxat manere, & illam alijs non communicare; igitur ex quo talem præbet facultatē & iurisdictionem omnibus cōfessarijs approbatis virtute iubilæi electis, omnem à peccatis tollit reseruationem: atque adeò si quis aliquod eorum obliuiscatur, adire non tenebitur superiorem, sed poterit de eo absolui à quolibet inferiori confessario.

3 Secundò, quia hoc ipso quod superior facultatem præbet, vt quiuis Religiosus per certas personas possit à reseruatis absolui censetur tunc excludere ea à suo Tribunali, & iudicio, illaque remittere ad inferioris Tribunal, atque iudicium; ergo inferior poterit ab illis absoluere.

6 Respondebis fortassè, (vt respondere solent nōnullis recentiores) ita esse nisi limitetur à superiore tempus illius facultatis, & iubilæum limitat illam ad certum tempus, nimirum pro vna, ac altera hebdomada; atque adeò, illo elapso tempore, expirat talis facultas, & consequenter nemo virtute illius à reseruatis in confessione oblitis poterit per inferiorem absolui confessorē.

5 Verùm hæc responsio nullius est momenti; tū quia superior huiusmodi concedens facultatem, in fauorem pœnitentis (quantum in se est) tollere reseruationem voluit, si tali facultate intra præscriptum tempus ad lucrandas indulgentias vteretur: pœnitens autem (quantum in se est) illa vsus fuit facultate, & consequenter à reseruatione liberatus: & quamquam per accidens ex obliuione non fuerit directè sacramentaliter intrà illud tempus à peccato absolutus reseruato, nihilominus videtur acquisiuisse per ipsum iubilæum ius, quòd posset posteà tale peccatum liberè cuicū-
6 que voluerit confessario approbato fateri, Ex quo libertatem à reseruatione obtinuit; tum etiam, quia Summi Pontificis intentio tempus limi-

limitantis non est, quòd solo illo tempore possit ille absolui, sed quòd virtute illius priuilegij possit dumtaxat absolui à peccatis eo tempore, vel anteà commissis. Vel certè sensus esse potest, (prout nonnulli voluere) vt qui intra illud determinatum tempus fassus non est sua crimina, posteà illa non possit vti facultate; non verò quòd, illo elapso tempore, non valeat inferior confessarius illum à reseruatis in confessione oblitis intrà illud determinatum tempus facta absoluere.

Argumenta, quæ pro patre negatiua duximus, nullius sunt roboris. Ad primum ex paulò superiùs dictis patet solutio.

7 Ad secundùm respondeo, negando consequẽtiam; Nam cùm superior ipse à reseruatis absoluit, iurisdictio in peccata oblita semper est penès ipsum, eò quòd illam nemini delegauerit; in iubilæo verò Summus Romanus Pontifex nõ vni, sed omnibus approbatis confessarijs virtute iubilæi electis præbet omnem iurisdictionem necessariam ad absoluendum à quibuscunque reseruatis: Itaque sicut superior à peccatis mortalibus non reseruatis absoluens, non censetur dare facultatem, vt quilibet simplex sacerdos possit à mortalibus in ea confessione oblitis absoluere, ita nec absoluens superior à reseruatis, illam censetur dare inferiori ad absoluendum à reseruatis oblitis; Nam sicut se habet simplex sacerdos in ordine ad mortalia oblita, ita inferior confessarius respectu peccatorum reseruatorum, quæ in confessione oblita fuere; Ex hoc autem non sequitur, quòd peccata in confessione oblita, quando pœnitens fuit virtute iubilæi absolutus, non remanent reseruata, vt, illo tempore elapso iubilæi, à quocunque non possint absolui inferiori presbytero ex ab ordinario approbatis.

8 Ad tertium respondeo, quòd quamuis illa peccata reseruata maneant, veluti alia mortalia, cùm memoriæ occurrunt, habent tamẽ hoc amplius, quòd relationem ad absolutionem sibi datam virtute iubilæi dicunt: quæ, quia fuit quasi indirecta respectu reseruatorum in confessione oblitorum, manet adhuc facultas, vt fiat directa eorum absolutio à quocunque poterat ante, virtute eiusdem iubilæi directe: eò quòd illa facultas iubilæi semper (moraliter loquendo) durat, ex quo fuit à peccatis ablata reseruatio, & pœnitens vsus fuit tali priuilegio; qui vsus cùm fuerit (vt ita dicam) incompletus, potuit compleri, eò magis quando ex parte pœnitentis non interuenit culpa.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum Religiosus, qui tempore iubilæi per culpabilem obliuionem alicuius est reseruati criminis oblitus, possit transacto Iubilæi tempore, absolui ab illo à quocunque confessario approbato?

CAPVT VNICVM.

Declaratur, quònam pacto possit Religiosus, elapso tempore iubilæi, exculpabiliter in confessione oblitis à quocunque absolui approbato presbytero.

SVMMARIVM.

1 *Confessio nulla quoad substantiam sacramenti est etiam nulla quoad effectum.*

2 *Posse dari verum sacramentum pœnitentiæ validum quoad substantiam, & informe quoad effectum qui doceant.*

3 *Adultus recipiens sacramentum absque peccatorum dolore, verum recipit Baptismi sacramentum, non vero eius effectum.*

4 *Ex Opposita Opinione, quæ inconuenientia sequuntur.*

5 *Ad inducendum pœnitentiæ sacramenti effectum plus requiritur, quàm ad illud constituendum.*

6 *Religiosus, qui tempore iubilæi sua peccata confessori fassus est reseruata, & nonnullorum oblitus est culpabiliter reseruatorum, confessione existente valida, sed informi, potest, elapso tempore iubilæi, cuicunq; maluerit ex approbatis confiteri, & ab illo absolui; & quare.*

7 *Confessio facta tempore iubilæi, si fuit nulla tunc non solum peccatum in illa oblitum reseruatum, verum etiam & omnia alia reseruata, ita remanent reseruata, vt elapso tempore iubilæi ab alio non possint absolui, nisi a proprio superiore, vel ab eius habente auctoritatem.*

8 *Quare peccata reseruata in confessione inualida & nulla auctoritatem habenti facta non remanent reseruata, secus verò peccata confessa tempore iubilæi in confessione inualida & nulla.*

1 PRo huius difficultatis intellectu aliqua animaduertenda sunt. Et primò nonnullos Doctores opinari, nullam dari confessionem validã quo ad sacramenti substantiam, quæ etiam non sit cùm effectu, consequenterq; nullam esse validam confessionem informem & nullam, informem esse validam ita *Pater Vazquez tom. 4. ad tertiam partem qu. 92. art. 2. dub. vnico nu 13. & 20. citans Adrianum q. 5. de confes. in 4. dub. 5. Mayorem in 4. dist. 17. qu. 9. Diuum Thomam in 4. dist. 23. qu. 1. art. 4. in corpore, Gabrielem qu. 1. art. 3. dub. 2. Ioannem Medinam Cod. de confes. q. de confess. ficta iteranda*: Ducitur sapientissimus iste Pater eo fundamento, quia contritio seu attritio super naturalis est pars essentialis sacramenti pœnitentiæ, & cõsequenter necessariò requisita ad illud constituendum quod ad substantiam; huiusmodi autem dolor est etiam necessarius & sufficiens ad sacramenti consequendum effectum, idest gratiam: igitur confessio valida semper est cum effectu, & informis nunquam est valida prout pluribus non spernendis rationibus latè ostendit *Vazquez*.

2 Opinantur alij ex opposito posse dari verum sacramentum pœnitentiæ validum quo ad substãtiam,

tiam, & informe quo ad effectum ex defectu doloris. ita sentiunt *Sanctus Thomas in 4. dist. 17. quæstione 3. art. 4. quæstiuncula 3. Riccardus ibidem eadem dist. art. 20. q. 8. ad quintum. Paludan. q. 8. in principio, Capreolus in 4. dist. 17. q. 2. art. 1. & art. 3. ad quartum contra secundã conclusionem, Durandus dist. 17. q. 17. Caetanus tom. 1. opusculor. tract. 5. q. 5. Canus 5. part. relect. de pœnit. §. dupliciter, itaque Ledesma 2. par. q. 8. art. 1. dub. 3. Sotus in 4 dist. 18. q. 3. art. 2. & 3. Petrus à Soto lect. 8. de confess. ex Modernioribus P. Suarez tom. 4. ad 3. par. disp. 20. sect. 3. num. 7. Valentia tom. 4. q. 11. punct. 2. Sayrus de pœnit. cap. 14. num. 2. Pensantius in addition. qu. 10. de dolor. disp. 2. Filiuc. tract. 6. cap. 6. q. 11. Bonacina de Sacram. pœnit. qu. 6. sect. 1. pun. 5. prima propos. num. 1. noster Aretin. in 4. dist. 17. q. vnica, art. 7. in princip. Nunnus in addit. ad tertiam partem q. 9. art. 1.* & nouissimè *Aloysius à Cruce in expos. Bullæ Cruciatæ disput. 1. cap. 1. dub. 9. num. 14. Ex Canonistis Nauarr. in Summa cap. 9. n. 13. & in cap fratres de pœnit. distinct. 5. num. 33. Couarruuias in cap. Alma mater 1 par. relect. §. 4. num. 13. Syluester & alij apud citatos Authores.* Horum opinio vtique placet omnino sequenda; tum ob horum Doctorum grauitatem atque authoritatem; tum quia robustis fundatur rationibus, nimirum quia id in alijs Sacramentis habet locum,
3 vt de se constans est. Nam si quis baptizetur verbis, & debita intentione, etiamsi id fiat absque peccatorum dolore, verum recipit Baptismi Sacramentum non verò eius effectum, hoc est gratiam: eodem modo arbitrantur sentiendum fore in Sacramento pœnitentiæ: dum quis integrè & cum dolore essentiali fatetur, & legitimè absoluitur validum est huiusmodi Sacramentum; omnia quippe ad illius essentiam & substantiam requisita concurrunt: si tamen bona fide suscipiatur, absq; debito dolore de omnibus commissis, erit informe quoad effectum, eo quod absque gratiæ infusione suscipitur.

4 Insuper quia ex contraria sentẽtia sequeretur, fideles stymulis continuis agitari putantes semper ad iterandas teneri confessiones, cum non maiorem certitudinem habere possint, quod sint verè confessi, quam quod sint iustificati.

5 Et vlterius quia constans est plura requiri ad operandum, quam vt aliqui in rerum existant natura; Igitur est rationi valde consonum, quod ad inducendum effectum Sacramenti penitentiæ aliquid amplius desideretur, quam ad illud constituendum quoad essentiam & substantiam; & consequenter dari potest Sacramentum pęnitentiæ validum & in formè simul.

6 Secundò, cõfessionem virtute iubilæi factam, in qua culpabiliter sunt reseruata crimina oblita, dupliciter fieri posse: Primò, validam, & informẽ; Secundò inualidam, & informem. Si primo modo fiat confessio, sit prima conclusio, Religiosus, qui tempore iubilæi sua peccata confessori fassus est reseruata, & nonnullorum oblitus est culpabiliter reseruatorum, si confessio illa fuit valida, informis tamen, potest, elapso tempore iubilæi, cuicunque confessario ex approbatis ab Ordinario, quem sibi maluerit, iterùm confiteri, & ab illis reseruatis oblitis absolui. Ita *Pater Suarez to. 4. ad 3. par. disput. 31. sect. 4. concl. 2. num. 22. versic. Sed quæret rursùs aliquid, Filiuc tract. 7. cap. 10. quæsito 12. Bonacin. de Sacram. pœnit. disp. 15. q. 7. pun. 5. §. 5. propos. 1. num. 8. Sayr. de pœnit. tractat. 7. cap. 34. num. 3. Portel. in dub. Regul. verb. Casus reseruati n. 8. Sanchez lib 8. de Matrim. disp. 1? num. 21. versi Hoc autem intelligo; Consentit Fr. Aloys. à Cruce, & alij quamplures apud Bonac.* Probatur, quia cùm confessio illa valida fuerit, (vt supponimus) licèt informis; Confessor absoluens directè à peccatis confessis, & indirectè ab oblitis virtute iubilæi, intendit omninò omnem, & quamcumque auferre reseruationem, cùm absoluit, in quantum potest, & reuera potest; non est ergo cur dicamus, eam reseruationem reuiniscere, non obtento iubilæo; igitur cùm reseruata non maneant peccata illa in cõfessione valida oblita, possunt à quolibet, elapso tempore iubilæi, absolui confessario. Id ex parte tenet *Vasq. ad 3. part. q. 91. art. 3. dub. 5. in fine, vers. Ideò vltimò addendum est, num. 39.*

7 Secunda conclusio, si confessio facta tempore iubilæi fuit nulla, tunc non solùm peccatum in illa oblitum reseruatum, verùm & omnia alia reseruata sic remanent reseruata, vt elapso tempore iubilæi, à nullo absolui possint, nisi à proprio Superiore, vel ab eius habẽte authoritatem. Ita *Suarez, Bonacina, Filiucius, Portel,* & alij paulò anteà allegati. Quibus addo *Vegam in Summa 1. par. cap. 49 casu. 5* Ratio est, quia Sacramento existente inualido, ac nullo, inualida ac nulla est reseruatorum absolutio. Facultas enim absoluendi à reseruatis tempore iubilæi concessa præstatur in ordine ad iubilæum consequendum: consequi autem iubilæum minimè potest absque Sacramentali confessione, eò quod est conditio necessariò requisita; Igitur si confessio non est valida, neque valida videtur absolutio à reseruatis, quia pœnitens conditionem, & intentionem Superioris facultatem absoluendi à reseruatis non adimpleuit.

Neque valet, si dicas: Reseruata, à quibus aliquis est absolutus in cõfessione nulla & inualida, non remanere amplius reseruata; Igitur & peccata reseruata absoluta tempore iubilæi in confessione inualida, quoque non manere reseruata; & ita à quolibet possunt absolui Sacerdote. Non valet profectò, quia consequentia est falsa. Non enim est eadem ratio in vtroque casu, vt diximus *disput. 4. par 2. præd. q. 1. cap. 3.* & infra dicemus latiùs *disput 12. quæst. 2.* Sed de hac re iterùm sermonem faciemus *q. 4.*

QVAESTIO TERTIA.

Vtrum Religiosus, qui tempore iubilæi in vna die septimanæ aliqua confitetur reseruata, cum intentione adimplendi quæ supersunt facienda pro forma iubilæi, postea mutata intentione, non adimplet, possit à quocunque approbato Presbytero, elapso tempore iubilæi, à reseruatis oblitis absolui?

CA-

CAPVT VNICVM.

Quid Sapientissimi Patres Vasquez, & Suarez senserint in hac difficultate.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus ab oblitis reseruatis in confessione validè facta tempore iubilæi à nemine absolui potest, nisi à suo Superiore, vel ab eius habente auctoritatem, si, mutata voluntate, non perficit ea, quæ in iubilæo præscribuntur.*

2 *Iubilæum ad comparandam indulgentiam conceditur, illaq; non obtenta, non potest pęnitens facultatibus in illo concessis frui.*

3 *Peccatum reseruatum oblitum, in Confessione facta tempore iubilæi, nec directè est remissum, nec sufficienter Superioris reseruantis intentioni satisfactũ, quando non lucratur eiusdem iubilæi indulgentia.*

4 *Absolutio peccati reseruati obliti pendet ex eo, quod omnia seruare debet, quæ pro forma iubilæi præscribuntur.*

5 *Peccata reseruata in Confessione virtute iubilæi facta ab eo, qui ex intentione lucrandi iubilæum fuit directè absolutus, & postea, mutata voluntate, non pręstitit ea, quæ pro forma iubilæi præscribuntur; remanent à reseruatione libera ita, vt à quocunque elapso tempore iubilæi, absolui possint.*

6 *Reseruata oblita quare remanent libera à reseruatione, quando pęnitens tempore iubilæi fuit plenè à reseruatis absolutus.*

7 *Pęnitens, qui habet firmum propositum lucrandi iubilæum, sua confitendo peccata, verè consecutus est reseruationis liberationem.*

8 *Tempore iubilæi nullum est peccatum reseruatum respectu illius, qui validè, & fructuosè sua fatetur peccata.*

9 *Reseruationis ablatio non est effectus Sacramentalis absolutionis; ideòque pendet à futuro euentu, iuxta sententiam Vasquez.*

10 *Peccatorum reseruatorum obliuio, si non fuerit culpabilis, potest Religiosus ab his absolui à quocunque Sacerdote, si in principio hebdomadæ validè & fructuosè fecit confessionem, deinde, mutata voluntate, minime iubilæum lucratus est: secus verò de obliuione peccaminosa & culpabili.*

1 PAter *Gabriel Vasquez tom. 4. ad 3. par. quæst. 91. art. 3. dub. 5. & num.* 40. sustinet, eum, qui in vna die prioris, aut posterioris hebdomadæ tempore iubilæi confitetur aliqua reseruata, firmum habens propositum adimplendi ea, quæ in iubilæo præscribuntur, postea, mutata voluntate, nõ adimplet, remanere à reseruatis confessis ita absolutum, vt cuicunq; si velit, poterit deinde confiteri presbytero, (non quod teneatur) & ab eo absolui: ab ijs tamen, quorum fuit oblitus, a simplici non poterit absolui Sacerdote; si illa erant reseruata, sed teneri suum adire superiorem, vel alium eius habentem authoritatem, gratia absolutionis obtinendę. Hæc sententia nulla ratione ab hoc sapientissimo patre ostenditur. Proba-

2 ri nihilominus potest; quia iubilæum conceditur propter indulgentiam comparandam; & ideò donec illa obtenta sit, non videtur pęnitens gaudere posse iubilæi facultatibus, quæ ad effectum nõ peruenere. Vndè illa peccata, quæ directè ablata sunt, ideò reseruata non manent, eò quòd non manent subiecta, seu necessariò subijcienda clauibus: at verò peccata oblita semper manent necessariò subijcienda; & ideò ex hoc capite non videntur à reseruatione libera: vndè cùm aliàs reseruatio ablata non sit, lucrando iubilæum; in eodem videntur manere statu, quo anteà erant: quia nullum aliud sufficiens signum ablatæ reseruationis in illo facto interuenit.

3 Præterea peccatum illud nec directè fuit remissum, neque alia via sufficienter est Superioris reseruantis intentioni satisfactum; Igitur nullo modo dici potest, quòd sit reseruatio ablata, ita vt liber remaneat pęnitens, vt cuicunque maluerit, confiteri possit Sacerdoti approbato, ab eòq; absolui ab in confessione tempore iubilæi facta oblitis, quæ sunt Superiori reseruata.

4 Huius discriminis rationẽ rectè assignauit Pater Vasquez, quia ea, quæ confessus est pęnitens, ita absoluuntur, vt eorum absolutio minimè ex futura pendeat conditione: illorum verò futura absolutio post iubilæum, quorum oblitus est ille pęnitens, pendet ex eo, quòd obseruet pęnitens omnia, quæ pro forma iubilæi præscribuntur; Si igitur non obseruat omnia, non consequitur priuilegium pro futura.

5 At qui Pater *Suarez tom. 4. ad 3. par. disp. 31. de absolut. à casib reseruatis sect. 4. num. 23. in fine*, hanc Vasquez sententiam non solùm valdè probabilẽ quamquam existimet, verum etiam & tutam; nihilominus oppositam sua non carere probabilitate, affirmat sub num. 24. Sanchez verò lib. 8. de matrim. disp. 15. num. 21. putat, Patrem Suarez magis in Vasquez opinionem inclinare: sed tenera num. 24. sustinet, peccata reseruata in confessione virtute iubilæi facta ab eo, qui ex intentione lucrandi iubileum fuit directè absolutus, & posteà, mutata voluntate, non præstitit ea, quæ per formam præscribuntur iubilæi, remanere à reseruatione libera; & ita, tempore elapso iubilæi, posse cuicunque voluerit approbato presbytero illa confiteri, & absolui. Ducor huiusmodi fuisse sententiæ, eò quòd conatur eam probare & discrimen per *P. Vasquez* assignatum, diluere.

6 Prima ratio pro hac sententia potest esse illa, quam in principio numeri 23. efformat in hunc modum, quia si pęnitens per confessionem, & absolutionem plenam à reseruatis confessis consecutus est absolutionem; igitur videtur liberationem obtinuisse reseruatorum oblitorum; eò quod iam ex priuilegio sibi concesso vsus: igitur licèt posteà iubilæum non lucretur, non incidit in reseruationem.

7 Secundò; quia, qui habet veram intentionem lucrandi iubilæum, & illa stante firma, sua confitetur peccata reseruata, verè consecutus est liberationem reseruationis; Igitur illa, quæ sunt inpeccabiliter oblita, iam non remanent amplius reser-

8 reseruata. Confirmatur, quia tempore iubilæi nullum est peccatum reseruatum respectu illius, qui validè, & fructuosè confitetur; Igitur peccata, quæ in illa confessione inculpabiliter obliuiscuntur, non sunt amplius reseruata, etiam si mutata intentione, cætera opera in iubileo præscripta non præstentur; eò quòd Priuilegij finis à Pōtifice Summo intentus nihil aliud est, quàm Deo reconciliare peccatores; Igitur si pęnitens validè & fructuosè confitetur, satisfacit Summi Pontificis intentioni, ac proinde ex hoc capite oblita illa peccata non possunt remanere reseruata.

9 Neque aliquid valet responsio, quæ assignari potest ex ratione discriminis, & quam assignat Vasquez nimirum hunc effectum auferendi reseruationem non esse propriè sacramentalem; ideòque non esse inconueniens, dependere à futuro euentu; ita vt si posteà reliqua necessaria ad obtinendam iubilæi indulgentiam compleantur, auferatur reseruatio: secus verò si omittantur; non valet certè (inquit *P. Suarez*,) quia hoc esset valdè scrupulosum, nullaque sufficienti ratione probari posset; & ideò melius dicitur; si supposito tali priuilegio satis fiat voluntati Superioris reseruantis; ideoque statim auferri reseruationem, quidquid posteà eueniat.

10 Vltima verò hac efformata ratione, ipse valdè conuincor; Quamobrem non esse à *Patris Suarez* sententia recedendum, quam sequi videtur *Sanchez loco vbi suprà*. Intelligendum autem hoc venit, si obliuio fuit inculpabilis, & absolutio valida, confessioque fructuosa: hoc est, si habuerit effectum gratiæ, vt paulò anteà dicebamus. Idq; non solùm de confessione valida, & fructuosa intelligit Pater Suarez, verum etiam de confessione, quæ ex aliquo impedimento extrinseco fuerit informis; quia hoc (vt inquit) est accidentarium, & nulla probabili ratione dici potest priuilegium hoc fuisse concessum sub tali conditione. Secùs verò esset, si obliuio fuisset culpabilis: nam tunc & absolutio fuisset nulla, & non esset moraliter satisfactum Superioris intentioni; quādo quidem nec diligentia sufficiens adhibita fuit ad explicandum in tali confessione omne peccatum reseruatum.

QVAESTIO QVARTA.

Vtrum Religiosus qui tempore iubilæi inualidam, seu nullam fecit confessionem, vel ex defectu doloris, vel ex alicuius peccati occultatione possit elapso tempore iubilæi per quemcunque confessarium approbatum absolui à Reseruatis.

CAPVT PRIMVM.

Reuerendissimi Patris nostri Aloysij à Cruce opinio ponitur cum suis fundamentis.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui tempore iubilæi inualidam, seu nullam fecit confessionem, eiusdem elapso tempore, à quocunque potest absolui confessario.*

2 *Peccatum indirectè reseruatum in confessione nulla absolutum ampliùs non remanet reseruatum.*

3 *Facultas à Superiore obtenta, qua quis possit absolui à reseruatis, si pœnitens inualidè fassus fuerit, liberat peccata à reseruatione.*

4 *Peccatum reseruatum ex quo Superior ex suo Tribunali exclusit, non est ampliùs reseruatum, etiam si in confessione inualida fateatur.*

5 *Pœnitens, qui inualidè confitetur, licèt à vinculo peccatorum non liberatur, liberatur tamen ab obligatione, iterùm reseruata confitendi Superiori.*

1 Affirmatiuè ad hāc difficultatem doctus iste Pater respondet: eamque sententiam sequi existimat *Armillam verbo, casus, num. 4. Alcozer in confessionario cap. 12. Caietanum verbo, casus, in fine: Syluestrum, verbo Confessio 1. quæsito 19. Nauarrū cap. 26. num. 13. & cap. 27. num. 254. & 255. & de pęnit. dist. 5. cap. 1. §. Cautius n. 30. Victoriam in summa quæst. 49. Adrianum de confess. quæsito 4. Angles de confess. art. 5. diff. 1. Decanum art. 3. contra Lutherum post medium, Rosellam verbo, Confessio, 2. nu. 9. Rodriquez in Bulla, §. 9. num. 97. Durandum in 4. dist. 17. quæst. 15. nu. 17. Gabrielem ibidem quæst. 1. art. 1. dub. 2. Henriquez lib. 6. cap. 16. littera, C, & D. Suarez disp. 31. sect. 4. nu. 9. Coninchium disp. 8. de Sacram. pęnit. dub. 12. num. 91. Reginaldum tom. 1. lib. 8. cap. 6. sect. 2. nu. 61. Nuñum in addit. ad tertiam partem to. 2. quæst. 9. art. 2. par. 2. dub. 4.* & nonnullorum etiam fuisse iuniorum, affirmat.

2 Multis rationibus suam hanc opinionem ostēdere conatur, & primò; quia quando peccatum est reseruatum indirectè ratione excommunicationis annexæ, haud dubium est, quin pęnitens absoluatur ab excōmunicatione reseruata, quia ad hoc impertinens est habere dolorem de peccatis, aut integrè confiteri, vt omnes fatentur: sed sic est, quod ablata tali excommunicatione, cuius ratione peccatum reseruabatur Papæ, manet nō reseruatum; quia Papa non reseruat sibi casum, nisi ratione excommunicationis, vt docet *Durandus* vbi suprà; ergo ablata tali excommunicatione, poterit posteà absolui per quemcunque inferiorem confessorem approbatum à peccatis illis Papæ reseruatis; Igitur.

3 Secundò; si peccatum non est reseruatum indirectè ratione censuræ, sed directè ratione sui per se, adhuc probat intentum; quia ex quo fuit à Superiore data facultas, vt possit pęnitens ille absolui à reseruatis, iam ille exclusit à suo Tribunali, & remisit ea ad Tribunal inferius.

4 Tertiò; quia supposito, quod cōfessus est iam illud peccatum, licèt incontritè; iam crimen illud est semel iudicatum ante Tribunal, cui erat reseruatum; ergo rationi conforme est, vt non habeatur amplius pro reseruato, nec opus sit ad idem Tribunal recurrere; atque adeò valebit tunc absolutio in eum finem, vt non maneat deinceps illud peccatum reseruatum; quia à legitimo iudice, qui eo tempore potuit, absolutus fuit ab excommunicatione, si quam habebat, & à

& à reseruatione peccati, quamuis non ab ipso peccato, propter obicem, quem ponit.

5 Quartò, quia licèt ille non fuerit in re absolutus à vinculo peccatorum, propter eius indispositionem, benè tamen ab obligatione iterùm cōfitendi superiori illa met peccata indebitè confessa: nam sicut quando superior Prælatus audit solùm reseruata, non absoluit (secundū veriorē sententiam) sacramentaliter, sed tātùm ab obligatione confitendi illa iterùm superiori, & per id tollitur illorum peccatorū reseruatio: sic in proposito per illam absolutionem absoluitur pęnitens ille indispositus, non à peccatis, sed ab obligatione iterū illa superiori confitendi. Hæc sunt fundamenta, quibus ducitur ad id asserendum.

CAPVT SECVNDVM.

Allata sententia reijcitur.

SVMMARIVM.

1 *Statuitur differentia inter confessionem inualidè factam de peccatis reseruatis superiori, & factam tempore iubilæi.*

2 *Peccata reseruata in confessione inualida superiori facta cur ampliùs non sint reseruata?*

3 *Quid* Suarez, Reginaldus, *& alij de hac re sēserint.*

5 *Peccatorum reseruatorum ablatio, si sub conditione fiat, semper remanent reseruata, vsquequo adimpleatur conditio.*

6 *Reseruata tempore iubilæi sub conditione tolluntur.*

7 *Facultas concessa in ordine ad aliquem finem non est valida, si finis cuius gratia conceditur, non adipiscitur.*

1 VErùm hanc allegatam sententiam licèt *Pater Diana* more suo *tractatu Vndecimo de Bulla Cruciatæ Resol. decima octaua in fine* probabilem existimet, (nescio quo fundamento) mihi tamen semper visa est falsa, nulloque robusto probari fundamento; ideò omninò reijciendam esse existimo; atqui vt meliùs eius falsitas percipiatur, aliqua notatione digna sunt præmittenda. Et primò, quòd hæc quæstio non est eadem cum altera, quæ à nobis venit examinanda sequenti disputatione; nimirum, an Religiosus, qui suo superiori nulliter, atque inualidè confessus est peccata reseruata, possit deinde cuiusuis sacerdoti approbato confiteri, & ab alijs absolui? Quammaximè enim inter se discriminantur, vt ex infrà dicendis patebit. Hinc fit, vt ea, quæ Doctores communiter in illa pro affirmatiua sententia docent, nequeunt ad hæc applicari, ob rationis diuersitatem. Etenim *P. Suarez disp. illa 31. sect. 4. eodem n.* oppositum sentit: ita enim inquit: meritò ergo dubitatum est, an ille maneat simpliciter absolutus, ita vt nec ille coram Superiore cōparere teneatur, nec iterùm de illis peccatis absolui, vel si absolui velit, possit à quolibet sacerdote? In quo supponendum est, illum bona fide confessum, animo perficiendi omnia necessaria ad consequendam gratiam iubilæi: Alioquin si mala fide accedat, certum est, non manere absolutum, sed absolutionem à reseruatis fuisse nullam: quia Pontifex non intendit concedere facultatem, nisi in ordine ad indulgentiam obtinendam, atque pro his iubilæum lucrantur: ergo quando absolutio datur ante consummatum tēpus, & ante perfectas alias actiones requisitas; saltem necessaria est intentio obtinendi iubilæum, & quòd homo sit quasi in via ad prædictum finem. Loquitur quippe ibi Pater de confessione valida, & fructuose facta ab eo, qui confitetur eo fine, vt lucrari possit iubilæi indulgentiam, & postea mutata voluntate, illam non lucratur. Vbi affirmat, quòd si validè ille confiteatur, iam remanet absolutus à reseruatione, secùs verò, si culpabiliter; quinimmò numer. 22. affirmat, quòd si obliuio culpabilis talis sit, vt reddat sacramentum pęnitentiæ non solùm informe quo ad effectum, sed etiam prorsus nullum; (loquitur quippe de confessione facta virtute iubilæi, vel alterius priuilegij in fauorem concessi pęnitentis) tunc remanere, ait, reseruatum, sicut anteà, non solùm peccatum oblitum; sed etiam peccatum explicatum in cōfessione: quia illa nec est confessio neque absolutio, & ita nihil est operata. Hactenus *Suarez*. Et infrà reddens rationem, quare confessio facta superiori de reseruatis nulliter, ita tollat reseruationem, vt posteà cuicunque voluerit, possit pęnitens confiteri sacerdoti, & de illis absolui non verò de confessione nulliter facta virtute iubilæi; ait esse eò quòd in priori pęnitens satisfacit superiori, totum id implens, quod per reseruationem intenditur: & ita quasi iure ordinario finitur reseruatio; in posteriori verò absolutio à reseruatis conceditur per modum indulgentiæ & fauoris: & vna ex conditionibus requisitis ad talem gratiam consequendam est, vt quispiam confiteatur; quod saltem intelligi debet de confessione valida: & ideò per illam nec remittitùr culpa, quia absolutio est nulla, nec tollitur reseruatio, quia non satisfit intentioni superioris; neque indulgentia vlla ab illo comparatur. Hæc ibi ille. Ex quibus apparet alterius fuisse opinionis *Patrem Suarez*; Vndè est *Aloysius à Cruce* allucinatus.

2 *Reginaldus verò in illo nu.* postquàm ex *Caietano verbo, casus*, & alijs quorum meminit *Aloysius à Cruce*, resoluit, per peccata reseruata in confessione inualida superiori facta absolutè nō remanere ampliùs reseruata; statim subiungit *nu. 63.* Sed aduerte, quòd etiam notat *Suarez in sequenti num. 22.* istam diuersam rationem non habere locum, quando absolutio à reseruatis datur per modum indulgentiæ concessæ confitentibus, vt solet in iubilæis: tunc enim de intentione concedentis requiritur confessio valida, nec sufficit inualida, per quam reseruatio non desinit, quia non satisfit intentioni superioris. Hæc ibi ille.

3 Quæ verba non solùm demonstrāt, *Reginaldum* aliud sentire, quàm putat *Aloysius à Cruce*; verū & *Suarez* opinionē illam esse, quam paulò superiùs expli-

explicauimus. In hunc ferè modū loquitur etiam *Conich. illo num.*

4 Sed quod alij DD. per *Aloysium à Cruce citati*, id quoque sentiunt testatur *Pater Frater Ioannes à Trinitate in exposit. casuum in nostro Minorico ordine Reseruatorum dub.8.nu.1.* omnino audiendus. Dico secundò, quòd licèt confessio sit inualida, siuè ob defectum dispositionis pænitentis, siuè quia malitiosè tacuit aliquod peccatū mortale; peccata semel confessa superiori manent non reseruata, ita vt ab eis possit absoluere quilibet inferior confessarius. Ita *Caietanus verbo, casus reseruatus, Syluester verbo, confessio primò, quæsito 19. Diuus Antoninus 3.p. tit.14.c.19.§.17. Suarez disp. 31. sect. 4. & Emanuel Rodriq. q. 21.* sępissimè citata *art.7.* vbi ait; esse istam sententiam communem, probant, quia cessat (inquiunt) reseruatio, si peccatum reseruatum sit semel reuelatum superiori: sic enim satisfit intentioni reseruantis, qui per reseruationē, vult, vt ei, vel habenti eius auctoritatem propalentur talia peccata, ac pænitens subijciatur satisfactioni, aut medicinę ob casum reseruatum commissum iniungendæ, vel iniunctæ. Ab hac generali regula excipi debet, quando tempore iubilæi conceditur facultas absoluendi à reseruatis in ordine, seu fine consequendi aliquam indulgentiam: Tunc enim si confessio reseruatorum est inualida, remanent peccata cum priori reseruatione; quoniam tantùm fuit concessa facultas absoluendi ab eis in ordine ad consequendam indulgentiam, hæc autem indulgentia non potest consequi cū confessione inualida; ergo nec per confessionem inualidam fuit ablata peccatorum reseruatio. Hactenus ille.

Ex quibus clarissimè duo constant; primum, præsentem quæstionem discriminari ab altera, nimirum, an per confessionem inualidè superiori de reseruatis facta eorundem tollatur reseruatio: secundùm DD. citatos à Fratre *Aloysio à Cruce* de hac reseruatione sermonem facere, non verò de illa, quæ tempore iubilæi aufertur.

5 His igitur sic præmissis, & animaduersis, facilè opinio *Aloysij à Cruce* reijcitur; nam quando peccatorum reseruatio absolutè, seu simpliciter non tollitur, sed sub conditione, si ista non adimpletur, semper in eodem statu firma, ac constans illa remanet: atqui per iubilæum peccatorum reseruatio nō tollitur simpliciter, sed sub cōditione; igitur si cōditio in iubilæo requisita non adimpletur, peccatorum reseruatio minimè aufertur.

6 Verùm conditio in iubilæo requisita est, vt peccatorum absolutio reseruatorum conferatur in ordine ad lucrandas indulgentias, & verè pænitētibus; vt docent *Pater Suarez, Reginaldus, Ioannes à Trinitate, Rodriquez, locis citatis, Bonacina de sacramento pænitentiæ disp.5. quæst.7. puncto 5.§.5.1. propos. n.9. vers. respondeo negatiuè, Vasquez ad 3. p. q.91. art.2. dub.5. in fine,* inclinat *Pater Diana tract. 11. de Bulla Cruciatæ Resol.18. vers. sed hanc Comitolij sententiam;* Igitur si confessio non est valida, nō adimpletur conditio, eò quòd tunc qui inualidā fecit, non est verè pęnitens, & consequenter indulgentiam non lucratur; ergo non est peccatorum ablata reseruatio: ac subinde non potest Religiosus, qui inualidè fassus est tempore iubilæi, eo elapso cuicunque maluerit confiteri, & à reseruatis absolui. Omnes consequentiæ sunt claræ: Minor prioris discursus patet ex eiusdem iubilæi Bulla, vbi habetur sic; *qui feria Quarta, Sexta, & Sabatho alterius ex duabus hebdomadis ieiunauerit, pariterque peccata sua confessi, & à Sanctissima communione refecti fuerint, &c.* vbi clarè patet, quòd facultas absoluendi a reseruatis conceditur non absolutè, sed cum conditione, & in ordine ad consequendum iubilæum: ad consecutionem autem iubilęi requiritur confessio tanquam conditio: hæc autem confessio etiam ordinatur ibi ad sacram faciendam communionem: si verò ista sit inualida, certè refici non potest à Sanctissima communione, & per consequens nec iubilæum lucrari; igitur sub tali conditione conceditur.

7 Et confirmatur, quia alicuius facultatis concessio in ordine ad aliquem finem non est valida, si finis non adipiscitur: atqui facultas absoluendi à reseruatis conceditur tempore iubilæi à Summis Romanis Pontificibus eo fine, vt fideles Deo reconcilientur, indulgentiasque lucrentur; igitur si inualidè aliquis Religiosus, vel quisuis alius pęnitens tempore iubilæi fassus fuerit aliqua reseruata crimina, certè Deo non reconciliatur, neq; lucratur indulgentias; Igitur non videtur ei concessa facultas absoluendi à reseruatis, & per consequens, elapso iubilæi tempore, nō potest alteri quàm proprio confiteri superiori, vel eius habētī authoritatem, & absolui à reseruatis. Maior, & Minor sunt notæ, cum vltima consequētia: Prior verò probatur, quia oportet, vt qui suscepturus est indulgentiam pręstet ea, quæ à superiore sunt præscripta in indulgentiæ concessione, vt docent *Sanctus Thomas in addit. q.27. art.3.* & ibi *Nunnus, Nauarrus de indulgentijs notabili 19. n.1. Henriquez de indulgentijs c. 10. n. 3. Graffius de indulgentijs c.5. n.32. Corduba noster lib.5. qu.23. Valentia to. 4. disp. 7. q.20. punct.5. sub fine, Filiucius de indulgentijs cap. 6. quæsit.9. & 10. Reginaldus lib.7. n. 169. Bonacina disp.6. de indulgentijs q.1. punct.5. prop.3. n. 14.* & alij apud *Reginaldum n.177.* sed in iubilæo præscribūtur ad indulgentiam lucrandam confessio valida, Eucharistiæq; susceptio in ordine ad indulgentias iubilæi consequendas: ergo si iubilæum non lucretur, concessiones precedentes ad hunc finem suum non sortiuntur effectum, ac subinde inualida existente confessione, remanent peccata ita reseruata, ac si nunquam fassa fuerint. Huius *Patris Aloysij à Cruce* magis ex his, quæ sequenti capite dicemus conuincitur.

CAPVT TERTIVM.

Verior sententia negatiua probatur.

SVMMARIVM.

1 *Peccata reseruata per inualidam, seu nullam confessionem*

sionem tempore iubilæi factam absoluta non sunt libera à reseruatione.

2 *Religiosus, qui tempore iubilæi nullam prorsus fecit confessionem, illo transacto, non potest à reseruatis absolui per inferiorem confessarium.*

3 *Peccans in quantum peccans, licèt non sit melioris conditionis per se, quàm non peccans, benè tamen per accidens; iuxta Aloysium à Cruce.*

4 *Author iste acriter reprehenditur ab Authore.*

5 *Quomodo potest dari sacramentum informe, sed validum, declaratur.*

6 *Quoties ex vi sacramenti pænitentiæ non confertur gratia, sacramentum dicitur informe.*

7 *Sacramentum pænitentiæ non posse dari informe, qui doceant.*

8 *Sacramentum pænitentiæ potest esse informe; & quare.*

9 *Gratia, & Charitas non pertinent ad essentiam sacramenti.*

10 *Sacramentum pænitentiæ tunc dicitur validum, sed informe, quando pęnitens bona fide, & inculpabiliter illum recipit sine dolore requisito ad illius fructum.*

11 *Pęnitens sciens, vel dubitans, aut ignorans ignorantia mortiferè culpabili, se non habere debitum dolorem, nullum recipit sacramentum pænitentiæ.*

12 *Absolutio quando recipitur cum peccato mortali, quod in ipsa sacramenti susceptione committitur, confessio dicitur non integra.*

13 *Pęnitens cum fictione inculpabili recipit sacramentum, illud validè, sed informe suscipit.*

14 *Fictione recedente inculpabili, sacramentum suum confert effectum illi, qui ipsum recipit.*

15 *Peccata remissa in sacramento pænitentiæ informi, non sunt ampliùs in confessione aperienda; & quare.*

19 *Qui sacrilegè suscepit sacramentum pænitentiæ, non potest per accidens illius reportare fructum.*

1 Veriùs igitur venit dicendum, peccata reseruata per inualidam, seu nullam tempore iubilæi factam confessionem absoluta ita remanere reseruata, ac si fassa non fuerint, veluti in recensenda sunt non confessa. Vndè Religiosus, vel quiuis alius pęnitens, qui inualidè confessus est, non potest, illo elapso, ab alio, quàm à proprio absolui superiore, vel eius habente authoritatem. Ita sentiunt *P. Suarez locis supracitatis, Reginaldus lib. 8. cap. 5. sect. 2. n. 63. Vazquez tom. 4. ad 3. partem q. 91. art. 2. dub 5 n. 40. Molfesius tract. 7. cap. 21. Fr. Ioannes à Trinitate loco suprà citato, Bonacina de pænit. sacram. disp. 5. quæst. 7. punct. 5. §. 5. prop. 1. n. 9. Portel in dub. Regul. verbo, casus reseruati n. 8. & in addit. n. 1. vers. dixi olim, Rodriquez to. 1. quæstionum Regular. quæst. 21. art. 8. in summa cap. 188. nu. 13. Filiucius tract. 7. cap. 10. quæsito 12. num. 114. Pater Fr. Aloysius à Cruce vbi suprà* in solutione ad secundum, quatenus probabilem sententiam nostram existimat, *Ledesma tom. 1. de pænitentia cap. 13. concl. 12. dub. 7. Villalobos in summ. tom. 1. tract. 27. clausula 9. §. 2. n. 16. Acosta in ex. R. P. Iuniperi à Drepano de Casib. reser. plicat. Bullæ Cruciatæ qu. 45. & nonnulli alij apud citatos Authores*. Ostendi autem potest primò, ratione paulò superiùs facta; Secundò, quia qui

2 tempore iubilæi nullam prorsus fecit confessionem, non posset, transacto illo, absolui à reseruatis per inferiorem confessorem, sed tenetur superiorem adire: ergo idem à fortiori erit, si culpa suâ inualidam, atque sacrilegam fecit confessionem. Consequentia patet, quia aliàs melioris conditionis esset peccans, vt sic, quàm non peccans; cùm ille reportaret fructum, & vtilitatem ex suo sacrilegio, quod est absurdum. Antecedēs verò probat ex mente Doctorum *Henriq. lib. 6. de pænit. cap. 16. nu. 6. in comento littera, H.*

3 Huic argumento satisfacere conatur *P. Aloysius à Cruce vbi suprà*, primò negando antecedens, secundò negando consequentiam, quia licèt peccans, inquit, in quantum talis non posset (per se loquendo) esse melioris conditionis, quàm non peccans, benè tamen per accidens, sicut qui sæpè fictè confessus est, faciens confessionem informem, recedente fictione per contritionem, aut sacramentum aliud ritè susceptum, obtinet gratiam omnium illorum sacramentorum, quæ fictè recepit, quam tamen non obtineret, si non commisisset prædicta sacrilegia. Ecce ille (ait Pater iste) ex sacrilegijs à se commissis per accidens reportat fructum, quamuis non per se, nisi ab efficaci, & potenti virtute ipsorum sacramentorum. Sic igitur est in proposito.

4 Sed valdè miror, in hunc modum respondere Patrem istum aliàs quidem virum doctum, nam in primis non satisfacit, quia satis est, vt sic peccans sacrilegè melioris sit conditionis, quamquā per accidens, quā ille, qui non peccat. Secundò, in maximum ob terminorum ignorantiam, incidere errorem, quàm vt melius aperiamus, hìc e Scolasticis in materia de sacramentis declarare id oportet, quòd *q. 2. huius disput. c. vnic.* diximus; nimirum posse dari sacramentum informe, sed

5 validum. Pro cuius intellectu præmitto primum, illud dici sacramentum informe, quod est sine gratia, & charitate; charitas enim gratiam consequitur, & ratione ipsius, sicut virtutes, ceteraque dona formata dicuntur, si cum ipsa coniun-

6 guntur charitate; ita sacramentum dicitur informe; quoties non producit gratiam, quam charitas consequitur, non quòd charitas, & gratia realiter distinguantur, sed cùm ita sit gratia, atq; charitas, ad gratiæ consecutionem sequitur charitas. Secundò præmitto, fictionem dupliciter contingere posse in sacramento, aut cum mortali culpa, aut sine culpa mortali.

7 Tertiò, inter Scolasticos maximam esse cōtrouersiam, an pœnitentiæ sacramentum possit dari informe; quia licèt multi grauissimi Scolastici affirment, posse dari sacramentum informe, negant tamen de sacramento pęnitentiæ. Hi sunt *Adrianus in 4. q. de conf. dub. 5. Maior, Gabriel, Ioannes Medina, Vazquez, & alij, locis cit. d. q. 2. c. vnico.* Ex opposito affirmant cōmuniter de sacramēto etiam pęnitentiæ quamplures alij statim citandi.

V 2 Ratio

Ratio est, quàm ibi assignauimus. Et vlterius, quia gratia, & charitas sunt effectus sacramenti; ergo non pertinet ad essentiam sacramenti, cùm effectus sit posterior causa, illamque supponat perfectam, & completam; potest ergo dari sacramentum pænitentiæ informe, ita vt sacramentum sit validum, sed non operetur producendo gratiam, & charitatem; vt quando integra ponitur confessio, & dolor essentialis cum absolutione, in quo casu validum est sacramentum pænitentiæ, sed informe, si bona fide suscipiatur sine contritione supernaturali ad fructum requisita: Nihil enim desideratur quo ad essentiam, & substantiam sacramenti: requiritur tamen integra facta confessione, dolor æquè essentialis cum absolutione. Ita *Sanctus Thomas in 4. distinct. 17. art. 4. Suarez disput. 2 sect. 5. ad 3. partem tom. 4. Val. tom. 4. quæst. 11. punct. 2. Henriquez lib. 4. cap. 24. num. 3. & lib. 5. cap. 11. Filiucius tract. 6. cap. 6. quæsito 11. Sayrus de pænitentia cap. 14. nu. 2. Pesantius in addition. quæst. 10. de dolore disput. 2. Nuñus ad tertiam partem in addit. qu. 9.* Idem *Aloysius à Cruce disp. 1. cap. 3. dub. 9. n. 14. & alij apud ipsum.*

10 Hoc autem sacramentum penitentiæ informe duntaxat datur, quando pænitens bona fide, & inculpabiliter illud recipit sine dolore requisito ad fructum illius sacramenti; quia vt patet ex allata ratione; tum quia quando nihil aliud desideratur in sacramento penitentiæ præter dolorem bona fide prætermissum, omnia ad essentiam, & substantiam ad sunt sacramenti necessaria, consequenterq; sacramentum subsistit: tum quia sacerdos tunc verè absoluit; ergo penitens recipit absolutionem, sed non recipit gratiam; cùm non adsit dispositio ad gratiam, quæ est contritio; attritioue supernaturalis; ergo recipit absolutionem informem, seu sacramentum informe.

11 Si verò mala fide hoc recipit sacramentum, sciens, vel dubitans, aut ignorans ignorantia mortalitèr culpabili, se non habere debitum dolorem non recipit sacramentum validum, & informe, sed nihil facit, quinimmò in ipsa sacramenti susceptione lethaliter peccat. Ratio est, tum quia sacramentum non potest esse validum cum actuali peccato mortali; vt docent *Petrus de Soto lect. 8. de confess. Suarez vbi suprà disp. 20. & Bonacina vbi suprà*; cum alijs communiter; tum quia sacramentum non est validum, quoties confes-
12 sio est dimidiata, & non integra formaliter. Quādo autem cum peccato recipitur absolutio mortali, quod in ipsa sacramenti committitur susceptione; confessio minimè est integra sed dimidiata; cùm pænitens non explicet illud peccatum in confessione, aut saltem sufficienter non explicet. Nam hoc peccatum committitur, vel continuatur cum absolutione: penitens autem non potest dici, fecisse illius peccati confessionem, quod in tempore cōmittitur absolutionis, cùm peccatorum confessio fiat de præteritis, & non de futuris; cùm autem penitens quando confessus est nondum commisisset hoc peccatū sed adhuc esset commissurus, vel continuaturus, dici nō potest integrè, & sufficienter confiteri sua peccata; tum quia sacramentum penitentiæ sine dolore requisito ad ipsius essentiam nō subsistit; non adest autem dolor essentialis, dum penitens mala fide recipit sacramentum cum mortali peccato actuali; igitur &c.

13 Atque hinc inferunt Doctores statim citandi, quòd qui recipit sacramentum cum fictione inculpabili, eò quòd sacramentum validè,
14 sed informe suscipiat, fictione recedente, idest posita attritione, seu dolore peccatorum, qui sine culpa mortali prætermissum fuerat in susceptione sacramenti confert suū effectū, recipitq; gratiā, & charitatem. Ita *Suar. disp. 20. sect. 5. n. 14. Aretinus tom. 2 dist. 17. qu. vnica art. 7. vers. dico 2. Vazquez tom. 4. ad tertiam partem quæst. 92. art. 3. dub. 4. Henriquez lib. 4. cap. 16. nu. 2. Filiucius tract. 6. cap. 9. quæsito 11. n. 132. Valentia tom. 4. disp. 7. q. 11. punct. 7. Bonacina vbi suprà num. 5. Pesantius loco citato disp. 4. conclus. 2. Sayrus de pænitent. cap.*
15 *37. n. 3. & alij apud Vazquez*: Secùs verò dicendum est de illo, qui fictè fictione mortaliter culpabili sacramentum recipit penitentiæ. Huius assertionis rationem assignant communiter, tum quia sacramentum penitentiæ non est minoris efficaciæ, quàm sit respectu solutionis Chirografum: sicut autem debitor licet intuitu Chirografi non statim semper persoluat debitum, ob aliquod impedimentum: nihilominus, sublato impedimento, soluit; ita penitentiæ sacramentū licet, ob aliquem defectum, suum non statim conferat effectum; nihilominus, sublato defectu, impedimentoue, confert: tū quia peccata manifestata in sacramēto informi remittenda sunt per aliquod sacramentum pænitentiæ, sed nō remittuntur per aliud quā per ipsummet sacramētum informe. Penitens enim non tenetur peccata in tali confessione manifestata iterum confiteri, propositumq; habere potest nunquā illa de nouo confitendi; igitur remittuntur per ipsum sacramentum informe, posita dispositione necessaria ad fructum.

16 His præmissis haud obscurè patet, quàm ineptè respondit *Aloysius à Cruce* nostro argumento; etenim falsum est, illum, qui sacrilegè suscepit sacramentum pænitentiæ, hoc est per mortalē fictionem per accidens reportare fructum sacramenti; cum enim actuali peccato (regulariter loquendo) stare non potest gratia: cùm igitur huiusmodi sacrilegè peccans stat semper cum peccato mortali, & ideo si conteratur, seu de nouo sua confiteatur peccata, non potest cum fructu recipere penitentiæ sacramentum; atque adeò qui fictè inculpabiliter suscipit sacramentum, fictione recedente, recipit gratiam, & sic iste esse potest melioris conditionis in nostro casu, quàm ille, qui nullam tempore iubilæi fecit confessionem. Vndè respectu istius, scilicèt qui validam, sed informem confessionem, fecit virtute iubilæi; non remanent reseruata

pecca-

peccata etiam oblita, *vt suprà dicta q. 2.* dictum est: non verò ille, qui sacrilegè tempore iubilæi fassus est.

CAPVT QVARTVM.

Argumenta *Aloysij à Cruce* diluuntur.

SVMMARIVM.

1 *Censura Papæ reseruata ablata, tollitur quoque peccatorum reseruatio, quibus fuerat talis censura annexa.*

2 *Peccata reseruata per confessionem Superiori inualidè factam absoluuntur quoad reseruationem, non verò quoad effectum sacramenti, hoc est quoad vinculum.*

3 *Peccata reseruata in confessione nulla & inualida facta tempore Iubilæi inferiori sacerdoti, non sunt ante Tribunal, cui reseruata fuere indicanda.*

4 *Assignatur discrimen, cur peccata reseruata, in confessione superiori inualidè facta non remaneant reseruata; absolutio verò in confessione inualida tempore iubilæi facta vtique.*

1 RESpondendum nunc est pro huius quæstionis complemento ad argumenta contrariæ sententiæ. Ad primum respondeo, verum quidē esse, ad censuram Papæ reseruatam ablatam tolli quoque peccati, cui annexa fuerat, reseruationem: quia ad hanc auferendam sacramentalis non requiritur absolutio, cùm vtraque tolli extra sacramentum, ac proinde semel ablata à quouis potest absolui sacerdote. Ex hoc tamen non sequitur id, quod petit argumentum; quia quando censura Papæ reseruata virtute alicuius facultatis concessæ in ordine ad indulgentiam consequendam, & ad confessionem faciendam aufertur, respectu talis indulgentiæ consecutionis tolli non potest nec peccatorum reseruatio, nisi in confessione valida, ex cuius conditionis complemento pendet eius ablatio.

2 Ad secundùm respondeo, nihil aduersus nos probare: rectè quippe ostendit, peccatorum tolli reseruationem per confessionem superiori factam quamquam inualidè, qua sic ablata, possunt illa deinde à quocunque inferiore absolui confessario. Quod quidem libenter concedimus, prout sequenti *disp. qu. 2.* abundè id ostendemus: Non verò probat, peccata reseruata in confessione nulla, & inualida fassa virtute iubilæi non remanere ampliùs reseruata, ita vt à quocunque possint approbato absolui presbytero; est enim in vtroque casu diuersa ratio, vt ex supradictis patet.

3 Ad tertium respondeo, in primis argumentum illud probare peccata reseruata in confessione inualida superiori facta, ex quo deducta sunt in iudicio proprij iudicis, & iudicata ante Tribunal, cui erant reseruata, ampliùs non remanere reseruata, & ita possunt posteà à quocunque absolui inferiore, quod nos non negamus.

Secundò respondeo, distinguendo antecedēs: si peccata reseruata Superiori fassa sunt in confessione inualida, esse iudicata ante Tribunal, cui sunt reseruata; concedo antecedens, & consequentiam; etenim argumentum hoc modo nihil contra nos probat. Si verò illa peccata sunt inferiori confessa presbytero virtute iubilæi electo in confessione nulla, & inualida, esse iudicata ante tribunal, cui erant reseruata; nego antecedens, & consequentiam; nam tunc illa peccata, ex quo in confessione inualida sunt explicata, nec rectè iudicata, nec absoluta: ac proinde ita remanent reseruata, ac si nunquam in confessione manifestata fuissent.

4 Ad quartum nego assimptum; & ad probationē respondeo, peccatorum reseruationem extra sacramentum auferre posse Prælatum, & absque sacramentali absolutione. Inde quamplures Doctores probabiliter docuere, quòd quando superior Prælatus audit in confessione solùm reseruata, non absoluit sacramentaliter, sed tantùm ab obligatione confitendi illa iterùm superiori, & per id tollitur illorum peccatorum reseruatio: cui opinioni libenter adhæremus, id enim suprà docuimus. Ex hoc tamen non sequitur, per absolutionem inualidam tempore iubilæi obtentam peccatorum auferri reseruationem. Ratio disparitatis est, quia in primo casu pœnitens superiori satisfacit, & finis reseruationis optimè habetur; in secundo autem casu neque Summi Pontificis intentioni pœnitens satisfacit, neque conditio necessaria ad formam iubilæi adimpletur; ac proinde in isto casu remanent peccata reseruata, ita vt absolui non possint, nisi à superiore, cui sunt reseruata: in priori verò casu non ita.

QVAESTIO QVINTA.

Vtrum Religiosus, qui tempore iubilæi venialium dumtaxat meminerat, nullam fecit confessionem, eo elapso, possit à peccatis reseruatis ante illud commissis, & oblitis absolui?

CAPVT VNICVM.

Diuersis Doctorum allatis placitis, Author resoluit, quid sit sentiendum.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui tempore iubilæi nullam fecit confessionem, ex quo conscientiam peccati lethalis non habebat, non potest, elapso tempore iubilæi, sibi confessarium eligere, & à peccatis reseruatis ante illud commissis, & inculpabiliter oblitis absolui.*

2 *Posse ab illis absolui, qui ex opposito doceant.*

3 *Confessio tempore iubilæi solùm ijs præcipitur, qui peccati mortalis oneratam habent conscientiam.*

4 *Religiosus, ex quo omnia in iubilæo præscripta opera præstitit, consecutus est iubilæi priuilegium, iuxta Patrem Dianam.*

5 *Impugnatur, & reprehenditur Diana.*

6 *Confessio requiritur à Summo Pontifice vt conditio necessaria.*

7 *Priuilegium sub conditione concessum non adipiscitur, nisi conditione adimpleta.*

8 *Qui præstitit omnia opera pia in forma iubilæi præscripta, si copiam Confessoris non habuit, & contritus Eucharistiam suscepit, elapso tempore iubilæi, à quocunque potest absolui à reseruatis.*

9 *Quid Author de hac re sentit.*

10 *Religiosus, qui tempore iubilæi in confessione facta, ex iusta causa aliquod non manifestauit peccatum reseruatum, potest, elapso tempore iubilæi, à quocunque ab eo absolui.*

1 HEnriquez *lib. 6. de Sacramentis cap. 16. Pater Suarez to. 4. ad tertiam partem disp. 31. sect. 4. num. 9. Sanchez de matrimonio lib. 8. disp. 115. n. 21. in fine, Portel in addit. ad dub. Regul. verbo iubilæum num. 19. Floronus de casibus reseruatis par. 1. cap. 6. §. 6. num. 3. Bartholomeus à sancto Fausto de iubilæo lib. 4. quæst. 134.* Et *Pater Diana* sibi contrarius *tract. 4. de Sacramentis Resol. 50.* docent, non posse Religiosum, qui consecutus est iubilæum nulla facta confessione, eò quòd peccati mortalis sibi conscius non erat, transacto iubilæo, eligere sibi Confessarium, & à peccatis reseruatis ante illud commissis, & inculpabiliter oblitis absolui. Ratio est, tum quia non est ablata reseruatio illa, nisi per absolutionem sacramentalem tempore iubilæi factam, aut eo transacto virtute eius faciendam: at nulla tempore iubilæi facta est, nec eo transacto impendi potest; quia priuilegium vim non habet, eò quòd iubilæum non est comparatum, ex eò quòd nullam fecit confessionem; tum quia iubilæus non aufert ipso iure casuum reseruationem, sed confert facultatem confessario auferendi media absolutione, quæ tunc non est impensa, nec modo impendi valet.

2 Alij verò, vt *Sanctarellus de iubilæo cap. 13. dub. 2. Alfonsus de Leone, Pater Diana loco, quo supra, versic. Itaque opinio Sanctarelli est probabilis,* & alij quamplures recentiores, quos tacito nomine citat *Henriquez loco, quo supra in Commento littera H;* sustinent partem affirmatiuam, eorum principale fundamentum est, quia ad lucrandum iubilæũ

3 (rigorosè loquendo) confessio præcipitur ijs; qui suam peccati mortalis oneratam cognoscunt cõscientiam; qui verò nullius est mortalis conscius peccati, ad confitenda peccata venialia non tenetur; licèt vnicuique operæ pretium esset, præsertim tunc temporis de peccatis venialibus confiteri. Verùm cùm præfatus quidquid ad iubilæũ necessarium erat, perfecerat, iam iubilæum lucratus est, & priuilegium, vt ab omnibus casibus reseruatis absoluatur, atque in votis reseruatis dispensetur sibi vendicauit; Quia confessio à tali Religioso non requiritur; & cùm priuilegium à prædictis casibus, & votis absoluendi ad tempus iubilæi non restringatur, pœnitens, etiam elapso iubilæo, priuilegio sibi parto gaudere potest. Hæc ille.

Verùm hæc Sanctarelli sententia, quamquam à Patre Diana probabilis existimetur, mihi nullo modo probatur; igitur prima sententia est verior omninò sequenda; tum ob validum fundamentum, quo fundatur; tum etiam ob authoritatem, atque grauitatem Doctorũ, qui eam sequuntur.

4 Et quamquam ex Sanctarello Pater Diana in hunc modum prioris sententiæ fundamenta soluat, dicendo, illa peccata esse adhuc reseruata; quia neque directè, neq; indirectè absoluta fuere; Nihilominus quia Religiosus ille præstitit omnia opera pia ad iubilæum lucrandum præscripta, de facto consecutus est iubilæum; Quamobrem obtinuit priuilegium, vt à casibus reseruatis absoluatur, quod priuilegium ad tempus iubilæi restringendum non est; & ideò illo transacto, potest a quocunque confessario, virtute illius priuilegij, & consecutione iubilæi obtenti, absolutionem à peccatis reseruatis obtinere.

5 Hæc autem responsio profectò non est digna viro docto; Nam in primis, licèt verum sit, eum, qui solum de peccatis habet conscientiam venialibus non obligari ad confitendum; nihilominus ex suppositione potest id præcipi, quatenùs Summus Pontifex sub conditione iubilæi concedit priuilegium, vt nimirum, qui velit illud consequi, sacramentalem teneatur præmittere confessionem: Cum vero quis se determinat lucrari iubilæum, talem acceptat conditionem, & sic tenetur illa peccata, quorum meminit, aut saltem aliquod mortale iam confessum, & absolutum confiteri; quòd si id facere omittat, iubilæi priuilegium non consequitur, vt à casibus reseruatis absoluatur ante illud commissis, & oblitis, elapso iubilæi tempore. Facultas enim absoluendi à reseruatis conceditur in ordine ad iubilæum consequendum, vt *Bonacina, Filiucius, Rodriquez, Vazquez, Suarez, Reginaldus locis citatis,* & alij communiter docent, & Sanctarellus non negat, vt ex allegatis eius verbis patet. Ad consecutionem

6 autem iubilæi necessariò exigit Summus Pontifex confessionem tanquam conditionem, vt idẽmet Sanctarellus asserit: Si igitur nullam fecit tempore iubilæi Religiosus confessionem, eò quòd nullius peccati mortalis conscius erat; certè non lucratur iubilæum, quia conditionem prętermisit necessariò requisitam; ergo neque priuilegium obtinuit, vt possit à reseruatis oblitis,

7 tempore iubilæi transacto, absolui. Hæc consequentia patet; Nam priuilegium sub conditione concessum non adipiscitur, nisi conditione adimpleta: facultas autem absoluendi à reseruatis cõcessa tempore iubilæi non conceditur absolutè, sed sub conditione, vt fatetur, ad hoc, vt valeat lucrari iubilæum; Igitur qui nullam fecit confessionem in illo præfixo tempore, non est lucratus iubilæum, & per consequens, eo elapso, non potest quis à reseruatis commissis ante illud, & oblitis absolui.

8 Quæres primò; an qui tempore iubilæi copiam non habuit confessarij, præstitit nihilominus omnia, quæ in iubilæo præscribuntur, & contritus sacram sumpsit Eucharistiam, possit, transacto iubi-

iubilæi tempore, absolui à reseruatis? Affirmatiuè respondent *Alfonsus de Leone vbi supra, Zanardus in direct. confess. par. 1. de sacram. pœnit cap. 2. quæst. 20.* Et *Pater Diana* loco citato, quia iste verè lucratus est iubilæum, & per consequens ius acquisiuit, vt elapso iubilæi tempore, absolui possit à reseruatis; Verùm licèt hoc probabile sit, tum quia in hoc casu benignè est interpretanda Summi Romani Pontificis intentio; non enim est credibile, velle Papam has non lucrari iubilæi indulgentias; ac proinde etiam priuilegium absoluendi à reseruatis, illo tempore elapso; tum quia pœnitens fecit quantum in se est, nec per ipsum stetit, vt confessionem præceptam non præmitteret; Si enim copiam habuisset confessoris, certè conditionem, quam Summus Pontifex ad formã iubilæi exigit, adimpleret. Nihilo-
9 minus hac in re semper hæsitaui; Etenim non est facile cognitu, huiusmodi pœnitentem veram habuisse contritionem, aut saltem supernaturalem attritionem, vt virtute Sacramenti pœnitentiæ fieret contritus, ad hoc, vt lucrari possit iubilæum, & quoque priuilegium, vt, elapso iubilæi tempore, valeat absolui à reseruatis. Quamobrem consulerem, vt cautè in hoc casu procedat confessarius. Debet quippe benè pœnitẽtem examinare, & constito de pœnitentis dispositione, vti supradictorum opinione Doctorum.

10 Quæres secundò: Religiosus, qui in confessione aliquod peccatum reseruatum non manifestauit tempore iubilæi facta; ne V.G. complicem manifestaret, vel ex aliqua iusta causa, potest ne postea, transacto iubilæo, de tali peccato à quocunque absolui confessario? Respondeo, si omnia alia opera pia in iubilæo præscripta præstitit, posse à quocunque inferiori confessario absolui à tali peccato reseruato; quia censendum est tanquam oblitum, & per consequens indirectè est respectu illius reseruatio ablata. Ità sentiunt *P. Diana*, & benè, loco supracitato in fine, & *Homobonus in examin. Eccles. par. 1. tract. 5. cap. 6. quæst. 38.*

DISPVTATIO TERTIA.

De peccatis in confessione Superioribus facta oblitis ijsdem Superioribus reseruatis.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum Religiosus, qui legitimè suo Superioris fassus est peccata reseruata, ab oblitis posteà absolui possit à quocunque confessario?

CAPVT PRIMVM.

Varia *Doctorum* Placita.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui peccata sua reseruata fassus est habenti auctoritatem ab illis absoluendi, non tenetur oblitis in illa confessione inculpabiliter amplius suo Superiori fateri.*

2 *Excommunicatio tollitur per generalem absolutionem, quæ remittitur ante peccatorum absolutionem.*

3 *Confessarius ex eò absoluit pœnitentem ab oblitis reseruatis; quia habet intentionem ab illis absoluendi pœnitentem, qui fecit quantum in se est.*

4 *Sacerdos absoluit pœnitentem ab oblitis reseruatis; quia habet intentionem auferendi omne peccatum, etiam obliuioni traditum, & conferendi gratiam sacramentalem.*

5 *Peccatorum reseruatio non tollitur per quamcunque absolutionem à legitimo Superiore, sed per absolutionem ab eodem datam de peccato reseruato cognito, vel habente auferendi reseruationem intentionem.*

6 *Pœnitens, qui fuit à cõfessario absolutus communem dumtaxat habente absoluendi intentionem, licèt ab oblitis maneat quoad culpam absolutus, non tamen à reseruatione.*

7 *Pœnitens, qui bona fide accedit ad Confessarium, illi manifestans se intendere suam conscientiam omnino exonerare à quacunque etiam culpa reseruata; si ex obliuione aliqua taceat peccata reseruata, non remanent amplius reseruata.*

8 *Ad hoc, vt peccata reseruata in confessione oblita ampliùs reseruata non maneant, satis est, vt pœnitens ad confessionem accedat eo animo integrè sua fatendi peccata.*

1 PRæsens quæstio intelligitur, cùm quis Superiori confitetur aliqua crimina reseruata, alicuius tamen fuit oblitus; vtrum ab illo posteà à quocunque confessario communi absolui possit, sicut si nunquam fuisset reseruatum? Et idem fit, si aliquis habenti facultatem absoluendi à casibus reseruatis certo tempore ex ignorantia casum reseruatum non confitetur; an posteà ab illo possit absolui, elapso illo tempore, à quocunque qui non habet potestatem absoluendi à casibus reseruatis? Qua in re nõ est vna Authorum sententia. Putant quamplures; Si aliquis habet peccata reseruata; quæ tamen habẽti facultatem absoluendi à reseruatis cõfiteatur, & reseruatum aliquod non cõfiteatur propter ignorantiam aliquam inculpabilem, illud iam manere, vt nõ teneatur ampliùs Superiori, aut habẽti facultatem tanquam reseruatum confiteri, sed satis erit confiteri alteri Sacerdoti communem habenti facultatem circa peccata mortalia communia. Existimant igitur ex eo tantùm iam fuisse sublatam reseruationem, quia ille habenti facultatem absoluendi fassus fuerit. Hi sunt *Gabriel in 4. distin. 17. quæst. 1. art. 3. dub. 2. circa finem illius, Adrianus in 4. quæst. 4. de confess. §. si petas circa dicta, Rosella ver-*

verbo, Confessio 2. num. 9. Syluester verbo, Confessio 1. quæsito 4. Angelus verbo, Confessio 1. num. 12. Couarruuias in cap. Alma mater 1. par. relect. §. 11. num. 12. Canus relect. de pænit. 5. par. §. id vero in fine, Ledesma 2. par. 4. q. 8. dub. 8. art. 1 Nauarrus in Summa cap. 26. num. 13. & cap. consideret de pænit. dist. 5. cautus num. 30. & nouissimè *Pater Diana tract. 11. de Bulla Cruciatæ resol. 19. versic. sed sine vlla distinctione dicendum est*, vbi allegat *Henriq. lib. 6. cap. 16. num.* 5. & communiter antiquiores Theologi in materia de pœnitentia.

2 Fundari potest hæc sententia; tum quia quando peccatum annexam habet excommunicationem, excommunicatio per generalem tollitur absolutionem, quæ communiter ante peccatorum præmitti solet absolutionem dicendo: *Absoluo te ab omni vinculo excommunicationis &c.* ergo etiam peccatorum reseruatio per formam

3 consuetam, & absolutam tollitur, dicendo: *Ego te absoluo à peccatis tuis*; tum quia Confessarius iurisdictionem habet absoluendi, & vult absoluere, vt supponendum est; & pœnitens facit quod in se est, seque constituit præsentem Superiori, aut Sacerdoti facultatem reseruatorum habenti, vt ab eo recipiat absolutionem, & satisfactionē, quam confessarius iudicauerit iniungendam, iuxta pœnitentis dispositionem; Igitur confessor validè absoluit ab omnibus peccatis, & pœnitens absolutionem consequitur etiam de oblitis.

4 Ita verum hoc existimant nonnulli supracitatorum Doctorum; vt extendant id etiam in casu, quo Superior, vel alius inferior Sacerdos expressam non haberet intentionem absoluendi à reseruatis. Ducuntur ad sic asserendum, quia licèt Sacerdos habens facultatem circa peccata reseruata intentionem expressam non habeat absoluendi ab oblitis, reuera nihilominus habet conferendi gratiam intentionem, & ita auferēdi omne peccatum, obliuioni etiam traditum; & cùm ille habeat potestatem absoluendi ab eo casu reseruato, non tantùm consequenter absoluet ab eo, sicut quicunque simplex Sacerdos absoluens à non reseruatis, absoluit etiam à non reseruato, cuius oblitus fuerat pœnitens consequenter, sed etiam absoluit directè, hoc est ex potestate, quā habet circa illud peccatum reseruatum, à quo absoluere posset, etiam si in cōfessione exprimeretur. Tollitur ergo à peccato illo reseruatio ex effectu absolutionis impensæ ab habente authoritatem, quæ directè effectum habet circa peccatum reseruatum.

5 Existimant ex opposito iuniores Theologi, reseruationem non tolli per quamcunque absolutionem collatam à legitimo Superiore facultatem reseruatorum habente, sed per absolutionem datam à Superiore, cognito peccato reseruato, vel habente intentionem auferendi reseruationem. Ita *Suarez ad 3. par. disp. 31. sect. 4. nu. 18. Vazquez tom. 4. ad 3. par. quæst. 91. art. 3. dub. 5. n. 19. & sequentib. Bonacin. disput. 5. de sacram. pænit. q. 7. puncto 5. §. 5. proposit. 1. num. 4.* Ratio esse potest, quia in hoc videtur posita tota reseruationis obligatio, vt sicut pœnitens tenetur omnia peccata etiam non reseruata, subijcere clauibus, & confiteri in particulari, postquàm venerint in mentem, ita multò magis reseruata tenetur confiteri nō cuicunque Sacerdoti, sed habenti legitimam circa reseruata facultatem, vt ab eo feratur iudicium, & debita imponatur pœna, seu satisfactio.

6 Quamobrem pœnitens, qui fuit absolutus à Cōfessario solùm cōmunem habente & generalem intentionem absoluendi, licèt absolutus remaneat à peccatis oblitis quo ad culpam, non tamen liber est à vinculo confitendi legitimo Superiori peccata reseruata: Nam perindè est, ac si fuisset ab inferiore absolutus. Et peccata non reseruantur, vt tollantur per quamcunque absolutionem, aut gratiæ infusionem, cùm hoc quoque fiat ab inferiore, quando pœnitens alicuius peccati reseruati inculpabiliter in confessione obliuiscitur, sed reseruantur, vt ipsorum reseruatio à legitimo tollatur Superiore volente illam auferre. Superior autem non præsumitur velle peccata reseruata auferre per cōmunem intentionem conferendi Sacramentum, cùm Superior per huiusmodi intentionem non magis operetur circa casum reseruatum, quàm operetur intentio alterius Sacerdotis, qui reseruationem auferre non intendit, sed censetur cōferre gratiam, per quam peccata reseruata non remittuntur quoad obligationem exponendi illa legitimo Superiori, qui de illis iudicium ferat, debitamque imponat pœnitentiam; vt benè tradit *Vazquez* loco citato, *num.* 10. cuius est hæc allata ratio.

7 Medias autem sequentes viam voluere quamplures, si pœnitens bona fide ad cōfessionem accedat, & confessario manifestet, se intendere suā conscientiam omninò exonerare à quacunque culpa, etiam reseruata, si quam habeat; tunc etiā si casus aliquis reseruatus ex obliuione taceatur, liber manet à reseruatione; & ita à quocunque potest ab illo reseruato absolui. Ratio est, quam suprà tetigimus; nimirum, quia tunc pœnitens videtur facere quod in se est, dum se repræsentat confessario authoritatem habenti: qui ei similiter imponit accommodatam satisfactionem, iuxta moralem dispositionem, quam agnoscit in eo. Ita sentit noster *Pater F. Aloysius à Cruce in expositione Bullæ Cruciatæ disp. 1. cap. 3. dub. 12. nu.* 13. & alij apud ipsum.

8 Tandem alij nō cognoscunt necessariam hanc explicationem esse faciendam, sed satis est, si pœnitens accedat ad confessarium animo, vt integrè sua fateatur peccata. Ita *Conichius de Sacramentis disput. 8. dub. 12. n. 98. Reginaldus tom 1. lib. 8. cap. 7. num. 99. Nuñus in addit. ad 3. partem tom. 2. quæst. 9. art. 2. dub. 4. Megala 1. par. lib. 1. cap. 14. num.* 7. Pater *Diana loco, quo suprà versic. At ijs minimè suffragantibus*, puto cōtrariam sententiam esse probabilem & tutam in praxi; *Aloysius à Cruce loco citato, vers. dico tertiò*, probabiliùs mihi videtur, & in praxi tutum oppositum. Hæc sententia suadetur primò; quia esto pœnitens non petat explicitè absolutionem à reseruatis, censetur tamen ea petere

tere saltem interpretatiuè; Venit enim ad cōfessionem animo exonerandi conscientiam suam omnibus peccatis, quantum fas sit. Vndè si ei occurreret peccatum aliquod reseruatum, peteret quidem absolutionem illius; igitur similiter confessarius censetur hic & nunc penitentem absoluere à peccatis quantum licitè potest, & consequenter tollere reseruationem. Item, quia penitens dum ad confessionem accedit, quamuis non distinctè, confusè saltem cogitat de omnibus, etiam reseruatis absolui: intēdit enim ad gratiam Dei reduci; quòd nisi de omnibus absoluatur, assequi non poterit; Igitur cōfessarius per eandem intentionem erga illum procedere censetur; Igitur &c.

CAPVT SECVNDVM,

Quædam notabilia pro dicendorum dilucidatione necessaria.

SVMMARIVM.

1 *Peccatum reseruatum obliuioni traditum nunquam quoad reseruationem remittitur per generalem intentionem, quam habent Confessionis Ministri, etiam si Superiores sint.*

2 *Peccatorum reseruationem iure diuino oriri ex institutione indicij confessionis; Declaratur dilucidè.*

3 *Penitens, qui in confessione alicuius reseruati inculpabiliter obliuiscitur, per sacramentalem absolutionem ab eo iustificatur.*

4 *Casus reseruatus in confessione, ratione obliuionis, non explicatus non iudicatur à Confessario.*

5 *Peccatum reseruatum obliuioni traditum in Confessione Superiori facta cur per generalem intentionem, quam habent alij inferiores Sacerdotes, non liberatur à reseruatione.*

6 *Ostenditur, nullam esse differentiam, quam statunt Doctores inter presbyterum inferiorem indirectè absoluentem penitentem ab oblitis reseruatis, & Superiorem eodem modo absolutionem prestantem.*

1 AD huius Quæstionis intelligentiam, quæ difficilior est, quàm apparet, vt pulchrè aduertit *Vazquez loco citato num. 9.* vt, quid ipse senserim, clariùs explicetur, aliqua sunt necessariò (& certè scitu digna) animaduertenda. Primum est; peccatum reseruatum obliuioni traditum nunquam quo ad reseruationem remitti, quamquam quo ad culpam, & coram Deo sit absolutum, etiam si in confessione Superiori facta fuerit oblitum, & iste generalem habeat absoluendi intentionem, quam omnes alij habent inferiores Presbyteri absolutiones impendentes de omnibus peccatis tam in confessione explicatis, quàm de ijs, quæ sunt obliuioni tradita. Nam sicut Sacerdos inferior potestatem habens communia absoluendi peccata ita absoluit, vt penitens de oblitis iterùm illi, vel alij confiteri teneatur, & absolutionem obtinere; eò quòd illa peccata, quatenus oblita, non fuere verè iudicata, vt statim dicemus, ac proinde iterùm iudicio sūt subijcienda Sacerdotis, vt iudicentur, & formaliter absoluantur; Ita peccata reseruata ignorantia inuincibili in confessione superiori facta oblita, quamquam absoluta sint ratione gratiæ, quam Sacramentum confert; remanet semper nihilominus penitenti obligatio illa Superiori confitendi, cuius iudicio, & Tribunali sunt reseruata: eo modo, quo peccata communia obliuioni tradita, ex quo iam sunt absoluta, cum iam in mentem veniunt, subijci non possunt simplicis Sacerdotis iudicio, sed illius, qui facultatem habet ab illis absoluendi.

2 Hæc autem, vt meliùs percipiantur, notandum est ex *Vazquez vbi suprà*; peccatorum reseruationem ex iure Diuino habere ortum, & institutione huius iudicij confessionis: Cùm enim iure Diuino quisque teneatur semel saltem peccata sua in particulari, hoc est in specie, & numero, in confessione explicare iudicanda, & absoluenda, quamuis cùm aliquis oblitus alicuius peccati illud non confiteatur, apud Deum remissionem illius consequatur per gratiæ infusionem in Sacramento, qua omnia simul delentur peccata; quia eorum remissio connexa necessariò est, non tantùm de facto, sed etiam ex natura iustificationis, vt verior, & communior Scholasticorum docet sententia; tamen ille adhuc obligatus manet illa in particulari confiteri peccata, cùm sibi memoriæ occurrerint, suo tempore, non vt illorum consequatur remissionem, eò quòd reuera apud Deum de illis verè iustificatus fuit, sed cōfessionis præcepto, vt Sacerdotis subdantur iudicio, veluti & peccata, quæ sunt per contritionem remissa. Confessionis enim præceptum hoc intendit, vt coram iudice explicentur peccata, etiam si corā Deo absoluta fuerint, aut contritione, aut in cōfessione, quæ tradita erant obliuioni, cum alijs, quæ explicata fuere: sic etiam reseruatio peccati in foro penitentiæ nihil aliud est, quàm subditum obligare, vt illius faciat confessionem, nō coram quocunque alio presbytero, etiam communem habente facultatem, sed coram tali Superiore, cui illius peccati iudicium est reseruatum. Imò inferioribus Sacerdotibus facultatem habentibus ad aliorum peccatorum absolutionem, ita negatur facultas absoluēdi ab illo peccato, vt si absoluāt, peccent; & absolutio impensa non valeat, & cōsequenter nec à ceteris peccatis absolutio, & ita omninò sit nulla, quia omnium absolutio mortalium annexa est; quia ergo illis negatum est in reseruatione iudicium in confessione illius peccati, ideò cùm illud penitens confitetur, nec ab illo, nec ab alijs absoluere poterant.

3 Penitens verò si confiteatur communia tantùm peccata, quæ Superiori minimè sint reseruata, reseruatum verò Superiori non confiteatur inferiori, eò quòd sibi non venit in mentem, quidem consequi potest omnium absolutionem, & ab omnibus iustificatur, etiam à reseruato, quod erat obliuioni traditum, quia peccatum reseruatum in tantum absolutionem irritat aliorum, in quantum explicatum est in confessione, vt de illo cum alijs feratur iudicium; Cùm ergo reseruatum

tum sit, & ita de illo iudicare non possit inferior Sacerdos, nec de alijs etiam iudicare poterit, vndè & à nullo absoluere: aliàs nulla erit absolutio; eò quòd iudicium, & absolutio omnium mortalium ita connexa est, vt de vno sine alio iudicari nequeat.
4 Cùm verò casus reseruatus ratione obliuionis in confessione non explicatur, sed peccata dumtaxat explicantur communia; iudicium non fertur, nisi de illis, quæ in confessione sunt exposita: & quia de illis potest iudicare Sacerdos, impendere absolutionis potest sententiam, & tenetur. Consequenter verò quia confert gratiam, tollit quo ad culpam peccata reseruata, manet tamen obligatio confitendi ei, qui possit absoluere, cùm memoriæ occurrerit. Ideò ergo tunc tenet absolutio, quia peccatum reseruatum non eximit omninò pœnitentem à Iurisdictione inferioris Sacerdotis, vt omninò inhabilem faciat absolutionis sacramentalis, nisi quando ille peccatum cōfitetur reseruatum, quod cùm ille Sacerdos iudicare non possit, nō potest absoluere, vndè nec ab alijs, quorum absolutio cōnexa debet esse (vt dictum est) cum absolutione à reseruato; eò quòd reseruatio iurisdictionem tollit, & ita absolutionis impedit effectum, sed iurisdictio tantùm tollitur respectu iudicij ferendi in cōfessione, quod tantùm fertur de ijs, quæ pœnitens confitetur; quia hæc tantùm adducuntur. Ex his igitur manifestè patet, quod peccatum reseruatum in confessione inferiori facta oblitum, cùm nō sit in iudicio ductum, neque in illo iudicatum, neq; iudicari posset si adduceretur; sequitur euidēter, quòd sit à Superioris iudicium iterùm ferendum, atque iudicandum.

5 Hinc secundò notandum est, quòd si pœnitens suo Superiori confiteatur peccata, & alicuius nō meminerit; quàm Superior generalem habeat absoluendi intentionem, quam habere solent inferiores Sacerdotes, absoluēdo pœnitentes, nō remanet illud peccatum à reseruatione liberum, sed iterum est ad Tribunal, & iudicium Superioris ferendum, vt iudicari, & absolui possit; Ratio est, tum quia si tunc nullam aliam habet intentionem, quàm cōmunem, quam habet quisque Sacerdos actualem, aut virtualem, (quæ satis est ad absoluendum hominem & iustificandum) nil aliud operabitur, quàm quicunque Sacerdos, vt cōsequenter omnia tollat peccata, quorum oblitus est pœnitens, illi tamen maneat obligatio expresse confitendi, & consequenter si reseruata sunt suo confitendi confessario, qui de illis iudicare valeat. Quòd enim illa ablata sint in gratiæ infusione etiam ab eo Sacerdote, qui de illis absoluere posset, si in confessione dicerentur, non est in causa, vt iam reseruata non maneant, eò quòd Sacerdos id non fecit, ad quod ea sunt reseruata; nimirum ferre iudicium de illis in particulari, audiendo illa in confessione: neque enim ad hoc reseruata sunt, vt tollerentur eo modo per gratiæ infusionem, quando eorum est oblitus pœnitens: hoc enim quilibet Sacerdos faceret, sed vt iudicaret de illis & medelam apponeret ipse, cui sunt reseruata, & non alius, nisi ex eius commissione. Quando ergo Superior aliam non habuit intentionem, quàm communem ministrandi Sacramentum absolutionis, nihil aliud effecit, quàm alius Sacerdos, & cùm nondum iudicauerit de illis in particulari, à quo reseruata fuerunt; ille pœnitens non tantùm communi præcepto diuino illa confiteri tenetur, vt semel saltem de illis in confessione feratur iudicium, sed tenetur ei confiteri, cui reseruatum est illorum in confessione iudicium; Quia hoc nunquam factum est, nec hanc obligationem videtur abstulisse Superior ex eo, quòd ab alijs reseruatis absoluit, aut alijs tantùm communibus, & intendebat Sacramenti effectum conferre, vt explicatum est.

6 Atque hinc patet, nullam esse differentiam, quæ assignari solet inter cōmunem Sacerdotem, & Superiorem, cui reseruatum est peccatum; quòd scilicet communis Sacerdos dum intendit absoluere, & à reseruatis absoluit, quæ obliuioni tradita erāt, absoluit tantùm consequenter, quia non habebat facultatem absoluendi ab illis, si in confessione exprimebantur: At verò Superior ab ijs etiam absoluit directè, quia absoluit ex facultate, quam habet. Hæc differentia sanè nulla est, quinimmo falsa, quia tunc verè ab vtroque per infusionem gratiæ absoluuntur peccata non iudicata in confessione propter obliuionem. Vndè consequenter ab vtroque, etiam absoluuntur hoc modo, cùm vterque habeat facultatem. Directè verò tantùm dicitur absolui peccatum, cuius fertur iudicium in confessione, & illud, cuius fuit obliuio, non sic fuit absolutum: habet quidem Superior facultatem sic absoluēdi, quòd est directè absoluere, vt in prima parte huius tractatus notauimus: Inferior verò non habebat, sed revera non fuit sic concessa absolutio. Vndè falsò asserunt aliqui ex Doctoribus in proximo capite citatis, illud peccatum, quod erat reseruatum, non manere reseruatum, quando prætermissum fuit in confessione ex obliuione coram Superiore, quia tunc directè fuit absolutum; est ergo falsum, quia (vt ostensum est) non habuit effectum directè. In illud enim tunc dicitur habere effectum directum, quando est in confessione expressum, & ab eo iudicatum. Vndè illa absolutio licèt culpam abstulit, non abstulit à reseruatione, scilicet vt iudicaretur à Superiore, ad quod reseruatum erat. Neque enim erat reseruatum, vt tolleretur tantùm à Superiore, etiā quando esset ex obliuione in confessione prætermissum: Hoc enim simplex Sacerdos facere poterat; sed vt solùm ab ipso cognosceretur in confessione iudicandum, quando illud confitendi occurret præceptum.

Ex his omnibus, si benè ponderentur, ferè omnes corruunt Doctorum opiniones, quas in præcedenti attulimus capite, & consequenter facili negotio fundamenta, quibus illæ innituntur, soluentur.

CA-

CAPVT TERTIVM.

Iuxta *Vazquez*, & *Suarez* sententiam *Author* resoluit Quæstionem.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus à reseruatis absolutus à Superiore, solùm intentionem administrandi Sacramentum pœnitentiæ habente, non remanet liber à reseruatis oblitis.*

2 *An Religiosus, qui Summi Romani Pontificis Pœnitentiario fatetur, liber maneat à reseruatis in illa confessione oblitis.*

3 *Religiosus, qui Superiorem adit gratia reseruatorum obtinendæ absolutionis, illique explicat se oneratam casibus reseruatis habere conscientiam, tunc peccata oblita in confessione ampliùs non remanent reseruata.*

4 *Religiosus pœnitens absolutus à reseruatis à suo Superiore, iuxta suæ plenitudinis potestatem, habente intentionem absoluendi, remanet liber de oblitis reseruatis.*

5 *Religiosus casus habens reseruatos, & censuras, si suo proprio fatetur Superiori, non solùm remanet absolutus, verum etiam & à casibus reseruatis non habentibus annexas censuras, si modò habeat intentionem absoluendi etiam ab oblitis reseruatis.*

6 *Religiosus absolutus à Confessario facultatem ex vi priuilegij habente absoluendi à censuris, & casibus reseruatis, si habuit intentionem absoluendi pœnitentem à reseruatis, liber remanet à reseruatione tam peccatorum, quam censurarum.*

7 *Religiosus absolutus ab eo, qui habet potestatem delegatam à suo Superiore absoluendi à censuris, & casibus reseruatis, etiam si habeat intentionem ab omnibus his absoluendi, non remanet liber ab obligatione iterùm confitendi peccata reseruata obliuioni tradita illi, qui habet facultatem absoluendi ab illis.*

8 *Intentio absoluendi ab omni censura reseruati casus non tollit obligationem peccatum illud reseruatum confitendi coram suo Superiore.*

9 *Reseruatio peccatorum ex sola Superioris intentione tolli potest, & quomodo contra* Vazquez.

10 *Presbyter, qui facultatem habet censurarum, & reseruatorum casuum, si Religiosum à reseruatis peccatis absoluendo, intentionem habeat illum absoluendi à reseruatis obliuioni traditis, quatenus reseruata sunt, non remanent ampliùs reseruata.*

1 HIs ergo animaduersis ac notatis, dico primò; Si Superior absoluens Religiosum à Reseruatis, solùm habeat intentionem administrandi Sacramentum, non remanere liberum à reseruatione peccatorum, quorum oblitus fuerat in confessione. Ita Pater *Suarez tom.4. ad 3 par. disp. 31. sect.4. num.18. Vazquez tom.4. ad 3. par. qu. 91. art.3. dub.5. num.18. & seqq. Bonacina disput. 5. de Sacram. pœnit. quæst.7 §.5. num.3.* consentit ex parte *Aloysius à Cruce in exposit. Bullæ Cruciatæ cap. 3. dub. 12. num. 13. vers. Dico secundò.* Hæc assertio ex dictis primo, & secundo notabili patet. Suaderi autem potest primò; quia absolutionis forma nō operatur vltrà intentionem proferentis; igitur si Superior intentionem aliam non habuit, quàm Sacramentum administrare, nec actualem, nec virtualem saltem intentionem absoluendi à reseruatis oblitis; non remanent absoluta quo ad reseruationis liberationem. Minor, & cōsequentia sunt notæ. Maior patet, quia actus agentium non operantur vltrà intentionem eorum, *cap. fin. de præbend. & l. non omnis, ff. de rebus credit.*

2 Secūdò; quia opposito dato, sequeretur, quòd qui Pontifici Maximo, aut suis Pœnitentiarijs, aut Religiosis Mendicantibus multa habentibus priuilegia, aut Superiori in sua Religione confiteretur vnum peccatum reseruatum inter alia communia, & nō confiteretur aliud reseruatum, quod habebat ex obliuione; iam liber maneret ab illius obligatione; vt deinceps esset commune peccatum, quod est dissonum à ratione. Immò etiam si nullum reseruatum ex obliuione confiteretur, sed communia duntaxat, iam à reseruatione oblitorum absolutus maneret, quòd enim explicet. Vnum reseruatum, nullum explicet, nō videtur differentia, quia semper est intentio Superioris administrandi Sacramentum, & non auferendi peccata omnia, etiam reseruata, quoad culpam: nunquam autem ex illa intentione colligi potest intentio tollendi ab oblitis reseruationem; Igitur si aliud manifestè non constet per illam communem intentionem, ab oblitis non tollitur reseruatio; Et consequenter non remanet Religiosus sic absolutus liber à reseruatione, & cuicunque maluerit. possit deinde à reseruatis obliuioni traditis absolui.

3 Dico secundò; si subditus adit Superiorem gratia reseruatorum obtinendæ absolutionis, explicatque se habere casibus oneratam conscientiam reseruatis, tunc reseruata in illa cōfessione oblita ampliùs non remanent reseruata, ita vt à quocunque potest absolui. Hæc assertio est iuxta mentem Doctorum vltimæ opinionis primo capite allatæ. Probatur; quia tunc intentionem habere oportet Superiorem, subditum absoluēdo, qua iste explicauit in confessione, peccata fatendo reseruata, suum animum; atqui intentio subditi fuit, suam expiare conscientiam ab omnibus reseruatis, quibus oneratam cognoscebat, & sic explicaret, si mēti occurrissent omnia oblita; igitur Superioris intentio ea fuit, vt vellet omnem auferre reseruationem: ac subinde remanet liber Religiosus à reseruatione oblitorum, vt cuicunque voluerit, confiteri possit approbato presbytero, & ab illis absolui.

4 Tum etiam, quia subditus veræ reseruationis intentioni, atque fini (quantum de se est) satisfecit; tum quia illa delata sunt ad Tribunal iudicanda, à quo ex vi reseruationis erant iudicanda Hæc assertio sic illustrata ita est certa, vt à nemine negari possit, estque ad mentem *Suarez*, & *Vazquez*, atque omnium aliorum Doctorum, quos *cap.1.* citauimus.

4 Dico tertiò; si Superior subditum absoluens à reseruatis, habeat intentionem absoluendi secū-dùm

dùm totam suam potestatem, seu iuxta plenitudinem suæ facultatis, seu quantum potest, remanere subditum à reseruatione oblitorum liberũ. Ita *Bonacina vbi suprà*; ratio est, quia tunc intendit omnem auferre reseruationem.

5 Hinc infero primò, pœnitentem casus habentem reseruatos, & censuras, si sua peccata proprio confiteatur Superiori, non solùm remanere absolutum à censuris, verùm etiam & à casibus reseruatis non habentibus annexas censuras, modò habeat intentionem absoluendi à peccatis reseruatis, etiam oblitis. Ita *Emanuel Sà, verbo, Confessio, num.5. Henriquez lib.6. cap. 16. num.5. Reginaldus lib.6. num.152 Sanchez in summa lib.2. cap. 121. num 9. Suarez loco citato sect.3. num. 14. Vazquez vbi suprà, Conichius disput. 8. dub. 12. num.93. Nauarrus in Manuali cap.26 num.13. Angelus, verbo, Confessio 1. num. 22. Syluester verbo, Confessio primo quæs.4. Rodriquez in summa cap.184. num.15. Molfesius tract.7. cap.21. num. 26. & sequentibus, Nuñus in addit. ad tertiam partem quæst. 9. art. 2. ad fin. dub.4. Sayrus de pænit. c.34. n.3. Filiucius tract.7. c.10. quæsito 12. n. 313. & Bonacin. loco citato*.

6 Infero secundò; confessarium facultatem censurarum, & casuum reseruatorum facultatem habẽtem ex vi alicuius priuilegij absoluere à reseruatis, etiam oblitis, si habuit intentionem absoluendi pęnitentem à reseruatis; ac per cõsequens liberũ remanere pęnitẽtẽ à reseruatione oblitorũ, ita vt à quocunq; possit absolui. Ratio est, quia absoluens in virtute priuilegij cẽsetur habere intentionem iuxta facultatem in priuilegio cõtentam: in priuilegio autẽ (vt est iubilæum, vel Bulla Cruciatæ) continetur facultas absoluendi à quibusuis reseruatis; igitur. Ita sentiunt *Doctores paulò superius citati*.

7 Dico Quartò; Religiosum absolutum à reseruatis ab eo, qui delegatam habet à Superiore facultatem censurarum, & casuum reseruatorum, etiam si habeat intentionem absoluendi ab omnibus censuris, & peccatis reseruatis, non manere liberum ab obligatione confitendi peccata reseruata obliuioni tradita ei, qui habet facultatem absoluendi, cùm illa ei veniunt in mentem. Ità sapientissimus *Vazquez loco vbi suprà, num.23.* vbi limitat, nisi aliud peculiariter de eius intentione constet; Nam (inquit) si cõstaret, quòd audiens illum pœnitentem, qui confitetur inter alia peccata duo, aut tria reseruata, concederet illi non tantùm absolutionem ab illis, sed liberam facultatem, vt deinceps de alijs, quæ esset oblitus, etiã si reseruata essent, cuicunque alteri Sacerdoti cõmunem habenti facultatem possit confiteri, & iudicari; iam nõ esset dubium: ex eo tamen, quòd illam habet intentionem absoluendi ab omnibus peccatis, & censuris, etiam reseruatis, nõ colligitur vllo modo voluisse liberam ei concedere facultatem confitendi reseruata, si alia haberet cõmuni Sacerdoti cõmunem habenti facultatem; quia illa intentio communis est, nec aliud operatur, quã omnem tollere culpam infusione gratię: Cum hoc tamẽ stare potest, vt maneat obligatio confitendi peccatũ reseruatum, quod in confessione propter obliuionem explicatum non fuit: Sicut enim ablato peccato communi per gratiæ infusionem in Sacramento, quod nõ fuit ex obliuione in confessione explicatum, manet tamen obligatio illud expresè cõfitendi coram proprio Sacerdote; sic manebit obligatio reseruatũ peccatum confitendi coram Sacerdote; qui habeat facultatem absoluendi ab illo. Vndè illa intentio auferendi in illa absolutione omnia peccata, etiã reseruata, communis intentio est, quam quisque administrans sacramentũ habet, absoluendi, scilicet, etiam ab omnibus peccatis ex obliuione in confessione prætermissis. Vndè ex illa nõ potest colligi, ablatam fuisse obligationẽ illud peccatũ confitendi cũ sua reseruatione, & ita parũ refert, habere illam intentionẽ explicitam, aut virtualẽ.

8 Quinimò addit ipsemet *Vazquez*, quòd si etiã sacerdos habeat intẽtionem absoluendi ab omni censura reseruati casus, nõ tollitur obligatio peccatũ illud reseruatum cõfitendi coram Superiore, & habente absoluendi à reseruato facultatem; quia illa intẽtio ita cõmuniter accepta nihil aliud operatur, nec intendit operari, quàm tollere censurã peccati, ne verum impediat absolutionis effectum circa peccata in confessione explicata, & reliqua etiam ex obliuione prætermissa: ex eo tamen obligatio non tollit confitendi illud peccatũ, sicut reseruatum, & cui anteà tenebatur confiteri; quia sicut semper manet obligatio illud cõfitendi in particulari, licèt remissum sit cum alijs; sic etiam manet obligatio confitendi illud ei, cui reseruatum est iudicium illius.

9 Certè hæc *Vazquez* ratio quã maximè me cõuinceret, si probaret, intentionem, quam inferior habet Sacerdos ex facultate, quã circa reseruata habet absoluendi etiam ab oblitis reseruatis, esse cõmunem illam, quam omnes alij habent presbyteri cõmunia absoluentes peccata; quod sanè existimo, probare non posse; Nam quamquã inferior presbyter intentionem habens absoluendi peccata obliuioni tradita eò nõ aufert obligationem iterùm confitendi ea, cùm memoriæ occurrunt; quia præcepto Diuino sunt iterùm ferenda iudicio, vt possint iudicari: quamobrem ex sola intentione non potest talis tolli obligatio, etiam si sacerdos sit summus. Reseruatio verò ex sola Superioris intentione, vel alterius eius habentis facultatem censurarum, & reseruatorum casuum tolli potest, quatenùs intendit, ita pœnitentẽ absoluere, vt oblita reseruata existimet ad suum iudicium, & Tribunal allata: ac proinde velit non esse reseruata. Optimũ exemplum ad id illustrãdum adduci potest etiam ex doctrina Patris *Vazquez*; nam si quis Religiosus dum confitetur cõfessario auctoritatem absoluendi à reseruatis habenti, absolutionem petat à reseruatis, & à censuris ad cautelã; si videlicet aliquo peccato reseruato, vel censura adstrictus fortè tenetur: hic enim consequitur absolutionẽ censuræ, & casus reseruati, si quo fortè detinetur; quia Confessarius pręsumitur habere intentionem absoluendi pœnitẽtem

tem iuxta ipsius intentionem. Ita *Vgolin.de censf. tabula* 1.*c.*19.*Sayrus lib.*2.*de pænit.c.*21.*Suar. tom.* 4.*ad* 3.*p.disp.*31.*sect.*4.*nu.*14. *Bonacina disp.*5.*de sacram.pænit.qu.*7.*punct.*5.§.5.*prop.*1.*n.* 4. *in fine*, *&* *disp.*1.*de censuris in communi q.*3.*punc.*6.*n.*3.*in fine*, *Nauarr.c.*26.*nu.*121. Vndè si deinde alicuius peccati meminerit reseruati, superiorem non tenetur adire, neque alium eius habentem authoritatem, sed potest cuicunque maluerit approbato presbytero illud confiteri; Igitur, ex quo habet sacerdos illam intentionem absoluendi à reseruatis in confessione oblitis, tollitur reseruatio; igitur illa intentio non potest esse communis, sed particularis, quatenùs intendit oblitorum peccatorum reseruationem tollere.

10 Atque hinc dico quinto, si presbyter facultatem habens censurarum, & reseruatorum casuum, Religiosum à reseruatis peccatis absoluẽdo, intentionem habeat actualem, seu virtualem illum absoluendi à reseruatis obliuioni traditis, quatenùs sunt reseruata, remanere liberum pœnitentem à tali reseruatione, ita vt posteà possit à quocunque sacerdote approbato ab illis absolui. Ita *Suar. de censur.disp.*7.*sect.*9.*num.*4. *&* 6. *Conich.de pænit. disp.*8.*dub.*12.*n.*97. *Sanch. in sum.lib.* 2.*c.*2.*n.*9.*Filliuc.c.*9.*quæsit.*6.*n.*289.*de censur. Reginal.lib.*9.*n.*6.*Alterius lib.*4.*disp.*4.*c.*7.*dub.* 1.*Sayrus, Vgolinus, & Bonac. locis suprà cit.* Hæc assertio ex supradictis patet manifestè. Ad argumẽta in contrarium quid sit respondendum, ex dictis patet.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum Religiosus, qui confessus est inualidè suo superiori, remaneat absolutus à peccatis quo ad reseruationem, quæ ob obliuionem in illa omisit, ita vt possit illa confiteri cuicunque confessario facultatem reseruatorum non habenti?

CAPVT VNICVM.

Author secundùm propriam opinionem resoluit breuiter Quæstionem.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui sua peccata fassus est proprio superiori reseruata, & ab illo, imposita pena, absolutionem recipit, etiam confessione existente nulla, liber manet ab illorum reseruatione.*

2 *Peccata in cõfessione superiori proprio nulliter facta oblita, non remanent ampliùs reseruata; & quare.*

3 *Peccatum reseruatum in confessione superiori facta culpabiliter inualida oblitum, non remanet reseruatum: secùs de peccato malitiosè non detecto.*

4 *Religiosus pænitens, qui coram suo superiore integrè peccata sua reseruata explicauit, legi Ecclesiasticæ, & reseruationis fini optime satisfecit.*

5 *Pænitens reseruationis fini satisfacit, etiam si coram Delegato peccata explicat reseruata.*

6 *Peccatorum reseruatorum absolutio non semper est sacramentalis; & quomodo.*

1 AD hanc quæstionem breuiter respondendũ est, Religiosum qui suo superiori fassus est peccata reseruata, & ab illo, imposita pena, absolutionem recipit; etiam si confessio fuerit nulla, aut informis ex aliquo defectu, vt denique non consequatur gratiam (quale impedimentum prouenire potest ex defectu integritatis, aut doloris) iam illa peccata non remanere reseruata, quãuis dicamus, eam confessionem esse repetẽdam, quia reuera fuit nulla; non teneri iterùm illa reseruata confiteri habenti facultatem circa reseruata, sed vt communia peccata satis erit habenti communem facultatem confiteri, quia licèt iterùm debeant in confessione repeti peccata, vt illorum sacramentalis habeatur absolutio; quia donec quis sacramentalem consequatur absolutionẽ, tenetur in sacerdotis iudicio ex institutione sacramenti comparare; nihilominus reseruata iam non dicuntur reseruata manere: licèt enim ea fuissent reseruata ad iudicium, & Tribunal confessionis, vt à nullo alio, quàm à superiore, aut habente illam facultatem absoluerentur, tamen cùm reseruatio ad hoc fiat, (vt sæpè dictum est) vt debita medicina, & pœna applicetur, ad quod videtur magis conuenire iudicium superioris, ad absoluendum enim, hoc est tantùm ad tollẽdum peccatum virtute clauium, ita inferior, sicut Superior Sacerdos conueniret, quamuis reseruatione facta, superior solus possit absoluere; Cùm ergo Superior assecutus iã fuerit id, ad quod reseruatio facta est, præcipuèque adhibuerit pęnam debitam in compensationem, & medicinam peccati; iam videtur velle relinquere illud peccatum cõmune, cùm iam planè videatur functus officio suo in eo, quod præcipuè reseruabatur. Ita *Caietanus in summa, verbo, casus reseruatus, S.Antonin.*3.*p.tit.*14 *ca.*18.§. 17. *Syluester v.confessio* 1.*quæsit.*19.*in fine, Vasq.tom.*4. *ad* 3. *p.q.*91.*art.*3.*dub.*5.*n.*33.*Suar.tom.*4. *ad* 3.*p.disp.* 31. *sect.*4.*n.*9.*Conich.disp.*8.*de sacram.pænit.dub.*12. *nu.* 91.*Filliuc.tract.*7.*c.*10.*n.*311.*Nuñus ad* 3.*p.in addit. q.*9.*art.*2.*dub.*4.*in princ. Rodriq.tom.*1. *qq. Regular. q.*21.*art.*8.*& in summa c.*188.*n.*13.*Reginald. lib.*6. *n.*62.*Aloys.à Cruce in Bulla Cruciatæ disp.*1.*c.*3.*dub.* 12.*n.*12.*Bonacina loco cit.* & alij apud ipsum. Ita etiam nos *disput.*4.1.2.*partis cap.*2. probauimus.

2 De peccatis verò in confessione inualida, nullauè oblitis idem censendum est, si Prælatus absoluens intendat absoluere, vel iuxta plenitudinem suæ facultatis, seu in quantum potest, vel habeat intentionem absoluendi etiam oblita, quamquã reseruata; vel quia Religiosus pœnitens dum confitetur aperuerit, se ideò illi cõfiteri, vt à reseruatis absoluatur. Religiosus sic absolutus non solùm à peccatis reseruatis, quæ in illa inualida cõfessione explicauit liber remanet quoad reseruationem, verum etiam, & à reseruatione ab oblitis: & ita poterit cuicunque voluerit confessario, cùm illi menti occurrunt, confiteri, atque absolui. Ita præter alios nouissimè sentit *Aloysius à Cruce vbi suprà vers. Quæres secundò num.* 12. 13. *& seqq.* modò illa peccata inuincibiliter sint oblita, quia cùm talis Religiosus (in quantum ad peccatorum pertinet reseruationem) fecerit quòd in se erat, & Prælatus debitam penam, ac medicinã applicauerit, satisfecit eius intentioni, & reseruationis fini etiam adæquatè. Dico, adæquatè; quia

si v.g. idem reseruatum peccatum ter commiserit, & fateatur bis se commisisse ex ignorantia inculpabili, medicina, quę pro illis duobus peccatis fuit applicata, censetur opportunè applicata pro illo tertio oblito. Si verò quatuor peccata alterius, & alterius speciei reseruata commiserit, tria tantùm tamen fassus fuerit, eò quod ex obliuione quartum non explicauit, fecit quantum in se est, & Prælatus medicinam, atque pœnam, quam pro illis tribus applicauit, certè pro quarto quoque illam applicauit, nisi illud peccatum esset adeò atrox, quod ex vi naturam extremam exposceret medicinam, atque pœnam, quod in nostro casu (moraliter loquendo) locum minimè habere posset, quia ex atrocitate delicti impossibile videtur, quòd memoriæ pœnitentis, dum fatetur, non occurrat, atque adeò medicina, atque pœna, quæ pro illis tribus applicatur, censendum est, esse applicandam adæquatè quoque pro illo quarto obliuioni tradito.

3 Sed quæres; an si quis Religiosus culpabiliter inualidam faciat confessionem ex defectu circa ipsa peccata reseruata, à quouis posteà possit approbato Præsbytero absolui? Respondeo, quod si defectus sit tantùm in interiori dolore, obstare non videtur, quominus possit postea à quocunque confessore absolui, qui circa communia peccata habeat facultatem. Ratio esse potest, quia intentio reseruationis solùm est, vt superiori, seu eius authoritatem habenti in hoc confessionis iudicio satisfiat, quatenus extremum est. Si autem defectus sit in integritate, id est, quia illud malitiosè occultauit; tunc dico non tolli reseruationem, quia non fuit superioris intentioni satisfactum, cùm illi nō reuelauerit tale peccatum. Ita P. *Suarez, vbi suprà*.

4 Dices, idem videri sentiendum de peccati occultatione non reseruati; tunc enim peccata omnia, siue confessa, siue omissa, ita clauibus subiecta manent, ac si ad hoc iudicium delata nō fuissent, nec impensa absolutio; Cùm totum iudicium nullum fuerit, & consequenter pœnitens legi Diuinæ non satisfecerit. Respondeo, negando rationis paritatem; quia ex quo pœnitens coram suo comparuit superiore, eique integrè explicauit peccata, reseruata, iam videtur fecisse satis legi Ecclesiasticæ, quantum ad intentionem, atque finem reseruationis pertinet: & hoc satis est, vt maneat à peccatis reseruatis absolutus, id est à reseruatione peccatorum liber. Ita Auctores citati in principio huius Quæstionis.

5 Ex quo infertur, id non solùm habere locum respectu superioris, verum ètiam, & quando absolutio impenditur ab habente facultatem delegatam; Ratio est tum quia pœnitens videtur satisfecisse reseruationis fini, finis enim reseruationis ille videtur esse, vt pœnitens, qui casum contraxit reseruatum, illud aperiat legitimo superiori, ab eoq; debitam recipiat satisfactionē. Atqui pœnitens, qui superioris Delegato aperit in hoc foro peccata reseruata, ab eoque pęna, & medicina iuxta modum culpæ adhibetur, videtur esse explicata superiori, & ab eo adhibita; Igitur fini reseruationis verè satisfit: tum quia cùm hoc à multis Doctoribus asseratur, (prout benè argumentatur *Bonacina*) & superiores non contradicant, censetur superiores approbare, & consentire, & supplere iurisdictionem; Nam in opinione probabili superior præsumitur supplere iurisdictionem; atque ita sentiunt communiter Doctores, vt alibi declarauimus.

6 Neque obstat, si dicas, absolutio reseruatorum est sacramentalis, sed in huiusmodi propositis casibus sacramentum est inualidè collatum; igitur etiam videtur reseruatorum absolutio inualida, atque nulla: non enim præstat effectum, quod de iure non subsistit; non obstat in primis, quia reseruatorum absolutio non semper est sacramentalis, cùm reseruatio tolli possit extra sacramentum; secundò, quia reseruatorum absolutio est sacramentalis: nihilominus aliquando suum producit effectum quo ad reseruationis ablationem, quamuis sacramentum sit inualidum, & effectum remissionis culpæ non producat. Ita DD. citati, & alij apud *Bonacinam loco, vbi suprà*.

QVAESTIO TERTIA.

Vtrum vna reseruatio auferri possit, alia remanente.

CAPVT VNICVM.

Declaratur, quomodo tollatur vna reseruatio sine alia, quando eiusdem peccati plures sunt reseruationes.

SVMMARIVM.

1 *Vnum ac idem peccatum plures potest habere reseruationes.*

2 *Peccatum ab vno & eodem superiore pluribus modis reseruatum censetur vnam tantùm habere reseruationem.*

3 *Peccatum à duobus distinctis reseruatum superioribus subordinatis non potest tolli simpliciter per inferiorem Prælatum.*

4 *Reseruatione ablata Papali, intelligitur Episcopalis quoque ablata, si peccatum est reseruatum Summo Romano Pontifici, & Episcopo.*

5 *Casus aliquis, si fuerit, priusquàm reseruetur à Generali, reseruatus à Prouinciali duas habet reseruationes: quæ tolluntur quotiessubditus à Generali, absoluitur de reseruatis.*

6 *Generalis intendens, absoluens subditum, suam dumtaxat auferre reseruationem, hac ablata, non tollitur reseruata facta ab inferiori superiore.*

7 *Author opinatur, Generalem, qui subditum à reseruatis absoluit, tollere omnem reseruationem.*

8 *Inferior delegatam à reseruatis habens facultatem absoluendi, non potest vnam tollere reseruationem, & non aliam.*

9 *Peccatum reseruatum indirectè, hoc est ratione censuræ, quando potest vna auferri, altera non sublata.*

10 *Ablata vna censura simpliciter, reseruatio à culpa non tollitur; & quare?*

11 *Religiosus petens absolutionem à peccato reseruato ratione vnius censuræ, non remanet absolutus ab aliis, si plures habeat annexas.*

12 *Religiosus, qui sacerdoti fatetur habenti facultatem absol-*

absoluendi à censuris ex munere, vel ex priuilegio, absolutus à censuris, etiam remanet à reseruatis obliuioni traditis; & quomodo.

13 *Ablata censura reseruata, absoluitur quoque peccatum, ratione cuius dicebatur reseruatum.*

14 *Ablata censura pluribus modis reseruata, tollitur tota culpæ reseruatio.*

1 VNum ac idẽ crimen plures posse habere reseruationes, constans est, absque vlla controuersia apud Doctores; posse quoque vna auferri sine alia, est indubitatum. Quomodo autem hoc fieri possit, hìc est declarandum. Pro cuius intelligentia notandum est primò ex *Patre Suar. tom. 4. ad tertiam partem disp. 31. sect. 4. nu. 25.* quòd idem peccatum à pluribus superioribus, vel ab eodem potest reseruari. Itaque peccatum sic reseruatum quæri potest, an scilicet vna ablata reseruatione, auferantur reliquæ. In quo dubio agere possumus de ablatione reseruationis per absolutionem directam ipsius culpæ reseruatæ, vel per alium modum. De priori modo nulla potest esse hæsitatio: Regula enim semper est vera, scilicet peccatum per directam absolutionẽ validam semel remissum simpliciter, & absolutè amplius non remanere reseruatum; quia iam non est materia necessaria confessionis; Potius ergo oportet inquirere, quando peccatum habet plures reseruationes, quid sit necessarium ad tollendam reseruationem, ita vt absolutio valida sit.

2 Vndè notandum est secundò; reseruationem vel fieri sine censura, vel cum illa: si priori modo, dicendum est in primis, si reseruationes factæ sint ab eodem superiore, quamquam plures videri possunt, nihilominus in re non esse nisi vnam repetitam; & ideò per vnam facultatem absoluendi à tali peccato omnem huiusmodi tolli reseruationem. Ita *Pater Suarez loco vbi supra*, Quem sequitur *Pater Coriolanus de casibus reseruatis parte 1. sect. 1. art. 12.* per eundem superiorem intelligemus hìc non solùm personæ identitatem, sed etiam per identitatem potestatis, seu Prælationis; vt si vnus Prouincialis sibi reseruet peccatum per vnam constitutionem, eiusq; successor per aliam, vel per declarationem ab homine. Et ratio est, quia licèt leges, vel mandata plures sint, effectus tamen est vnus & idem, qui est iurisdictionis adeptio, vt à tali potestate manantis: hæc autem iurisdictio restituitur per vnam facultatem ab eadem potestate manantem. Atque idem (inquit *Pater Suarez*, esset de reseruationibus à pluribus factis superioribus, si per possibile, vel impossibile æqualis essent potestatis: Nam licèt omnes illi reseruassent, quilibet eorum per se posset iurisdictionem restituere. Suppono enim, vnumquemque insolidum esse superiorem, alioqui plures non essent reseruationes, sed vna procedens à multis personis per modum vnius operantibus: & propterea nunquam possunt ita concurrere duo pastores insolidum habentes æqualem potestatem, nisi inter eos præuentionis detur locus, & ideò iurisdictio à quolibet eorũ data ad tollendam simpliciter peccati reseruationẽ, satis est.

3 At verò si idem peccatum a duobus sit reseruatum superioribus subordinatis, vt à Prouinciali, & Generali; tunc clarum est, facultatem Prouincialis ad reseruationem simpliciter tollendam non satis esse respectu Generalis; eò quòd inferior minimè valet iurisdictionem restituere, quam superior abstulit, sibiq; reseruauit; Nam eo ipso quòd peccatum sibi esse reseruatum declarauit, iurisdictionem abstulit ab omnibus alijs, voluitq; consequenter vt à nemine alio concedi possit.

4 E contrario autem *Nauarrus in suo Manuali cap. 27. nu. 261.* voluit, quòd reseruatione ablata papali, aufertur & Episcopalis, quando idem crimẽ sit Papæ reseruatum, & Episcopo. Et hanc doctrinam ad nostrum applicando propositum, Generalis ablata reseruatione, aufertur & illa Prouincialis. Hæc *Nauarri* doctrina displicet quammaximè *Patri Suarez loco, quo suprà*; quia in primis difficilè est captu, posse idem peccatum absque censura esse Summo Romano Pontifici, & Episcopo reseruatum; & sic de alijs cum proportione; Nam hoc ipso, quòd supremus Pastor, seu altior sibi reseruat peccatum, abstrahit illud à iurisdictione omnium inferiorum: Nihil ergo habẽt inferiores, quo possint sibi reseruare; quòd si hoc ita est, rectè sequitur, per facultatem eiusdem Pastoris supremi tolli sufficienter reseruationem; quia superior potest iurisdictionem concedere, inferiore etiam renuente: & hoc non solùm ex vi vsus, sed ex rigore Iuris. Per hoc tamen Episcopo non aufertur potestas casum sibi reseruãdi, quem Papa sibi noluit esse reseruatum, nisi vel hoc ipsum prohibeat, vel possibilem facultatem ad absoluendum cõcedat, Episcopi minimè obstante reseruatione. Eodem modo fingi potest casus, in quo Episcopus aliquod peccatum simul cum Papa sibi reseruet peccatum pro illis temporibus, vel sub ea conditione, si Papæ reseruatio cessaret; & è conuerso, quòd Papa suam tollat reseruationem, non simpliciter iurisdictionem, aut facultatem præstando, sed solùm, quantum est ex se, non auferendo: & in eo casu verum est, ablata Papali reseruatione, Episcopalem non auferri. Hic autem casus excogitatus potiùs est, quàm moraliter contingens: & ideò quoad hoc verificari potest, quòd iuxta communem vsum, ablata reseruatione Papali, nulla manet inferior.

5 Hanc *Patris Suarez* doctrinam cum proportione ad nostrum applicando propositum, dico primò; si casus aliquis fuerit reseruatus à Prouinciali, prius quam à Generali reseruetur, & ita in eodẽ tempore circa idem peccatum duæ adsint reseruationes; si Generalis tunc, quando subditum absoluit, aut suam concedit facultatem ad absoluẽdum, vult omnem auferre reseruationem, certũ & constans est, quòd, ablata Generalis reseruatione, intelligitur ablata & Prouincialis: & ita benè *P. Suarez, ac Nauarrus.*

6 Si autem Generalis solùm intendat suã auferre reseruationẽ, tunc ablata reseruatione Generalis;

firma remanet illa Prouincialis: Vndè teneretur Religiosus duos adire Superiores. Et quoniam iste reseruationis modus valdè esset grauis, onerosus, atque impossibilis, videtur dicendum, iuxta doctrinam *Suarez*, quòd iste casus potius est ex-
7 cogitatus, quàm moraliter contingens. Quod si iure eueniret, censeo quòd ablata Generalis reseruatione, semper esset quoque sublata Prouincialis, quoniam impossibile est, moraliter loquendo, velle superiorem Generalem subditum absoluentem, ad tale onus adstringere, maximè quando iuxta suam plenitudinem potestatis absoluit, nisi cótingat delegare suam alteri iurisdictionem cum tali limitatione, vt dicat; nisi casus aliàs sit superioribus reseruatus Prouincialibus; tunc enim vna ablata, altera remanet.

8 Vndè inferò, non posse inferiorem facultatem habentem delegatam absoluendi à casibus reseruatis in confessione (per se loquendo) absoluere ab vno casu reseruato, & non ab alio: sicut enim confessio debet esse integra, ita & absolutio, cùm vnum mortale peccatum remitti nequeat sine alio, prout alibi cum *Vasquez* docuimus. Ita *Suarez, Nauarrus, Filliucius* apud *Bonacinam de pænit. sacramento disput. 5. qu. 7. punct. 5. §. 3. proposit. 2.*

9 Si verò peccatum sit reseruatum indirectè, ratione censuræ, tunc vlterius aduertendum est; an reseruationes dicãtur esse plures propter plures reseruatas excommunicationes, vel solũ propter plures leges, vel sententias generales ferẽtes eandem reseruatam excommunicationem propter idem peccatum, vt sæpè contingit. Quando plures sunt excommunicationes, tunc constans est, quòd vna censura auferri potest, alia remanente, sicut vna contrahi potest sine alia. Ita *Sanctus Thomas in 4. distinct. 18. quæst. 18. artic. 5. Vgolin. de censuris tabula 1, cap. 19. §. 3. nu. 10, Sayrus lib. 2. cap. 25. n. 13. Pater Suarez de censuris disp. 7. sect. 9. n. 4. & 6. Vasquez de censuris dub. 18. n. 14. Valentia tom. 4. disp. 8. q. 17. puncto 8. Filliuc. cap. 10, de censuris quæst. 6. n. 327. Conichius disp. 14. dub. 16. num. 221. Reginaldus lib. 9. n. 49. Alterius de censuris lib. 4. disputat. 5. cap. 4. Bonacin. de censuris in communi disput. 1. quæst. 3. puncto 6. num. 1.* & alij communiter Doctores.

10 Verùm quamuis vna auferatur censura, non ex eo tollitur reseruatio simpliciter à culpa; quia vna excommunicatio satis est, vt culpa reseruata maneat ei, qui talem tulit censuram præsertim in casibus papalibus, in quibus, durante aliqua excommunicatione reseruata, ipsa etiam culpa reseruata manet. Idem proportionabiliter dicendum est de superioribus cuiusuis Religionis, si ad hunc modum fiat reseruatio: vel saltem manebit reseruata culpa mediante censura, vt nõ possit quis (per se loquendo, ac legitimè) à tali culpa absoluere, nisi priùs excommunicationem auferat, qui illam sibi reseruauit; vel ad illam tollendam præbeat facultatem: vt eleganter adnotauit *Suarez de pænitentia disputat. 31. sect. 4. num. finali.*

11 Quæres; vtrum Religiosus petens absolutionem à peccato reseruato ratione vnius censuræ, remaneat absolutus ab alijs, si plures reseruatas habeat idem peccatum excommunicationes, quando superior generalem impedit absolutionem? Respondeo, non remanere absolutum nisi ab illa, pro qua absolutionem petijt. Ita *Suarez Vazq. Valentia, Conichius, Sayrus, Filiucius, Vgolinus, Alterius, & Bonacina locis num. præcedenti citatis*; qui absolutio accommodari debet petitioni: Si ergo petitio est limitata, limitata quoque est absolutio. Et hoc verum censeo præsertim in absolutione, quæ datur extra sacramentalem absolutionem; non verò in absolutione, quæ conferri solet in sacramento pænitentiæ, in quo solet confessarius ante sacramentalem absolutionem censurarum generalem præmittere absolutionem quantum licitè potest, & quantum pœnitens indiget: in quo casu pœnitens quamquam censuram ex obliuione omiserit, remanet ab omnibus absolutus, modò confessarius facultatem habeat completam, atque necessariam ab illis absoluendum, intendatque omnes auferre, iuxta dicta in præcedentibus quæstionibus, præsertim 1. cap. 3.

12 Ex quo sequitur, Religiosum, qui sacerdoti fatetur habenti facultatem absoluendi à censuris ex munere, vel ex priuilegio absolutum à censuris remanere etiam reseruatis, quas tacuit ex obliuione, modò generalem obtineat absolutionem ab omnibus iuxta formam quæ communiter hoc modo adhiberi consueuit: *Absoluo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, si quod incurristi, quantum possum, & tu indiges.* Ratio est, quia confessarius facultatem habens absoluendi ab omnibus censuris reseruatis, (vt supponimus) quas pœnitens conticuit, vtitur ea facultate generaliter cum intentione auferendi omnes, & quascunque censuras, quantum potest; Igitur illa reuera aufert, & pœnitens ab illis remanet absolutus: consequenter si post confessionem recordetur alicuius peccati obliti aliquam annexam habentis censuram, tenetur dumtaxat peccatum oblitum confiteri, cui annexa erat censura. Ita *Pater Suarez dicta disp. 7. sect. 9. num. 4. & 6. de censuris, Sanchez in summa libr. 2. numer. 9. Filliucius capit. 9. in tractat. de cens. quæst. 6. nu. 189. Reginaldus lib. 9 nu. 6. Alterius lib. 4. disp. 4. cap. 2. dub. 9. & alij, quos suprà quæst. 1.* huius disputationis *cap. 3.* citauimus. Secus verò asserendum est, quando Confessarius generalem non impedit absolutionem, aut non habuit auferendi omnes censuras intentionem. Sunt enim aliqui confessarij, qui tantùmodò consueuere à censuris in confessione auditis absoluere: quo in casu certum est, pœnitentem à censuris non remanere absolutum, quas in confessione prætermisit; & consequenter neque à peccatis quibus annexæ sunt tales censuræ reseruatæ.

13 Ex quibus vlterius infero cum *Aloysio à Cruce in expositione Bullæ Cruciatæ disput. 1. cap. 3. dub. 11.* quòd, censura ablata reseruata, absoluitur quoque

que peccatum, ratione cuius dicebatur reseruatum, etiam quando censura ignoranter ignorantia inculpabili fuit omissa in confessione superiori facta, vel alteri eius habenti facultatem absoluendi à censuris, & casibus reseruatis, modò tam iste, quàm ille generalem intendat impendere absolutionem, omnesque auferre censuras: prout paulò superiùs dicebamus.

14 Si verò excommunicatio sit posteriori modo reseruata, nimirùm quia ex pluribus modis reseruata, vt suprà declaratum est, tunc dico, quòd illa semel ablata, tota reseruatio culpæ tollitur; quia (vt supponimus) connexa est cum tali censura. De qua re videndus est *Pater Suarez disp. 31. sect. 4. num. finali*.

DISPVTATIO QVARTA.

Appendix ad præcedentia.

De Superiorum Regularium authoritate absoluendi à casibus reseruatis Sedi Apostolicæ, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum omnium Religionum Generales, atq; Prouinciales Præfecti habeant facultatem iure priuilegiorum, etiam post Concilium Tridentinum, absoluendi suos subditos à casibus Summo Romano Pontifici reseruatis.

CAPVT PRIMVM.

Expenditur Textus Concilij Tridentini in cap. sexto sessione 24. de reformatione.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit crimen occultum.*
2 *Quibus modis potest aliquod crimen dici occultum.*
3 *An peccatum alicubi publicum, sed vbi petitur absolutio occultum, possit ab Episcopo loci absolui per facultatem sibi à Concilio Tridentino traditam?*
4 *Sub nomine Episcopi comprehenditur etiam electus, & confirmatus, quamquam non consecratus.*
5 *Capitulum, sede Vacante, sub nomine Episcopi esse comprehendendum, ostendit Author.*
6 *Capitulum, Sede Vacante, succedit in iurisdictione Episcopo delegata, ratione muneris.*
7 *Prælatos Regulares non comprehendi sub nomine Episcopi, qui doceant.*
8 *Declaratio Eminentissimorum Cardinalium ad hoc ipsum adducitur, ac expenditur.*
9 *Prælatos Regulares sub nomine Episcopi comprehendi, existimat Author.*
10 *Prælatos Regulares conuentuales comprehendi sub nomine Episcopi in Decreto hoc Concilij Tridentini; & quare.*
11 *Bulla Pij V. adducitur ad hoc ostendendum.*
12 *Prælatos omnes Regulares, ex vi verborum Concilij Tridentini, sub illo Decreto esse cõprehensos, existimant Suarez, & Sanchez.*
13 *Prælati Regulares, tam ex Concilio Tridentino, quàm ex motu proprio Pij Quinti, suos subditos absoluere possunt à Sedi Apostolicæ reseruatis.*

1 VT statuamus ea, quæ tam hac in disputatione, quàm in sequenti docturi sumus, necesse est, vt *verba Textus cap. 4. Concilij Tridentini de reform. sess. 24.* expendamus: *Licet Episcopis in quibuscunque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, delinquentes quoscunque sibi subditos in diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absoluere, imposita pœnitentia salutari. Idem, & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ tantùm non eorum Vicarijs sit permissum.* Circa quòd ius, primò declarandum occurrit, quòd crimen hoc loco dicatur occultũ. Ad quod breuiter dicendum est, hìc iuxta, prout in iure solet distingui à publico. Est autem publicum, quod in oppido, vel in vicino, vel in collegio, aut communitate aliqua omnibus notum est, vt publicè diffamatum. Vndè licèt sit notum aliquibus; potest dici occultum, quandiù peccator non laborat publica infamia; vt benè docet *Nauarrus cap. 27. n. 254. & 255. & Suarez tom. 4. de pœnitentia disput. 30. sect. 2. num. 2.* 2 hoc autem occultum subdistingui potest in occultum, & occultum omnino: occultum dicitur, quod non est deductum in iudicium, neque in forum contentiosum, potest tamen deduci, denuntiari, & accusari; quia nempè sufficientia adsunt iudicia, vel fortassè potest legitimis testibus comprobari; occultum verò omnino dicitur illud, quod nulla potest ratione probari, nec in iudicium adduci, aut in mentem, siue notitiam hominum venire,

3 nisi ex sola peccatoris confessione. Quæri verò potest, an si peccatum sit alicubi publicum, ibi verò, vbi absolutio petitur, sit occultum; per hanc facultatem Concilij Tridentini Episcopis cõcessam possit absolui? Respondeo, non posse; nam quod alicubi publicum est, simpliciter & absolutè, dicitur publicum, & non occultum; præsertim (moraliter, & regulariter loquendo) quod in aliquo loco est publicum, & ad alia loca facilè defertur: vt benè notant *Suarez, Reginaldus, Bonacina*, & alij apud ipsum.

4 Secundò declarandũ est nomen, Episcopus; sub quo constans est, cõprehendi Episcopum electũ, & confirmatum, quamquam non sit cõsecratus; quia ea, quæ sunt Iurisdictionis, plenè habet: iuxta Ca-

ta *Capitulum transmissam, de elect.* Deinde quam-
5 quam dubitetur, an Capitulum, sede Vacãte, sub nomine Episcopi veniat intelligendum; nihilominus probabilius est, comprehendi. Ita *Suarez loco quos suprà num. 3.* & *Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 2. num. 10. & lib. 2. in opere morali cap. 11. n. 4. Mattiense lib. 5. recompilat. tit. 4. lege 14. Glos. 1. nu. 47.* & *Molin. tom. 1. de iust. & iure disput. 250.* Ratio est, quia Capitulum succedit in iurisdictione Episcopi, iuxta *Commune ius, cap. ijs, quæ; & cap. cùm olim de maior. & obedient.* quod in particulari de potestate absoluendi declarat *Glos. in cap 2. ne sede vacante aliquid innouet in eâ in cap. vnico de maiorit. & obed. in 6. item Glos. extra. ibi in cap. ad Abolendam de Hæreticis, & DD. eisdem locis.*

6 Dices, hoc esse verum de iurisdictione ordinaria: non verò de illa, quæ per specialem concessionem data est. Respondetur, quòd hæc iure communi iam spectat ad munus Episcopi; & iam in illa succedit Capitulũ, etiam si ius illud speciale sit: vt notat *Panormit. in dicto cap. si olim, & cap. at si Clerici, §. de adulterijs, & de iudicijs, & cap. Verùm de foro competenti.*

7 De inferioribus verò Prælatis iurisdictionem Episcopalem habentibus; vt sunt Abbates exempti, & similes, dubitatum est. Quidam enim negant, vt refert *Henriquez lib. 6. de pœnit. cap. 16. n. 1. Commento litt. F.* eam facultatem Tridentini illis competere: idem negant *Cenedo collect. 4. ad Decretal. num. 3. & Suarez de censuris disp. 41. sect. 2. num. 7. & de pœnit. disput. 3. sect. 2. num. 6.* eo ducti fundamento, quia facultas hæc censetur concessa Episcopis iure speciali, & intuitu personæ tãta dignitate pollentis; quia non est trahenda ad non Episcopos habentes solam eandem iurisdictionem. Ad hoc idem *Suarez* adducit quandam Eminẽtissimorum Cardinalium declarationem,
8 quæ circa particulam illam; licet Episcopis, sic habet; in hoc decreto non comprehenduntur inferiores habentes iurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem, sed tantùm Episcopi priuatiuè, quo ad omnes alios. Item quamuis hoc decretum continere videatur fauorem, tamen ex ea parte, qua in rebus adeò grauibus mitigat rigorem ad disciplinam Ecclesiasticam suo modo necessariam, potest nocere; si nimium extendatur; & ideò proprietati verbi strictè sumpti standum censetur; sed probabiliùs dicendum esse exi-
9 stimo, hos comprehendi sub nomine Episcopi in illo decreto in omnibus, & per omnia. *Ita Sanch. in oper. moral. loco citato num. 5. & disp. 2. num. 22. lib. 8. de matrim. Sayr. in Claui Regia lib. 6. cap. 11. num. 83. Auila de Censuris in par. 7. disp. 10. dub. 6. & Rodriquez tom. 2. summæ cap. 19. num. 6. concl. 6.* tum propter eandem rationem ex iurisdictione sumptam: tum quia iam hi casus non censentur reseruati Papæ; Et ideò sub generali iurisdictione Episcoporum comprehenduntur; Maximè quia hoc decretum non censetur ius nouum exorbitans ab antiquo, sed potiùs reducens ius ad suam antiquitatem, & quasi naturalem statum, quem, reseruatione seclusa, habebat. Accedit tandem, quòd essent peioris conditionis fideles subditi his inferioribus Prælatis, qui nulli subduntur Episcopo, propriumque habent territorium, quod non est veluti pars Diœcesis alicuius Episcopi, sed quasi Diœcesis distincta. Illi enim ab Episcopis vicinis absolui non poterunt, quia non sunt subditi illorum, nec de sua Diœcesi: & Decretum expressè dicit, sibi subditos, & in Diœcesi sua; nec etiam poterunt absolui à proprio Prælato, seu Abbate, si in hoc decreto non comprehenditur; non ergo esset illis sufficienter prouisum, essentque peioris conditionis, quod verisimile non est.

10 His rationibus dico, Prælatos Regulares, etiã Conuentuales Religionum exemptorum comprehendi sub nomine Episcopi in hoc Decreto Concilij; quia habent subditos, in quos iurisdictionem exercent Episcopalem, vt benè probat *Rodriquez tom. 1. quæstionum Regul. quæst. 61. art. 9.* Neque obstat declaratio Eminentissimor. Cardinal. Congregationis Concilij Tridentini; quia, (vt inquit *Sanchez loco citato*) non cõstat authenticè, neque illi necessariò standum est, quamuis magnam authoritatem habeat: idque *Suarez* non
11 negat. *lib. enim 5. de Religione tom. 4. cap. 21. nu. 9.* annuere videtur. His addo motum proprium Pij V. cuius tenor est: *Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Prior Prouincialis Prouinciæ Hispaniæ Ordinis Fratrum Prædicatorum &c.* Et insuper, quia sacrum Oecumenicum Cõcilium generale Tridentinum concessit Episcopis, vt absoluere possint in foro animæ, seu conscientiæ ab omnibus peccatis, & dispensare in irregularitatibus, pro vt *sess. 24. cap. 6.* habetur, Ne Prior Prouincialis, & Superiores Prælati dicti Ordinis tàm in dicta Prouincia, quàm extra eam vbilibet in hac parte deterioris conditionis, quàm Clerici, aut Sæculares existant; ijsdem Priori Conuentuali, & Superioribus Prælatis, vt ipsi per se ipsos omninò possint in Fratres, & Moniales dicti Ordinis sibi subditos, quo ad absoluendum, & dispẽsandum huiusmodi, quam alias quascunque facultates, ijsdem authoritate, & tenore præsentium etiam perpetuò concedimus, & indulgemus, atque etiam declaramus, præsentes litteras perpetuò durare, & valere. Et quãquã PP. *Suarez, & Sanch.* existiment, Regulares Superiores ex vi Concilij Tridentini non comprehendi sub illo Decreto, sed solùm ex vi istius Constitutionis, quatenus Concilij cõces-
12 sionem ad hos extendit Prælatos; nihilominus putant, probabile esse, comprehendi ex vi verborum Concilij Tridentini sub illo decreto ex paritate rationis. Vnde *num. illo 5. in fine* hæc habet Suarez: hæ rationes videntur facere partem: hanc multùm probabilem; & quoniam illæ idẽ probant de Prelatis Religionum, quod de Abbatibus, non est cur P. Sanchez de istis affirmet, & neget de illis; est enim eadem in vtrisque ratio.

13 Ex his igitur sequitur, quòd tam ex Concilij Tridentini Decreto, quàm ex motu proprio Pij V. Superiores omnium ordinum facultatem habent absoluendi suos subditos respectu casuum Sedi Apostolicæ reseruatorum, quam habent

bent Episcopi respectu Clericorum, ac Sæcularium sibi subditorum.

CAPVT SECVNDVM.

Ostenditur, omnium Ordinum supremos Superiores suos posse subditos à Papæ reseruatis iure proprio absoluere.

S V M M A R I V M.

1 *Prælati Regulares, ex communiori Doctorum sententia, suos subditos absoluere possunt à censuris, & peccatis summo Romano Pontifici reseruatis.*

2 *Iure communi hoc munus absoluendi suos subditos à Papæ reseruatis, competit Ordinum Prælatis.*

3 *Facultas absoluendi à nonnullis casibus summo Romano Pontifici reseruatis, quibus modis conceditur Episcopis.*

4 *Prælati Regulares possunt absoluere suos subditos à casibus, à quibus potest Episcopus per facultatem ipsi à sede Apostolica concessam.*

5 *Concessiones factæ Episcopis à Concilio Tridentino, quarum vna possunt absoluere à quibusuis casibus occultis sedi Apostolicæ reseruatis, sunt quoque cõcessæ superioribus Regularibus Episcopalem iurisdictionem habentibus.*

1 OMnium ordinum Superiores Præfectos posse suos subditos à censuris, & peccatis Sũmo Romano reseruatis Pontifici absoluere, certum & constans; tum ex dicto Concilij Tridentini Decreto; tum etiam ex motu proprio Pij V. Ratio est, tum quia facultas ad dispensandum, vel absoluendum fauorabilis est, & consequenter extendenda; tum quia huiusmodi Prælati plenã habent Episcopalem iurisdictionem in suos subditos, & ab Episcopis in sola consecratione differunt, & confessarios in sua dictione, quæ Episcoporum Diœcesibus æquiparatur, approbant; Igitur, motu proprio Pij V. non existente, etiam ex vi Decreti Concilij Tridentini haberent hanc facultatem: cùm ea omnia, quæ in Decreto continentur, cum proportione Religionum omnium Prælatis debitè applicentur. Ita *Rodriquez tom. 1. qq. Regular. quæst. 61. art. 9. Alterius tom. 1. de censuris lib. 4. disp. 3. cap. 2 col. 4 & tom. 2. disp. 8. cap. 3. quæst. 3. Sanchez in sum lib. 2. cap. 11. num. 4. & 5. Clauis Regia lib. 6. cap. 11. num. 83. Auila de censuris par. 7. disp. 10. dub. 6. Henriquez lib. 6. cap. 16. Bonacina de censuris in communi disput. 1. quæst. 3. puncto 2. propos. 1. & alij apud ipsum.*

2 Quod enim vertitur in dubium, est; An iure proprio, vel potiùs iure priuilegiorum hoc munus eis competat: Pater *Suarez tom. 4. de Religione lib. 2. cap. 21.* sustinet, partim iure communi, & partim priuilegio posse Regulares Superiores Episcopalem iurisdictionem habentes suos absoluere subditos à casibus, & censuris Papæ reseruatis. Verùm licèt hoc ita sit; nihilominus, quantum spectat ad hanc iurisdictionem, & facultatẽ, omnibus alijs circumscriptis priuilegijs, ex Concilio Tridentino concessis Episcopis, existimo iure communi ad eos spectare. Pro cuius intellectu aduerto, quòd in iure committi solet Episcopis in aliquibus casibus absolutio à censura Papæ reseruata. Quod dupliciter contingit, scilicet, vel simpliciter ex generali ratione Episcopalis iurisdictionis, vel ex peculiari commissione, & præsertim si addatur, vt Legato Pontificis.

3 Priori modo committitur eis absolutio excommunicationis Canonis, Si quis suadente, vt in Capitulo, peruenit: cum similibus de sententia excommunicationis, & in Concilio Lateranensi sub Alexandro Tertio par. 14. In his igitur casibus, & similibus absoluere possunt Religionum

4 Prælati suos subditos iure ordinario; eò quòd habent in illos iurisdictionem Episcopalem, & præsertim in his rebus, quæ ad spiritualem salutem & medicinam pertinent, vt est absolutio à censura. Sicut ergo illam iurisdictionem habent communi iure, vt in prima parte huius tractatus ostensum est; ita etiam habent absoluendi ab his casibus potestatem.

5 Posterioris generis sunt multæ concessiones Episcopis in Concilio Tridentino factæ; illa verò præcipua est, quam proximo capite illustrauimus *ex sess. 24. cap. 6. de Reformat.* in qua Episcopis à quibusuis casibus occultis Sedi Apostolicæ reseruatis conceditur absoluendi facultas. Et quamquam huiusmodi concessio peculiaris videatur, nihilominus si eius verba rectè attendantur, seu nudè considerentur, videtur esse prioris generis, prout notat *Suarez ubi suprà, num. 9.* Et consequenter extendi ad Religionum Præfectos etiam iure ordinario. Inde sequitur, quòd eodem modo & iure, quo Episcopi quoad casus Sedi Apostolicæ reseruatos exercent Episcopale munus, eodem etiam omnium Ordinum Regularium Præfecti, vt ex dictis in præcedenti capite patet. Dubitari autem cõtingit de casibus in Bulla Cœnæ Domini contentis, an absolui possint à Superioribus Regularium, quo ad suos subditos. Verùm, quia hæc difficultas varias requirit examinandas difficultates, in sequentem quæstionem duximus esse examinandas.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum Superiores Supremi omnium Ordinum Regularium possint suos absoluere subditos à casibus Sedi Apostolicæ in Bulla Cœnæ Domini reseruatis?

Hæc quæstio celebris est, & famosa inter Moderniores, atque difficilior, quàm apparet. Determinari autem minimè potest, nisi priùs nonnullas examinemus, atque determinemus difficultates; à quarum dilucidatione, & veritate pendet huius Quæstionis solutio. Discutiemus igitur primò; Vtrum facultas concessa Episcopis in dicto Decreto Concilij Tridentini absoluendi a Casibus Bullæ Cœnæ sit per eandem reuocata? Secundò, an Priuilegia Superioribus Regularium concessa pro prædictorum casuum absolutione per publicationem Bullæ Cœnæ sint derogata. Tertiò, an saltem per nouam Sanctissimi Domini

ni nostri Vrbani Octaui Constitutionem, quæ incipit; *In specula Militantis Ecclesiæ*, Qua interdicitur, ne ab alio absoluantur Religiosi, nisi à Sūmo Romano Pontifice à casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, derogentur Priuilegia ipsis concessa Regularibus?

CAPVT PRIMVM.

Vtrum facultas concessa Episcopis in Decreto Cōcilij Tridentini, quo ad absolutionem à casibus reseruatis in Bulla Cœnæ sit per eandem reuocata?

SVMMARIVM.

1 *Facultatem concessam Episcopis absoluendi à casibus in Bulla Cœnæ Domini contentis per eandem esse reuocatam, qui docent.*

2 *Varia sacræ Congregationis Cardinalium ad hoc idem Decreta adducuntur.*

3 *Pius Quintus, & Gregorius Decimus Tertius declarauere, non posse ampliùs Episcopos absoluere à peccatis, & censuris in Bulla Cœnæ contentis.*

4 *Episcopus posse absoluere vigore dicti Concilij Tridentini Decreti Hæreticos occultos, & à casibus in Bulla Cœnæ contentis; talemq; facultatem non esse sublatam per Bullam Cœnæ, qui affirment.*

5 *Lex posterior generaliter & indistinctè loquens, quomodo est limitanda per specialem antiquiorem.*

6 *Clausula Bullæ Cœnæ, qua reuocari videtur facultas Episcopis concessa per Tridentinum, iuxta eiusdem Tridentini intellectum est limitanda.*

7 *Clausulæ Bullæ Cœnæ reuocatoriæ quomodo in ordine ad Concilium Tridentinum sint intelligendæ.*

8 *Lex noua generaliter loquens non derogat casum specialem in antiquiori positum.*

9 *Summos Romanos Pontifices, non constat authenticè declarauisse, per Bullam Cœnæ Domini fuisse Episcopis sublatam facultatem concessam per Tridentinum.*

10 *Declarationes Pij Quinti, & Gregorij XIII. ex quo expirauerunt, nullius sunt roboris.*

11 *Declaratio Gregorij XIII. quare non obstat.*

1 DVas extremas hac in re inuenio sententias. Prior sustinet reuocatam esse; & ideò ab illis quantumuis occultis Episcopos absoluere nō posse. Ita *Riccius par. 3. decis. 280. num. 1. Villalobos in summa par. 1 tract. 9. dub. 6. num. 2. & 3. Sanctarellus tract. de hæresi cap. 5. num. 21. Bellochius de casibus reseruatis par. 2. quæst. 1. num. 275. Raucius in Lucerna Parochor. quæst. 125. num. 5. Scortia in Constit. Pont. Epitom. 166. Theorema 431. Nauarr. singul. conclus. 3. num. 5. Siluius 2. 2. quæst. 11. art. 3. vers. Quæritur secundo in fine, Fauentinus de sacram. Ordinis dist. 25. quæst. 1. disp. 3. cap. 4. num. 126. Megala in 1. par. lib. 1 cap. 15. num. 10. & 15. Floronus de casibus reseruatis par. 1. cap. 4. §. 22. num. 2. & 4. Gratianus in discept. tom. 3. cap. 414. num. 20. Torreblanc. de Magia lib. 3. cap. 11. Sanchez in opere Moral. lib. 2. cap. 11. num. 27. in fine, Viualdus in Candelabro sacramentorum in editione nouiori anni 1602. 1. par. tit. 11. de absolut. sacramentali num. 15. Paramus de Origin. Inquisitionis lib. 3. quæst. 5. num. 191. Molina tom. 4. de iustitia, & iure disput. 64. num. 8. Vgolin. de casibus Pontifici reseruatis in 2 par. cap. 2. §. 4. suprà vers. etiam prætextu quarumcumque facultatum num. 3. Filiarcus de officio sacerdotis tom. 1. par. 2. lib. 2. cap. 25. paulò post principium, Pater Diana tract. 5. de absolutione ab hæresi Resol. 2. in fine, versiculo, sed ego contrariā existimo probabiliorem. Ricciulus, Barbosa, & alij apud Patrem Dianam.* Hæc sententia multis rationibus ostendi potest; & primò, quia in vltima Bullæ Cœnæ clausula à tempore Pij V. expresse habetur, vt ab illis casibus nulla persona, etiā Episcopali dignitate prædita absoluere possit, prætextu cuiuscunque facultatis, etiam per cuiusuis Concilij decreta in genere, vel in specie concessa; atqui Pontificem non latuit, nullum aliud decretum, præterquàm Tridentinum, hanc Episcopis concedere facultatem; nec absque maxima ratione addit Pontifex, in genere, vel in specie, sed ad significandum, non solas vniuersales reuocari facultates, sed etiam ad speciales casus concessas; igitur.

Secundò, quia etiam à tempore Sixti Quinti vsque ad presens tempus addūtur prædictæ clausulæ Bullæ Cœnæ hæc verba; nisi in eis facultatibus etiam casus præsentibus litteris expressi comprehendantur: sed casus Bullæ Cœnæ, præter hæresim, non expresse conceduntur in eo Tridentini decreto, sed per clausulam generalem concedentem omnes casus reseruatos; igitur ab eis absoluere non possunt.

2 Tertiò, quia hanc esse Pontificum mentem, declarauere Eminentissimi Domini Cardinales sacræ Congregationis Consistorij sanctæ Generalis Inquisitionis, Immò ipsimet Pōtifices; quod testantur aliqui Authores paulò anteà allegati. Tandem ostendi potest, quia (vt refert Pater *Suarez to. 4. ad tertiam partem disp. 30. sect. 2. nu. 12.*) Congregatio Cardinalium consulta circa hoc Tridentini Decretum, an locum habeat in casibus post illud in noua Sedis Apostolicæ Constitutione reseruatis, sic respondit: Gregorius XIII. audita relatione Congregationis, Respondit, non habere locum: cùm igitur hæresis, & alij Bullæ Cœnæ casus reseruentur in ea post id Tridentini decretum, non habebit in eis locum.

3 His connecti possunt ea, quæ refert *Nauarrus in summa Latina nouiori cap. 27. nu. 275. versic. 14.* nimirum sic declarasse nonnullos Summos Pōtifices, præsertim Pium V. & Gregorium XIII. & *Pegna* quoque his addit in *direct. Inquisitorum 3. par. quæst. 92. Coment. 141. versic. penultimo*, sic fuisse in supremo Generalis Inquisitionis Prætorio Romano sæpè pronunciatum, non posse, scilicet, Episcopos absoluere ab hæresi occulta.

4 Altera opposita sententia docet, Episcopos vigore dicti Concilij Tridentini decreti *sess. 24.* posse hæreticos absoluere occultos, & à casibus in Bulla Cœnæ contentis, nec per subsequentes Bullas Cœnæ fuisse illis hāc sublatam facultatem. Ita *Nauarrus lib. 1. consil. tit. de constit. in vtraque di-*

ctione,

ctione, Simancas de Cathol. instit. tit. 3 num. 6. Ceual. in comm. opin. tom. 3 quæst. 802. num. 65. Corduba in summa quæst. 8. puncto 1. Palatius in 3. dist. 25. disp. 7. Angles in 1. par. vbi de confess. quæst. 4. art. 5. diff. 6. Bartholomeus Ledesma summa sacram. vbi de excom. dub. 13. colum. penult. Caietanus in summa verbo, Episcopus, §. Episcopi, quos Spiritus sanctus casu 10. Antonius Gomez in Bulla Cruciatæ clausul. 10. num. 44. in proprijs terminis eam facultatem nõ esse reuocatam, sed hodie consistere tradunt Nauarrus in summa Latina nouiori cap. 27. num. 250. finali, & lib. 5. consil. in prima ædit. tit. de sent. excommun. consil. 15. quæst. 1 & in 2. tit. de priuileg. consil. 11. qu. 1. Guttierez quæst. Canon. in posteriori editione lib. 1. cap. 13. ad finem. Ex Modernioribus Theologis eam habent Bannes 2. 2. quæst. 11. art. 4. dub. 2. post secundam conclusionem Argum. 3. versic. si quis obijciat, ibidem Aragonius art. 3. versic. sed dubium, quisnam possit, Rodriquez in Bulla Cruciatæ, §. 9. num. 70. & in summa tom. 1. in 2. editione, cap. 13 num. 3. & qq. Regul. tom. 1. quæst. 70. art. 10. Petrus de Ledesma 2. tom. summæ tract. 1. cap. 6. post vigesimam conclusionem diff. 7. Fagundez de præceptis Ecclesiæ tract. 2. lib. 8. cap. 8. num. 32. & 33. Puthean 2. 2. quæst. 11. art. 4. dub. 2. Lorca in 2. 2. quæst. 11. art. 4. disp. 45 num. 10. Nuñus tom. 2. in addit. ad tertiam partem quæst 8 art. 5. dub. 10 in fine, Portel. in addit. ad dub. regular. verbo, Episcopus n 1. Suosa in Bulla Cœnæ cap. 23. disput. 100. conclus. 3. n. 7. Sancius in select. disp. 50. num. 32. Suarez tom. 5. ad tertiam partem disput. 21. sect. 3. num. 5. quatenus probabilem hanc existimant sententiam Barbosa de potest. Episcopi allegat. 50. num. 2. & alij apud
5 Sanchez, & Dianam locis citatis; & nouiter Sanctorus à Melfi super Ordinis Constitutionibus cap 2. stat. 14. v. probabile est per totum. Hanc sententiam ex eo in primis probant, quia lex posterior generaliter, & indistinctè loquens limitanda est per specialem antiquiorem, si expressis verbis illi non contradicat: quamuis in lege noua sit clausula, non obstante lege contraria, quæ nõ possit cum hac sustineri per aliquam limitationem, vel distinctionem, & hoc vt iurium correctio vitetur; prout habetur in lege, sed & posteriores ff. de legibus ibi, posteriores leges ad priores pertinent, nisi contrariæ sint. Qua ratione Glossa lege sciendum, verbo, non compelli, ff. qui satisdare cogan. & ibi Barthol. in principio num. 1. & Iason num. 4. idem Bartol. in leg. omnes populi quæst. 3. ff. de iust. & iure, Baldus auth. auferatur num. 12. initio Codic. de litis contest. Panormit. consil. 24. num. 1. vers secundo principaliter volum. 2. Decius ff. de Regul. Iuris
6 Regul. 90. num. 12. Cùm ergo clausula Bullæ Cœnæ reseruans eorum casuum absolutionem, reuocansque facultates priùs concessas possit intelligi per aliquam limitationem, vt non contradicat legi priori Tridentini: nempe intelligendo reuocari facultates, quæ concedunt absolutionem eorum casuum, quando publici sunt; sic intelligenda est, vt colligitur ex authent. de success. ab intest. circa princip. & ibi Glos. verbo, vocantibus, Bartol. supra extrauagant. ad reprimendũ, §. non obstantib. num. 6. & ad legem sciendum nu. 2. vbi Iason num. 4. & idem Iason lege prima, num. 9. de solut. matrim. Quinimò licèt anteriores leges abrogatæ sint, sunt nihilominus iuxta illas recentiores explicandæ, leg. non est nouum, ff. de legib. & ita docent cum Bartol. Ludouicus Gomez Regul. de triennal. quæst. 61. vers. 3. intellectus, Burgus de Paz in leg. 1. Tauri num. 570.

7 Nec obstat, dici prædictæ Cœnæ clausula; Etiã si casus in genere, vel in specie in prædictis facultatibus conceduntur, quia ad huc potest intelligi de casibus Bullæ Cœnæ non occultis, siuè concedantur in genere, siuè in specie. Atque ita firmum manebit Decretum Concilij Tridentini, quòd eos casus nõ concedit, quando publici sũt; sed tantùm quando sunt occulti, argumento per legem de pretio de publich. in rem action. vbi Baldus, quia per rationem legis prioris posteriores leges limitandæ sunt: Cum ergo Bulla Cœnæ Domini generaliter loquatur, restringenda est per ius antiquum Tridentini, vt fit verus sensus iam allatus.

8 Et confirmatur primò, quia quando lex antiqua ponit casum specialem, lex noua generaliter loquens non intelligitur derogare illi casui speciali, vt eleganter docuere Antonius Gabriel to. 2. communium lib. 10 verbo, Lex, vbi id colligit ex Bartulo, & alijs: idem Azeuedo lib. 5. recopil. tit. 4. leg. 1. num. 32. Igitur cùm Tridentinum in illo decreto loquatur in casu specialissimo, Bulla autẽ Cœnæ generaliter, non est per illam generalitatem reuocata facultas specialiter Episcopis concessa absoluendi suos subditos à casibus ibi contentis. Confirmatur secundò, quia ratione huius clausulæ Bullæ Cœnæ Domini, non censetur reuocata facultas Bullæ Cruciatæ cuilibet confessori concedentis, posse absoluere semel in vita, & semel in mortis articulo à casibus Bullæ Cœnæ; ergo id à fortiori censendum est de concessione facta per Tridentinum tam maturo Consilio Episcopis. Consequentia tenet: Antecedens quamplures ex Doctoribus contrariæ sententiæ docuere, præsertim Pater Diana 4. par. tract. 4 miscellaneo Resol. 18. Aloysius à Cruce in expositione Bullæ Cruciatæ disp. 1. cap. 10. dub. 4. Sanchez lib. 8. de matrim. disput. 33. num. 10. & alij quamplures apud Aloysium à Cruce, & Dianam, vbi suprà.

9 Secundò; quia si Concilium Tridentinum in hac parte esset derogatũ per Bullam Cœnæ Domini, profectò esset, quia Summi Romani Pontifices ita declarauerunt: Atqui authenticè non constat de ea Pontificum declaratione; & cùm res adeò grauis sit id Tridentini Decretum reuocare, censendum est non esse reuocatum; & eò magis, quia iam diù scientibus Pontificibus nouas Bullas Cœnæ ædentibus controuersa profectò amplius, vel in eadem Bulla Cœnæ ædita aliquo motu proprio authenticè declarasse. Quod tantùm abest, vt fecerint, quin potius à tempore Sixti Quinti ædita est clausula ferè apertè cõtraria Pontificum declarans intentionem: Cùm tamen Sixtus Quintus volens in motu proprio de abor-

abortibus prædictam Tridentini reuocare facultatem, id expressis verbis dixerit; Igitur signum euidens est, quòd cùm in Bulla Cœnæ id non fecerint Pontifices, neque modò faciunt, quòd nolunt prædictum Concilij Tridentini Decretum reuocare.

10 Et confirmatur, quoniam esse de ea Pij V. & Gregorij III. declaratione constaret, nil probaretur: quia declarauerunt, eam mentem fuisse in suis Bullis Cœnæ, quæ iam expirarunt. Et non mirum, si eæ reuocauerint, atque ita intellectæ sint: vt pote quæ indistinctè, & generaliter omnes reuocabant facultates virtute cuiusuis generalis Concilij concessas; & à tempore Sixti Quinti vsque ad hæc tempora additur clausula eam generalitatem restringens, quæ planè Tridentini non reuocat facultatem.

11 Tandem quia non obstat Gregorij XIII. declaratio suprà relata, quæ ait, prædictam Tridentini facultatem nō extendi ad casus imposterùm à Pontificibus reseruandos; Nam debet intelligi (prout eleganter obseruat *Suarez to. 4. ad tertiam partem disp. 30. sect. 2. num. 13. & 14.*) quando noua reseruatio fieret cum clausula sufficienter exprimente, per eam reuocari prædictam Tridentini facultatem. Hæc sunt fundamenta potiora, quibus hæc sententia innititur, pro vt referuntur à Patre *Sanchez lib. 2. in opere morali cap. 11. n. 27.*

CAPVT SECVNDVM.

Inter has duas extremas sententias statuitur media ab Authore.

SVMMARIVM.

1 *Potestatem Episcopis concessam à Tridentino absoluendi ab Hæresi occulta, cæterisque occultis in Bulla Cœnæ Domini contentis, non est improbabile esse sublatam per eandem Bullam Cœnæ.*

2 *Tutè sustineri potest per Bullam Cœnæ Domini non esse sublatam, seu reuocatam facultatem Episcopis concessam absoluendi ab hæresi occulta, cæterisque casibus in illa contentis.*

3 *Declaratur, atque dilucidè expenditur concessio Pij V. Ordinis Prædicatorum Superioribus facta.*

4 *Virtute Cruciatæ casus in Bulla Cœnæ Domini Summo Romano Pontifici reseruati absolui possunt toties, quoties, & quare.*

5 *Casus Episcopales concessi Parochis per Constitutiones Synodales, non sunt amplius Episcopales.*

6 *Casus in Bulla Cœnæ Domini cur censendi sunt Episcopales.*

1 VAldè Doctorum animum fatigauit hęc pręsens difficultas, extremaq; allatæ sententiæ rationabilia habent fundamenta. Verùm vt certiùs & probabiliùs in re tam graui, & valdè dubia procedamus, mediam existimauimus statuere sententiam. Dico igitur primò, probabile esse, facultatem Episcopis in dicto Concilij Tridentini Decreto concessam absoluendi in foro cōscientiæ ab hæresi occulta, cæterisque in Bulla Cœnæ Domini casibus contentis etiam occultis esse reuocatam, non quidem in vniuersum; id est, non quoad omnes casus, sed quoad hæresim duntaxat. Hæc assertio est contra secundam sententiam, & pro prima quamplures ex citatis Authoribus pro ea sustinent; & huius sententiæ existimo fuisse Patrem *Suarez de fide disp. 21. sect. 4. nu. 13. & tom. 4 de Religion. lib. 2. cap. 21. nu. 9. & seqq.* idque optimè ostenderent omnes Pontificum, atque Eminentissimorum Sacræ Congregationis declarationes in proximo capite pro prima opinione allatæ, si authenticè constarent.

2 Dico secundò; posse tutè sustineri, per Bullam Cœnæ Domini non esse reuocatam facultatem Episcopis concessam absoluendi ab hæresi occulta, cœterisque casibus in illa contentis. Hæc assertio est pro secunda sententia cōtra primam, eamque puto docuisse *Suarez* vbi suprà, vbi hæc habet: *Possent fortasse Episcopi Priori opinioni conformari, nisi certitudo facti accederet.* Verùm quia facti certitudo non verificatur; vt paulò superiùs dicebamus; Etenim illa Pij V. & Gregorij XIII. declaratio minimè constat, neque alia in Supremo Prætorio Romano Sacrosanctæ Generalis Inquisitionis, neque aliæ duæ, quarum meminit *Suarez*, responsiones Cardinalium Congregationis; Igitur dum non constant authenticè posse, sentire videtur Suarez, Episcopos illa conciliari

3 vti facultate. Ducor ad sic sentiendum in primis hæc fortissima ratione; Pius V. in illa sua Constitutione, qua Superioribus Ordinis P. nostri Sācti Dominici indulsit, in suos posse subditos quo ad forum animæ quidquid possint Episcopi in clericos, aliosque sæculares quo ad absolutionē à casibus Sedi reseruatis Apostolicæ, Inquit sic: *Cum Oecumenicum Concilium Generale Tridentinum concessit Episcopis, vt absoluere possint in foro animæ, seu conscientiæ ab omnibus peccatis, & dispensare in irregularitatibus, prout sessione 24. cap. 6. habetur.* Quam Constitutionem ad prædictos Ordinis Prædicatorum Superiores, omnesque alios cuiusuis Ordinis Regularium priuilegiorum habentes communicationem extendit. Si igitur esset derogata per vltimam clausulam, quam ipsemet Pius Quintus in sua Bulla Cœnæ apposuit, nimirum, vt ab illis casibus nulla persona (etiam Episcopali dignitate prædita) absoluere possit, prætextu cuiuscunque facultatis, etiam per cuiusuis Concilij Decreta in genere, vel in specie concessa, non diceret; *Cum Oecumenicum Conciliū Generale Tridentinum concessisset* neque illam facultatem ad Regularium extendens Superiores; Igitur euidens signum est, non esse, neque fuisse virtute illius clausulæ generalis prædictum Concilij Tridentini Decretum reuocatum; ac proindè primum prioris sententiæ corruit fundamentum; quod certè videre potuit doctissimus P. *Suarez.* Et confirmatur, quoniam Summus Pontifex affirmat, illam conciliarem concessionem esse firmam, ibi, *Ne Prior Prouincialis, & Superiores Prælati dicti Ordinis, tam in dicta Prouincia, quàm extra vbilibet in hac parte deterioris conditionis, quàm Clerici, aut sæculares existant.* Dum supponit,

nit, actu clericos, sæculares, ac alios Episcoporũ subditos gaudere posse facultate illa eisdem Episcopis à Tridentino Concilio concessa. Si enim illa esset derogata per Cęnæ Domini Bullã, profectò non diceret Papa; clericos, atque alios sæculares non esse melioris conditionis. Et vlteriùs confirmatur; si per Bullam Cęnæ Domini voluisset Pius Quintus dicti Concilij Tridentini reuocare Decretum huiusmodi, ac sensisset esse derogatum, vtique non extenderet illam facultatem concessam illa conciliari cõstitutione Episcopis, ad Ordinis Prædicatorum Superiores; etenim extensio facultatis per ipsum facta fundatur in firmitate, & decreti validitate. Quamobrem, illa nõ obstante, nihil extenderet, neque ipsis Ordinis Prædicatorum Superioribus aliquid præstaret. Quòd verò Pius Quintus in illo motu proprio facultatem in Concilio Tridentino cõcessam Episcopis extendat; probat Pater *Suarez tom. 4. ad tertiam partem disp. 30. sect. 2. num. 7.* vbi hæc habet; & hoc ipsum colligo ex prædictis verbis Pij Quinti; non enim declarat, Concilij concessionem ad hoc Prælatos extendi; sed ipse illam extendit: vt patet ex illis verbis; *Quia sacrum Concilium concessit Episcopis,* vsque ad illa; *eisdem authoritate præsentium concedimus*: non ergo declarat Concilium concessisse, sed quòd Concilium cõcessit Episcopis, ipse concedit his Prælatis; potiùs supponit, Concilium solis Episcopis hoc cõcessisse; hactenus *Suarez*. Ex quibus verbis non solùm patet, extensionem fieri facultatis Episcopis concessæ, verùm quoque quod ipsemet *Suarez* sentiat, huiusmodi facultatem non esse per Bullam Cęnæ Domini ablatam Episcopis.

4 Secundò probatur; quoniam Pater *Sanchez in summa tom. 1. lib. 4. cap. 54. num. 27.* quem sequitur Pater *Diana tract. 11. de Bulla Cruciatà resol. 28.* docet, casus Summo Pontifici reseruatos (occultos tamen) posse à Confessarijs absolui virtute Cruciatæ: non semel tantùm, sed toties, quoties: eò quia Bulla casus Summo Põtifici reseruatos excipit, ne liceat ab illis absoluere toties, quoties. Sed quando hi casus sunt occulti, iam non sunt casus reseruati Summo Pontifici, sed iure ordinario, & non speciali competunt Episcopis, & annexi sunt dignitati Episcopali; cùm ergo Bulla concedat a reseruatis Episcopis absolutionem toties, quoties; largitur quoque ab his reseruatis occultis absolutionem: quia per Concilium Tridentinum iam amplius nõ sunt Papales, sed Episcopales; quia etsi casus Episcopales nõ desinant esse tales per concessionem particularem factam ab Episcopo, ac desinerent esse si Constitutione
5 Synodali concederentur Parochis, & solis illis reseruati essent; Ergo similiter etsi casus Papales non desinant esse tales, eò quòd Pontifex illos semel, aut iterùm concedat Episcopo, immò etsi semper eos concedat Episcopo speciali, ac desinunt esse tales per Generalem Constitutionem concedentem eos in perpetuum cuicunque Episcopo; Cùm ergo Bulla concedat absolutionem à reseruatis Episcopo toties, quoties; cõcedit vtique sic absolutionem ab his reseruatis occultis, vt potè qui per id Tridentini Decretum iam non sunt Papales, sed Episcopales; hactenus *Sanchez*.

6 Ex quibus verbis efformo sic argumentum, Casus in Bulla Cęnæ Domini contenti eò possunt absolui toties, quoties, virtute Bullæ Cruciatæ per Patrem Sanchez, quia non sunt amplius Papales, sed Episcopales, quatenus facultas ab eis absoluendi est concessa per Oecumenicum Generale Concilium Tridentinum *sess. illa 24. cap. 6.* Igitur in opinione Sanchez, & dicant per Bullam Cęnæ Domini clausulas non est tale Cõcilij Tridentini Decretum reuocatum: aliàs si esset reuocatum, (vt ipsi fatentur) remanerent casus illi sẽper Papales, & consequenter ab eis nemo absoluere posset: Ac proinde sibi ipsi Authores isti contrarij modò affirmant, & modò negant. Tandem hæc nostra sententia optimè probatur rationibus pro secunda sententia suprà efformatis.

CAPVT TERTIVM.

An Bulla Cęnæ Domini Priuilegia concessa Regularibus reuocet.

SVMMARIVM.

1 *Per Bullã Cęnæ Domini esse reuocata omnium Regularium priuilegia, qui doceant.*

2 *Bulla Cruciatæ non reuocatur per Bullam Cęnæ Domini quo ad facultatem absoluendi à casibus in dicta Bulla Cęnæ contentis.*

3 *Prælati Regulares virtute suorum priuilegiorum suos possunt subditos à casibus in Bulla Cęnæ Domini contentis absoluere.*

4 *An §.* Cęterum, *in Bulla Cęnæ Domini reuocentur priuilegia Mendicantibus, & non Mendicantibus concessa.*

5 *Procuratores omnium Ordinum Regularium semper, post dictæ Bullæ publicationem, suorum Priuilegiorum à summo Pontifice obtinent confirmationem, & innouationem.*

6 *Bulla Cęnæ non prohibet, seu derogat priuilegij Mẽdicantium, & non Mendicantium, & quomodo, declaratur.*

7 *Bulla Sanctissimi Domini nostri Vrbani Octaui, quæ incipit,* In specula Militantis Ecclesiæ, *an reuocet priuilegia concessa Regularibus quoad absolutionem à casibus Bullæ Cęnæ.*

1 REuocari, respondet *Diana tract. 2. de dub. Regul. Resol. 10. par. 3. & Peregrin. in scolijs, ad priuilegia Clericorum Regul. Congregationis Theatinorum par. 2. tit. Bulla Cęnæ.* citatque *Dianam Patrẽ Thomam de Afflicto, & P. Zacchariam Pasqualin.* eiusdem Congregationis doctissimos atque eruditissimos Patres, *& Zanardum in decret. Theolog. par. 1. de sacramento pœnit. cap. 24. §. 8.* Ducuntur, quia in publicatione dictæ Bullæ, quæ fit singulis annis, derogatur expresè Mendicantium priuilegijs. Quòd si dicas, (vt inquit Pater *Diana*) nõ esse verisimile, quòd Pontifices, qui dicta priuilegia concesserunt, ea statim voluerint reuocare;

Nam

Nam sic visi essent vel voluisse illudere, vel decipere. Respondet, quod dicta priuilegia tandiù valuere, quandiù dictorum Pontificum durauerit vita, qui præsumendi sunt in dictæ Bullæ publicatione semper excipere eos voluisse, quibus concesserant priuilegia.

2 Verùm hæc sententia nullum, quod ipse viderim, habet robustum fundamentum; Nam si Bulla Cruciatæ (vt ipsemet Pater *Diana* ait, *par.* 4. *tract* 4. *miscellaneo, Resol.* 18.) nō reuocatur à Bulla Cœnæ, non obstante sua rigorosa reuocatione; quia aliàs (vt fatentur omnes Doctores, quos ipse sequitur, & citat) fideles in illius receptione deciperentur, quod non est dicendum; ergo cùm priuilegia concessa Religiosis non sint minoris valoris, quàm priuilegia Cruciatæ; cùm Cruciata Religiosorum non tollat priuilegia, iuxta communem Doctorum sententiam; sequitur, Religiosorum priuilegia in foro conscientiæ per generalem Bullæ Cœnæ Domini reuocationem nō tolli quoad casus in illa contentos.

3 Meliùs igitur, & probabiliùs docet *Pater Suarez tom* 4. *de Religione lib.* 2. *cap.* 21. *Sousa in Bulla Cœnæ cap.* 23. *disp.* 10. *num.* 7. *columna* 3. *Peyrinus in priuileg. Minimor. tom.* 1. *const.* 4. *Sixti* 4. §. 5. *nu.* 10. *& sequentibus, Portel in dub. Regul. verbo, Abbas in addit. num.* 10. *Villalobos in summa tom.* 1. *tractat.* 9. *diff.* 61. *num.* 5. his addo *P. Franciscum Longum Capuccinum in lib. de casibus reseruatis à Clemēte Octauo par.* 1. *sect.* 1. *art.* 23 *à n.* 2. *vsq; ad* 5. *Vega* 1. *par. sūmæ c.* 49. *verbo, casus reseruati, Graffium, Morgoueiū, & Rodriquez apud citatos Auctores, & Sanctorum à Melfi vbi sup.* quatenus docent, posse Prælatos Regulares virtute suorū Priuilegiorum suos absoluere subditos à casibus in Bullæ Cœnæ Domini contentis; de qua re latè infra dicemus. Probatur primò; quia si Bulla Cœnæ derogaret Mendicantium priuilegijs quoad casuum absolutionem in ipsa contentorum, quam maximè hoc

4 esset in §. illo, *Cæterum*: atqui ibi non reuocat dicta priuilegia; Igitur non censenda sunt reuocata per Bullam Cœnæ. Maior, & consequentia sūt notæ; Minor probatur, quia ibi solum interdicitur facultas absoluendi non in vniuersum, sed priuilegiorum prætextu: at prætextus non verum priuilegium significat, seu facultatem veram, ac legitimam; (vt alibi docuimus, & habet *Gonzalez in regula* 8. *Cancellariæ Glosa* 57. *num.* 2). Dictio quippe, sub prætextu, idem significat, quod sub velamine, vel colore alicuius rei, quæ non est, vel iam desinit esse, seu falsò est; igitur non vera priuilegia ibi derogari possunt, vt sunt quæ habent communiter Regulares.

5 Atqui hæc ratio me minimè conuincit; *disp. enim* 6. *quæst.* 3. *cap.* 2. *vers non cognoscimus certè.* aduersus Patrem Aloysium à Cruce demonstrauimus, Pontificem maximum non reuocare in §. *illo, Cæterum*, priuilegia, sed in alio, nimirum, non obstantibus. Ac proinde ratio efficax, qua ducor, est illa, quam communiter adducunt Doctores, nimirum, quòd Procuratores Ordinum Romæ apud Summum Romanum Pontificem existentes, post Bullæ Cœnæ Domini

6 publicationem, statim Papam adeunt, & constanter Ordinis priuilegiorum nouam petunt cōfirmationem, ac concessionem, & Summi Romani Pontifices libenter consueuere id præstare. Hoc enim non solùm testatur Pater *Portel vbi suprà*, sed audiui à Doctissimo, ac eruditissimo Patre Fr. *Ludouico à S. Ioanne Euangelista*, qui tempore suæ Generalis Commissionis pro vltramontana familia se id sic fecisse apud Paulum Quintum, testatus est.

7 Ex quibus patet, quàm futile sit contrariæ sententiæ fundamentum; Nam Bulla Cœnæ absolutè Mendicantium non prohibet, seu derogat priuilegijs, sed absolutionem eorum prætextu impendere prohibet: prætextum autem, certum est, non excludere illud, quod efficitur per legitimam facultatem, sed illud, quod sub aliquo velamine exercetur. Dato nihilominus, quod per clausulam generalem, non obstantibus, reuocarentur; nihilominus non censeri reuocata dicenda sunt, ex suprà tacta ratione, quia statim reualidantur per Summos Romanos Pontifices declarantes suæ intentionis non esse reuocare Mendicantium priuilegia.

8 Per idem respōdetur ad tertiam difficultatem in principio huius quæstionis positam, scilicet, an per nouam Sanctissimi Domini nostri Vrbani Octaui Constitutionem in *Specula Militantis Ecclesiæ*, qua Regularibus omnibus vsus interdicitur Cruciatæ, sint prædicta Mendicantium priuilegia derogata quo ad casus Sedi Apostolicæ reseruatos, non esse nimirum reuocata, vt suprà tetigimus, illam exponendo. Quod enim prætendere ex illa quis posset, solùm est, non posse Regulares virtute Bullæ Cruciatæ absolui a casibus Sedi Apostolicæ reseruatis; non verò quòd non possint virtute suorum priuilegiorum: neque rationabiliter ex illa colligi potest, Prælatos cuiusuis Ordinis Regularium facultatem non habere suos absoluendi subditos à censuris, & casibus in Bulla Cœnæ Domini reseruatis, vt sequenti capite statuemus.

CAPVT QVARTVM.

Ex in præcedentibus Capitulis determinatis resoluitur iuxta veriorem Authoris sententiam Quæstio Principalis.

SVMMARIVM.

1 *Iure ordinario omnium Ordinum Regularium Superiores possunt suos absoluere subditos à casibus in Bulla Cœnæ Domini contentis.*

2 *Priuilegium concessum à Concilio Tridentino Episcopis absoluendi à casibus occultis Sedis Apostolicæ reseruatis non est personæ, sed dignitati, seu muneri Pastorali concessum.*

3 *Iure priuilegiorum Regularium Superiores à casibus, & censuris à Iure latis quomodolibet Sedi Apostolicæ reseruatis etiam in Bulla Cœnæ possunt suos subditos absoluere.*

4 *Hco*

4 *Hoc etiam ipsis superioribus omnium Ordinum Regularium congruit ex Concilio Tridentino, & Pij V. Constitutione.*

5 *Quænam sint priuilegia, quæ hanc tribuunt superioribus Regularium facultatem.*

6 *An hæresis post primum lapsum possit absolui à Regularium superioribus?*

7 *Exceptiones positæ in priuilegio Sixti IV. ablatæ sunt per Gregorium XIII.*

8 *Omnium Regularium superiores possunt suos subditos absoluere à censuris in iure Summo Romano Pontifici reseruatis, etiam Canonis,* si quis.

9 *Qui docent, Regulares non posse à suis superioribus ab hæresi occulta absolui.*

10 *Prædicti Authores reprobantur, & motus proprius Gregorij XIII. adducitur, & declaratur.*

11 *An prædicta priuilegia hodie sufficiant ad hoc, vt Regulares possint absoluere suos subditos à Papæ reseruatis?*

12 *Author ostendit, prædicta priuilegia esse sufficientia ad hoc, vt tutè Regularium superiores hodie illis vti possint.*

13 *Priuilegium Principi concessum præsentandi ad beneficia personas talis Prouinciæ extenditur ad beneficia posteà creata.*

14 *Per clausulam illam Bullæ Cęnæ Domini nimirum, sub prætextu, non reuocatur facultas concessa Regularibus absoluendi à casibus in Bulla Cęnæ contentis.*

15 *Facultas absoluendi à casibus Papæ reseruatis, etiã in Bulla Cęnæ Domini contentis, non solùm Generalibus, & Prouincialibus est concessa Prælatis, verum etiam & inferioribus, vt Prioribus, Guardianis, Rectoribus, Præfectis, Correctoribus & his similibus.*

1 QVid sit ad propositam Quæstionem respondendum, ex in tribus præcedentibus capitibus dictis non obscurè patet. Dico igitur primò, posse omnium ordinum Regularium superiores iure ordinario à casibus in Bulla Cęnæ Domini contentis suos absoluere subditos. Ita *Pater Suarez tom.4.de Religion.lib.2.cap.20.nu.12. versiculo, dico Quinto, Hieronymus Rodriquez in compendio questionum Regularium resol.3.num.3. Peyrinus in priuilegijs minimor.tom.1.const.4. Sixti Quarti §.5.num.6.cum sequentibus, Portel in addit. ad dub.regul.verbo, Abbas n.10. Franciscus Alongo in lib.de casib. reseruatis à Clemente Octauo p.1.sect.1.artic.23.à num.2. vsque ad Quintum, Emmanuel Rodriquez quæstionum Regular.tom.1.quæst.20.art.9. Vega in summa tom.1.cap.49.casu primo Contra Sigismundum à Bononia tractatu 1. de elect.dub.79. num.13. Ascanium Tamburinum de Iure Abbatum tom.2.disp.14.q.15.num.3. Ioannem dela Cruz de statu Religio.lib.1.cap.6.dub.15.concl.1. Zanardum in direct. Theologic. parte 2.c.17. Naldum in summa verbo, Nouitius, & Dianam p.3.de dub.regul.resol.61.* & alios apud ipsum, & *nouissimè contra Aloysium à Cruce disp.1.cap.1.dub.12.num.8.in fine.* Hec assertio probatur ex dictis in primo, secundo, & *R.P.Iuniperi à Drepano de Casib.reser.* tertio capite huius Quæstionis. Nam ex virtute Concilij Tridentini eodem modo suos possunt Regularium Præfecti absoluere subditos, quo possunt clericos, aliosque sæculares absoluere Episcopi: Atqui isti iure ordinario (teste *Sanchez lib.4. in opere morali capit.54. num.27.*) possunt à casibus Bullæ Cęnæ absoluere; Igitur &

2 Præfecti Regularium. Consequentia, & maior sunt manifestæ. Minor patet, quia ex quo illa facultas conceditur à iure, non propter personæ industriam, sed dignitati cui cùm perpetuò sit annexa, videtur iure proprij Episcopalis muneris ipsis competere. Sub nomine autem (vt probauimus) Episcoporum veniunt Regularium Præfecti; Igitur. Et confirmatur, quia si id non possent, hoc maximè eueniret, eò quòd esset illud Decreti Concilium Tridentinum per Bullam Cęnæ derogatum: Atqui (vt probauims) non est reuocatum, igitur. Quòd non sit reuocatum, Iterùm probo; quoniam reuocatio, quæ olim fieri solebat in dicta Bulla Cęnæ Domini vsque ad Gregorium Decimumtertium, fiebat per subsequentia verba; etiam prætextu quamuis facultatum, vel indultorum quibuscunque personis quorumuis ordinum, etiam mendicantium, ipsisque ordinibus, & eorum Monasterijs: istis autem addit Sixtus Quintus, nisi in eis etiam casus præsentibus litteris expressi comprehendantur: Quæ etiam adduntur in Bulla Pauli Quinti, & Sanctissimi Domini nostri Vrbani Octaui; Igitur iuxta hanc additionem non solùm non reuocatur Concilium Tridentinum, verum etiam nec priuilegia concessa Mendicantibus, eò quòd per illa verba declaratur, non reuocari facultates conciliares, & priuilegia, in quibus specifica conceditu r facultas absoluendi à casibus Bullæ Cęnæ: huiusmodi autem sunt dictum decretum Concilij Tridentini, priuilegiaque Regularium, in quibus est faculaas specifica absoluendi à casibus Bullæ Cęnæ concessa, ergo. De priuilegijs autem speciali modo ostendi potest, quia Gregorius Decimustertius specialiter concessit societati, alijsque Religionibus communicationem habentibus, vt nullæ eius facultates per Bullam Cęnæ Domini derogatæ censeantur, vt *in compendio societatis verbo, Bulla Cœnæ, §.2. refertur, & P. Suarez testatur vbi suprà.*

3 Dico secundò, per priuilegia præsertim Mendicantium posse Prælatos Regulares absoluere suos subditos ab omnibus censuris a Iure latis quomodolibet Sedi Apostolicæ reseruatis, atque etiam ab illis, quæ in Bulla Cęnæ Domini continentur. Ita *Pater Suarez loco, quo suprà num.: 2. Bannes 2.2.quæst.11.num.4 fol.280.§.si quis obijciat, Molfesius tract.7.cap.21.num.19.20. Peyrinus tom.1.Priuil. annot.ad constitut.4. Sixti Quarti num.10. Soussa in Bulla Cęnæ art.10.conclus.3. Villalobos tom.1.tract.9.diffic.61 num.5. & alij, quos citat, & sequitur Sanctorus à Melfi, loco supracitato.* Hæc assertio discriminatur à prima in hoc; quòd in prima diximus, hoc iure proprio pastorali omnibus

Religionum Præfectis competere; in secunda idem, sed priuilegiorum iure. Ex multis autem priuilegijs ostendi potest, quæ indicat *Emmanuel Rodriquez tom. 1. quæstionum Regularium quæst. 20.* non est autem ad hoc ostẽdendum necessarium singula percurrere priuilegia: quædam enim concedunt absolutionem ab vna tantum censura, excommunicatione v. g. alia ab alijs, vel ab omnibus, & interdum extendunt sermonem ad dispensationem ab irregularitate, de qua modò non est agendum. Item quædam addunt hanc limitationem; *nisi adeò fuerint graues, & enormes excessus, quòd sint ad Sedem Apostolicam meritò destinandi, vt ex Clemente Quarto refertur in libro Monumenta Ordinum concessione 318. & 319.* aliæ verò addunt contrariam extensionem, etiam si talia forent, propter quæ Sedes Apostolica esset consulenda, prout refertur *in compendio societatis ver. absolutio §. 10.* & ex priuilegio Benedictinis concesso ex omnibus: igitur priuilegijs sufficienter inspectis colligitur in vniuersum nostrę assertionis probatio.

Occurrit autem hìc specialis Quæstio de censura incursa propter peccatum hæresis, an possit ab his Prælatis absolui virtute Concilij Tridentini Decreti, & Priuilegij Pij V.? Dupliciter hæc dubitatio tractari potest, vel de iure ordinario, seu de iure communi, vel de iure priuilegiorum. Si primo modo, respondendum est iuxta primam conclusionem secundi capitis huius Quæstionis; Si enim Concilij Tridentini facultas est per Bullam Cęnæ Domini reuocata quo ad hæresis ababsolutionem, procul dubio non possent Prælati Regulares ab ea absoluere subditos; vt tenent *Suarez tom. 4. de Religionis cap. 20. num 10. & tom. 5. ad tertiam partem in explicat. Bullæ Cęnæ & tom. 4. disputat. 30. sect. 2. & de fide disputat. 21. sect. 4. numer. 12. Portel, Vega, Rodriquez, & alij locis citatis.*

4 Si verò loquamur iuxta secundam conclusionem, dicendum est, id posse Prælatos non solùm ratione dicti Concilij Tridentini, verùm & per Constitutionem Pij V. Quia eius extensio generalis est, & quo ad omnes facultates: Concilium autem hanc facultatem præbet Episcopis; Igitur & Prælatis Regularium, vt ex dictis patet.

5 Si autem erit tractanda iure priuilegiorum, respondendum est, posse. Hæc assertio aliter ostendi non potest, quàm Summorum Pontificum concessiones afferendo. Primò quidem afferri potest priuilegium Sixti Quarti, cuius meminit Collector priuilegiorum, & de eo fit mentio quoque in compendio societatis Iesu verbo, absolutio, ex monumentis Minorum. In eo enim à generali exceptione quatuor tantùm casus excipiuntur: exceptio autem, iuxta Iuristarum doctrinam, firmat vniuersalem Regulam in contrarium; ergo ex vi illius indulti, extenditur hæc facultas ad omnes alios casus in Cœnæ Domini Bulla contentos, & quomodocunque Pontifici reseruatos. *Erant autem casus excepti à Sixto Quarto; Primò relapsus in hæresim, l. schisma, litterarum Apostolicarum falsificatio, & delatio prohibitorum ad infideles:*

6 Qui omnes casus sunt in Bulla Cœnæ contenti. Ex quibus constat, illam facultatem extendi etiam ad primum lapsum in hæresis crimẽ, quod inter omnia reseruata maximam habet specialitatem; Igitur non solùm à fortiori intelliguntur concessi omnes alij casus ibi nõ excepti, verùm etiam & crimen hæresis: Et cùm ibi nulla fiat mentio de hæresi occulta, vel non ita; videtur aliquo modo posse dici, quòd si non fuerit delata in iudicio, quòd possit absolui. Item cùm in sola hæresi relapsus excipiatur, in alijs non exceptis quicunque relapsus, seu quodcunque recidiuum intelligitur concessum; vt eleganter more suo aduertit *P. Suarez vbi suprà.*

Quam exceptionem, aio, magna ex parte sublatam esse per Gregorij Decimitertij Concessionem societati facta *absoluendi ab hæresi, & relapsu etiam in hæresim eos omnes, qui sub societatis obedientia viuunt, si quis (quod Deus auertat) in eam inciderit.* Ita habetur *in compendio eiusdem societatis §. 7. & in 9. additur*, eandem facultatem concessisse Alexandrum sextum Prælatis nostri ordinis minorum de obseruantia cum duplici tamen limitatione, scilicet, pro solis vltramontanis, & dummodò relapsorum crimina publica, & notoria non sint apud sæculares: Gregorius verò nullam addit limitationem.

7 Sed quæres, an per illam extensionem sublatæ sint aliæ tres exceptiones à Sixto Quarto positæ? etenim illa affirmandum videtur, quoniam potissima illarum exceptionum erat relapsus in hæresim, & inter omnes casus ille maximam habet specialitatem; Igitur illo concesso, reliqui omnes censentur concessi. Nihilominus respondeo, ex vi illius indulti præcisè nõ esse sublatas; eò quòd in iurisdictionis materia, & potestatis argumentũ illud non potest esse firmum: Quia potest quis ad iudicandum de grauissimo crimine iurisdictionem habere, & non de minori, maximè in iurisdictione delegata, qualis per hæc priuilegia præbetur. Licèt hoc verum sit, nihilominus iuxta materiam subiectam, illorum Pontificum intentionem videtur fuisse, vt omnis exceptio, & limitatio auferretur.

Atque hinc existimat *Pater Suarez*; supposuisse alias exceptiones sublatas, & ideò illam tantùm, quæ maxima erat, abstulisse; ablatęque videntur aliæ exceptiones per priuilegia generalia, quæ exceptionem non habent, & addunt aliam clausulam, *etiam si tales forent, propter quæ Sedes Apostolica esset consulenda.*

Dicet quis fortassè, per hanc clausulam etiam exceptionem relapsus in hæresim videri sublatam. Respondet *Suarez*, adeò esse specialem casum illum, vt sine specifica expressione non putaretur concessus per illa generalia verba, sicut per priuilegia concedentia facultatem absoluendi à casibus Cœnæ Domini non comprehenditur hæresis, nisi exprimatur; Propterea igitur speci-

specifica concessio, & extensio meritò obtenta est.

8 Ex his igitur satis constat vniuersalis secunda posita assertio quoad omnes censuras à iure, & Pontificias, quia omnes continentur, vel extra Bullam Cœnæ, vel intra illam;atqui ad vtrasque extenditur hæc facultas; Igitur. Quo circa non est dubiũ,qui hæc facultas se extẽdat ad excommunicationem in cap.si quis suadẽte.Nam licèt olim de iure communi hæc cẽsura cõmitteretur Episcopo in grauioribus casibus, & Abbati in leuioribus capitulo Monachi de sententia excommunicationis; Nihilominus illa concessio non erat generalis, sed solùm quando percussio erat Monachorum inter se,& licèt posteà extensa sit ad Clerici sæcularis percussionem cap.Religioso de sententia excommunicationis in 6.tamen soli Episcopo committebatur, & non vniuersaliter, sed in percussione,non enormi,iuxta interpretationem communem: at verò iuxta prædicta priuilegia absolutè concessa est hæc facultas non in speciali, sed per sufficientem clausulam generalem.

9 His verò minimè obstantibus, noster *Pater Portel verbo, Abbas num. 11. in addit. ad dub Regul.* sustinet,nunquam Prælatos Regulares posse absoluere subditos ab hæresi occulta. Ducitur leui quidem fundamento; Nam asserit, Sanctæ Inquisitionis Tribunal habet multa priuilegia specialia, per quæ reuocantur alia priuilegia in communi concedentia absolutionem ab hęresi: ibique addit ex *Sanchez lib. 2. in opere morali cap. 12.num.* 10.existere priuilegium,seu motum proprium Gregorij XIII. Specialiter hoc prohiben-
10 tem. Qui motus proprius ponitur ad litteram à *Rodriquez in addit. ad Bullam Cruciatæ ad § nonum.* Verùm motus ille proprius (si benè inspiciatur) non est ad propositum; qua ibi dumtaxat declarat Papa, per Bullam Cruciatæ non licere confessoribus absoluere ab hæresi, non autem de facultate, quam Regulares habent ex vi suorum priuilegiorum,quod ipsemet *Portel* fatetur, qui ad hoc idem adducit quandam concessionem Pauli Tertij, qua indulsit *Abbatibus, Prioribus, Præsidentibus, & alijs Prælatis Congregationis Sancti Benedicti Valisoletani,vt annis singulis prima die lunæ quadragesimæ omnes, & singulas vtriusq; sexus personas Religiosas,ac donatos, & heremitas præfatæ Congregationis sub eorum cura existentes possint absoluere ab omnibus peccatis,& censuris, & pœnis pro tempore incursis, etiam in casibus quantumcunq; Sedis Apostolicæ reseruatis, prout iam ista facultate vsi fuerunt: & attento quod absolutio ista est in foro conscientiæ tantùm,& pro personis Religiosis.* Hæc concessio refertur in bullario *Rodriquez folio* 816. Quæ concessio cùm sit ampla,& magna, quamquam pro vno tantùm duret die, nihilominus nullum excipit casum: Quapropter videtur ex hoc priuilegio extendi facultatem,quam habent Regulares in suos subditos, etiam ad peccatum hæresis occultæ.

11 Pro complemento autem huius materiæ superest, vt quandam dubitationem, quæ fieri hìc potest, soluamus. Nimirum, an hæc priuilegia hodie sufficiant ad huiusmodi obseruationem? Ratio autem dubitandi duplex esse potest; prima, quia priuilegia non cadunt in futuras reseruationes; Eæ autem reseruationes Bullæ Cęnæ Domini singulis annis renouantur, & tanquam de nouo fiunt; Ergo priuilegia prius concessa minimè ad illas extenduntur. Quæ ratio militat etiam in quibuscunq; casibus post prædicta priuilegia reseruatis, etiam extra bullam Cęnæ Domini. Altera autem ratio est, quia hæ facultates reuocatæ videntur per posteriores Bullæ Cęnæ, in quibus ad finem dicitur: *etiam prætextu quarumuis facultatum, vel indultorum quibuscunque personis quorumuis ordinum etiam mendicantium, ipsisque ordinibus, & eorum Monasterijs &c.* per quæ verba derogata expressè videntur priuilegia. Dico nihilominus primò, hæc priuilegia de se sufficere ad absoluendum à peccatis quibuscunque reseruatis, tam in Bulla Cænæ Domini; quàm extra illam, etiam si reseruatio post concessionem priuilegiorum sit facta.Patet,quia sensus illorum priuilegiorum non est per ea dari facultatem ad absoluendum ab illis peccatis,quæ tunc reseruata sunt, quando priuilegium conceditur,sed ab illis, quæ tunc reseruata sunt, quando fit concessio, & absolutio præstanda est; Igitur licèt reseruatio sit posterior,nihil refert. Antecedens probatur,quia in primis Papa suam hoc sensu iurisdictionem delegare potest,vt est apud omnes indubitatam: quia potest facere delegationem per se perpetuam, idest quandiù reuocata nõ fuerit, & potest suam propriam iurisdictionem pro tempore vitæ suæ illo modo delegare: ergo pro omnibus futuris temporibus. Quòd autem hoc etiam intendat, ostenditur; quia illa concedit priuilegia vt perpetua, & vt generalia ad omnes casus reseruatos: non possent autem esse talia,nisi ea intentione concederentur.Item, quia priuilegia illa sunt absoluta, & continent gratiam,& fauorem, quæ in nullius præiudicium cedunt,nisi ipsius concedentis; igitur non sunt à nobis restringenda, sed amplianda potiùs, iuxta communem Regulam iuris.

Confirmatur à simili; Nam si Rex ab aliquo onere oppidum eximat quantumcunque posteà crescat, totum id, quod in futurum auctum est, censetur exemptum; vt tradidit *Baldus in leg. cum fundus ff. de legat. & tractat. Couarr. in pract. cap.* 2. Ergo similiter. Confirmatur secundò à simili: Nam si Pontifex Beneficiorum Regi concedat præsentationem talis Prouinciæ,vel Ciuitatis,extenditur illa confessio ad beneficia posteà creata; Argumento, quia circa,de priuilegijs,vbi ratio affertur, quia in beneficijs plenissimè est interpretatio adhibenda;Igitur multò magis in præsenti adhibenda est: tum quia nouæ reseruationes sunt quotidianæ, & ideò faciliùs creditur de eis cogitasse Pontificem, quando tale concessit pri-

priuilegium: tum etiam quia hodie priuilegia data sunt ob publicam, & magnam vtilitatem, scilicet spiritualem; iuxta ea, quæ tradunt *Ioannes Andreas in cap, qui sentit de Regul. iuris in 6. & Panormitanus in cap. quia circa num. 5. de Priuilegijs, Alexander lib. 2. consilior. consil. 178. nu. 21.* Vltimò tandem confirmatur ex vsu sequentium Pōtificum: quando enim volunt, alia priuilegia non valere ad absoluendum de casibus denuò ab ipsis reseruatis, reuocant expressè dictas facultates: ergo supponunt, illas de se extendi ad subsecutas
14 etiam rationes. Hæc *Pater Suarez vbi suprà*. Vndè dico secundò, per illam clausulam etiam sub prætextu positam in bulla Cœnæ Domini non reuocari prædictas facultates, prout suprà declarauimus.
15 Petes, sunt ne huiusmodi casus reseruati respectu inferiorum Prælatorum, ita vt solis Summis Præfectis competat hoc ius absoluendi? Respōdeo negatiuè; Nam huiusmodi facultates sunt præstitæ etiam Prælatis conuentualibus. Ita *Pater Suarez tom. 4. de Religione lib. 2. cap. 20. num. 9. Sanchez lib 8. de matrimonio disput. 2. num. 13.* Hoc autem non solùm venit intelligendum de Prioribus, Guardianis, Rectoribus, Præfectis, Correctoribus, & huiusmodi, qui immediatam domorum habent Gubernationem, & iurisdictionem in suos sibi subditos, verum etiam, & de Præsidentibus, seu Vicarijs in eorum absentia. Quænam verò absentia satis sit, vt exercere possint hanc absoluendi facultatem, ex dictis in prima huius tractatus parte *disput. 8. quæst. 2. cap. 2. patet*. Dico tamen breuiter, quod tunc censendus est Prælatus absens, quando per diem saltem naturalem non est ad suum proprium Conuentum reuersurus. Ita cum alijs *Pater Diana p. 3. tract. 2. de dub. Regular. resolut. 28.* Tertium verò punctum, quod in principio huius disputationis propositum est, ex his, *quæ in 6. disputat. quæst. 4. cap. 3. & sequentibus* docuimus, facilè resoluitur. Et hæc pauca sufficiant pro hac secunda casuum reseruatorum parte.

PARS

PARS TERTIA

Tractatus de casibus reseruandis iuxta modum, & formam Decreti Clementis VIII.

Agendum superest hac in tertia huius casuum reseruatorum tractatus parte, de ipsis casibus in particulari, iuxta ordinem, quo sunt in Clementis VIII. Decreto positi. Quorum

PRIMVS CASVS.

VENEFICIA, INCANTATIONES, SORTILEGIA.

CIrca hunc primum reseruabilium casuum in Clementis VIII. Decreto contentorum, notare oportet, tres has voces, VENEFICIA, INCANTATIONES, SORTILEGIA, quamquam, rigorosè loquendo, specie non discriminentur, differunt nihilominus materialiter, hoc est ex parte materiei, vel ad Summum modaliter, ex parte modi, quo fiunt; quia informali malitia conueniunt. Supposita tamen hac modali distinctione, seu differentia: operæ pretium est, declarare, atquè exponere, quid vnaquæque illarum significet, ac importet. Quod non erit inutile: Contingere quippe potest, vt in aliquibus Religionibus fuerit iste casus acceptatus, & reseruatus, aut in posterùm reseruabitur. Quamobrem non erit præter intentum explanare in hac disputatione, & sequenti; Quid sit Veneficium, in reliquis verò de incantatione, & Sortilegio agemus.

DISPVTATIO PRIMA.

De grauissimo Crimine Veneficij.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum maleficium sit magiæ species?

CAPVT PRIMVM.

Quid, & quotuplex sit maleficium.

SVMMARIVM.

1 *Iurisperiti Maleficium vsurpant pro omni malo in genere.*
2 *A Theologis Maleficium vsurpatur pro facto magico, quod ope Dæmonis fit, siue in bonum, siue in malum.*
3 *Maleficium est superstitio, qua quis alteri nocet virtute Dæmonis.*
4 *Maleficium qua ratione sit nociuum.*
5 *Pactum cum Dæmone factum quid sit.*
6 *Pactum duplex, Expressum, & Tacitum.*
7 *Pactum expressum tribus modis fieri solet.*
8 *Quæ Dæmoni promittuntur ab his, qui cum eo ineunt pactum.*
9 *Duobus modis pactum tacitum fieri solet cum Dæmone.*
10 *Habentes pactum explicitum cum Dæmone sunt Hæretici sæpè sæpius.*
11 *Malefici quomodo sunt examinandi à confessario.*
12 *Qui fictè, & simulatè init pactum cum Dæmone, quãquam grauiter peccet, non est puniendus pæna Hæreticorum.*
13 *Habentes pactum tacitum cum Dæmone scienter, peccant lethaliter.*
14 *Traduntur Regulæ, quibus dignosci potest pactum expressum cum Dæmone.*
15 *Maleficium duplex, Amatorium, & veneficum.*
16 *Maleficium est, quo opera Diaboli quis alteri nocet, in sua, vel in suorum persona, inferendo mortem, vel dolorem aliquem.*

1 OMne malum in genere consueuere Iurisperiti appellare maleficium, prout colligitur *ex lege congrui ff. de off. Præsidis leg. ita vulneratus Cod. de leg. Aquila l. si operis C. de pænis & cap. non licet 26. qu. 3.* à Theologis verò vsurpatur pro facto magico, quod ope Dæmonis fit, siue in bonum, siue in malum perpetretur finem, & certè conueniunt cum Iuristis, quatenùs cuiuſuis professionis magos, ob facinorũ magnitudinem, maleficos appellant; *l. nemo C. de malef. & c. nec mirũ 26. q. 3.* eo quòd omnes in humanam conspirãt salu-

salutē; siue res, quibus vtuntur, sint venenosæ ex sua natura, siue ex pacto cum Dęmone malitiam recipiant. Hinc patet, quòd inter maleficium, & veneficium nullum sit discrimen; Nā veneficus dicitur ille, qui aliquando vtitur rebus venenosis; qui & maleficus dicitur, ex malis, quæ infert aliquando rebus viuentibus; vt adnotauit *Portel in dub. Regul. verbo, veneficia*.

3 Diffiniri potest maleficium sic. Maleficium est superstitio, qua quis alteri nocet virtute Dęmonis. Ita *Cardinalis Toletus lib.4.cap.16. Valentia 2. 2. disp.6 quæst.13.punct.4. Sayrus in sua Claui Reg. lib.4.cap.6.nu.23.Reginaldus lib.17.n.175.Filiucius tract.24.cap.8 quæst.1. Bonacina de legib.disp.3. qu. 15. puncto 15. proposit.1.n.1.* & alij communiter. In qua diffinitione *superstitio* ostēdit illud, in quo maleficium cōuenit cum alijs magiæ speciebus, (prout ex statim dicendis patebit) sicut & quod sequitur, quod alteri nocet, ostendit id, in quo separatur ab ijsdem: quæ non sunt comparatæ ad nocendum alijs, sed ad captandam inanem hominum opinionem.

4 Additur verò; *virtute Dęmonis*: vt intelligamus, maleficium pro se non esse nociuum, sed Dęmonis opera, cum quo maleficus habet pactum tacitum, vel expressum. Signum autem, quo maleficus ipse vtitur, vt alij Dęmon noceat, dicitur quoque maleficium, & ij, quibus nocet, maleficiati vocantur; Vndè extat titulus in decretalibus de frigidis, & maleficiatis.

5 In cuius gratia pro pleniori notitia dicendorum, notandum est primò, per pactum cum Dęmone intelligi promissionem factam Dęmoni ab homine, ex qua obligatio nascatur non tantùm ex parte hominis, verùm etiam ex parte Diaboli saltem ficta.

6 Duplex autem ipsum esse: vnum expressum, quòd apertè innititur cum Dęmone; & alterum tacitum, quòd implicitè fit cùm Dęmone. Tri-

7 bus autem modis expresſum fieri solet. Primus est cum sollemnitate quadam: nēpè vt visibiliter apparente Dęmone multis stipato, coram quibus illi fiat promissio, ea ratione, qua tradunt *Alphonsus de Castro lib.1.de insta Hæreticor.punit.c.16. & Sprengerus in suo Malleo maleficarum p.2.q 1.c.2. Simanch.de Catholic.Instit.tit.63.Paulus Grilland.de Sortileg.q.3.n.1.Martinus del Rio Magic. disquis.lib. 2 q.4.Eymericus in direct.Inquisit.p.2.q.47.Bern.Comensis tract.de Strigib.n.1.* Secundus est, quo sine sollemnitate quidem, Diabolo tamen fit immediatè: *Cardinalis Toletus in summa lib.4.cap.14.nu. 10.P.Suarez de religion.tom.1.lib.2.ca.8. & Petrus Binsfeld. in confess. malefic. prælud. 6.* Tertius est, quo & si expresſè fiat Dęmoni, non tamen immediatè, sed per interpositam tertiam personam, putà Magum, aut maleficum, tanquam locum illius tenentem. Ita *Authores citati*.

8 Notandum est secundò, illos, qui pactum expressum cum Dęmone ineunt, ei multa promittere similia ijs, quæ hodie solent hæretici in fidei Catholicæ abiuratione. Promittunt enim, quòd nunquam Eucharistiam adorabunt, quòd blasphemijs, & iniurijs afficient Sanctos, præsertim Beatissimam Virginem absque peccati originalis labe conceptam: quod confringent Christi, Sanctorumque imagines, quas poterunt: quòd nunquam signum facient Crucis; quod nunquam integrè sua confitebuntur peccata; & maximè istud, de quo agimus; quod sibi cauebunt diligētissimè ab omnibus rebus ab Ecclesia consecratis, vt est aqua benedicta, sal benedictum: quod sua conuiuia, & comestiones illis celebrabunt diebus, quibus ab alijs Christianis ieiunatur: quòd deniquè conabuntur alios quotquot poterunt inducere in idem flagitium. Diabolus verò vicissim huiusmodi hominibus signa præscribere solet quædam superstitiosa; qualia sunt, expressa Dęmonis inuocatio, certa quædam verba ab ipso præscripta, characteres quidam in cartis scripti, nodorum complicatio; non quòd vis sit in eis vlla, vt allegati Authores docent, & falsò existimāt ij ipsi, qui cum Dęmone paciscuntur; sed quòd ad illorum exhibitionem, & presentiam Dęmon statim accurrens, illa operetur mirabilia, quæ existimant fieri à Magis. Neque putandum est, verum esse quod aliqui ex eisdem Magis iactitāt, se habere Dęmonē in annulo inclusum; aut alia in re: (sicuti notant Doctores Catholici, quos sub tacito nomine allegat *Reginaldus statim citandus*) falluntur enim, quia Dęmon non adest illis, nisi quando ipse vult, aut quando ab aliquo potentiori Dæmone compellitur. Ita *Franciscus à Victoria relect. de arte magic. n.31. & alij, quos infrà citabimus*.

9 Duobus autem modis pactum tacitum cum Dęmone fit. Alterò, cùm quis sciens, & prudens vtitur signis Magorū superstitiosis: siuè ea acceperit traditione maiorum, & quasi hereditario iure; siuè ab ipsis Magis didicerit, siue ex ipsorum libris, vel sermonibus auserit. Altero cùm quis signis vtitur superstitiosis ignorans ipsa esse talia, eò quòd putat non esse mala. Ita *Alfons. de Castro de insta hæretic. 1. cap. 14. Suarez vbi suprà ca. 15.n.1, Sanchez in opere morali lib.2.cap.40.num.8. Grillan. de Sortileg. qu 10. Valle de Moura tract. de incantatio. opusc.1. sect. 2.c.5.n.25. & cap. 18. n. 22. & sect.3.cap.4.n.18. & cap.5.n.19.*

18 Ex quibus infertur primò, pactum habentes cum Dęmone expressum quocunque ex tribus anteà propositis modis grauissimè peccare: quia iniuria grauissima Creatoris Diuinum cultum deferunt Creaturæ miserrimæ: atque tales cùm nonnunquam sint hæretici; vt cùm Dęmoni, aut Superstitiosis signis ipsius credant aliquid, quod est contra fidem, vt in illis aliquam inesse diuinitatem: aliquando etiam Apostatæ sint à fide; vt cùm eo animo Diabolo credunt, & totam reijciunt Catholicam fidem.

11 Atque hinc huiusmodi malefici sunt diligenter examinandi a confessario super eo, vt & super blasphemijs in Christum, & Sāctos, rerum ab vsu sacrarum in suis incantationibus, commixtione cum Dęmonio, damnisq; illatis iniectione morborum in homines, & bestias, ac segetum & vinea-

vinearum vastatione: eò quòd inde in censuram in Bulla Cęnæ Domini reseruatam incurrunt, aliasque hæreticorum pęnas.

12 Sed quæres, an si quis fictè tale ineat pactum cum Dęmone an pœnas hæreticorum incurrat. Respondeo peccare mortaliter ob notabilem, quæ in eo committit, Dei irreuerentiam, licet dictis hæreticorum pęnis non subiaceat.

13 Infertur secundò, habentes pactum tacitum priori modo duorum proximè præpositorū peccare lethaliter, tanquam scienter ineuntes cùm Demone societatem Dei, generisque humani hoste. Non ita habentes posteriori modo, si duæ concurrant conditiones; quarum prima est; vt talis sit paratus eam relinquere superstitionem, quando admonetur; Nam post admonitionem non potest per ignorantiam excusari: posterior est, vt ignorantia illius sit probabilis, quia crassa, vel supina non excusat, & ideò quantumuis rudes, & idiotæ excusari possint hac in re per ignorantiam, non tamen ceteri qui possunt, & tenentur scire, præsertim Religiosi, qui debent alios docere. Ita *Caietanus in summa verbo, incantatio in principio, & Syluester verbo, superstitio*, & alij Summistæ.

14 Quomodo autem dignosci possit pactum expressum cum Demone, facilè est, itemque tacitum primo modo, cùm scienter ineatur: sed tacitum secundo modo est difficilè cognitu; Nam quamuis illud, quod neque diuina virtute, neque naturaliter fit ab homine, meritò iudicetur ex aliquo pacto cum Dęmone pēdere; nihilominus non est statuendum, hoc ipso aliquid tali pacto carere, quòd diuina virtute, aut naturali, factum videri debeat: quia Dęmon quandoque sua occultat opera sub rerum naturalium specie, & nōnunquam sub diuinorum miraculorum; ita vt difficulter illius cognoscantur fraudes, & insidiæ. Sunt autem nonnuli modi cognoscēdi talem occultum pactum cum Dęmone, *quod Gregorius de Valentia 2.2. disp. 6. q. 13. punct. 2. Suarez tom. 1. de Religion. tract. 3. lib. 2. cap. 15. & Caietanus in summa verbo, incantatio, ex Diuo Thoma 2. 2. quæst. 69. art. 1. & 4. & ex Nauarro in Enchiridion cap. 11. nu. 22. tradunt*; de qua re videndi sunt omnino ibi alij Thomistæ.

15 Duplex autem est maleficium: alterum amatorium, alterum verò veneficum. Amatorium dicitur illud, quo homines excitātur ad amorem, & maximè ad impudicum, quod fit per philtra, seu pocula, aut carmina amatoria, de quo in Quæstione sequenti latè agemus.

16 Veneficum verò est, quo opera Diaboli nocet quis alteri, in sua, vel suorum persona, inferēdo nimirum mortem, vel morbos, vel dolorem aliquem, aut etiam in suis bonis, ac rebus externis, idest, in iumentis, pecoribus, vineis, segetibus, &c. Quod fieri potest vel à Malefico causas adhibendo naturales, vt veneria; vel à Diabolo sic, vt maleficus solùm superstitiosa adhibeat signa, quibus videtur facere, quod non ipse, sed Diabolus facit.

Vèrùm, quia hæc omnia risu digna à nonnullis existimantur; videndum est, an venefici possint hominibus nocere, & quomodo.

CAPVT SECVNDVM.

An Dęmones morbos inferre possint artificio magico, seu maleficio medio?

SVMMARIVM.

1 *Medici ferè omnes putant, Maleficos Dæmonis ope non posse hominibus inferre morbos, seu infirmitates.*

2 *Dęmones non solùm ex naturalibus causis, sed ex sua malitia immediatè operando posse inferre morbos, Fides Catholica docet.*

3 *Medici tam antiquiores, quàm Moderniores affirmant, posse Dęmones inferre morbos.*

4 *Sacrę Scripturę testimonia adducuntur, quibus ostenditur, Dęmones morbos inferre hominibus.*

1 Maleficos ope Dęmonis nullatenus morbos, aliasuè inferre hominibus infirmitates, docent Medici, *& Hyppocrates lib. de Sacro morbo, Arist. lib. 5. physicor. & lib. 12. Methaphis. Galenus de simplic. Medicament. lib. 9 & 10. Plutar. in vita Peric. & Theophars. in histor. plantar. lib. 1.* Sed illæ ex causis naturalibus oriri, illis nimirum, qui aut improba secundum naturam temperatura constant, infirmaq; compage, aut Cęlo inclementi, & in salubri regione, l. in cauto vtuntur victu. Vndè maleficia non esse, aut si essent, hominibus non posse nocere, *Sagas*, nisi ex vero, & naturali veneno, docuere *Hippocrates lib. de aere, aquis, & locis, Galenus lib. 1 de Sanitate tuenda, Ioānes Heurnæus in praxi medic. cap. 7. Ioannes Hucherus in prognos. medic. cap. 1. Franciscus Vallariola in locis commun. append. 1.* Quod si ab eis quæratur; Vndè hi morbi malefici illi oriuntur? Ad phantasiam, melancholiam, & illusionem esse referendos, respondent *Hippocrates, & Aristotiles vbi suprà, Galenus dicto lib. 6. & 10. Ioannes Vubierus lib. de venenis cap 5. & lib. de lamijs cap. 7. & 8. & lib. 6. de præstigijs Dęmon. cap. 27. & Ioannes Bodinus lib. 2. de Magor. demonolat.*

2 Nihilominus, his minimè obstantibus tenendū esse doceo, Dęmones non solùm ex naturalibus causis, sed ex sua malitia immediatè operando, posse inferre morbos, ac proinde maleficia esse morbos illatos, certum est de fide. Hanc assertionem docent expressè Sancti Patres, presertim *Diuus Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana ca. 19. & lib. 8. de Ciuit. Dei c. 19. Diuus Isidor. lib. 8. ethimolog. cap. 9. Chrysostomus lib. 8. de fato serm. 7. Scholastici omnes tam antiquiores, quàm Moderniores, Diuus Thomas p. 1. q. 115. 2. 2. q. 96. & in 4. sentent. distinct. 34. & ibi Diuus Bonauentura, Riccardus, Sotus, & alij. Suarez de Religione lib. 2 cap. 9. & de Angelis lib. 8. cap. 30. Sanchez lib. 7. de matrimonio disp. 94. ex n. 1. in opere moral. tom. 1. cap. 40. Valentia tom. 3. disp. 6. q. 13. puncto 4. Malderus de virtutib. Theologic. tract. 10. cap. 8. dub. 9. Bufalus de Angelis in primam D. Thomæ partem q. 50. art. 1. Martin. del Rio lib. 3. Magicar. p. 1. qu. 1. cap. 1. & quæst. 3. sect. 4. & quæst.*

quæst.4. sect.1. Alfons. de Castro de iusta hæretic. punit. lib. 1, cap.14.15.& 16. D.Antonin.2. par.tit.1. cap.1. Consentiunt Iurisperiti *Cardin.Turrecremat. in cap.si per sortiarias 33.quæst.1. Panormit.& Felinus in cap.ex litteris de frigid. & malefic. & alijs in leg.eorum,Cod.de malefic & mathem. Binspheld. in confess.malef.prælvdio primo cum seqq.cap.2.conclus. 7.& in l.eorum,Cod.de malefic.& mathem.quæst.6. conclus.1.2.& 3. Simanch.de catholic. instit. tit.33. à num.6. Paulus Grilland. de sortilegijs lib.2.quæst.6. 7.& 8. Nicol.Remig.lib.1. de Demonolat. cap.24.& 29. Couarr.in decretal. 4.cap.5.& tract.de frigid. & malefic.cap.11. Iulius Clarus lib. 5. receptor. quæst. 62. Farinac.pract.quæstion.tom.1. quæst.20.tract. de hæreticis quæst.181.§.1. num. 31. Menoch. de arbitrar. casu 329.& Campanil. diuers. Iuris rubric. 11. cap.26. num* 100.

3 Eandem conclusionem ex Medicinæ Doctoribus ostendunt *Auicenna lib.3. Fen.1.tract.4.cap. 18.& Fen.10.cap.3. Africanus lib. 8. praxi cap.29. Dioscorides lib.2.cap.de Ramo, Theophars.hist.plant. lib.7.cap.de scylla, Ioannes Fernelius lib. 2. de abditis rerũ causis cap. 16. Mesue lib.3. de antidot.sect.9. Ambrosius Percus lib.24 cap.19. Leonardus Vayrus de Fascin. lib.3. Ambrosius Cæsalpin. de inuestig. dæmon.cap.1.& 8. Baptista Codronch.lib. 1. de morbo venefico cap.1.& seqq. Garsia de locis affect. disput. 74.* & maximè *Antonius à sancta Cruce de morbo sacro, Comment.ad textum Hyppocrat.16.*

4 Ex sacræ autem Scripturæ testimonijs ostendi potest nostra assertio. Etenim in *lib. Iob cap. 2.* sic legimus: *Egressus igitur Sathan à facie Domini percussit Iob vlcere pessimo à planta pedis vsque ad verticem eius.& 1. lib. Reg. cap. 6. Spiritus nequam solum vexabat, & Tobiæ cap. 8. Asmodæus septem viros Saræ necauit*. Ex nouo vero testamento in *cap.8. D.Lucæ, Mulierem curuam vexabat Dæmon octodecim annis conuulsione spinæ dorsi: & cap.13. eiusdem D.Lucæ, Epylepsi vexabat puerum ab infantia, qui spumabat, stridebat dentibus, & arescebat; & cap.9.D.Marci,* Sic enim infirmitates à Demonibus illatas esse, docent sacrosancta Concilia *Laodicense Canone 36. Carthaginense 4.can.89 Agathense lib.8. Turinense 4.can.42.* cum alijs per *Gratianum in Decret.2 par.caus.33.quæst.1 & causa 26. quæst.1.2.3.4.& 5.cap.Nec mirum, causa 26. qu.5.* Quibus addo Summor. Pontific. varias Constitut. *in Decretal.tit.de sortileg. & tit.de frigidis, & maleficiatis, & tit.de sagittar.& in extrauagant. Innocentij VIII. in Constitut. Summis desiderantes affectibus, & Alexandri VI. Adriani VI. Leonis X. insertis titulo de maleficiatis,& Mathemat.in decret.7.* Et insuper hoc idem probatur *ex legib.Imperator. in leg. multi, & leg.eorum Cod.de maleficiat & mathem.§. item lex Cornelia, Instit.de public. Iudic.* & alij quamplures apud *Franciscum Torreblanc. de Iure spirituali lib.12. cap.1.*

CAPVT TERTIVM.

Maleficium esse Magiæ speciem ostenditur.

SVMMARIVM.

1 *Maleficium est Magiæ species.*
2 *Magia non semper in malam partem vsurpatur, sed aliquando in bonam, ex scriptura sacra.*
3 *Magia translata est ad significandum artem, quæ docet aliqua insolita facere.*
4 *Magia triplex, Naturalis, Artificialis, & Superstitiosa.*
5 *Naturalis Magia quid sit.*
6 *Naturalis Magia de se non est illicita, quomodo autem illicita esse potest.*
7 *Magia superstitiosa potest tripliciter accipi, largè, strictè, & strictissimè.*
8 *Magiæ nomen in iure Canonico, & Ciuili quomodo sumitur.*
9 *Magia magis strictè sumpta distinguitur à Diuinatione; Et quomodo.*
10 *Impugnatur Opinio negans esse Dæmones.*
11 *De fide certum est, dari Magiam.*
12 *Sanctorum Patrum testimonia, & Scholasticorum adducuntur, quibus idem persuadetur.*
13 *Quæ damna inferri solent à maleficis.*
14 *Malefici ad omnium damnorum tenentur restitutionem.*
15 *Maleficus corporaliter punitus non liberatur à damnorum restitutione.*

1 Maleficium esse Magiæ speciem, certum, & constans est, *cap.nec mirum,de Magorum prestigijs 26.quæst.5. ita P.Suarez tom. 1. de Religion. lib.2. cap.14.num.12.& clarius cap.15. num.2. & num.28. Reginaldus lib.17.cap.17. in principio, Sanchez in opere morali cap. 40.& 41. lib 2.* Hæc autem assertio optimè probabitur, si priùs explanabimus, quid, & quotuplex sit Magia. In primis
2 igitur oportet significationem vocis declarare, quia Magorum nomen est æquiuocum, & non semper in malam partem vsurpatur; apud Græcos enim significabat olim Sapiẽtes, eosque præcipuè, qui in phylosophia erant eruditissimi. Et quia inter naturales scientias illa videbatur altior, & mirabilior, quæ Cœlorum, Astrorumque motus considerat, & assequitur; ideò illi maximè solebant Magi appellari, qui in illa scientia eminebant, semperq; in syderum obseruationibus versabantur. Sic enim tres illos viros primos Christi Domini ex Gentibus Adoratores magos esse *Matth.2.* satis significauit *Leo Papa serm.4. de Epiphania,* dum illos vocat gentem, quæ spectandorum syderum arte pollebat, & ideò *serm. 3.* eos appellat viros ad hæc (idest sydera) sectanda non inscios. Idque etiam docuere *Rupertus, Beda, Lyra, Vgo, & Carthusianus in cap.2. Matthæi, Nicephorus lib.1.cap.13.* & noster *Ioannes de Cartagena tomo 1.lib.6 hom.1. in principio,* vbi citat *Anselmum, & Basilium Orat.de Christi ortu*; cùm ergo Magi à Magia denominantur, Magia in hoc sensu idem est, quod philosophia naturalis. Vnde *Glossa Ordinaria*

naria in prædictum secundum Matthæi caput, inquit, *Magi non malefici, sed Philosophi Chaldæorum erant, vel magis strictè idem, quod Astrologia, vel*
3 *Astronomia*. Posteà verò translata est hæc vox ad significandam artem, quæ docet facere aliqua opera insolita, quæ mira apparent hominibus, quæ rara sunt, occultasque habent causas.

4 Atqui hinc diuidi solet magia in naturalem, artificialem, & superstitiosam; quam diuisionem insinuauere *Diuus Hieronymus in Danielem 2. Diuus Augustinus lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 4. Suarez loco, quo suprà, Martin. del Rio Magicar. disquisit. lib. 2. Ioannes Azorius 1. par. instit. moral. lib. 9. cap. 23. Reginald. lib. 17. cap. 15. num. 149. Cælius Rhodiginus lib. 9. Antiquitat. & insinuat P. Ioannes de Cartagena*; latiùs verò, & apertiùs *Gulielmus Parisiensis in 2. par. principali de vniuerso par. 2. illius cap. 21. Victoria relect. de Magia num. 7.* & alij quamplures
5 omnino videndi apud ipsum. Naturalis censetur, quandò causarum naturalium virtute indita ipsis à natura, sed occulta, fiunt effectus mirabiles rudioribus occulti, ac solis Doctoribus, & peritis inspecti, quales fuerunt, quòd simulachrum quoddam in aere penderet in magnete, & quòd Lucerna quædam veneris subdio posita, nec vento, nec pluuia extingueretur: De quibus *Augustinus loco citato* mentionem facit. Censetur verò artificialis, quando id, quod videtur mirum, fit tantùm arte, & industria humana; sicut multa fieri solent à circulatoribus, & funabulis. Demum diabolica censetur, quando mira, & insolita fiunt virtute Diaboli; vt aliquando fieri aduersus quosdam Gentiles, ostendit *Diuus Thomas lib. 3. contra gentes cap. 14.* diffiniri autem potest magia in vniuersum sumpta, vt sit scientia, vel potestas, qua mira quędam, & insolita fiunt, vi tamen creata: quod traditur, ad excludendam potestatem faciendi miracula, quia Christus in illorum patratione diuinitùs concurrit cum fide, & oratione eorum, à quibus patrantur.

6 Et quamuis naturalis magia non sit de se illicita, vt de se constat, eò quòd in sola cognitione, industriaque nititur naturali; solet nihilominus nimis esse curiosa, & vana, ex vtilitatis defectu; & propterea esse solet periculosa, ideòque cauenda, quia est nimis propinqua magiæ superstitiosæ, & paulatim ad illam inuitat, atque excitat, Diabolusque non dormit, sed quamprimùm potest, se immiscet, aliquid addendo, quod humanam industriam, & cognitionem excedat, & sic homines ad magia superstitiosam transferat, quæ non per causas naturales, sed ope Demonis aliquid intentat; & ab hac dicti sunt Magi malefici, venefici, & incantatores, sicut fuit Simō Magus, *Actorum 8.* & Elimas, *Actor. 13.* & in hoc sensu prohibetur cōsultatio Magorum, *Leuit. 19. & 20.*

7 Magia Superstitiosa, quantum ad præsens attinet, sumi potest largè, strictè, & strictissimè. Largè Magia comprehendere solet superstitiosam diuinationem, omnesque eius species; vt Chyromantiam, Pyromantiam, Geomantiam (de quibus sermonem faciemus cùm huius primi casus tertiam partem declarabimus) vt constat ex *Plinio lib. 30. cap. 20.* & hoc modo in scriptura, Arioli, Diuini, Augures, Incantatores, &
8 similes Magi appellantur: Sic enim Magi appellari solent, qui & futura prædicunt, & mira faciunt opera; vt Simon Magus, & similes. Et in iure tam Canonico, quàm Ciuili sæpè hoc modo magiæ sumitur nomen. Fundamentumque videtur habuisse hic vsus in prima huius vocis significatione; Nam magiæ nomen est sapientiæ; illorum autem sapientia homines maximè admirantur, qui futura prænoscere possunt, & occulta: & ideò non minùs diuinos, quàm mirabilium operum effectores appellauere Magos. Deinde vtrumque munus eandem habet originem, & eiusdem Demonis innititur societati: ac denique ita inter se sunt coniuncta, vt sæpè ad prædicendum futura, aliquod mirum fiat opus, quale est mortui suscitatio, vel quid simile; & ideò vtrumque munus potuit optimè eodem magiæ significari nomine.

9 Potest nihilominus alio accipi modo nomen magiæ magis strictè, prout distinguitur à diuinatione; Nam hæc ars, quæ ordinatur ad aliquid faciendum vltrà humanas vires, non Dei virtute, sed Demonis per se, & ex obiecto, ac fine diuersa est ab alia, quæ ad cognoscendum ordinatur, licèt mutuò se iuuare possint in suis prauis actionibus; ergo rectè diuersis possunt significari nominibus: sic enim intra genus diuinationis diuersæ sunt voces varias veluti species significantes; quia pluribus modis fit diuinatio: Cur non magia tota superstitio mira operandi distincta voce nominabitur ab arte tota cognoscendi occulta; nullū aūt nomen vsitatū inuenio, quod huiusmodi artem peculiariter significare possit, & soleat, præter vocem Magiæ. Imò non incōmodè hinc potest intelligi prohibitio illa à Deo facta *cap. 9. Leuit. 19. Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis quid sciscitemini, & cap. 20. Anima, quæ declinauerit ad Magos, & Ariolos &c. interficiam illam.* Arioli enim diuinatores propriè dicuntur: Magi ergo ab illis distingui videntur tanquam præstigiatores in operibus faciendis, vel tanquam Malefici. Ita ergo Magia distinguitur à diuinatione. Vlteriùs verò Magia sic sūpta in duas veluti generales species diuidi potest, scilicet, in magiam strictissimè sumptam, & maleficium propriè dictum. Ita *Perier. in septimum Exodi caput disput. 2. & Pater Suarez vbi sup.* Tota ergo hæc res, quatenus malè operatiua est, scilicet, ope Demonis, maleficium dicitur: interdum verò non solùm malo modo facit, sed etiam malum, & tunc rigorosè propriè maleficium dicitur: aliquando verò bonum operatur, licèt malo modo, & tunc nomen Magiæ strictissimè sumptum retinet. Ex quibus omnibus rectè ostenditur nostra assertio; igitur ex fine, & obiecto distinguitur ab alijs superstitionis speciebus, & ab ipsa Magia distinguitur ex opere, quod intendit.

10 Circa verò magiæ veritatem falsæ aliquæ fuerunt opiniones, quas referunt *Scholastici in 2. senten-*

tentiarum

tentiar. *& Thomistæ in prima parte in materia de Angelis*. Aliqui enim magiam esse negauere, quia esse Dæmones sibi non persuadent, & cōsequenter esse magiam, alij hanc nullam esse; eò quòd nullum revera intercedit, vel intercedere potest pactum inter Dæmones, & homines. Verùm istæ opiniones sunt falsæ, & in fide erroneæ, pro vt *Diuus Thomas in 4. dist. 34 quæst. 1. art. 3.* & ibi *sanctus Bonauentura quæst. 2.* & certè primæ opinionis fundamentum nostræ fidei magna ex parte euertit doctrinam, & historiam. Etenim si non sunt Dæmones, falsum est quod de tentatione primæ mulieris, & de Christi tentatione, & Iob persecutione scriptura refert; & quod Paulus ait ad Ephesios 6. de certamine hominum cum tenebrarum Principibus. Posterioris etiam sententiæ fundamentum falsum est, & erroneum; aut enim negat, posse hoc pactum intercedere, aut negat factum. Primum est contra omnem rationem, & fidem; Nam *Matth. 4.* Dæmonium legimus Christo Domino pactum obtulisse, ibi; *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me*. Non est igitur cur simile pactum Mago offerre non valeat; faciam hoc, vel illud, si me colueris, vel quid simile. Insuper non deest Dæmoni potestas loquendi cum homine, nec potestas ad multa faciendum, quæ homines mirentur, & affectent, & quibus decipiantur; ergo cur tale pactum non poterit cum homine facere? & ex hoc conuincitur error istius falsæ sententiæ, scilicet, non posse negari, quin cum effectu sæpe hoc nō fiat; Quia hoc supponunt scripturæ, & omnia humana iura, Patrumque testimonia, quæ superiori capite adduximus.

11 De fide igitur certum est, dari magiam, quæ docet mira aliqua facere, quæ virtute humana, & per naturales causas, pro vt ab homine cognosci, & appellari possunt, fieri non valent: ac subinde talem magiam superstitiosam esse; quia sine pacto Dæmonis non fit. Hæc assertio expresse habetur in scriptura: Ideò sine errore in fide à nemine negari potest. Etenim in *Exodo* 7. & 8. narratur, signa, operaque similia facta esse à Magis: & de signis factis in Aegypto per Magos Pharaonis, & 1. *Regum cap.* 28. de Pythonissa, quæ Samuelem vocauit. Circa quæ facta aduerto, non esse de fide, res illas, quæ exteriùs fiebant, vel apparebant, reuera fuisse tales, quales apparebant: est tamen de fide, tales apparuisse, & visas esse, vel si loqui videbantur, esse sensu auditus perceptas: etenim hoc expresse docet Scriptura. Et hoc sufficit, vt asseramus, necessariò, ibi dæmonis interuenisse operationem: quia illa, quæ apparebant exteriùs, qualiacunque essent, fieri non poterant per meram fraudem, aut inuentionem humanam, eò quòd non est in homine potestas, vt tanta valeat velocitate applicare corpora, vt illa res, vel imagines rerum fiant. Nam etiam tales imagines sine magna rerū mutatione fieri nequeunt, & maximè tam subita, vt humanam superest industriam. Atque hoc planè supponit Christus Dominus *Matthæi* 24 cū dicit; *surget Pseudo Christi, & Pseudo Prophetæ, & faciēt signa, & prodigia*: huius generis videtur illa Simonis Magi, de quo *Actorum* 8. dicitur, *quòd multò tempore Magus suis dementasset eos*. Ex quibus apparet veritas nostræ assertionis.

12 Et rursus conuincitur error illorum, nostraquè ostenditur assertio; quia propter hanc causam iussu Dei *Exodi* 22. *Deuteronomij* 18. *Leuitici* 19. 20. *&* 21. Magi mulctabantur, provt refertur in capite, Illud 26. *q.* 15. idem testatur, & latè tractat *Augustinus* multis in locis, præsertim *lib. 18. de Ciuitate Dei, & lib. 3. de Trinitate, cap. 7. 10. & 11. lib. 12. in Genesim ad litteram cap. 13. & 14. & epistola 5. ad Marcellinū in fine*, & eleganter *lib. octuaginta trium quæstionum, & lib. Cipriano attributo de duplici martyrio num.* 12. vbi sic habetur: *qui magicis artibus vtuntur, tacitè Christum abnegant, dum cum Dæmonibus habent fœdus*. Sic etiam *Tertullianus lib. de anima cap.* 17. *Magiam vocat secundam Idolatriam, & Fallaciam*: *sed ratio Fallaciæ* (*inquit*) *solos non fugit Christianos, qui spiritualis nequitiæ non quidem socia conscientia, sed inimica scientia nouimus*. & in *Apolog. cap.* 23. ait, *Magi ad sua opera Dæmoniorum sibi assistentium potestatem habent*, idem *Lactantius lib. 2. de origin. error. cap. 17. Eusebius lib. 5. de præparat. cap. 7. & lib. 6. cap. 3.*

Idem communiter docuere Theologi, Sāctus *Thomas 2. 2. quæst. 95. & 96. & in 4. distinct. 34. q. 1. art. 3.* vbi etiam *Sotus*, *Diuus Bonauentura, & alij. Gabriel in 4. sentent. dist. 8. quæst. 2. art. 4. Diuus Antoninus 2. par. tit. 12. Gulielmus Parisiensis lib. de legibus, §. his autem ita positis, & §. procedamus igitur. Victoria relect. de magia quæst. 1. Martinus del Rio in suis disquisit. magicis, Benedictus Perrer. loco suprà citato, Pater Suarez loco, quo suprà*, & quamplures alij, quos superiori capite allegauimus.

13 Pro complemento autem huius capitis solùm aduerto; quòd in his maleficijs grauissima solet contra salutem, & vitam hominum, ac alia temporalia committi iniustitia: eis faciendo, dando, vel occidendo animalia, segetes destruendo, & similia. Quæ cùm fiunt, certum est, etiam si opera Dæmonis fiant, maleficos ipsos ad restitutionem obligari. Ratio est de se clara; quia qui causam damni dat, damnum fecisse videtur: Ipsi autem malefici, seu venefici sunt causa horum nocumentorum, etsi opera Dæmonis tanquam Ministri vtantur; tenentur igitur restituere, veluti qui per assassinos alium occidit, vel eius dilapidet res, ad restitutionem tenetur. His connecto, quòd isti malefici, seu venefici proximè aliquo modo operantur (moraliter loquendo) ad hæc damna; eò quòd adhibent signa, quibus (vt dicebamus) positis, Dæmon infert nocumenta aliàs
14 non illaturus. Vndè licèt Dæmon possit dici quasi Minister hominis, qui illum ad maleficium faciendum veluti conduxit, mediante pacto cum illo inito, tamen ipse homo est veluti instrumētum Dæmonis ad illud damnum perpetrandum, quia ad modum causæ moralis concurrit, exhibens signum, sine quo non esset Dæmon operaturus; Ergo sine vlla hæsitatione dicendum est,

est, ad omnium damnorum teneri restitutionem.

Atque hinc rectè colligit *Petrus Binsfeld. tractat. de confess. malefic. præludio* 13. iuxta quandam *Nauarri Doctrinam in manuali cap.* 13. *num.* 25. hanc obligationem non extingui, etiam si maleficus corporaliter puniatur; quia per illam pœnam reipublicę, & iustitię legali dumtaxat satisfit, non verò parti læsæ, nec iustitiæ commutatiuæ. Et ideò si talis maleficus bona reliquit, quæ ad hæredes transierunt, illi tenentur ad restitutionem, iuxta sancita in capitulo in litteris de raptoribus, & cap. vltimo de sepulchris: si verò ad fiscum peruenere; tenetur priùs damna illata restituere, iuxta *leg. non possunt, & leg. in summa, ff. de iur. fisc.* Vbi optima redditur ratio, quia quæ æri alieno obnoxia sunt, in bonis defuncti non computantur, sed hæc alijs debitis communia sunt; vt Doctores communiter docent.

CAPVT QVARTVM.

Quale peccatum sit maleficium, & quantum Deo Optimo Maximo displiceat.

SVMMARIVM.

1 *Maleficium sæpè coniunctam habet Apostasiam à Fide, & Hæresim: estque grauissimum peccatum.*
2 *Causæ, quibus Dęmon inducitur à maleficis ad nocendum hominibus.*
3 *Quam maximè Deo displicet hoc maleficijs scelus.*
4 *An malefici nocere possint hominibus bonis?*

1 Grauissimum peccatũ est maleficium, cùm includat pactum tacitum, vel expressum cũ Dæmone, & sæpiùs habet coniunctam apostasiam vel hæresim, & iniustitiam, ac etiam sacrilegium. Apostasiam quidem, cùm maleficus fidei ex animo renunciauerit: hæresim verò, cùm dęmonem adorauerit, putans ei aliquam Dei cõuenire proprietatem; vt Sanctos, vel res sacras nullius momenti esse existimauerit; aut illis virtutem inesse ad malos effectus, quibus ipse operam dat: Iniustitiam autem, cùm maleficus damnum proximò intulerit in persona siuè propria, siuè etiam aliena coniuncta, vt in vxore, filijs, etc. vel in ipsius rebus, seu bonis externis. Qua ratione paulò superiùs statuimus, teneri ad damni illati restitutionem, siue per se, siue per causas naturales, siue virtute Dęmonis illud intulerit: sique homicidium fit, efficitur irregularis, omnesque homicidæ incurrit pœnas: Denique sacrilegium, cùm maleficus ipse (vt solet) ad maleficium abusus fuerit sacris rebus; vt Eucharistia, Aqua benedicta, Oleo sancto, Thure benedicto, Aqua baptismali, Lapide sacro, & alijs Ecclesiastico ritu benedictis, & cõsecratis, vt maior de eo feratur iniuria. Ita *Glossa in cap. accusatus, §. sanè de hæreticis in 6. Grillan. de sortilegijs quæst.* 3. *Martinus del Rio lib.* 3. *magic. par* 1. *quæst.* 3. *Cardinalis Toletus in summa lib.* 4. *cap.* 16. *Bozius de Sin. Eccles. lib.* 14. *cap.* 7. *num.* 9. *Reginaldus lib.* 17. *c.* 17. *sect.* 2. *num.* 177. *Suarez vbi suprà; Pegna in direct. inquisit. par.* 2. *quæst.* 43. *Sayrus in Claui Regia lib.* 4. *cap.* 6 *num.* 25. *Sprenger in malleo par.* 2. *quæst.* 1. *c.* 5. *Maior tom.* 2. *Canicul. colloq.* 3. *Binsfeld. in leg. eorum, Cod. de malefic. quæst. concl.* 5. & alij.

2 Quis Dæmon ad id videtur inducere tribus de causis. Prima est, vt illos faciat non tantùm Magos, sed etiam sacrilegos. Secunda, vt quò grauiùs peccant, eò plura Deus ipsi permittat in illos, & alios homines, qui illorum peccant occasione. Fit enim, vt ob huiusmodi nefanda scelera, ille pluribus noceat, quibus alioqui nocere nõ posset: pręsertim ijs, qui maleficos ipsos recipiũt, vel commendant, vel fouent, vel nõ admonent. Tertia causa est, vt plures eo modo decipiat; quia illi aliquid rebus ipsis sacris tribuunt, persuadet tales effectus non fieri diabolica superstitione, sed potiùs diuina virtute, cùm per res sacras fiant: illis verò, qui parum tribuunt rebus sacris, persuadet, vt eas omnino contemnant.

3 Hoc enim grauissimum scelus quam maximè Deo displicet; Nam ideò dicto *cap.* 19. *Leuitici* prohibuit illis verbis; *Non declinetis ad Magos, neque ab Ariolis aliquid sciscitemini, vt non polluamini per eos.* Magos 70. Interpretes verterunt; *Ventriloquas*, idest Pythones, vel falsos Prophetas, qui de ventre cordis sui fabulas quasdam, & fętentes doctrinas proferunt. Neque ab Ariolis 70. Interpretes legunt, *Venefici*, qui Dęmonum scilicet nomina inuocant, & aliquando corpus curant, vt animam interficiant: vt eleganter in hunc locum adnotat Procopius. Displicet profectò quã maximè Deo hoc crimen; quia cultus soli vero Deo debitus exhibetur (saltem tacitè) Dæmoni. Nam hoc est grauissimum idolatriæ peccatum, quod non solùm cõmittit expressa, verum etiam & tacita Idolatria. Tacitè quippè fit, quando interuenit pactum occultum cum dęmone; eaque ratione complectitur quatuor species, Magiam, Diuinationem, Maleficium, & vanam obseruationem; Quamobrem malefici Idolatriæ censentur. De qua re videndi sunt *Suarez loco citato, Sanchez in suo opere morali lib.* 2. *cap.* 37. *& sequentibus, Reginaldus vbi suprà, Bonacina de legibus*, vbi de charitate, & vitijs oppositis Religioni, & Summistæ omnes *verbo, maleficium*.

4 Sed quæres; an malefici nocere possint viris bonis? Respõdeo, quòd quando illi vtuntur causis naturalibus ad nocendum, vt venenis, possunt sine dubio quibusuis nocere hominibus: esset quidem miraculum, si causa naturalis suum non sortiretur effectum, nullo alio interueniente impedimento, quam quam à Deo suspenderetur. Quando verò ipsimet non agunt, sed Diabolus, tunc bonis raró nocent: neque id faciant, nisi Deo permittente, propter eorum maius bonum.

QVAE-

QVAESTIO SECVNDA.

De Maleficio amatorio.

Vtrum Maleficium amatorium detur; Et quid sit.

CAPVT PRIMVM.

Philtra, seù Pocula amatoria dari, ostenditur.

SVMMARIVM.

1 *Maleficium amatorium dari, ostenditur.*
2 *Amatorium maleficium quid sit.*
3 *Amatorium maleficium tribus modis fieri solet.*
4 *Maleficium amatorium aliquando inducit dementiam, aliquando mortem.*
5 *Amatorium maleficium aliquando fit extra corpus; & quomodo.*
6 *Malefici à multis Summis Pontificibus anathematis gladio feriuntur.*

1 IN Primo capite præcedentis Quæstionis distinximus maleficium in veneficum, & amatoriũ. Agendum est modò de amatorio maleficio; & videndum est quid, & quotuplex sit, & an revera detur. In quantum ad hoc secundum, supponimus dari; (vt constans est) Nam in primis id satis constat multis experimentis, & testimonijs, inter quæ vnum est illud Diui Hieronymi in vita Hilarionis Abbatis, Vbi refert, iuuenem quendam, qui virginem sacram iocis, nutibus, muneribus, (quæ solent perituræ virginis esse principia) in turpes amores non potuit pellicere, ad magicas artes cõuersum, quas apud Memfim Aegypti didicerat, eò amoris in virginem traxisse, vt abiecto amictu capitis, crinem retortaret, strideret dentibus, nomenq. Adolescentis, quem ante cõtempserat, perpetuò inclamaret. Hæc ibi *Hieronymus* narrat. Apud *Lucianum* in Dialogo, qui vocatur *philopseudos*, Cleodemus peripateticus, philosophus, Chrisidem mulierem vi magica in amorem pertraxit. Apud *Apuleium lib. 2. de asino aureo*, Pamphilia mulier magicæ artis perita, vbi spectabilis formæ iuuenem vidit, eum ad sui amorem magicæ artis violentia pertraxit. Quando verò hæc satis non sint, leges adsunt prohibentes hoc maleficij Crimen. Præsertim *lex eorum, Cod. de malefic.* vbi dicitur, qui magicis accincti artibus, aut contra salutem hominum moliti, aut pudicos animos ad libidinem deflexissse detegentur, *l. eor. Cod. de malef. & mathemat. l. si quis aliquid, §. abortionis, ff. de pœnis, l. 3. §. eiusdem legis, ff. ad legem Corneliam de sycar. Glos. in cap. accusatus, §. sanè de hæret. in lib.* 6. Ita affirmant *Martinus del Rio magic. disquis. par. 1. quæst. 3. Paulus Grillan. de sortileg. lib. 2. quæst. 3 num. 25. & quæst. 5. num. 2. Cæl. calcagn. lib. de magia amator. cap. 2. Petr. Gregor. Tolos. syntagm. iur. lib. 34 cap. 12. Raphael de Torre tom. 2. de vitijs oppos. religion. quæst. 96. art. 1. disput. 2. Farinac. in praxi quæst. 98. num. 81. Maiol. tom. 2. Canicul. colloq. 3.* & alij quamplures apud *Franciscum Villalpand. de iure spirituali lib. 12. cap. 12.*

2 Dari igitur philtra, seu pocula amatoria, vel carmina, certum est; ac proinde amatorium maleficium. Quod sic diffiniri potest, vt sit, omne illud, quod datur, applicatur, suspenditur, locatur, vel porrigitur, eo animo, vt quis in amorem, venerisque furias protrahatur. Ita ex supradictis viribus colligo. Duobus modis fieri solet hoc maleficium, vno modo intra corpus; alio modo extra corpus. Ita *Grillandus, Cæl. calcag. Mart. del Rio, Petr. Greg. Tolos. Raphael de la Torre, Farinac. Maiol.* & alij locis citatis. Intra corpus datur per esum, vel potum, vndè poculum amatorium appellatur; componiturque per mixturas aliquas ex herbarum folijs, & radicibus, frugibus, reptilibus, animalium ossibus, intestinis, piscium, volatiliumque partibus, quæ virtutem habent irritandi semen, & calefaciendi corpus; (quibus aliquando additur hostia consecrata, vel nondum consecrata, sed notis, litterisq; sanguineis circumscripta) Oleo sancto, Thure benedicto, Aqua baptismali, Lapide sacro, & alijs ritu Ecclesiastico benedictis, & cõsecratis; vt affirmauerunt *Sayrus in Claui Regia lib. 4. cap. 6. num. 25. Martinus del Rio magic disquisit. par. 1. quæst. 3. Cardinalis Toletus vbi suprà, Petrus Binsfeld. in leg. eor. Cod. de malef. Glos. in cap. accusatus, §. sanè de Hæreticis, lib. 6. Botius de signis eccles. lib. 14. cap. 7. num. 9. Grillan. de sortileg. quæst. 3.* & Doctores iuris Cæsarei *in dicta l. 3. §. eiusdem legis, ff. ad legem Cornel. de sycar.*

3 (line above: ribus colligo)

4 Verùm hæc philtra sæpè contingenter solent, vt plurimum mortem, vel dementiam adducere: vt eleganter adnotauerunt *Petrus Gregor. lib. 34. cap. 12. Petrus Binsfeld. in dicta leg. eorum, Cod. de malefic. & mathem. quæst. 2. conclus.... & sequentib. Farinac. in pract. tit. de homicid. quæst. 122. & seqq. & tit. de hæreticis quæst. 181. §. 3. num. 82. Augustinus Barbosa de officio, & potestate Episc. alleg. 51. num. 226 par. 3.* & nouissimè *Franciscus Villalpando de iure spirituali lib. 12. cap. 12. num. 8. & 9.* & alij apud ipsum.

5 Extra corpus amatorium fit maleficium quãdo sub certa forma calami composita assumunt, vel sub capite lecti abscondunt, aut sub limine ostij, vel alio in loco fouea facta, super quam ipse maleficandus transiturus sit. Ita tradunt *Grilland. dicta quæst. 3. num 23. & quæst. 5. num 11. Pomponat. de incant. cap. 8.* hoc autem maleficijs genus grauissimum est crimen: quia malis artibus eo maleficus vtitur, non solùm, vt pudicitiam tentat, sed Dæmonis auxilium exposcit humani generis hostem; & rei sacræ abusus interuenit Aquæ baptismalis, Olei sacri; & aræ fragmentũ, nec non Hostiæ consecratæ; quæ si credit ad maleficia habere virtutem, erit sanè Hæreticus, vt *cap.* præcedenti demonstrauimus, *cap. accusatus, §. sanè de Hæreticis*, ac proinde Hæreticorum pœna sunt malefici huiusmodi puniendi Ita *Grilland. de sortileg. quæst. 11. Menoch. de arbitrar. casu 388. Petrus Gregorius dicto cap. 12. num. 9. Petrus Binsfeld. in dicta leg. eorum, Cod. de malefic. & mathem.* quòd si in huiusmodi maleficijs rei sacræ abusus non interueniat, & mors secuta fuerit, pœna puniuntur

capi-

capitali; vt Doctores vtriusque Iuris statuunt in *l. eorum. & in l. nemo haruspex, Cod. de malefic. & mathem. & in l. si quis aliquid, ff. de pœnis, & in l. eiusdem legis, §. adiectio, ff. ad legem Corneliam de sycar.* præsertim *Tiraquellus de pœnis temp. casu 4. Iulius Clarus in pract. §. final. quæst. 60. num. 18. Petrus Gregor. dicta par. 3. lib. 3. cap. 3. num. 9. Antonius Gomez variar. 3. cap. 14. num. 18.*

6 Meritò igitur huiusmodi malefici per quam plurimos Summos Romanos Pontifices gladio anathematis feriuntur; vt in Extrauag. Ioannis XXII. quæ incipit, *Super illius specula*; Sixti Quarti in Constitutione ædita anno 1473. quæ incipit, *Dilecte fili*, Innocentij Octaui; *Summis*, Anno 1484. Alexandri Sexti; *Receptum*, & Sixti Quinti; *Cæli, & Terræ*, ædita Anno 1586.

Cùm tale igitur peccatum inde certissimum fit omnibus Christi fidelibus, præcipuè tamen viris Religiosis, & Deo dicatis, qui cùm quotidiè sacra pertractent, rebusque sacris sint consecrati, non debent posteà ipsis sacris rebus abuti.

CAPVT SECVNDVM.

Declaratur, quonam pacto prædicta Pocula, vel Carmina amatoria vim habeant attrahendi, seu alliciendi homines ad hunc, vel illum amandum.

SVMMARIVM.

1 *Aliquæ res naturales vim habent alliciendi homines ad amandum hunc, vel illum.*

2 *Amor & concupiscentia est facultatis sentientis affectio, qua vis spirituum, & humorum excitari, incendi, confirmari, & è contra remitti, minui, & extingui possit.*

3 *Res naturales nullam ingenitam habent facultatem, quæ excitet, alliciat, & incendat hominem ad amandum, vel odio habendum.*

4 *Declaratur quomodo maleficium amatorium ex Dæmonis ope habeat efficaciam.*

5 *Dæmones hominum cogere non possunt voluntates.*

6 *Carmina, aut verba non possunt allicere ad amorem, vel odium homines coactè.*

7 *Religiosus hoc incurrit crimen, quando consultat amatoria maleficia facienda.*

8 *Religiosus est huius criminis reus, quando docet modum faciendi maleficia amatoria.*

9 *Religiosus incidit hunc casum reseruatum, quando carminibus ex sacra Scriptura vtitur ad amorem conciliandum.*

10 *Religiosus osculans Superioris manum incidit in hūc casum reseruatū, si anteà, vel posteà, aut dum osculatur profert aliqua verba sacra.*

11 *Religiosus in hunc incidit casum reseruatum si ad reconciliandum amorem deferat, scilicet, scribat quasdam orationes ad id destinatas, aut alijs præbeat.*

12 *Religiosus in hunc casum incidit reseruatum, si baptizet aliquā imaginem, magnetem, aut aliquid aliud simile, si aliquid de lapide consecrato deferat, vel alijs ad deferendum præbeat, vel Hostiam consecratā, vel non dū consecratā signis sanguinis tinctā.*

13 *Religiosus his maleficijs Amatorijs credens, & posse Dæmonem humanam voluntatem in amorem, vel odium cogere, esset Hæreticus.*

1 SVperest, vt exploremus, quonam pacto huiusmodi pocula, vel carmina amatoria, quæ philtra grecè dicuntur, vim aliquam habeant naturalem homines etiā inuitos alliciendi ad amandum hunc, vel illum hominem. Circa quam rem duo nobis probabiliter veniunt dicēda. Primum est, quasdam esse rerum naturalium, & herbarū, & lapidum vires, & facultates, quæ amoris, & cōcupiscentiæ flammam possint incendere, certum est apud Aristotilem, Theophrastum, Dioscoridem, Plinium, Galenum, & alios; qui eam medicinæ partem tradiderunt, quæ in simplicium rerū

2 contemplatione versatur. Est enim amor, & cōcupiscentia facultatis sentientis affectio, quæ vis spirituum, & humorum excitari, incendi, confirmari; & è cōtra remitti, minui, & extingui possit. Quamobrem pocula ex his rebus confecta ad libidinem, seu ad venereum amorem cōmouere saltem per accidens possent, sic aduertit Pater *Azorius lib. 9. Instit. moralium cap. 25. quæsito 1.* & *Pater Martinus del Rio magic. disquis. par. 1. q. 3.* quibus addo *Eymericum in direct. Inquisit. par. 2. q. 43. n. 8.*

3 Alterum est, nullam esse in rebus naturalibus facultatem ingenitam, quę suapte natura excitet, alliciat, & incendat hominem ad amandum, vel odio prosequendum hunc, aut illum certum hominem. Quòd enim in nobis amor generatim, siue promiscuè fieret; quidē fortassè naturaliter poterit certo poculo, aut sub genere sumpto; vt testatur *Medina lib. 1. de recta in Deum fide cap. 7.* Quòd verò excitetur homo, aut ad amorem inflammetur, vel odium huius, aut illius certi hominis; vis naturalis non est in rebus, quæ eduntur, aut potantur. Quis enim credat esse herbam, aut lapidem, qui naturali sua vi, & efficacitate conciliet nobis amorem certorum hominum? nullus sanè. Ita citati Authores, presertim *Torreblanc. loco quo suprà num. 51. vers. nullæ sunt res naturales*, & *Pater Azorius loco citato.*

4 Dices; Igitur nulla est philtrorū vis, & efficacia. Respondeo in hunc modū: cùm naturaliter fieri queat, vt quis ad amandū excitetur, & incēdatur, vi alicuius herbæ, lapidis, aut pulueris, vt ad hunc amandū, vel illum hominem alliciatur, & inflammetur; ex dęmonis potestate prouenit, qui hominem aliunde ad amandū in vniuersum excitatum allicit ad amorem erga hunc, vel illum; eò quòd corporis spiritus, & humores potest dæmon variè commouere, & deinde rerū imagines memoriæ impressas permiscere, ita vt hunc, vel illū referāt. Ex quo fieri potest, vt homini generatim iam ad amandū impulso frequens occurrat memoria, & recordatio huius, vel illius, opera, & ministerio dæmonis; & proinde eius alliciatur animus, & inflāmetur ad hunc, vel illum hominem amādum. Hac itē ratione tentat dæmon pudicitiā, & castitatē hominis. Ita trad. *Mart. del Rio lib. 3. mag. disqu. quæst.*

quæst. 3. sect. 2. Malderus de virtutibus Theologicis tract. 10. cap. 8. dub. 2. Azorius lib. 9. Instit. moral. cap. 26. quæsit. primo. Ioannes Becchelius lib. de philtris, Cel. Calcan. de magia amatoria lib. primo, & alij quamplures. Philtra igitur, hoc est amatoria pocula, siue amatoria Veneficia nihil ad conciliandos animos, voluntates, & amores certorum valent hominum, nisi Dæmone sese ingerente, & tentante eo modo, quo diximus, virtutem hominis.

5 Consultò dixi; *tentante eo modo*, eò quòd dæmones minimè valent cogere hominis voluntatem ad amandum, vel ad odio prosequendum; vt tradunt Theologi, præsertim *Diuus Thomas, Diuus Bonauentura*, & alij *in 4. distinct. 34. Spreger. in malleo par. 1. quæst. 7. Castro de iusta hæreticor. punit lib. 1. cap. 15. Medina de Recta in Deum fide lib. 2. Martin. del Rio lib. 3. magicar. disquis. par. 1. quæst. 3. sect. 2. Suarez tom. 1. de Religion. lib. 2. cap. 9. Raphael dela Torre tom. 2. de vitijs oppos. Relig. quæst. 96. disp. 2. Malderus, vbi suprà dicto dub. 2. Bullenger de magia lib. 2. cap. 16. Ioannes Hiderius in formicar. lib. 5. cap. 15.* ex Iuris peritis idem probant *Baldus, Angelus, Godifred. in leg. eorum, Codice de malefic. & mathem. Bartolus, & alij in l. 3. §. adiectio, ff. ad legem Cornel. de sycariis, & in leg. si quis aliquid, §. abortionis, ff. de pœnis, Ancaran. in cap. extuarum de sortilegijs, & in cap. si per sortiarias 33. quæst. 1. Panormitanus in cap. in tabulis de sortilegijs, Oldradus concil. 210.* & alij quamplures apud *Torreblanc. de Iure spirituali lib. 3. cap. 9. à n. 25. & sequentibus*. Ratio est, quia cùm amor, & odium ex voluntate proficiscantur, quæ est animæ potentia, nullatenus Dæmones in ea quicquam agere valent.

6 Multò minus valent carmina, aut verba ad alliciendos homines, & inuitos in amorem, vel odium; sed Dæmon carminibus, & verbis occultè euocatus adest, & deindè inflammat hominem ad amandum eum, quem ante contempserat; quoniam frequenter eius recordationem, ac memoriam infringit, quò voluntatem delectatione pelliceat, flectat, & moueat. Nouit certè Dæmon corporis habitum, gestum, dignitatem, aut venustatem ita oculis hominum gratam, vt sui solo aspectu iniri gratiam à plurimis possit; & ideò horum, & similium memoriam imprimit, eò quòd rerum imagines, quæ in memorandi facultate seruantur, permiscet, vt hoc, aut illud referant.

7 Atque hinc infero multa; Religiosum huius criminis esse reum in primis, quando huiusmodi
8 Philtra consulat facienda. Secundò, quando docet modum, quo sunt facienda, atq; applicanda;
9 Tertiò, quando carminibus vtitur, etiam ex sacra diuinaque scriptura desumptis; Quartò, quando
10 Superioris manum deosculatur, aliqua proferens sacræ Scripturæ verba; Quintò, si orationes ad id
11 deferat, vel scribat, aut alij præbeat, & similia; multò magis si cōtineant huiusmodi cartulę verba incognita, nec non nomina, vel characteres, in quorū notitiam deuenire faciliter nō possumus.

12 Insuper, si aliquam baptizaret imaginem, magnetem, aut aliquid aliud simile; si aliquid de lapide consecrato deferat, vel alijs ad deferendum præbeat; vel hostiam consecratam; licèt nec dum consecratam signis tamen sanguineis tinctam; & alia huius generis. Hæc omnia ad maleficium amatorium pertinent;

13 Quod si Religiosus (quod Deus auertat) credat huiusmodi maleficijs amatorijs posse Dęmonem voluntatem in amorem, vel in odium cogere, esset hæresis criminis reus, & tanquam Hæreticus esset puniendus, si publicè id fateretur. Ita *Franciscus de Peña in directorio inquisitor. comment. 43. Bernard. Bamphin. de artib. magic. conclus. 6. Petrus Binspheld. in l. eorum, Cod. de malefic. & mathemat. quæst. 2. Malderus de virtutib. Theologicis tract. 10. cap. 8. dub. 2.*

QVAESTIO TERTIA.

De Veneficio seù Magia Venenosa.

Vtrum Veneficium ex solo naturali Veneno conficiatur.

CAPVT PRIMVM.

Venenorum genera, quibus ad hominibus nocendum vtuntur Venefici declarantur.

SVMMARIVM.

1 *Veneni nomen, à quo specificatur Veneficium, duplicem habet significationem.*
2 *Veneficium duobus modis à Veneficis fieri solet.*
3 *Venenum quando est merè naturale.*
4 *Res aliquando ex sua natura sunt venenosæ, nocendique habent facultatem, sed non necandi.*
5 *Venefici non solùm ope rerum naturalium, verùm & ope Dæmonis conficiunt venena.*
6 *Venena à Veneficis duplici modo applicantur, per extrinsecam, & intrinsecam corporum applicationem.*
7 *Per externam applicationem fiunt Veneficia libris, litteris, calculis sacris, Crucibus, vestibus, & huiusmodi.*
8 *Venefici ad nocendum aliquando solùm verbis vtuntur.*
9 *Religiosus, qui venena naturalia applicat ad alicui nocendum, absque vlla Dæmonis ope, hunc casum incurrit reseruatum.*
10 *Religiosus in hunc casum reseruatum incidit, qui solis venenosis verbis ad alicui grauiter nocendum vtitur.*
11 *Religiosus est huius reseruati criminis reus, qui docet verba ad alicui nocendum, vel consulit, aut scripta apud se retinet.*

1 ALterum distinctionis membrum in primo capite primæ huius Disputationis Quæstionis est; *Veneficium*. Distinximus Maleficium in Vniuersum in amatorium, & Veneficium. In duabus prioribus Quæstionibus egimus de amatorio maleficio, nunc venit agendum de Veneficio. Quod cùm in applicandis

candis rebus naturalibus venenosis alicui effectui, respectu cuius efficaciam non habent naturalem, versetur; Operæ pretium est, venenorum genera, quibus venefici vti consueuere, declarare. Aduertendum igitur est primò; Veneni nomen duplicem habere significationem, iuxta id, ad quod ordinatur. Aliquando etenim paratur ad nocendum, & aliquando ad sanandum; & ideò vocem mediam esse dixerunt Iurisperiti, ex *l. quod sæpè, §. veniens, ff. de contrahend. empt. l. qui venenum, ff. de verbor. significat. l. 3. §. adiectio, ff. ad leg. Corneliam de sycar. l. Item si obstetrix, §. 1. ff. ad l. Aquil. l. si sciente, ff. ad l. Pomp. de parricid.* præsertim *Menoch. de arbitrar. casu 388. Afflict. in Constit. Malatoxica lib. 3. Bulenger de Magia lib. 2. cap. 34.* quatenus continet tam id, quod ad sanandum, quàm quod ad nocendum ordinatur.

2 Huius autem adhuc duo sunt genera; vnum, quod hominum ingenio ex rerum naturalium peritia paratur, Quod artificiale appellamus: Alterum, quod fit pacto Dæmonis. Hoc autem posterius subdistinguendum est in duo alia genera; prius est, quando res applicantur alicui effectui naturales, quæ ex suapte natura vim nocendi non habent hominibus, bestijs, frugibus, &c. Nihilominus nocent ope Dæmonis. Posterius est, quando Veneficus verbis dũtaxat nocet hominibus. Subdistinctionem hanc colligo in dictis iuribus: Nam in *dict. leg. 3. de sycar.* damnantur, qui artibus odiosis, tam venenis, quàm susurris homines occiderint, & *l. Cornel. institut. de public. Iudic. vbi Glossa, Susurra*, vertit *Incantationes*. Et certè omne malum, quoquo fiat modo, quod à maleficis ope fit Dæmonis, venenum appellauere Doctores. *Ita Philon. lib. de special. leg. Grilland. de sortileg. quæst. 12. num. 14. Petrus Binsfeld. in l. 1. Cod. de malefic. & mathema: Maiol. tom. 2. collect. 3.* Quamobrem Philtra, quæ pro reconciliando amore applicantur, venenum esse, statuere eadem allegata iura; eò quòd adhibita, eius, cui adhibentur, mutant naturam, quod veneni proprium est.

3 Aduertendum est secundò, venenum esse merè naturale, quando ex sua natura, & efficacitate, nullo humano interueniente artificio, vim habet nocendi hominibus in aliqua corporis parte, & necandi quoque. Et quidem aliquæ res naturales miræ efficacitatis dantur, vt vim necandi habeant, vt flos careopholi, qui solo necat odore, & quædam herba, quæ dormientem occidit. Serpentesque halitu, & contactu occidunt; vt *Mattiol. in Dioscor. præfat. lib. 6.* & *Mercurial. de venenis lib. 10. cap. 11.* & *Ioannes Scheuch obseruat. medic. lib. 7.* obseruauere. Adest etiam venenum, quod statim corpus dissoluit; aliud, quòd lento morbo consumit, vel certo determinato tempore; similiter datur venenum tantæ actiuitatis, vt super staphites positum equitantem interimat. Ita tradiderunt *Aulus Gellius lib. 6. not. aticar. cap. 40. Ponzet lib. 1. cap. 13. Galeot. de R.P. Iuniperi à Drepano de Casib. reser. promiss. discept. cap. 12. Amat. Lusit. centur. 2. curat. 65. Mercurial. de venenis lib. 1. cap. 71. Cardan. lib. 2. tract. 5. contradict. 9. & de Suttil. lib. 2. Ambrosius Pareus de venenis cap 3. Mattiol. in 6. Dioscorid. & Grilland. de sortileg. quæstione tertia, num. tertio.*

4 Aduertendum est tertiò, res quosdam suapte natura venenosas habere quidem nocendi facultatem, sed non necandi: coniunguntur nihilominus cùm alijs rebus eiusdem generis humano artificio, & tunc sunt miræ efficacitatis, ita, vt debitè applicatæ eosdem sortiãtur effectus, quos allata paulò superiùs venena. Hoc autem veneni genus diximus esse artificiale, quia etsi illæ res venenosæ aliquam habeant nocendi virtutem, non tamen ita efficacem, & validam; vt possint sine humano artificio talem præstare effectum, qualem malefici desiderant. Hoc autem veneni genere, absque Dæmonis ope, nocere solent hominibus nonnulli pessimi homines.

5 Aduertendum est quartò, Veneficos sua conficere venena non solùm ope rerum naturalium, verùm quoq; Dæmonis ope, per quasdam compositiones, & mysturas multiformium venenorum ex herbarum folijs, festucis, aut radicibus, animalibus, piscibus, aut reptilibus venenosis, lapidibus, & metallis: quorum meminit *Grilland. de sortileg. quæst. 3. & 5 num. 11 & sequentibus.*

6 Applicari autem solent à Veneficis hæc omnia, vel per introsumptionem, vel per exteriorem applicationem; vt colligitur ex Iurisperitis in *l. cor. & in l. Muti. Cod. de malefic. & mathem. & in l. si quis aliquid, §. abortionis, ff. de pœnis, & l. 3. §. hæc adiectio, ff. ad l. Cornel. de sycar. & in cap. nec mirum de Magor. præstijs 26. quæst. 5.* præsertim *Grilland. loco quo sup.* Idem docent Theologi *Martinus del Rio lib. 3. magic. disquisit. par. 1. quæst. 4. sect. 2.* & *Raphael de la Torre tom. 2. de vitijs opposit. Religion. quæst. 96. art 2. disput. 10. Malderus de virtutibus Theologic. tract 10. cap. 8. dub. 8.* Per introsumptionem profectò fit veneficium interdum in puluerem, interdum per liquida, quæ in cibum, aut potum propinata morbum, aut mortem afferunt; vt eleganter aduertunt *Ambrosius Pareus lib. de venenis cap. 2. Mercurial. lib. 1. de venenis cap. 3. Ioannes SchenKius tom. 2. obseruat. medica lib. 7.* & alij apud *Franciscum Torreblanc.*

7 Per applicationem verò extrinsecam fit, aut quando per inunctionem dormientium corpora venenatis deliniuntur vnguentis, quæ, durante somni calore, dormientium carnes penetrant: aut, quando externis rebus applicantur, quibus vti maleficandi solent; vt libris, litteris, calculis, sacris Crucibus, vestibus, & huiusmodi. Ita *Malderus loco citato dub. 8. Grillandus de sortileg. quæst. 3. & 5. num. 29. & Codronch: de morbo malef.* Alio quoque modo fit per exteriorem applicationem Veneficium solis verbis, quibus ex pacto concurrit Dæmon, &

damna infert. Ita habetur in *cap. non mirum 26, quæstione quinta*, ibi; *ac, sine vllo veneni haustu, violentia tantùm carminis interimunt*; vbi Doctores omnes id affirmant. Consultò dixi, ex pacto Dæmon concurrit, quia aliàs constans est, eiusmodi verba talia mala minime causare: vt docuere Angelicus Doctor 2.2.*quæst*.96.*art*.4. *Caietanus in summa verbo, incantatio, Rosel. Tabiena, Armilla, Syluester eodem verbo, Suarez tom*, 1. *de Religion. cap*.15.*num*.26. *Lessius lib*.2. *de iustitia, & iure cap* 43. *dub*.10. *num*.63. *Annau.lib*.4. *de natura Dæmon. Grilland. de sortileg. quæst*.6. *num*.18. *& Farinac.tom*.1.*quæst*.20.*num*.85. *de qua re suo loco latè agemus*.

8 Huiusmodi autem veneficij genus verbale multis contingit modis operari. Primò (vt ait *Grilland. loco citato*) fit, quando sub certa quopiã forma verba composita clam vdi fiuntur, vel in lecto absconduntur ipsius maleficandi, aut in aliquo loco subterraneo fouea facta, aut sub limine ostij, per quod destruendus sit transiturus: Ita ibi ille. Secundò, per anhelationem, vt maleficia illa, quæ dum à lictore strues lignorum præparata Pyræ imponeretur, ei dixit; *En tibi à me mercedem*; & simul in eius insufflauit vultum; Et ecce miser totus horrenda operitur lepra, quæ paruo dierum spatio eam patribus adiunxit. De hoc faciendi modo veneficium commemorat *Sprenger in malleo malefic.par*.2.*quæst* 1.*cap*.11. Hoc autem virtute naturali ipsius anhelitus fieri nequiret, quantumuis in eo esset violentia, nisi ex pacto Dæmon concurrisset; licèt non sit negandum, in aliquibus adeo pestilentem anhelitum posse dari, vt ex eo aer circumstans inficiatur, & eo infecto, attrahendo, & expirando, homines necentur; & tunc non cui vellet maleficus noceret, verùm cunctis viuentibus eius anhelitus foret noxiùs, vt de quadam puella veneno alita narrat *Albertus Magnus lib*.25.*animal. cap*.2. vndè anhelitus respectiuus pacto suspectus tribuendus est; vt Italus faciebat Parisijs, (vt refert *Martin del Rio lib*.2. *magic. disquis. par*. 1. *quæst*.... *sect*. 2.) qui Chirothecis, Globulis, pulueribus, vel floribus suauiter fragrantibus alios solo necabat odore ipse illesus. Et hoc pacto à se interfectam Nauarræ Reginam Albrettam veneni vi per nares in cerebrũ penetrante, gloriabatur. Hæc ex pacto fiebant per Dæmonem vt plurimum afflantẽ in casu venefico. Et putantes hęc alitu fieri solo, vel vti qui tactu, visu, aut voce credunt fieri maleficia, redarguunt *Leonardus Vayrus lib. de fascin. cap*.6.8.*&* 9. *Baptista Codronch. lib*.2 *de morbis veneficis*. Nefarij etenim isti homines cum Dæmone paciscì solent, vt quos liuidè, vel iracundè insufflauerint, tetigerint, aspexerint, vel alloquantur, ijs Dæmon ipse inferat perniciem: & non solùm hominibus hoc malum paratur, sed cunctis rebus, quæ sub celo sunt. Ita *Sprenger vbi suprà, Malderus de virtutib. Relig. tract*. 10.*cap*.8.*dub*.8.*& Villalpãd. de iure spirituali lib*.10 *cap*.2.*num*.20.

9 His sic declaratis, dico primò, huius criminis reum esse Religiosum, qui venena naturalia, absque vlla Dæmonis ope, applicat ad alicui nocendum. Probatur; quia huius generis veneni applicatio dicitur veneficium propriè, & rigorosè; vt ex paulò superiùs dictis patet; Igitur qui illa præbet, comprehenditur sub tali crimine reseruato, seu reseruabili. Secundò, probatur; quia venena quomodocunque præbeantur, siuè quæ natura sua apta sunt lædere, siue quæ pacto Dæmonis effectum sortiuntur, alenosię pœna damnantur, *in l*.3.*ff. de sycar*. Vbi Doctores præsertim *Diaz in praxi cap*. 95. *Farinac. par*. 1. *tit. de delict. quæst*.19, *num* 84. *& tom*.4 *quæst*. 121.*par*.2. *nu*.3. *Couarr. var*. 2. *par. cap*.20 *num*.7. *Gomez tom*.3.*c*.3. *num*.7. *Narbon. par*.3, *recop. lib*.4. *tit*. 1.*leg*.20.*Gloss*. 11. *num*.24. Cum igitur per legem eadem pœna plectantur ij, qui venena præbent naturalia absque Dæmonis ope; & ij, qui inferunt Dæmonis opera; sequitur euidenter, quòd eiusdem Criminis recensendus est reus Religiosus, qui huiusmodi præbet venena. Quòd si ex veneno illato mors sequatur, efficitur irregularis irregularitatè ex homicidio voluntario contracto. Nam vt statuitur in *leg*. 1, *Cod. de malefic. & mathema*. plus est hominem occidere veneno, quàm gladio; igitur.

10 Dico secundò, Religiosum, qui solis verbis venenosis vtitur, vt alicui grauiter noceat, in hoc illabi crimen. Dixi, grauiter, quia si ex pacto Dęmonis etiam leuiter noceat, erit ratione pacti huius criminis quoque reus. Patet hæc assertio ex supradictis, & ex *cap. nec mirum* 26.*q*.5. vt Doctores omnes ibidem statuunt.

11 Idem dico de illis Religiosis, qui hæc docent, vel consulunt, aut scripta apud se retinent, eo animo, vt executioni mandent, vel fortasse absq; tali voluntate: tũ quia id per diuersa Decreta Põtificum, nec non supremi Tribunali Sanctæ Inquisitionis interdicitur sub grauissimis pœnis; tum tandem quia huiusmodi scripta pacta cum Dæmone facta, saltem implicitè continent; vt infrà fusiùs dicemus. Et certè summa ratione, quia huiusmodi influere scripta videntur aliquem effectum in animum eius, qui illa tenet, ita vt semper aliquam habeat velleitatem illa executioni mandandi.

CAPVT SECVNDVM.

De Veneno sanitatis.

SVMMARIVM.

1 *Sub nomine sanitatum, quæ corporum immunitates comprehendantur.*

2 *Sub veneno sanitatis comprehenduntur effectus, qui per veneficos hominibus promittuntur, vt v.g. non possint lædi ab hostibus, nec subesse fortuitis casibus.*

3 *Quænam fieri possint per solum motum localem.*

4 *Effectus, qui promittuntur à veneficis, si sunt suprà*

vires

vires causarum creatarum, censendum fieri ab arte Diabolica, Magica, Deceptrice, atque Venefica.

5 *Aliquas portare res, vt solent milites, quæ tantæ sint efficacitatis, vt promittant, quod illas deferentes, non possint vulnerari, lædi, vel quòd fortiter sint pugnaturi; est veneficum, atq; magicum.*

6 *Est veneficum vti sacris verbis ad aliquem effectū, quem illa verba præstare non possunt, ex vi & efficacitate verborum.*

7 *Verba sacra, si ad sanitatem inducendam adhibeantur, in eorum vsu potest aliqua esse superstitio, atq; veneficium; & quomodo, declaratur.*

8 *Religiosus persuadens confidentiam habendam his verbis sacris vt certam, & infallibilem, est veneficus, & huius casus reus.*

9 *Quænam verba sacra applicari possunt ad sanitatem absque veneficio.*

10 *Verba sacra tunc sunt venefica, quando applicantur ad aliquem sanandum morbum, si non habent sanandi facultatem, sunt signa, quæ à maleficis adhibentur; & quomodo.*

11 *Veneficium fieri solet per quasdam actiones per modum signorum, & cæremoniarum; & tunc continet expressam idolatriam, & quomodo, declaratur dilucidè.*

12 *Dicitur veneficium fieri, quando effectus sequitur subitaneus; vt si homo sanatur subitò sine miraculo, vel virtutis Diuinæ interuentu.*

13 *Religiosus, qui solis certis ac determinatis verbis ad aures applicatis Bestiarum statim à doloribus, qui vulgò appellantur,* doglie, *est veneficus, & huius peccati reseruati reus.*

14 *Religiosus in hunc casum reseruatum incidit, qui verbis sacris in hostia non consecrata scriptis ad febrim tertianæ, aut quartanæ sanandam vtitur.*

15 *Regularium Superiores non excusantur à peccato mortali, qui permittunt suos Religiosos subditos similibus vti ad sanitatem veneficis remedijs.*

16 *Confessores quam diligentiam adhibere debent, quādo hæc ad eorum perueniunt Tribunal.*

17 *Quomodo dignosci potest veneficium in his effectibus.*

1 DOcuimus in proximo capite, veneni nomen vocem quandam mediam esse continentem tam id, quod ad nocendum, quàm quod ad sanandum paratur. Egimus de venefico veneno ad nocendum: superest, vt de eodem quatenus ordinatur ad sanitatem, agamus. Aduerto hic in primis cum Diuo *Thoma 2. 2. quæst. 96. art. 2. & Suarez to. 9 de Relig. cap.* 15. sub nomine *sanitatum* comprehendi omnes corporum immunitates similes, & maximè illas, quæ ad hominum commodum, & vtilitatem, seu beneficium fiunt, siue immediatè circa ipsa fiant corpora humana, siue circa animalia, siue circa arbores, & similia. Item huc alij spectant effectus, qui per hanc artem promittuntur hominibus; v g.

2 vt non possint lædi ab hostibus, nec subesse casibus fortuitis, & similes. In hoc autem effectuum genere, vt pactum implicitum intelligatur, præcipuè oportet considerare, an effectus ipsi secundùm se spectati tales sint, vt per causas naturales, vel creatas fieri possint, nec ne. Aliquando enim sunt naturales; vt sanitas, quæ adhibitis medicamentis recuperari potest, & valetudo, quæ naturalibus conseruari potest remedijs, herbarumque virtutibus, vel qualitate ob-

3 seruata ciborum. Multa enim fieri possunt per solùm motum localem; vt Thesauri inuentio, vel transportatio; nubium congregatio, vt conuenienti pluat tempore, & sic fructus sint vberiores; fugatio, vel occisio animalium nocentium, & similia. Aliquando verò esse possunt effectus supra omnium causarum naturalium corporalium virtutem, vt maxima est illa, vt homo non sit expositus effectibus, seu casibus contingentibus: quia nulla est naturalis causa, quæ hos impedire valeat, nec humana prouidentia, quæ in vniuersum illos præuenire possit.

4 Igitur quando effectus, qui per hanc promittuntur artem, suprà vires sunt creatarum causarum, certum est, talem artem esse diabolicam; Magicam, Deceptricem, atque Veneficam. Patet, quia media, quæ ad tales adhibentur effectus, nequeunt esse causæ ex se habentes virtutem ad illos; eò quòd illa media sunt humanæ actiones, vel rerum applicationes naturalium, effectus autem sunt longè Superiores, igitur adhibentur tanquam signa, ad quorum præsentiam aliquis alius operatur: atque ille non est Deus, nec sanctus Angelus; tum quia in eis nihil est, quod Deum deceat, nec quod pietate promoueat; ergo est Dæmon, à quo non verè, sed per prestigia fit talis effectus. Hæc consequentia patet ex dicto *cap. nec mirum 26. quæst. 5.* exempla sunt in illo effectu immunitatis, (vt sic dicam) ab omnibus effectibus contingentibus aduersis: quæ enim causa, vel dispositio naturalis potest hoc præcauere? similis est effectus ille præseruandi corpus, seu illud immune à læsionibus hominum reddendi, quia hic effectus per se ex libero vtriusquè hominis vsu pendet, nimirum percutientis, & percussi: Circa quem vsum nihil possunt per se naturales causę, & præterea semper per accidens pendet ex casuali occursu, occasioneuè.

5 Quòd si intelligatur immunitas ex parte corporis esse percussi, vt scilicet taliter sit affectum, quòd licet vulneretur, vel fortiter pungatur, lædi non possit, etiam si nulla defensiua arma habeat, præter gestationem V. G. amoleti, vel alterius similis inuolucri, vel certæ scripturæ, quæ communiter deferunt milites; tunc enim euidens est, nec in his rebus, nec vlla causa naturali posse esse virtutem ad talem immunitatem corpori prętstandā. Quapropter in his, & similibus semper cùm pactū intercedat demonis Dicendū est esse ope Dæmonis facta à veneficis. Ita colligitur ex *Diuo Thoma 2. 2. quæst. 96. art. 2. in corpore,* An-

Angelo verbo superstitio num.2. Syluester ibid. q.10. Armilla num.4. Tabienanu. vlt. Sayro in Claui Reg. lib.4.cap.6.num.4. Toleto lib.4. summæ nu. 10. Suarez de Religion tom.1.lib 2.cap.15.nu. 9. & 13. Sanchez lib.2. in oper. moral, cap.40. subnum. 44. & ex alijs communiter de hac re scribentibus.

6 Atque hinc inferunt Doctores cũ Diuo *Thoma loco vbi supra, art. 4.* Quempiam verbis etiam sacris vtentem, si effectus ita sit, vt nullo modo ex reuelatione, sacraue Scriptura colligi possit; verba illa talem habere efficacitatem ad illum causandum; esse superstitiosum atque venenosum, vt expresse docet, & optime; *Gerson 2. par. tract. de absolut. sacramental. Alph. 33. lit. L. versic. vlterius* ad illud, vbi quærit, an versiculus ille, *Dirupisti Domine vincula mea*, habeat efficaciam ad sanitatem, qualem ponunt nõnulli? & respõdet hæc: respondeo pro regula circa talia; quia sunt innumerabilia, quòd nunquam attribuenda est aliqua virtus supernaturalis talibus rebus quibuscunque, nisi hoc trahi possit ex Scriptura sacra, vel reuelatione Diuina; & oppositum credere habet spem superstitionis. Hæc ille ibi.

7 His addit P. *Suarez*, etiam verba sacra si ad sanitatem inducendam adhibeantur, posse esse in eorum vsu aliquã superstitionẽ, atq; veneficium; si nimirum aliquid adiungatur, quod vanum sit, atque inutile ad diuinam reuerentiam, vel ad diuinum auxilium impetrandum: Vt quod tali modo, aut talibus impertinentibus signis deferatur, aut verbum scribatur, vel proferatur; quia iam quoad illam partem signum est demoniacum, & superstitioni adiungitur sacrilegium. Quo in loco etiam Sapientissimus P. addit, quòd licèt omni seclusa huiusmodi superstitione, sanctum & religiosum sit Sanctorum reliquias ad collum suspensas deferre, vel Euangelium, v.g. Initium sãcti Ioannis, in pectore scriptum portare, & similia bona fide, sperando per modum impetrationis Dei peculiarem protectionem, Sanctorumq; intercessionem, atque ita docere videntur Sãctus *Thomas 2.2. quæst. 96. art. 4. ad 3. Rosell. verbo, reliquiæ, in fine*, & ibi *Syluester num. 4. Armilla num. 4. Tabien. num. final. Nauarr. in summa Latin. cap. 11. num. 35. D. Antonin. 2. par. tit. 12. cap. 1. num. 13. Martin. del Rio lib. 3. magicar. disquis. par. 2. quæst. 4. sect. 3. Vazquez de adoratione imaginũ lib. 3. disp. 3. cap. 8. num. 115. Azor. lib. 9. instit. moral. cap. 8. qu 6. Sayr in Claui Reg. lib. 4. cap. 6. nu. 8. Sanchez in oper. moral. cap. 40. lib. 2. num. 27.* & alij apud ipsum; Nihilominus id tanquam omnino certum sperare non minus, quàm si esset a Deo promissum, superstitione non careret, & si non falsi cultus, tamen superflui. Quapropter tentatio Dei ibi interuenire potest, si ob nimiam eam confidentiã temerè se periculis homo exponat, aut in periculis omittat media ordinaria, quibus se tueatur: Quia postulare à Deo miraculosam defensionẽ, aut protectionem, sine causa specialiuè instinctu, est tentare ipsum. Vndè oratio, vel alius cultus, qui propter hunc finem illi offertur, superfluus, & vanus est; quia reuera per talem amorẽ ipse non honoratur. Et prætereà illa nimia confidentia de cõsequendo illo effectu ab ipso Deo, cùm non sit fundata in eius promissione, vel est vana, & purè voluntaria, vel etiam est nimia cõfidentia sui, & suorum meritorum; & ex hac parte potest continere perniciosam superbiam. Tandem modus ille quærendi cõmoda hæc temporalia per reliquiarum vsum, vel aliarum rerum sacrarum cum tanto affectu, & credulitate ineffabiliter obtinendi illa non caret periculo, quòd Demon se ingerat, & in aliam maiorem superstitionem hominem inducat.

8 Quòd si Religiosus aliquis (vt nonnulli solent) hæc aliquibus præberet, hanc persuadens confidentiam vt certam, & infallibilem, esset profectò huius criminis (nimirum veneficij) reus, propter tactam rationem. Oportet igitur, vt cum magna prudentia in his rebus præstandis se gerant Religiosi; & ita hominibus persuadere teneantur, vt cum debita reuerentia his vtantur, cum spe in Deum, & in Sanctorum patrocinium; quod vtique deerit eis, quando, & quomodo fuerit expediens, illis supplicationes porrigere, quibus Deus sua benignitate, & misericordia placatus conferet illa beneficia.

Aduerto secundò, quòd sunt aliqui effectus, qui ex se simpliciter non sunt miraculosi; quia licèt aliquo modo virtutem superent naturalem, non tamen Angelicam, neque omnem efficaciam causarum naturalium: vt eleganter adnotat P. Suarez loco statim citando. In his ergo oportet considerare modum: Duplex autem hic modus esse potest: Vnus ex parte rei, seu instrumenti, aut medij, quod ad talem effectũ applicatur; aliud ex parte temporis, seu celeritatis, qua fit effectus: In priori modo est varietas veneficiorum, quas hic ex professo explanare impossibile est; enumerabimus tamen in vltimo huius quæstionis capite, quam quam ad præsentem doctrinam non cognoscimus id esse necessarium. Satis igitur est hæc media consistere interdum in actionibus transeuntibus, interdum in permanentibus signis, aliquando vero in vtrisque simul. Deinde transeuntes aliquando sunt verba, aliquando vero sunt actiones aliquæ vel manuum, vt benedictiones cum certo modo, & figura; vel oris per aliquam insufflationem, aut alitũ; vel totius corporis per aliquos ritus, & ceremonias. De verbis generalis regula est; si aliquid contra fidem, vel clarè falsum contineant, esse superstitiosa, venefica, atque venenosa. Item si in lingua proferantur peregrina, quæ non intelligitur, nec in vsu cõmuni est, & consuetudine Ecclesiæ; est præsumptio id facere, & aliquando falsum, vel superstitiosum; maximè quando necessarium putatur vt in tali lingua proferatur. Item si verba sunt inutilia, quia non continent precationem, nec inuocationem Dei, vana signa, & Dæmoniaca esse, conuincitur. Et huc spectant incantationes Veneficorum, de quibus dicitur Psalmo 57. *Non*

exau-

exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter. Ita Sāctus *Thomas 2.2.quæst.96.art.4. Suarez tom.1.de Religion.cap.15.num.11. Sanchez lib.2.in opere morali cap.40.num.22. Azorius lib 9. instit.moral.cap.26.quæst.6. Valentia 2.2.disput.6. quæst.13.puncto 2. Martin del Rio lib 3. magicar.disquis.par 2.quæst.4.sect.2.& lib.2 quæst.5. littera B. Cardinal.Toletus lib.4.summæ cap.14.num.11. Medina lib.1.summæ cap.14.§.2. Caietan.in summa verbo, incantatio,* & ibi *Armilla num.2. Nauarr.in summa Latin.cap.11.num.25.* & alij.

9 At verò si verba nullam falsitatem cōtineant, nec dæmonis claram inuocationem, & alioquin sint verba sacra, & apta ad adorandum, colendumuè Deum per eorum prolationem, vt est Oratio Dominica, vel Angelica, & nomen Iesus, & similia; ex hac parte non poterit iudicari superstitio, neque veneficium: esse tamen poterit ex intentione, si illud verbum adhibeatur vt signum infallibile talis effectus; quia cùm tale signum nō sit à Deo institutum, à Dæmone esse datum cōuincitur; qui sub spe bonorum verborum homines decipere vult, simulquè vult verba profanare sacra, & eis ad veneficium vti; & propterea quādo in his verbis statim non apparet superstitio, aliæ obseruantiæ, quæ simul adhibentur, & necessariæ reputantur, & consideranda sunt.

10 Verba igitur sacra, quibus morbus aliquis sanatur, cùm ea talem non habeant sanandi facultatem, sed tanquam signa certa adhiberi solent à maleficis; dicendum est, esse venenosa. Vndè benè *Martinus del Rio lib.2. disquisit.magic.quæst.5.* agens de verbis sacris, quibus morbus aliquis curatur, respondens argumento cuiusdam id defendentis, eò quòd fortassis alicui viro Sancto reuelata sit illorum vis; inquit, quandiù de illa reuelatione nō est legitima probatio, tutiorem partem esse necessario amplectendam, & abstinendum, & vtenti incūbere probare reuelationem. Quod inde constat, quia eam inesse virtutem his verbis est quid facti, & proinde non præsumitur: & cùm ad defensionem vtentis illis pertineat, ipsi incumbit probare eam virtutem; atq; proinde dum legitimè non constiterit, sed res dubia fuerit, nō est ea virtus præsumenda; eo vel maximè quia hodie non est miraculorum necessitas, & certè si virtus hæc esset supernaturalis, fuisset Ecclesiæ reuelata, aut illi legitimè constaret, vt probant *Lessius lib.2. de instit.& iure cap.34. dub.10.nu. 62. & 63. & Sanchez loco supra citato, num.44 & Suarez loco citato, num.16 & 27.* inquit, non esse absoluendos vtentes remedijs externis ad morbos sanandos; quæ euidens est non posse esse causas naturalis sanitatis, quamuis publicè tollerentur; quia illi nō habent probabilem rationem ad præsumēdam diuinam virtutem esse infallibiliter assistentem illis verbis, & actionibus; ac proinde religiosum verbis sacris hoc modo ad sanitatem vtētem certum est, esse criminis veneficij reum; nec esse absoluendum, nisi priùs constanter proponat, similem relinquere superstitionem, & veneficium.

11 Præterea verbis, vel etiam sine verbis adhiberi solēt aliquæ actiones per modum signorum, aut cęremoniarū, & in his ferè generalis regula est, quicquid fit præter signum Crucis, ordinariè ac generaliter esse veneficum, & frequenter continere expressam Idolatriam. Ita *Suarez loco vbi suprà num.12.* quia huiusmodi ritus solent Dęmones affectare diuinos honores, vt docet *Augustinus lib.10 de Ciuit. Dei, cap.9. & 10.* & hoc spectare videtur ad Magum, quando cùm pacto fit expresso, secluso vero expresso Dęmonis cultu, in his actionibus semper interuenit inutilitas in ratione causæ, quia nullam vim naturalem habere possunt ad effectum intentum; Quia solùm sunt cæremoniæ quædam, quæ per leuem motū manuum, aut aliorum membrorum fiunt corporis, quæ per se circa alios nō sunt actiuæ, ad quorum commodum ordinariè fiunt; nec in ipsomet, qui mouetur, si in eo effectus intendatur, possunt per se causare, nisi hoc, vel illud vbi, & per accidens colorem aliquem, si motus sit ad illum sufficiēs; sed in præsenti, nec solet esse talis, nec ob eam causam fit. Omnis enim iste ritus adhibetur solū in ratione signi, quia seclusa ratione causæ, nulla superest alia ratio. Tale autem signum cùm non sit à Deo traditum, solùm ex parte Dęmonis haberi potest, nec ipse moueretur signis ab alio traditis. Vndè ea ferè regula seruanda est in rebus permanentibus, quæ pro remedio adhibentur: nam in primis si ratione naturalis causę sunt prorsus impertinentes, quia nullam naturalem habēt virtutem, & sufficienter hoc de illis constat, procedit generalis Regula, quòd adhibentur, vt signa Dæmoniaca; Quia non sunt Dei instrumenta, qui potest, lutum super oculos imponendo, restituere visum: nihil tale aliquando Deus promisit facturum per huiusmodi res inutiles ad operandam sanitatem applicatas: est igitur merè veneficium, & superstitio. Si verò res, quæ applicatur talis est, vt possit habere aliquam naturalem virtutem, vt est herba aliqua, oleum, vel quid simile; tunc in primis consideranda est alia circumstantia suprà posita ex parte modi: an scilicet effectus tanta celeritate fiat, vel fieri credatur, & speretur, vt naturalem vim talium agentium superet? & tunc media in idem; Nam ad illum operandi modum tale medium est naturaliter improportionatum; vndè est signum, aliunde prouenire proportionem, & virtutem. Et præterea hac ratione solent circa res tales fieri aliquæ cæremoniæ variæ ad virtutem supplendam, quæ rei permanenti deest, cùm tamen omnes illæ cæremoniæ ad illam conferendam inutiles sint, & ita in eandem superstitionem, & veneficium reuoluitur. Quod expressè damnatur in *cap. non licet 26.q.5.* vbi interdicitur, ne in herbarum collectionibus, etiam medicinalium, aliquas obseruationes, vel incantationes liceat attendere. Aliquando verò alicui rei permanenti ex materia prorsus inutili ad talem effectum alia adduntur permanentia signa, vt figura, linea, & similia, vt per ea suppleatur virtus, vel compleatur, cùm tamen

tamen ipsemet figuræ de se inutiliores sint ad tales effectus, & ita in idem reditur veneficum vitium; quia tota illa res in talibus Caracteribus, aut numeris depicta, & ratio causæ tam inutilis est, sicut anteà: igitur solùm relinquitur in ratione venefici, seu malefici signi.

12 Atque ex his facilè constat, quid sit dicendum de alio modo, qui in his effectibus est ex parte temporis, nimirum ex modo actionis in facilitate, & velocitate; vt si homo subitò sanetur, sine miraculo, vel virtutis Diuinæ interuentu, vel cùm actio virtutem habeat in distantem locum; vt si faciendo hic imaginem Titij Romæ existẽtis, ibi doleat, vel ad prolationem aliquorum verborum res magni põderis eijciatur, & ab vno loco in alium transferatur; vel cum persona, adhibita v. g. tentatione, breuissimo tempore in distantissimum locum transfertur; vel cùm hic curatur vulnus Titio Romæ illato in sola petia eius sanguine tincta, vllo alio adhibito signo; nisi solis verbis: Dicendum est, totum effectum esse veneficæ Magiæ; Quia nimirum media, quæ ad talem actionis modum applicantur, reuera de se non sufficiunt ad illum, nec possunt talem habere virtutem naturalem: Et ideò manifestum est, adhiberi non vt causas, sed vt signa: ac subinde adhiberi ex pacto cum Dęmone, quando quidem Deo tribui non possunt.

13 Ex his infero primò; Religiosum, qui solis certis, ac determinatis verbis ad aures applicatis bestiarum sub silentio, statim à doloribus, qui vulgò appellantur, *Doglia*, eas sanauerit; esse veneficum, ac huius criminis reum. Idem dicendum de illo, qui certis, determinatisque crucibus cum verbis sacris statim risipelas sanauerit.

14 Infero secundò; veneficum dici Religiosum, qui verbis sacris in hostia ad huc non consecrata scriptis, ad febrim tertianam, aut quartanam sanandam vtitur; vel certum fructuum numerum ad idem effectum comedendum tribuit adhibitis certis verbis.

15 Infero tertiò, Regularium superiores peccare lethaliter, qui non impediunt, cùm possunt, aut permittunt, hos Religiosos similibus vti ad sanitatem veneficis remedijs; neque excusari possunt, ex quo dicunt, se nescire, esse talia verba superstitiosa, atque venefica; quia ipsi ex munere tenentur scire & eò quammaximè (vt sæpè vidi) cùm in eorum præsentia hæc, aut similia subditi adhibent media ad sanitatem.

16 Confessores quoque solliciti esse debent in confessionibus, quando ad eorum hæc afferantur Tribunal, vt sciant non solùm verba, sed effectũ ab illis causatum; considerando modum ex parte temporis, & ex parte actionis signa, aliasque cæremonias. Quòd si effectus omnem virtutem superet creatam, certò sciant tunc esse ex Dęmonis pacto, esseque venefica, & ad magiam spectare. Vndè nullo modo debet istis Religiosis, vel alijs pœnitentibus absolutionis sacramentalis præstare beneficium.

17 Aduertere tamen oportet, sæpè talem esse harum actionum modum, vt omnem virtutem non superet creatam. Ad colligendum autem veneficium, & pactum satis esse, vt pensatis omnibus circumstantijs concurrentibus in modo talis effectus, constet, superare naturalem agentiũ corporalium virtutem, necessariumque esse, vt aliquod inuisibile, & incorporeum agẽs ibi interueniat. Nec hoc satis est, vt de pacto cum Dęmone constet; Quia suppono, virtutem illam superiorem, & incorpoream ibi interuenientem non esse diuinam, nec Dei ministrum; & ideò rectè concluditur, esse Dęmonem.

QVAESTIO QVARTA.

Vtrum Religiosus, qui aliquorum morborum; vel vulnerum sine naturalibus remedijs, vel propriè artificialibus, sed solis verbis ad Deum deprecatorijs, cum crucis signo, vel alio simili non superstitioso confert sanitatem, sit veneficus?

CAPVT PRIMVM.

Prima sententia affirmatiua refertur.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus ad curanda vulnera vti potest certis orationibus, quas vulgò empsalmos vocant, iuxta nonnullos Grauissimos Auctores.*
2 *Nonnullis familiarum viris esse à Deo concessam facultatem, vt tactu, sermone, aspectu, odore medeãtur quibusdam morbis.*
3 *Referuntur virtutes inhærentes hominis partibus, quæ morbis applicatæ sanitatem inducunt.*
4 *Nonnullorum corpora solo aspectu erant serpentibus terrori.*
5 *Nonnullorum hominum sudor medendi multis morbis habuit efficacitatem.*
6 *Christianissimi Reges Francorum solo tactu, & verbis sanaut scrophylas.*
7 *Reges nostros Potentissimos Hispaniarum eandem habere virtutem, quamplures Doctores docent.*

1 NAuarrus *in summa latina, & hispana cap. 11. num. 36. Margarita confessorum quæst. moralium fol. mihi 185. Palatius in summa verbo, incantationes, Castañeda lib. de superstit. capit 13. & P. Ioannes Azorio tom. 1. lib. 9. cap. 25. quæst. 2.* absolutè docent, posse quempiam ad morbos, vulneraque curanda vti orationibus, quas vulgò empsalmos vocant, vllo alio adhibito naturali remedio, vel signo superstitioso, sed solùm quandam verbali benedictione. lineas nimirum benedicendo petias; & aquam elementalem: (sicut ipse vidi quemdam nostri ordinis Religiosum hoc modo insanabile curasse vulnus) alij oris applicando saliuam. Fundamentum aliquod robustum, quo hæc possit fundari sententia non vidi. Legi solùm *Azorium, loco citato* asserantem, non esse negandum; cùm gratis, & liberaliter Deus possit quibusdam hominibus, imò etiam certis familiarum viris vim, & facultatem concedere, vt tactu, sermone, aspectu, odore, vel halitu medean-

medeantur quibusdam morbis, & valeant contra rabiosi canis morsum, aut serpentum venena, nec ea vis, & naturalis potestas dici potest, quasi sit hominis naturæ, & conditioni debita, sed tantùm ex gratuito Dei munere, & beneficio suscepta. Nec tamen sequitur, vt si vis aliqua supernaturalis, hoc est, habitus mētis infusus, sed vis quædam præter solitū morem hominibus data, quæ suos præstat effectus, aut causarum naturalium ministerio: & opera: aut certè (quòd est verisimilius) operante Deo, talium hominum interueniente sermone, tactu, aspectu, odore, sudore, alitu, vel saliua, quo fit, vt id etiam virtutis, & efficacitatis Dei munere possit inesse in hominibus improbis, ac perditis. Hæc ibi *Azorius*. Et sanè hoc modo declarata sententia, non video vndè possit esse impossibilis; vt latè cap. 3. huius Quæstionis dicemus.

3 Non desunt exempla, quorum meminit *Plinius lib. 28. cap. 2.* quibus potest aliquo modo ostendi hæc sententia. Scribit quippe in cap. 1. eiusdem libri: Dente hominis vi interempti gingiuas in dolore excarnificari, & oculorum suffusiones felle hominis sanari, & caluaria interfecti, atque cremati propinatam aquam à fonte noctu comitialibus morbis prodesse, & hominis suspendio interempti cata potiam cōtra canis rabiosi morsus valere. Idem cap. 3. scribit in Africa fuisse Psillos, & in Italia Marsos, ex quorum familijs qui ducebant originem tales fuisse, quorum corpora tactu ipso, succouè modico curabant percussos à serpentibus, & manu imposita corpori

4 abstrahebant venena. Alios verò fuisse, quorum corpora solo aspectu erant terrori serpentibus. Et quendam in dolium serpentium coniectum experimenti causâ circummulcentibus linguis

5 illæsum penitùs extitisse. Alios item, quorum sudor medebatur multis morbis. Alios, quorum saliua contra ictus serpētium valebat, & vestem a tineis non attingi, quæ fuerit in funere: & serpētes ęgrè, præterquam lęua manu, extrahi. Idem quoque lib. 7. cap. 2. refert aliquando humanorum corporum partes nasci ad aliqua mirabiles. Sicut, inquit, Pyrrhi Regis pollex in dextro pede tactus lincosis medebatur. Et in Africa, fuisse Psillos, quorum corpori ingenitus fuit virus exitiale serpentibus, vt cuius odore sopirent eos. Et in Italia (vt dictum est) esse Marsorum gentem, in quibus inest eadem vis naturalis, & ictu saliuæ humanæ, vt feruentis aquæ contactu, serpentes fugere, & si in fauces penetrauerit, etiam mori, idque maximè humani ieiunioris. Item non procul ab Vrbe Roma in faliscorum agro familias esse paucas, quæ in sacrificio annuo, quod fiebat ad montem Soractæ Apollini super cōbustam, & ardentem lignorum struem in ambulantes nō adurebantur, flaminis parcentibus: Quod idem Solinus connumerat cap. 8. At varo id non tribuit miraculo, sed ait, Hyrpinos ambulaturos per ignes certo quodam medicamento plantas pedum imbuere. Hæc *Plinius*, & ex parte Solinus.

6 His connecto Christianissimos Reges Francorū solo tactu, & verbis strumas, & scrophilas sanare; ut experientia com[illegible] um est, & tradidit Hormisda Papa Epist. 1. ad Remigium Remensem Episcopum, & Bonifacius in Canonizatione Sancti Ludouici Franciæ Regis, *Diuus Thom. lib. 2. de Regim. Princip. cap. fin. Genebrardus tom. 2. Cronic. lib. 3. anno 998. Andreas Laurent. tract. de hac re edito lib. 1. cap. 2. Lessius de iust. & iur. cap. 43. dub. 10. Bozius de signis Ecclesiæ tom. 2. lib. 21. signo 92. Ioannes Tagacutius instit. chirug. li. 1.* & alij apud *Franciscum Torreblanc. de iure spiritual. lib. 12. cap. 24. num. 42.*

7 Reges nostros Potentissimos Hispaniæ hanc quoque habere virtutem astruunt *Valdes. lib. de dignit Regum Hispaniæ cap. 16. num. 9. Bozius de signis Ecclesiæ tom. 1. lib. 8. cap. 1. signo 32.* habent similiter Reges Hispaniæ tanquam fidei protectores Dęmones expellendi potestatem signo Crucis ab obsessis, ut tradunt *Carolus de Tappia in rubr. de constit. Principum cap. 1. num. 3. Cassan. in Cathal. Gloria mundi p. 5. considerat. 1. Puente lib. 2. de las Monarquias cap. 8. §. 1. & nouissimè Solorzanus de iure Indiarum lib. 2. cap. 25. num. 30.* Idem Regibus Aragonum esse concessum, tradunt *Beuter. lib. 1. & Ioannes Enseb. 1. p. suæ philosoph. lib. 1. cap. 52.* Itidem Reges Angliæ non solùm strumas sanandi, sed morbum comitialem gratiam, tradit *Polydor. Vergil. lib. 8. Historiæ Anglicæ*, ubi refert annulos olim benedixisse utiles neruorum contractioni, pasmo, & morbo comitiali. Ita *Valdes vbi suprà num. 10. Valdemoura tract. de incantation. sect. 2. cap. 8. num. 12.* Verùm si uirtute Diuina (ut censendum est) Reges illi præstabant, hoc illis contingebat dum in gremio Vniuersalis Ecclesię fuerunt, quia saluator hereticus non sanat uirtute diuina, ut benè adnotauit *Bozius de signis Ecclesi. tom. 2. lib. 21. signo 92. & lib. 23. cap. 1 Sanchez loco statim citando, Valdemour. dicta sect. 2. cap. 9 n. 12.* Hæc sunt, quæ pro fundanda horum Doctorum sententia adduci possunt.

CAPVT SECVNDVM.

Ponitur sententia negatiua cum suis fundamentis.

SVMMARIVM.

1 *Empsalmatores illi dicuntur, qui certis dumtaxat orationibus, aut verbis, seu benedictionibus certis medentur morbis; saluatores verò, qui virtute personali dumtaxat vtuntur.*

2 *Empsalmatores esse veneficos orationesque, quibus ad sanitatem vtuntur esse incantationes, docent quamplures Doctores.*

3 *Empsalmi sunt orationes ex certis verborum formulis confectæ.*

4 *Empsalmi dicūtur à Psalmis, quatenus tales formulæ ex Psalmorum verbis, vel instar Psalmorum componuntur.*

5 *Nulla verba etiam sacra ad morbos curandos ex propria vi verborum habent virtutem.*

6 *Nulla pura Creatura etiam eximiæ sanitatis potest instituere formulas, quæ ex vi operis producant effectus visibiles, & palpabiles.*

Empsal-

7 *Empsalmi cùm ex sua natura non possint effectus operari, qui naturam excedunt, sunt à Dæmone eorum effectus.*

8 *Saluatores esse veneficos, probatur.*

1 VErùm ex opposito alij Doctores, quos statim citabimus distinguunt inter Empsalmatores, & saluatores, vocant Empsalmatores illos, qui certis dumtaxat orationibus, aut certis verbis, seu benedictionibus, nonnullis medentur morbis; saluatores verò illos, qui non curant media cæremonia ex certis verborum formulis constructa, sed vtuntur virtute personali aliqua illorũ propria, dependente aliquãdo, vel independente ab alia re exteriori, vt halitu, flatu, tactu, &c. quam virtutem esse naturalem, affirmant quamplures: Nam sicut in herbis, lapidibus, plãtis, & animalibus sanandi inuenitur virtus, ita & in homine μικρόκοσμος similis virtus reperitur, ita vt in vno homine est virtus talis Plantæ, & in alio talis lapidis, &c. vt docere videntur *Pomponat. lib. de incant. cap. 3. & Mour. tract. de incantat. seu empsalm. opusc. 1. sect. 2. cap. 9. nu. 1.*

2 De empsalmatoribus igitur affirmant esse veneficos, orationesque, quibus vtuntur ad sanitatem, esse incantationes. Ita *Llamas in Methodo p. 3. folio mihi 372. Valdemoura tract. de incant. seu empsalm. opusc. 1. cap. 1. Ceruleus de superstition. 3. p. cap. 7. Franciscus Torreblanc. de iure spiritual. lib. 12. cap. 22. per totum inclinat Victoria de arte magica quæst. 4. num. 16. in solut. ad secundum: ex parte Sanchez lib. 2. in oper. moral. cap. 40. num. 39. P. Suarez tom. 1. de Religion. cap. 15. num. 25.* & alij.

3 Supponere oportet, priùs quàm hanc negatiuã fundemus sententiam, Empsalmos esse quasdam orationes ex certis verborum formulis cõfectas, præsertim ex sacris, ad vulnera medẽda, morbosque curandos, quas quamplures doctores existimant esse incantationes. Dicuntur empsalmi, vel quia à psalmis nomen sumpsere, eò quòd frequentiùs tales formulæ ex Psalmorum verbis, vel

4 ad instar psalmorum componebantur; vel quia ab Anselmo Parmensi Mago duxerũt originem. Ita *Martinus del Rio lib. 1. Magic. disquis. cap. 3 Valle de moura tract. de empsalmis opusc. 1. sect. 1. cap. 1. Llamas in meth. p. 3. Franciscus Villalpand. loc. citato.* Hoc supposito.

5 Probari sic primò potest hæc sententia. Si verba aliqua etiam sacra, siue sint voce prolata, siue scripta, aliquam haberent virtutem ad morbos curandos, profectò illam haberent aut ex vi propria naturali, aut ex institutione: atqui à neutro istorum; igitur nullam habent virtutem; ac subinde si aliquam habent, aut est à Deo, vel ab Angelo, aut ex pacto Dæmoniaco. Maior, & consequentia sunt notæ: Minor quo ad primam partẽ probatur; quia nulla sunt verba (vt docent *Diuus Augustinus lib. 1. de ciuit. Dei cap. 9. & 10. & lib. 21. cap. 2. Angelicus Doctor 2. 2. qu. 96. art. 2. & lib. 4. contra gentes cap. 104. & 105. Abulens. in leuitico cap. 19. quæst. 19.*) Quæ naturaliter operando hos

6 possint habere effectus. Quoad secundam partẽ probatur; quia nulla pura creatura potest instituere formulas, quę ex vi operis, & infallibiliter producat effectus visibiles, & palpabiles, siue ex natura sua, siue ex modo miraculoso, etiam si eximia sit prædita sanctitate; Igitur ex vi institutionis huiusmodi verba non possunt præstare tales effectus. Consequentia tenet. Antecedens, præterquàm quod docuere *Pater Suarez ad 3. p. D. Thomæ disput. 15. sect. 3. Martin. del Rio lib. 3. disquis. Magicar. quæst. 4. sect. 8. & Sanchez in opere Moral. cap. 41. à n. 15.* ostenditur, quia vel ista potestas oritur ex intrinsecis naturæ principijs, vel aliunde participatur. Primum esse non potest; quia ex præcisis naturæ principijs non potest produci effectus miraculosus, quia eo ipso est suprà naturã, & ex Deo reseruatis, Teste *Diuo Augustino lib. 3. de trinit. cap. 7. & lib. 22. de ciuit. Dei cap. 7. & 8. D. Thom. p. 1. q. 110. art. 1. & lib. 3. contra gentes cap. 102. & 103.* quia sequeretur, quòd ex vi naturæ posset Deus cogi ad miraculosè operãdum physicè, vel saltem moraliter, nempe ponendo signum, cuius præsentia Deus necessitaretur ad operandum illos effectus; quod nulla Creatura potest tale instituere signũ, vt omnes Theologi in materia de sacramentis de fide docent; ergo aliundè hæc potestas participantur. Non à Deo, quia id fieret ex Diuino pacto, vel ex libera collatione: pactum autem non potest iniri absque libero vtriusque partis consensu, quare priuatus homo nequit talem assumere potestatem. Libera autem collatione nemo debet præsumere talẽ potestatem nactum fuisse; quia non datur ex potestate carnis, sed à Deo: Igitur.

7 Secundò; quia empsalmi siue sint cõstituti, siue deprecatiui, siue inuocatiui, cùm suos non sortiantur effectus à natura, vt de se constans est, tribuendi sunt alicui spirituali causæ; non autem Deo, quia de illis nil Ecclesiæ suæ reuelauit, non solùm quo ad modum gratiæ, vel miraculi, verũ etiam quo ad modum prodigiorum, qui naturam excedit; Igitur habendi sunt ab Angelo, non quidem bono, qui ad libitum horum hominum non concurrit; ergo à Dæmone qui studiosis huiusmodi orationibus solet concurrere tanquã pacti signis. Antecedens probat *Martinus del Rio lib. 1. Magicar. disquisit. cap. 3. Valledemour. tract. de incantat. seu empsalmis opusc. 1.* Consequentia est certa ex doctrina *D. Thomæ 2. 2. qu. 96. art. 2.* Vbi sic habet. *Vndè si naturaliter non videntur tales effectus causari, consequens est, quòd non adhibeantur ad alios effectus causandos tanquam causæ, sed solùm quasi signa: & sic pertinent ad pacta significationibus cum Dæmonibus inita.*

Hoc ita certum existimant *Paulus Grillandus de sortilegijs q. 6. Nauarr. in manuali cap. 11. num. 34. Petrus Ceruleus de superstitio. & superstit. p. 3. cap. 3. & 4. Suarez tom. 1. de Religion. tom. 2. lib. 2. & superstit. c. 15. n. 26. Lessius de iust. & iur. lib. 2. ca. 43. dub. 10. num. 63. Simon Maiolus tom. 2 Canicul. colloq. 3. Valle de mour. dicta sect. 2. cap. 13.* quod licèt nullã extrinsecam vanitatem cõtineant, satis est, quòd eis certus, & infallibilis effectus polliceatur; ad hoc

hoc ut intelligatur fieri ex Dęmoniaco pacto: Quia effectus huiusmodi cùm non sit naturalis, nec diuinus Ecclesiæ reuelatus, euidenter colligitur esse ex Dęmone, aut ex Gentilium superstitione, qui similibus utebantur incantationibus ad curandos morbos; ut testatur *Plinius lib. 28.*
8 *cap. 2.* Idemque tenendum esse de saluatoribus ob eandem rationem: Etenim impossibile uidetur (naturaliter loquendo) esse posse in certis hominibus talis sanandi uirtus, quia illa uis naturalis, uel eis inest ratione humanæ speciei, uel ratione indiuidui: sed à nullo istorum: Igitur. Maior à sufficienti diuisione patet: Minor quo ad primam partem ostenditur ex eò quòd tunc oporteret, ut omnes homines illa naturali pollerent ui: quia nulla apparet ratio, quare natura specifica humana est) & non illi hanc contulit uim. Quo ad secundam partem probatur, quia hoc esset ratione singularis complexionis; & tunc certum est, (ut optimè argumentatur *Martinus del Rio lib. 1. Magicar. disquis. cap. 3. quæst. 4.*) omnes debere nasci cum tali facultate, qui sunt saltem eiusdem naturæ, & complexionis, quod nos experientia minimè docet.

CAPVT TERTIVM.

Inter has duas extremas opiniones statuitur quædam media.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui ad conferendam aliquorum morborum sanitatem, licitis orationibus, absque vlla vana circumstantia vtitur, non est veneficus.*
2 *Religiosus, qui orationes, vel signa, aut adiurationes adhibet ad sanitatem conferendam, credens solùm illis verbis morbi salutem obtinendam, est veneficus, huiusque peccati reseruati reus.*
3 *Religiosus hunc incurrit peccatum reseruatum, qui vtitur externis, certisque determinatis remedijs, quæ ex sua natura non possunt præstare illam morborum sanitatem; quam intendit.*
4 *Est erroneum asserere, posse aliquibus mederi morbis saliua, alitu, & tactu, sola attenta vi, & potestate naturali.*
5 *Ex gratia gratis data media saliua, alitu, & tactu potest mederi morbis, & qui his vtuntur non sunt vniuersaliter damnandi.*
6 *Damnandi sunt qui his vtuntur medijs ad sanitatem inducendam, si ex vana aliqua superstitione sequatur effectus.*

1 VErumtamen hos sanandi modos nec abhorrent absolutè, nec approbant Moderniores Theologi: ideò inter allatas extremas sententias mediam sequendam proponimus. Dico igitur primò, Religiosum, qui ad conferendam aliquorum morborum seu vulnerum sanitatem sine remedijs naturalibus, vel propriè artificialibus, sed solis licitis orationibus, & adiurationibus licitis, absque aliqua vana circumstantia vtitur; vt per Christi Domini passionem, &c. illis Deo supplicans, vt sanitatem conferat; non esse veneficū, neque vllum committere crimen superstitionis. Hæc assertio est pro prima sententia contra secundam: eamque docuere *D. Antonin. 2. p. tit. 12. cap. 1. §. 11 Angelus ver. superstitio num. 9. Syluester eodem ver. q. 10. dicto 4. Nauarr. in summa Hispan. & latin. cap. 11 nu. 36. Margarita confessor. in 1. præcepto, Rodriquez tom. 1. sum. in 2. ædit. cap. 7. num. 6. Ludouicus Lopez in 1. p. instruct. ca. 41. versic. Mulieres, Ciruelo de superstitio. p. 3. cap. 3. Sanch. in oper. moral cap. 40. nu. 39, & Suarez tom. 1. de religion. lib. 2. cap. 15. num. 25.* Ratio est, quia hoc nihil mali reperitur: atque pium est illum effectum pijs à Deo petere orationibus.

2 Dico secundò; esse Veneficum Religiosum, qui orationes vel signa, aut adiurationes adhibet, nullam applicans naturalem medicinam ad illius morbi sanitatem efficacem, sed credens solùm illis verbis morbi salutem obtinendam. Hæc assertio est pro secunda sententia contra primam: eò quòd verba etiam sacra nullam vim habere naturalem, constans est ex dictis in primo capite, ad eum effectum. Nec virtus supernaturalis præsumitur, nisi probetur vt *Sanchez loco citato nu. 44. ex Martino del Rio* ostendit. Ita docent *P. Suarez vbi suprà nu. 26. Ciruelo loco citato Victoria de Magia num. 28.*

3 Dico tertiò, Religiosum, qui ad hos præstandos effectus, quosdam vtitur externis remedijs certis ac definitis, De quibus euidens est, non posse esse causas naturales talium effectuum, vt v.g. si definitis certis petijs ex lino mundis cum tali benedictione aquæ claræ facta ad talia vulnera sananda utatur; illas cum certis uerbis applicando, esse Venefici criminis reum. Ita *Pater Suarez vbi suprà*, Vbi hæc habet. Et hoc potissimum modo dicuntur nunc aliqui similes curationes efficere, & publicè tolerari, & ita de illis præcedit difficultas proposita. Ad quam, quantum ad conscientiam attinet, simpliciter censeo, non esse ita tolerandas, ut confessores illam licentiam eis cōcedant, eosque absoluant. Nam licèt pro aliquo tempore excusari aliqua ex parte per ignorantiā potuerint; quia nimirum per solam aliorum traditionem id acceperant, qui ita experti fuerant sine aliquo consortio cum Dęmone, & ipsi etiā posteà experti sunt sine suspitione mali; Nihilominus in re ipsa, & secundùm se, non erat id licitum: ita ut uix potuerit ignorantia fuisse omnino inculpabilis; quia illi non habent probabilem rationem ad præsumendum, diuinam uirtutem esse infallibiliter assistentem illis uerbis, & actionibus, ut sæpè dictum est; quia hoc est proprium uerborum sacramentalium: & aliquid simile introducere sine Ecclesiæ authoritate superstitiosum est, & in fide periculosum. Quid enim, si quis crederet, se habere propria quædam uerba, quibus infallibiliter sanctificetur anima ex promissione Diuina? non ne hæreticus reputaretur? Ergo perinde ferè reijciendum: seu qui simile quidpiam dixerit de quocunque supernaturali

turali

turali effectu. Relinquitur ergo, vt qui hoc modo illis verbis, vel vanis obseruantijs vtuntur, velint nolint, tacita societate Dæmonis vtantur, & in illa confidant, vel saltem morali periculo illius se exponant. Hactenus doctissimus *Suarez*. Quæ verba sunt magna consideratione digna, & quã maxime à Religiosis, qui hæc exercent, ponderanda. Experientia enim comperi, nonnullos religiosos grauissimæ, ac reformatæ religionis nõ solùm his medijs vti ad morbos curandos, verum etiam, & docere alios, affirmantes esse talia, vt à quocunque addiscantur, & proferantur talia verba, & applicetur pannus cum tali benedictione, fieri effectus, infallibiliter; quod est maximum scælus, & in fide erroneum, quinimmò hæreticũ, si ex aliquo alio capite ex ignorantia inculpabili non excusetur.

4 Dico quartò, falsum esse, & erroneum, posse aliquibus mederi morbis saliua, halitu, tactu, & huiusmodi, sola attenta vi, & potestate naturali. Hæc assertio est certa in omni opinione, eamque docent *Suarez vbi supra, Victoria de arte magica q. 4. num. 16. in solut. ad secundum Ciruel. de superstit. 3. p. cap. 7. Sanchez lib. 2. in oper. moral. cap. 40. num. 47.* & alij. Ratio est, quia istorum saliua vim non habet naturalem, aut supernaturalem ad medendũ. Non naturalem: Quippe medicina naturalis non omnibus eadem prodest, sed variatur iuxta varias ægrotorum complexiones: atqui eorum saliua omnibus prodest. Non supernaturalem, quia cõtingit, quod homines, qui his medijs vtũtur, sunt pessimi: Igitur. Et quamuis hoc in vniuersum non sit verum; eò quia non repugnat, quòd aliqua facultas supernaturalis in hominibus flagitiosis existat, nullum sumitur ex hoc validum argumentum ad probandum, talem virtutem non esse supernaturalem.

5 Dico quintò, posse ex gratia gratis data, media saliua, halitu, tactu, & huiusmodi, nonnullis mederi morbis, & consequenter in vniuersum non esse damnandos eos, qui his vtuntur remedijs. Ita *T. Sanchez loco suprà citato*, & à fortiori *Azorius, Nauarrus, Margarita confessor. Castañeda, Palatius, & alij in primo huius Quæstionis capite citati*. Quibus addo *Franciscum Villalpandum de iure spirituali lib. 12. cap. 13. nu. 6. & T. Suarez loco quo suprà citato num. 27.* Ratio est, tum quia graues Doctores illos approbant; tum quia eos vidimus in Ecclesia permitti; Igitur nulla est ratio conuincens, in vniuersum esse hoc munus Veneficum; tum quia, non repugnat, gratiam gratis datam sanitatis in his hominibus, qui hoc funguntur munere, existere. Non repugnat certè, vt optimè *Azorius loco citato, & Martin del Rio lib. 1. Magicar. disquis. cap. 3. qu. 4.* latissimè probant, eam. s. virtutem sanandi gratuito Dei munere concedi quibusdam hominibus, imò etiam certis familiarum viris, quæ suos præstet effectus, Deo operante, taliumque hominum interueniente sermone, tactu, aspectu, odore, sudore, halitu, & saliua.

6 Notanter dixi, in uniuersum, quia in his contingere potest, ut sequatur effectus ex aliqua uana superstitione, uel aliqua alia circumstantia, quæ facili modo potest iudicium inducere ad iudicandum, ex pacto Demonis, eiusque societate tales euenire effectus. Vnde benè *Sanchez, & Suarez locis citatis* affirmant, non esse homines, qui his utuntur remedijs, uniuersaliter approbandos, quia multi ex illis superstitionibus utuntur. Quinimmò *Martin. del Rio lib. 1. Magicar. disquis. cap. 3. q. 4. litt. F. vers. dico tertio*, asserit, rarò illos licite eo ministerio uti. Nec credendum est, his hominibus eam uirtutem à Deo tributam esse, nisi ex alio capite constet. Constare autem potest à posteriori, quando uiri, qui hoc sanandi utuntur munere, sine approbatæ uitæ, habeantque bonã, & sanctitatis opinionem: secùs uerò si malam. De qua re uidendi sunt *Pater Sanchez, Martinus del Rio locis citatis*.

QVAESTIO QVINTA.

Vtrum Religiosus, qui nonnullis artificialibus utitur ad sanitatem uel alios effectus extraordinarios, quatenus artificialia sunt, ut imaginibus, quas uocant Astrologicas, censendus sit Veneficus, seu huius criminis reus?

CAPVT PRIMVM

Opinio Caietani refertur, & reijcitur.

SVMMARIVM.

1 *Imagines Astronomicas, quæ ad sanitatem applicantur, habere virtute ex Cœli constellatione, docent Caietanus.*

2 *Fabricari Imaginem auream, vel argenteam, vel lapideam in tali constellatione, vel cum tali forma, non esse superstitiosum.*

3 *Caietanus improbatur, & reprehenditur à Suarez.*

4 *Figura in aureo impressa non est actiua, nec proprium principium agendi, & quomodo, ostenditur.*

5 *Consonantia inter Imaginem, & Astrum est quædam relatio, seu extrinseca denominatio nullam habens influentiam.*

6 *Cœlorum influentiæ sunt occultissimæ.*

1 APplicare ad sanitatem tuendam, & aduersus particulares morbos quasdam consueuere, imagines (quas astronomicas uocant) ex auro, argento factas; ut annulus sub tali constellatione confectus, uel imago in lapide impressa sub tali; de his est opinio docens, quòd licèt ex materia sola, seu forma naturali hanc non habeant uirtutem, si fabricentur nihilominus peculiari modo per artẽ cum talibus figuris, seu characteribus, & sub tali cęlesti constellatione, inde intrinsecam accipere possunt uirtutem ad tales effectus; & ideò ex hoc pactum cum Demone minimè colligi potest. Hanc sententiam tuetur *Caietanus 2. 2. q. 96. art. 2.* quatenus imagines defendit astronomicas, non quidem absolutè, sed sub conditione, nimirum quando sine Characteribus, uel numeris, aut certis punctis fiunt, sed solùm cum imagine

imagine alicuius signi Cœlestis, vt Leonis, Virginis, Scorpionis, & in certa constellatione: Et solùm dicitur talis imago esse vtilis contra aliquem morbum, & contra renum dolores, vel contra melancholiam, vel alium similem effectum.

2 Fundatur hæc Caietani sententia in hoc, quod ille effectus non est supernaturalis; sed fieri potest per artem medicinæ, & herbas medicinales; ergo non est superstitiosum credere, imaginem auream, vel argenteam, vel in lapide impressam, verbi gratia fabricatam in tali constellatione, & cum illa forma signi Leonis talem habere medicinalem virtutem ex signi Cœlestis impressione, quam aurum, vel argentum, seu lapis sine illa imagine non haberet, quia illa figura per conformitatem ad astra, potest esse dispositio ad recipiendam ab astris talem influentiam, & virtutem, quam aliàs non reciperet. Nam figura secundum se potest aliquo modo ad actionem conferre, vt patet in instrumentis artis, & rotis, & organis Mathematicis, & in motu grauium, in quibus figura adiuuat naturam. Et in viuentibus figura est magna pars organizationis: ac denique conformitas ad astrum in tali figura potest etiam conferre ad suscipiendam influentiam eius. Cùm igitur influentiæ Cœlestes nobis sint occultæ, non videntur tales imagines astronomicæ, si simplices sint, damnandæ. Secùs verò (inquit subtilis Cardinalis) est, si addantur alij Characteres, quia illi sunt impertinentes, nihilque conferre possunt ad actionem; & ideò solùm adhiberi possunt vt signa indicantia pactum cum Dęmone. Quam sententiam putat, *D. Thomam lib. 3. contra gentes cap.* 105. tenuisse.

3 Displicet & meritò *Patri Suarez* hæc *Caietani sententia*. Quam reijcit. Et certè à nemine Theologorum admitti debet; quia reuera est superstitiosa, nullaque in ratione fundata probabili. Et quidem astronomicas imagines certis punctis, signis aut characteribus formatas esse superstitiosas, certum est, vt latè & optimè ostendit *Mart del Rio lib.* 1. *cap.* 4. *quæst.* 1. *de Magic. disquisit.* simplices etiam imagines astronomicas esse superstitiosas patet, primò ratione *Diui Thomæ loco citato art.* 2. *ad secundum*, vbi has imagines quammaximè abhorret optimo hoc fundamento, quia forma artificialis non potest habere virtutem agendi ab artifice; quia solùm procedit ab Idea mentis, quæ non est actiua: (actione scilicet, & alteratione naturali) nec etiam ex natura sua talem vim habet, quia solùm consurgit ex dispositione, & figura, quæ sunt principia agendi; nec disponunt ad recipiendam virtutem agendi ex influentia cęlesti. Additque *Diuus Thomas authoritatem Augustini lib.* 10. *de Ciuit. Dei cap.* 9. *&* 11. Vbi cùm ex Porphyrio retulisset, fieri solere ab hominibus herbas, lapides &c. certis quibusdam figurationibus, atque figmentis, quibusdam etiam obseruatis in Cęli conuersionibus, motibusq; syderum, quæ virtutem habebant, idoneam aliquibus exequendis, Addit D. Augustinus, *totum hoc ad Dæmonis pertinere ludificationes, &c.* Verum tamen est, Augustinum indistinctè loqui de figuris, & alijs vanis cęremonijs, & obseruantijs; Nihilominus tamen satis huic sententiæ fauet, & contra imagines astronomicas scribit *Diu. Chrisostomus homil.* 8. *in Epist. ad Coloss.*

4 Nullius autem fundamenta Caietani sunt roboris; primò, quia figura nunquam est actiua, nec proprium principium agendi, solumque ad motum localem confert, & ad instrumentorum actionem, vel agentiam, quæ per localem motum applicantur ad agendum. Et tunc figura solùm disponit vt agens, vt instrumentum possit faciliùs, vel commodiùs applicari huic, vel illi loco, prout ad intentam expedit actionem. Et quo ad hoc meritò est vtilis; quia per motum localem tenditur ad Vbi, ipsa autem figura proportionem seruat cum vbi, & illi naturaliter accommodatur, & ideò ad localem deseruit applicationem. At verò ad alterationem, vel ad naturales effectus, & virtutes, quæ per alterationem sunt, per se nihil confert. Nec intelligi potest, quod figura Solis in metallo, lapide, aut ligno descripta ad hanc, vel illam Cęli influentiã conducat recipiendam: nec enim lignum melius comburitur, eò quòd sit huius, vel illius figuræ, nisi illa deseruiat, vt melius applicetur: Superstitiosum autem esset imaginem ignis in lapide depingere, ut actiones ignis melius reciperet. Distinctio illa Caietani de figura, ut figura est, uel ut est forma artificialis, planè friuola est; Nam illa denominatio formæ nihil prorsus addit, nisi uel habitudinem ad artem, uel ad subiectum; quod informat. Vel certè forma illa secundùm physicam considerationem potest alias includere qualitates, quæ ordinariè actiuæ non sunt, sed colores aliquos, qui ad recipiendam uirtutem agendi non disponunt; nec in his imaginibus astronomicis considerari solent.

5 Insuper consonantia illa, quæ à Caietano spectatur inter imaginem, & astrum, seu signum Cęli, cùm sit tantùm quædam relatio, uel extrinseca denominatio, quid ad influentiam conferre potest? eò uel maximè quòd hæc cõsonantia, & conformitas non est uera, & naturalis: nec enim in Cęlo est facies Leonis, aut externa forma Scorpionis, & similia: sed ex uarijs astrorum dispositionibus uariæ figuræ, uel imagines sunt ab Astrologis excogitatæ, (ut ostendit *Sanctus Thomas* 2. 2. *quæst.* 96. *art.* 2. *& contra gentes lib.* 4. *cap.* 104 *&* 105. Quem sequuntur *Thomistæ, Malderus de virtutibus Theologic. tract.* 10. *c.* 8. *dub.* 1. *Martin. del Rio lib.* 1. *Magic. disquisit. cap.* 4. *quæst.* 1. *Suarez vbi suprà, Sanchez lib.* 2. *in opere morali capit.* 40. *numer.* 50. *Azorius*,

rius, & alij infrà citandi. Quibus addo *Plutarcum in vita Pericli, Leonardum Vayrum lib. 2. de fascinat. cap. 11. Baptistam Codronchum lib. 2. de morbis Veneficis)* & accommodatæ ad distinguendas partes Zodiaci, vel explicandas virtutes, & stellarum numerum quorum maiorem habēt obseruationem: Potuissent autem alijs figuris, & modis illas depingere, vel explicare. Quid ergo talis pictura, quæ ex sola humana accommodatione & inuentione pendet, ad influentiam potest deseruire? Hinc igitur concluditur, non posse certam virtutem ratione illius imaginis tali rei quasi infundi, quia per illam figuram non repræsentatur vnum simplex astrum, sed congeries multorum ex quibus videtur in cœlo consurgere talis figura. Et licèt inter astra fortassè aliquid sit præcipuum, tamen alia simul influunt, & habent diuersas, vel contrarias virtutes: immò etiam aliæ vicinæ stellæ, vel planetæ tunc occurrentes influere possunt, & suam virtutem dare; igitur vanum est putare, certam aliquam influentiam, & virtutem vnius astri peculiariter imprimi.

6 Et prætereà esto, quod posset hoc fieri; non potest ab hominibus cognosci: sunt enim occultissimæ huiusmodi influentiæ; nam præter impressionem lucis, & quatuor simplicium qualitatum; vix aliæ influentiæ singularium virtutum cognosci possunt, præter eas, quæ ad formas substantiales per naturalem generationem consequuntur, quas meliùs recipiunt herbæ, lapides, & metalla, quàm imagines arte factæ. Ac denique licèt aliquid astra influerent in tales imagines, incredibile est, ita immobiliter imprimi, vt posteà semper duret; est igitur talis vsus imaginum superstitiosus, quia non possunt reuera, vt causæ adhiberi, sed vt mera signa.

CAPVT SECVNDVM.

Vera sententia comprobatur.

SVMMARIVM.

1 *Imagines Astrologicæ sunt falsæ, superstitiosæ, & signa pacti Dæmonis.*
2 *Sanctorum Patrum testimonia, nec non sacræ scripturæ adducuntur, quibus ostenditur harum Imaginum vanitas.*
3 *Imagines Astronomicæ, & nigromanticæ in quo differunt.*
4 *Diuus Thomas de his Imaginibus quid senserit.*
5 *Imagines Astronomicæ, ratione formæ artificialis, habere quandam influentiam respectu mutationis, quæ fit in materia.*
6 *Ferrariensis impugnatur ex Diuo Thoma.*
7 *Forma, quæ imprimitur materiæ, an adhibeatur vt necessaria ex conformitate, & similitudine ad Astrum.*
8 *Ex materiei mutatione non potest consurgere dispositio sufficiens ad producendum talem effectum.*
9 *Diuus Thomas ad bonum sensum reducitur à Suarez.*
10 *Religiosus, qui his artificialibus vtitur imaginibus ad aliquos effectus extraordinarios, siue ipse illas efformauerit, siue illis fidem præstando deferat, est veneficus, & huius criminis reus.*

1 Astrologicas imagines esse falsas, superstitiosas, & signa pacti Dæmonis, certum est. Ita *Angelicus Doctor 2. 2. quæst. 96. art. 2. ad secundum, & lib. 4. contra gentes cap. 104. & 105. Pater Suarez tom. 1. de Religion. lib. 2. cap. 15. à nu. 18. Sanchez lib. 2. in oper. moral. cap. 40. num. 50. Lessius de iust. & iur. lib. 2. cap. 43. dub. 10. num. 63. & cap. 44. dub. 2. num. 12. Martin. del Rio lib. 3. magic. disquisit. cap. 3. quæst. 1. & cap. 4. quæst. 1. Valentia 2. 2. disp. 6. quæst. 13. punct. 2. Malder. tract. 10. de virtutib. Theologic. cap. 8. dub. 1. Ferr. contra gentes cap. 104. summistæ omnes. Angelus in verbo, superstitio num. 2.* & ibi *Syluester quæst. 10. dict. 2. Tabiena quæst. vltima, Armilla num. vlt. Simanch. de catholic. instit. tit. 63. n. 22. Vuierus lib. 4 de præstig. Dæmonū Mart. de Arles, Petrus de Loyer, & alij apud Martinum del Rio, vbi suprà.*

2 Hæc sententia eisdem rationibus ostenditur, qubus remanet impugnata ea *Caietani*, Et insuper sacræ diuinæque scripturæ, & sanctorum Patrum testimonijs probari euidenter potest; Nam in primis exodi cap. 20. id expressè interdicitur, ibi: *non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cęlo desuper, & in terra deorsum: non adorabis ea, neque coles.* Quæ verba *Simancas de catholich. instit. tit. 39. num. 22.* de his astronomicis imaginibus vsurpat: & Deuteronomij cap. 4. *Ne fortè eleuatis oculis ad cęlum videas solem, & lunam, & omnia astra cœli, & terrore deceptus adores ea.* Quæ verba his astronomicis imaginibus accommodare conatur *Franciscus Torreblanc. de iure spiritual. lib. 7. cap. 4. num. 24.* quatenus asserit, huiusmodi imagines, & Characteres ad Cœli posituram fabricari, esse veteri paganismi mapaliæ credentis, astra cœli omnia regere; ex quo illa in Deos venerauere. Vndè Hieronymus in cap. 10. vers. 2. *iuxta vias gentium nolite discere, & à signis Cęli nolite timere, quæ timent gentes; quia leges populorum vanæ sunt.* Tandem has astronomicas imagines abhorret atque detestatur Diuus Augustinus lib. 10. de ciuitate Dei cap. 11. his verbis: *quibusdam etiam obseruatis in Cęlo conuersionibus syderum, herbis, & lapidibus, & animantibus, & sonis certis, quibusdam vocibus, ac figurationibus.* Et paulò inferiùs addit, *totum hoc ad Dęmonis pertinere ludificationes.* Audiendus singulariter hic venit *Martinus de Arles de superstit. n. 24. in oceano iur. vol. 10.* vbi sic ait: Imagines astronomicæ, & nicromanticæ in hoc differunt; quòd in factura Nigromanticorū Imagines fiunt expressa inuocatione Dęmonis, & sic tales imagines pertinent ad expressa pacta cū Dęmonibus inita:

inita: sed in factura astronomorum, sunt tacita pacta cum Dęmonibus per quosdam Characteres, & figuras ab ipsis Dęmonibus adinuentas, ad quorum characterum factionem Dęmones facientibus suffragantur. Hæc ille ibi.

4 Sed dices: *Diuus Thomas 3. contra gentes capit. 105.* has astronomicas imagines videtur approbare. Inquit enim in fine illius capitis, quod dari possit forma artificialis in suis imaginibus, quæ vt talis est, possit habere rationem specialis influentiæ, & consequenter specialis virtutis: Igitur huiusmodi astronomicæ imagines non sunt pacta, seu signa pacti initi cum Dęmone.

5 Ad hanc obiectionem respondet Ferrariensis contra gentes dupliciter. Primò inquit, artificialem formam habere quidem specialis influētiæ rationem, & specialis uirtutis, non ratione sui, sed ratione mutationis, quæ fit in materia, quando illa imprimitur, quæ potest ad aliquam influentiam disponere.

6 Verùm hæc responsio displicet *P. Suarez*, in primis, quia accomodari non potest, ad Diui Thomæ doctrinam, neque ad rem de qua agimus. Nam Diuus Thomas ibi ex professò probat harum imaginum uanitatem, & superstitionem; Igitur hæc Ferrar. responsio ad eius doctrinam accommodari non potest. patet; quia eadem responsio dari posset de omnibus characteribus, qui in his imprimuntur imaginibus; nam etiam in illis sculpendis, uel imprimendis aliquam necesse est fieri in materia mutationem. Quòd si instes; quia per quoscunque characteres fieri posset similis mutatio in materia, illi autem characteres, ut tales, uel in tali numero, adhibentur ut necessarij, eadem ratione possumus de imaginibus urgere; quia mutatio materiei eadem fieret imprimendo aliam imaginem, & tamen hæc censetur necessaria: est ergo eadem ratio.

7 Atque hinc confutari potest euasio illa, quam in fine illius capitis addidit Diuus Thomas: primò, quia talis forma adhibetur ut necessaria in tali conformitate, & similitudine ad astrum; ergo signum est adhiberi ut artificialem formam per se, & non tantùm ob aliam mutationem, quæ fit in materia, ut asserit Ferrar. quando illa imprimitur: nam hæc fieri posset per aliam formam, uel sine ulla, illa cōprimendo materiam, aut densando, uel cauando, uel liquefaciendo illam priùs, & posteà infundendo. Nec enim in tali materia aliæ solent fieri mutationes, seu alterationes, & hæ possunt in illa fieri absque alicuius imaginis impressione: ut de se euidens est.

8 Secundò; quia nec ex parte huius mutationis consurgere in tali potest materia dispositio sufficiens: tum quia potest illa mutatio esse dumtaxat localis, diuidendo, aut separando aliquas illius materiei particulas ab alijs, per quam separationem non applicatur illa materia cœlo melius ad calorem recipiendum, uel lumen; sicut in terra motio eiusdem solet conferre ad cęli influentias melius recipiendas, uel ut calorem magis penetret, uel ut humiditas aquæ illam melius disponat, quod in proposito suffragare non potest: tum etiam quia licet sæpe dum imprimitur figura, aliqua fiat caloris alteratio; statim nihilominus transit. Vndè non potest esse dispositio ad perseuerantem influentiam, nec potest esse sola dispositio sufficiens in corpore tam denso, & terso, & natura sua à tali alieno virtute. Ponitur igitur superstitio, vanitas, & veneficium in imagine, & interdum fortassè tantùm requirent imaginem depictam, quæ sine materiei alteratione fieri potest. Ac proinde illa respon. Ferrar. & Diui Thomæ euasio nullius est momenti.

9 Melius igitur Diuum Thomam exponit doctissimus *Suarez*, quatenus inquit, D. Thomam ibi non curasse de exploranda ex professo illa euasione; tum quia per rationes factas priùs in eodem capite expugnanda erat; tum quia ex integro talium ritu imaginum satis conuincebatur, esse superstitiosas.

1 Ex his omnibus igitur colligitur, Religiosum his artificialibus vtentem imaginibus ad aliquos effectus extraordinarios, siue illas ipse efformauerit in quacunque materia, siue illis fidem prę stando, deferat, esse veneficum, & huius criminis reum, & eo magis si in aliqua corporis parte determinata deferat, vt sub planta dextri pedis, vel indefinito tempore, vt cùm aliquem alloquetur Principem, aut superiorem. Nam tunc colligitur expressè pactum Dęmonis; Etenim cum huiusmodi artificialia de se non possint hos extraordinarios habere effectus, quando istos sortiuntur tam respectu sanitatis, cuius ratione applicantur, quàm respectu amoris conciliandi; semper sunt signa, ad quorum præsentiam Dęmon operatur: iuxta modum, quo suprà explicauimus.

QVAESTIO SEXTA.

Vtrum sit Veneficus Religiosus ille, qui docet aliquas orationes recitandas, vt mortem euadat quis subitaneam, aut quòd in suis sit rebus fortunatus?

CAPVT PRIMVM.

Resoluitur breuiter Quæstio, & nonnullæ aliæ dubitationes hanc tangentes materiam explicantur.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus censendus est veneficus, qui docet aliquas orationes recitare, promittens eas recitantibus non decessuros morte subitanea, vel tale periculum euasuros, vel futuros benè fortunatos.*

2 *An collo portans aliquas orationes, quibus promittitur hominibus bene fore fortunatos, & huiusmodi; peccet? Et quomodo potest excusari.*

3 *An nomina, quæ collo gestantur, sint licita, & à superstitione libera.*

4 *Ligaturas in collo gestare, eisque vti, est superstitiosum; & quomodo.*
5 *Vsus recitandi ter versiculum*, dirupisti Domine vincula mea, *an, & quomodo sit licitus.*
6 *Colligens flores, herbas, fructus, & huiusmodi, aliquas recitans sacra verba ad aliquem effectum, quem naturaliter præstare non possunt, peccat.*

1 Religiosum de Veneficij vitio laborare, qui orationes aliquas docet recitare, promittẽs eas recitantibus non decessuros morte subita, vel tale periculum euasuros, vel futuros benè fortunatos, censendum esse; docent *Diuus Antoninus 2. p. tit. 12. cap. 1. §. 13. Syluester verbo, superstitio, quæsito 10. Tabiena verbo sors quæst. 7. num. 8. Armilla verbo, sortilegium num. 3. Lessius de iust. & iur. lib. 2. cap. 43. dub. 10. num. 63. Suarez tom. 1. de religion. lib. 2. cap. 15. num. 9. & nu. 10 Sanch. lib. 2. in oper. moral. cap. 40. num. 20. Sayr. in sua claui regia lib. 4. cap. 6. num. 8. Ciruelo de superstitione parte 3. cap 4. Filiarc. de officio sacerdotis tom. 1. parte 2. lib. 3. cap. 10. Emmanuel Rodriquez tom. 1. summæ cap. 7. num. 8. & alij.* Ratio esse potest, quia ex propria entitate, & natura, huiusmodi orationes nullam vim, & efficacitatem ad hos præstandos effectus habent; Igitur si aliquis istorum euenerit, erit quidem aut infallibiliter à Deo, quod esse nequit, ex rationibus suprà tactis, aut ex pacto Dæmonis saltem implicito; quod non est ambigendum.

2 Hoc autem intelligendum venit, quando hæc portans, aut orationes aliquas recitans, expectat hos euentus tanquam certos euenturos, ex vi & efficacitate verborum; secùs verò, si confidit in sanctorum illorum meritis, & precibus fore, vt præseruetur ab his malis. Tunc enim constans est, non laborare veneficij vitio: prout Authores omnes paulò superiùs allegati ostendunt.

3 Quæres primò; an ligaturæ, quæ collo gestantur, & vulgari vocabulo nomina vocantur, licitæ sint, & à superstitione ita liberæ, vt securè absque vllo scrupulo gestari possint? Respondeo, licitas esse, si nulla adsit vana circumstantia: v. g. vt sic, vel sic sint adscripta verba sacra in eis contenta, vel in vase talis figuræ, vel talis materiæ; tribuendo vim formæ, vel materiei; vel scripta in pergamena, carta virginea, vel tali tempore, vt oriente sole: vel alligata sint a tali persona, vt à virgine, vel tali modo, vt tot filijs, vel talibus. Item oportet vt nulla adsit figura præter crucis signum nullaque imago, præterquàm Christi, aut Sancti alicuius noti. Item vt nulla barbara, & incognita Dei, & Angelorum nomina scripta sint, nec aliud vanum, vel mendax. Quòd si ex istis aliquid defecerit, omnino sunt censenda vana, superstitiosa, & veneficia. Ita *Angelicus Doctor 2. 2. quæst. 96. art. 4. Antoninus 2. p. tit. 12. cap. 1. §. 13. Angelus verbo, superstitio n. 7. & ibi Syluester quæst. 10. dicto 4. Armilla verbo sortilegium num. 3. Tabiena verbo, sors quæsito 7. num. 8. Nauarrus in summa cap. 11. num. 85. Sanchez lib. 2. in oper. moral. cap. 40. num. 26. Suarez tom. 1. de Religion. lib. 2. cap. 15. num. 11. Sayr. in claui Regia lib. 4. cap. 6. num. 6. Ciruelo de superstit. parte 3. cap. 4. Martin. del Rio lib. 3. Magic. disquis. p. 2. quæst. 4. sect. 3.* & alij apud ipsum.

4 Hinc infero, alias ligaturas in collo gestare, eisue vti, quas vel vsus Ecclesiæ, vel probatorum medicorum ars non commendat, esse superstitiosum, & omnino prohibitum. Constat *ex cap. 1. 26. quæst. 5.* vbi philatterijs vtentes anathemate puniuntur: & cap. 4. clerici eis vtentes eijci ab Ecclesia iubentur: & cap. vltimo explicatur, quid per philatteria intelligatur, vbi *Diuus Isidorus*, cuius est ille textus, ait, ad hæc pertinere ligaturas execrabilium remediorum, quæ ars medica non commendat. Idem reprehendit *Diuus Augustinus tract. 7 in Ioannem & lib. 2. de doctrina Christiana cap. 20.* & refertur *in cap. illud 26. q. 2.* atque ita docent *Simanc. de cath. instit. tit. 63. num. 19. Diuus Antoninus loco, quo suprà, Sanchez, Martinus del Rio, & alij suprà citati.*

5 Quæres secundò, an licitus sit vsus recitandi ter versiculum *Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis*, Psalm. 115 Respondeo, si sano modo intelligatur, eo vti securè quis potest; prout docet *Cassiodorus*: Estque multis varijsque morbis efficax. Tamen est aduertendum, quod effectus non tribuatur ipsi ternæ repetitioni, sed vt deuotioni ter repetentis in honorem Sanctissimæ Trinitatis id Deus deferat. Ita *Pater Sanchez in opere morali cap. 40. num. 36. & Martin. del Rio lib. 3. disquisit. magic p. 2. quæst. 4. sect. 3. in fine.*

6 Ex quo infero, non esse licitum in floribus, herbis, fructibusuè colligendis, aut animantibus custodiendis vti certis verbis sacris, aut certas preces ad eam adhibere rem compositas, & accommodatas, quo ab eis morbi vitia, & quicquid aduersi, ac mali habent, auferantur: dummodò spes non collocetur in aliqua vanitate, aut in litteris, sillabis, aut nudis ipsis nominibus, sed in Deo. Ita colligitur *ex cap. non obseruetis 26. quæst. 7. & Diuo Thoma 2. 2. quæst. 96. art. 3. in corpore*, & ibi Thomistæ. Vbi dicunt, in hærbarum collectione nullas vanas obseruantias adhibendas, sed orationem Dominicam, & Symbolum recitanda. Et docet *Azorius tom. 1. lib. 1. Institut. moralium capit. 16. quæsito 7.* quem sequitur *Sanchez loco citato num. 33.*

CAPVT SECVNDVM.

Variæ Veneficij species.

SVMMARIVM.

1 *Veneficium hostile quid sit.*
2 *Religiosus, si ex Dæmonis pacto, tam implicito quam explicito, alteri noceret, esset huius peccati reseruati reus.*
2 *Fascinatio duplex, physica, & Dæmoniaca; & quid*

quid fascinatio vulgaris sit.
4 *Fascinatio naturalis quid sit.*
5 *Fascinatio Dęmoniaca describitur.*
6 *Fascinum vndè dicitur, & veneficium fascinationis quibus modis fieri contingit à veneficis.*
7 *Sterilitatis veneficium quid sit, & ad quid ordinatur.*
8 *Sterilitas quocunque modo procurata iure Canonico, & Cæsareo varijs pœnis punitur.*
9 *Præbens fœminis poculum sterilitatis, si mors sequatur, mortis pęna est plectendus; quas etiam pęnas consulens, & poculum conficiens incurrit.*
10 *Religiosus, qui fœminis medicamenta præbet, ne concipiant, & hominibus, ne generent, dicitur veneficus, & hunc peccatum incurrit reseruatum.*
11 *Taciturnitatis veneficium quid sit, & quibus causis adhibetur.*
12 *An verbis illis Diui Ioannis:* Quem quæritis? Ego sum, *vti licitè possit Reus in quæstionibus positus, ne delictum fateatur.*

1 AD perfectam venenosi maleficij, seu veneficij notitiam, necessarium est, saltem in vniuersum scire, quot, & quales sunt veneficij differentiæ. Hinc pro complemento huius materię duximus hìc aliquas enumerare species, seu differentias. Veneficium igitur, secundùm quod multis, varijsque fieri contingit modis, variæ quoque sunt eius species, aut differentiæ saltem ex modo, & obiecto desumptæ. Nam aliquando dicitur hostile, quia homini nocet in bonis animi, corporis, aut fortunæ. Huius autem generis variæ sunt species, quas consultò nunc omitto. Veneficium hostile dumtaxat modo accipio, quod maleficus, hostis more, sub aliquo determinato signo latens, maximum infert damnum; ut tradit doctissimus *P. Martinus del Rio lib. 3. magic. disquis. parte 1. quæst. 4.* Solent enim uenefici sub imaginibus uarijs modis manufactis, certisque incantationibus adhibitis hominem necare, uel alia inferre mala, atque damna, quæ profectò lædunt, non physica seu naturali ratione, sed ex pacto cum Demone concurrente, actione illa externa manifestata. Ita docent *Martin. del Rio, vbi suprà sect. 4 Maiol. tom. 2. collor 3. Zonaras tom. 3. Glycas in annal. p. 4. Petrus Gregorius tom. 3. Syntagm. lib. 34. cap. 11. à num. 4. Menoch. lib. 1. de arbitrar. Valle demour. de incantat. opusc. 1. sect. 2. capit. 1. num. 1. & Franciscus Villalpand. de magia lib. 2. capit. 39. & de iure spirituali lib. 12. capit. 5. per totum.*

2 Infero ex hoc; si aliquis Religiosus (quod Deus auertat) aliquo modo ex pacto tam implicito, quàm explicito alteri noceret, esse huius criminis reum, & incidere in hunc casum reseruatum.

3 Altera maleficij species dicitur fascinatio, quæ distinguitur in vulgarem, physicam & Dęmoniacam. Ita *D. Thomas 1. p. quæst. 117. Abulensis in Genesim cap. 21. Martin. del Rio lib. 3. magic. disquisit. quæst. 4. sect. 1. Raphael de la Torre tom. 2. de vitijs opposit. religion. quæst. 96. artic. 2. disputat. 6. Ioannes Malderus de Virtutib. Theologic. tract. 10. dub. 8. cap. 8.* Vulgaris fascinatio illa dicitur, quæ ex vulgi proficiscitur opinione, dùm putat visione ipsa, seu aspectu actiuo maleuoli homines fascinari; eò quòd aspiciant, vel laudent illum à quo sunt auersi animo, vel cui inuident: vt doctè ostendit *Mendoza in sacræ scripturæ viridariò lib. 4. problem.*

4 Physica verò, seu naturalis dicitur, quando anima alicuius vehementer affecta impressionem affert nocumenti; Nam ex animi perturbatione cor immutatur, & ex eo corpus coniunctum, ex quo ad oculos virus peruenit, vt ad partes subtiliores; & ex oculis aer proximus inficitur, & ex eo partes contiguæ: & sic ad partem aeris proximam illi, qui est inficiendus, venenum peruenit. Ita *Sanctus Thomas, vbi suprà art. 3. & lib. 3. contra gentes cap. 103. & de malefic. quæst. 16. art. 9. Ber. Bassin. de artib. magic. prop. 8. Perez de lara in compendio vitæ homin. cap. 1. num. 26. Torreblanc. lib. 2. de magia cap. 33. num. 43. & alij apud ipsum.* Quomodo autem hoc sit possibile, ostendit ibi, ex medicinæ Doctoribus.

5 His omissis; Tertia fascinatio dęmoniaca, de qua agimus, est illa, quæ pendet ex Dæmonis maleficio, qui malefico ex pacto nocere volẽti cooperatur. Nam nefarij isti homines cum Dæmone pacisci solent, vt quos liuidè, vel iracundè aspexerint, ijs perniciem inferat ipse *Dæmon.* Ita *Sanctus Thomas, & Abulensis, vbi suprà, Sprenger in malleo parte 1. quæst. 2. & p. 2. quæst. 1. cap. 11. Malder. loco citato, Martin. del Rio lib. 3. magic. disquis. p. 1. q. 4. sect. 1. P. Suarez tom. 1. Methaphysices disput. 18. sect. 8. & alij.*

6 Quæres, quidnam sit propriè demoniaca fascinatio? Respondeo, fascinum dici à fando; esseq; quoddam incantationis genus, quo homines ita ligantur, vt liberi esse non possint, nec mente compotes, sæpèque ad extremum magiæ deueniunt. Ita *Vayrus lib. 1. de fascinatione.* Tribus itaque modis potest fieri hoc veneficium fascinationis: primo, tactu, afflatu, vel osculo: & eo venefici solent esse causa puerperis abortiendi, Summo cum vitæ periculo: vt multis exemplis probant *Remigius lib. 2. de moualat. cap. 7. & Campanilis diuersor. iur. Rubr. 11. cap. 26. num. 100.* Secundò, verbis; Nam solent venefici huiusmodi aliquando murmura, carmina, seu incantationes immiscere. Quæ susurra vocat Imperator *§. item lex Cornelia instit. de public. iudic. venena.* Nam ibi *Glossa* susurra, vertit incantationes. Et veneni nomen pro incantatione accipit *Plato lib. de legibus & Porphyr. de sacrif. lib. 2.* Tertiò, herbis, & fructibus, & hoc tertio genere vti solent Religiosi, applicando id ad certum petitionis genus; quod si aliquis religiosus (quod Deus non permittat) effecerit, id peccati genus certò committet.

7 Aliud dicitur sterilitatis veneficium, quod propriè ad fœminas dirigitur; Quamquam ex genere suo viris, fœminisq; sit commune. Fit autem hoc veneficium multis modis, de quibus consulendus est *Torreblanc. de iure spiritual. lib. 12. cap. 12.*

per totum. Et quia non solùm causis naturalibus, sed etiam ex causis extraordinarijs induci potest, nimirum à malefico ex pacto, & ope Dæmonis, vt probãt *Doctores in cap. aliquando 32. quæst. 2. & Diuus Thomas in 4. sentent. quæst. 1. art. 2. Sprenger in Malleo par. 1. quæst. 8.* & certè id potest dæmon, causis naturalibus, quæ suapte natura hunc præstant effectum, vtendo, tam in ossibus, quàm in carnositate; & ita pars corporis ab eo comprimi, vt à viro etiam mulier cognosci nequeat; vt rectè docent *Sanchez lib. 2. de matrim. quæst. 21. nu. 3.* & alij, quos ipse citat, & sequitur.

8 Hinc aduerto, quod sterilitas nullo modo procurari potest, non solùm ex pacto cum Dæmone, verùm neque ex causis naturalibus; quia sub grauissimis pœnis id interdicitur in *cap. aliquando 32. quæst. 2.* & in Extrauag. Innocentij Octaui, quę incipit, *Summis desiderantes*, & in Sixti Quinti extrauag. *Cęli, & Terræ*, Doctores *in l. si quis aliquid, §. abortion. ff. de pęn.* Vnde idem Sixtus Quintus extendit in sua Cõstitutione 87. ad malefici mortem, ibi, *Qui venenis, potionibus, ac maleficijs sterilitatem inducunt, aut ne concipiant, nec pariant, maleficis medicamentis impediunt; maleficos, dicit Dominus ad Moysen, non patiaris viuere*.

9 Insuper aduerto; quòd qui fœminis sterilitatis poculum præbent, vt non concipiant, aut hominibus ne generent: si mors sequatur, mortis pœna est intelligenda: etiam id extende ad petentem, consulentem, & poculum conficientem. Ita colligo ex *l. si quis aliquid, §. qui abortionis*, vbi cõmuniter Doctores vtriusque Iuris, *ff. de pęnis, Antonius Gomez variarum 3. cap. 3. nu. 7. Gratian. discept. forens. cap. 72. num. 17. Iulius Clarus §. fin. quæst. 68. Augustinus Barbosa de off. & potest. Episcopi, alleg. 51. num. 142.* ex Theologis *Molina de iust. & iure tract. 3. disp. 27. num. 7. Martin. del Rio lib. 5. magic. disquit. sect. 16.*

10 Hinc infero, veneficij peccatum committere Religiosum qui præbet fœminis medicamenta, ne concipiant; virisque, ne generent. Ita noster *Corduba in summa quæst. 173. & lib. 1. sui quæstionarij quæst. 38. dub. 3. Lopez par. 1. instit. cap. 63. Aragon. 2. 2. quæst. 64. art. 7. Sanchez de matrim. lib. 9. disp. 20. num. 15.*

11 Multæ aliæ sunt Veneficij species, vt conceptionis, difficilis partus, inducentis somnia, & alia huiusmodi; quas modò omitto, quia ad rem nostram pertinere non videntur; eò quòd rarò accidere possint Religiosis viris. Solùm de veneficio taciturnitatis, & insensationis pauca hìc his connectere voluimus. Taciturnitatis, & insensationis maleficium est, quo datur hominibus, qui torquendi sunt, per potum, vel esum, vel capillis irretitur, vel scapulis imprimitur, vel inter carnẽ, & cutem absconditur, ne tormenta sentiant, vel in eis quidquam pronuntient. Huius autem causa multiplex assignari solet: nam vel tacent, quia non sentiunt dolorem; vel quia loqui non possunt, quamuis sentiant; vel quia nec sentiunt, nec loqui possunt, vt quando profundo quis opprimitur somno: vel quia licèt sentiant, & loqui valeant, constanter nihilominus tormenta tolerant, vel obstinato animo, cruciatum, interrogationesque omnes contemnunt; & etiam renitentes, ridentesque, simul cuncta perferunt supplicia. Ita Inquisitores *German. in Mall. par. 3. quæst. 14. Petrus Binspheld. in confess. malef. & in l. multi, Cod. de malefic. & mathem.* ope Dæmonis hæc præstant uenefici. Quonam autem pacto à Dæmone fieri possint, ex multis ostendit *Franciscus Villalpand. de iure spirit. lib. 12. cap. 20. per totum.* Vt non sentiant, solet Dœmon efficere per quædam naturalem vim obstupefaciendi sensus habentia; quibus fit, vt minimè sentiant dolorem, uel leuior, atque tolerabilior uideatur: Quia aliquo crassiori humore obstruit neruorum uiam, ne spiritus ad organum perueniant, uel alia ratione uim sentiendi habeant. Vel licèt sentiant, tamen nõ possunt; quia eis silentium inducit occupatione corporea maleficij, præclusis illis interius faucibus, & ore, ea moderatione, ne prætocentur, loqui tamen nequeant: interdum etiam organo auditus sic obstruso, ut Iudicis uoces, interrogationesq; non exaudiant; ut multis exemplis confirmat *Nicolaus Remigius li. 3. de Monolo. 8. & 9.* Docere au-
12 tem solent hos homines nonnulla sacrę Scripturæ verba, nimirum illa Ioannis; *Quem quæritis? Ego sum*, & illa; *Consummatum est*, aliqui Religiosi, credentes, illa eam ex ui, & natura uerborum efficacitatem, atque uirtutem habere ad tacendum, & ne cruciatus sentiantur. Quòd si id credant: certò maleficij uitio laborant, inciduntque in hoc reseruatum crimen ueneficij.

DISPVTATIO SECVNDA.

De alia primi Casus particula, seu voce nimirum, Incantationes.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum incantatio aliquam habeat virtutem naturalem ad aliquid impetrandum, sciendum, vel operandum?

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Incantatio.

SVMMARIVM.

1 *Incantatio est maleficij, & sortilegij species.*
2 *Incantatio quid sit.*
3 *Incantatio semper Dęmonis continet inuocationem.*
4 *Dæmonis inuocatio duplex, expressa, & tacita.*
5 *Dæmon cur his vanis inuocationibus se immiscet.*
6 *Dæmonum inuocatores, etiam si non intendunt Dæmonis*

monis opem implorare, peccant, & quare.

7 *Potest quis nolle habere pactum cum Dæmone formaliter, & velle illud virtualiter.*

8 *Ad tacitam Dæmonis inuocationem satis est, vt quispiam vanis vtatur ad effectum aliquam rem adipiscendi.*

9 *Religiosus, qui incantationes facit, vel fieri procurat, ad inueniendum furta, & huiusmodi, incurrit hunc casum reseruatum; & eò magis si rebus sacris ad id abutatur.*

10 *Religiosus in hunc casum incidit reseruatum, qui Incantatores adit, vt ab eis aliquid sibi innotescat.*

11 *Incantatio est peccatum Idolatriæ.*

12 *Religiosus hunc casum incurrit, qui incantatorum scienter vtitur verbis.*

13 *Aliqui Religiosi magicis orationibus vti solent ad amorem mulieres allicientibus.*

1 INcantatio est quædam sortilegij, seu maleficij species, *cap. sortes 26. quæst. 5. & cap. 89. Concil. Carthaginens. 4. & cap. non oportet, cap. si quis eadem 26. quæst. 5.* Definiri autem potest sic. Incantatio

2 est oratio, vel deprecatio solemnibus verbis concepta, quæ ad Dæmonem dirigitur. Ita colligitur ex *cap. igitur 26. quæst. 3.* ibi; *Incantatores sunt, qui suam artem peragunt verbis*, & ex Diuo *Hieronymo in cap. 2. Daniel.* ubi ait; *Magi sunt, qui verbis rem peragunt.* Ita *Portel. in dub. Regular. verbo, Incantatio, & Sayr. in sua Claui Regia lib. 4. cap 7.* Hîc quã

3 maximè aduertendum esse, doceo, pro huius diffinitionis intellectu; incantationem, quatenus incantatio est, semper Dæmonis inuocationem continere, saltem tacitam; ut eleganter adnotauere Diuus *Ambros. in Exameron. lib. 4. cap. 8. & Abdias de vita Apostolor.* Etenim incantatores quasdam habent orationes, seu preces, quibus conceptis uerbis Dæmones inuocant.

4 Hæc autem Dæmonis inuocatio duplici modo fieri solet, *expressè*, uel *tacitè*. Expressè inuocatur Dæmon, ut occulta doceat. Ita *Angelicus Doctor 1. 2. quæst. 35. art. 2. & 3. Sayrus lib. 4. in sua Claui reg. cap. 4. num. 5. Caietan. 2. 2. quæst. 95. art. 2. & art. 3. Nauarrus cap. 11. Hispana num. 22. Latina num. 25. Valentia 2. 2 disput. 6. quæst. 12. puncto 2. in principio, & puncto 4. P. Suarez tom. 1. de relig. lib. 2. cap. 9. à num. 9. vsque ad finem, Sanchez in opere morali lib. 2. cap. 4. num. 3. Martin. del Rio lib. 4. disquisit. magic. cap. 2. quæst. 5.* & alij apud *Sanchez*. Expressè si quidem, quando expressis uerbis inuocatur Dæmon; cum eoue pactum initur, aut ipsomet facto, fiunt ea, quæ incantator quærit; Si uidelicet quis sciens, Dæmonem per aliquod signum occulta docere, illud ea docẽdus usurpet. Tacitè autem, & implicitè Dæmon inuocatur, quando quis cognitionem soli Deo reseruatam, medijs uanis, & indebitis procurat. Nam quamuis præter eius intentionem sit Dæmonem inuocare, eo ipso, quòd hæc media uana intẽtat, quibus libentissimè Dæmon se permiscet, uult à Dæmone inuentore uano edoceri. Quod optimè Suarez explicat: quippe intendens, uanis medijs scire humanam superantia cognitionem, id non curat uia inuentionis, eò quòd inepta ei inuentionis media sint; Quærit ergo uia disciplinæ: Atqui magister illius non est Deus per se, uel per bonos Angelos, ut pote qui his uanis non intendit, nec præsumitur reuelatio diuina; nec etiã est alius homo, cùm humanam superet cognitionem ijs improportionatis medijs eam habere scientiam; Ergo magister est Dæmon. Quòd si doctrina illa per modum alicuius artis in aliquibus libris tradita inuenitur à Dæmone per aliquẽ eius Ministrum, & subinde à Dæmone discitur; certè ideò ex pacto implicito dæmon inuocatur.

5 Hinc infertur, Dæmonem his uanis se immiscere, etiam ignorante exercente illa, & proinde præter eius expressam intentionem; ut fallat, suadeatque in his uanis fiduciam collocandam; ut tradunt *D. August. 2. super Genesim ad litteram, D. Thomas 2. 2 qu. 95. art. 5. ad secundum, Caietanus ibidem, & in summa verbo, incantatio, in principio, Victoria relect. de mag. quæst. 6. num. 28. Simanc. de Cath. institut. tit. 63. nu. 13. P. Suarez vbi supra, n. 13. & 14. & Sanchez loco citato.*

6 Dices, hos inuocatores non intendere Dæmonis opem implorare, aut in eis sperare. Respondeo, hoc non obstare; quia satis est ad hanc tacitam Dæmonis inuocationem, his uanis uti medijs ad ea cognoscenda, quæ uim superant humanam. Cùm enim ea uana secundum solam secretam Dæmonis opem ad id conferant; eò ipso quod quis his uacat ad eam parandam cognitionem, affectat tacitè, & uirtualiter, uelle se eam Dæmonis opem; ut eleganter docuere *Caietanus, Suarez, Sanchez, & Simanch. locis citatis.*

7 His addit, & optimè P. *Suarez vbi suprà, n. 17.* interdum per crassam ignorantiam, seu inaduertentiam hominem uelle contraria; Vnum in se, & formaliter; aliud in alio, & virtute; & sic inquit contingere in hoc casu. Quamuis enim vtens his vanis dicat explicitè, se nolle pactum, nec dæmonis inuocationem, vult tamen illa implicitè; & quamuis nolit expressam inuocationem, seu expressum pactum, de facto illam vult tacitam, tacitumque pactum; eò quòd illis medijs vti vult ex se inutibilibus, & vanis ad eam rem, quasi illa vtilia sint, cùm tamen vtilitatẽ habere nequeant, nisi Dæmonis interuentu. Nec refert, ait, si illa vtilia credat propter experientiam; nam hoc ipsum similiter est credere, ea ex eo dæmonis interuentu, & auxilio habere vtilitatem: Cùm Dæmon eas experientias procuret, vt eis homines decepti credant, ea esse vtilia, & eis vtantur ad similes comparandos effectus.

8 Quæ vt melius percipias, doceo, Dæmonis inuocatio vt tacita censeatur, non exigi, Dæmonem cum aliquo pactum inijsse sese immiscendi cum ijs vanis à quocunque adhibitis, verbisque à quouis dictis, ac concurrendi ad effectum intẽtum; Sed satis esse, quempiam vanis vti ad effectũ adipiscendũ: Quippe quia eo ipso Dæmon vanitatibus illis se immiscet: atque ita Doctores allegati hanc immixtionem Dæmonis tacitam vocant inuocationem, & pactum similiter tacitum

9 Hinc

9 Hinc deducitur peccare Religiosum, qui incātationes facit, vel fieri procurat ad inueniendum furta, vel amissa, vel ad aliquid faciendum, vel ad recupetandam sanitatem; & grauius peccat, si id cum rebus sacris, vel sacramentalibus faciat, aut fieri consentit; v. g. cum Aqua benedicta, Oleo sancto, Oliuarum folijs benedictis, aut Palmarū, Cereo quoque Paschali, aut Candelis similiter benedictis, &c. Quod peccatum existimo reseruatum non solùm ex parte Religiosi id faciētis, quod de se constans est; sed & ex parte Religiosi, qui id fieri procurat. Ita colligo *ex cap. si quis ariolos, & cap. qui Diuinationes expetunt, & cap. nō oportet, & cap si quis clericus monachus 26. q. 5.*

10 Eodem modo Religiosi in hoc reseruatū crimen incidunt, qui percontantur illos incantatores, qui vulgò, *Zingari*, in Italia vocantur, in Hispania verò, *Xittani*, de fortuna sua, animo credendi id, quod ipsi dixerint: Secùs verò ex curiositate, seu animo ridendi, si alia intrinseca non concurrat circumstantia: Nam tunc esse potest lethale peccatum, quamquam non reseruatum; vt si adsit scandalum, aut si esset persona talis cōditionis, quòd ex eius interrogatione alij grauiter offendantur. Ita *Thyliarcus de officio Sacerdotis par. 2. lib. 3. cap. 12. Sayr. in Claui Regia lib. 4. cap. 7. num.* 8.

11 Quæres; Quale peccatum est incantatio? Respondeo, esse idolatriam; Nam quando per incātationem expresse Dæmon inuocatur, cultum diuinum soli Deo debitum miserrimæ deferunt
12 incantatores Creaturæ. Idem etiam dicendum est, quando tacitè, sed scienter Dæmon inuocatur: vt quando quis sciens, & prudens vtitur verbis incantatorum, siue ea acceperit traditione maiorum, iure quasi hæreditario; siue ab ipsis incantatoribus didicerit; siue ex ipsorum libris, vel sermonibus hauserit: Nam huiusmodi censendus est velle summum honorem Deo debitum, aut Sanctis, Dæmoni tribuere, quatenus per preces, seu orationes Dæmonem inuocat hostem Dei; cum eoue init societatem.

13 Multæ sunt orationes Magicæ, seu incantatoriæ, quibus nonnulli vtuntur Religiosi ad amorem allicientes mulieres; (Quarum innumeræ ad nostras peruenerunt manus, cùm pœnitentiarij Sanctissimi Domini Papæ Romæ apud Lateranū fungeremur officio, quas Eminentissimo Domino Cardinali Burghesio Summo Pœnitentiario, iuxta eiusdem pœnitentiariæ Regulas, consignauimus) nescientes pactum implicitum has continere, & consequenter Dæmonis inuocationem. Aduertant quam maximè Confessores, quando horum excipiunt confessiones: & sciant grauissima esse hæc crimina, & reseruata; vt opportuna adhibeant remedia: & quandoque hæresim continere.

CAPVT SECVNDVM.

Vim nullam naturalem incantationis formulas habere, ex Doctoribus ostenditur.

SVMMARIVM.

1 *Formulas incantationum aliquam habere virtutem ad aliquid impetrandum, vel operandum, qui docuere.*
2 *Orationes incantatoriæ nullam vim habent naturalem.*
3 *Medici affirmant, quamplures formulas incantationum nullam habere virtutem inducendi sanitatem.*
4 *Incantationes, vt signa adhibita aliquid operantur, non verò ex natura sua.*
5 *A quo aliquam virtutem accipere possunt incantationis formulæ.*
6 *De fide tenendum est, incantationes nullos posse ex sua natura, & entitate operari effectus.*

1 IN Incantationum formulis, seu verbis quandam inesse naturalem virtutem, seu efficacitatem ad aliquid impetrandum, vel operandum, sibi persuasit *AleKindus lib. de effectu, & proiectu radiorum*: quatenus opinatur, ab ipsis verbis, atque desiderio, dum Deum deprecamur, deriuari quosdam radios, qui in nobis naturaliter efficiūt, quòd optamus. Verùm hanc sententiam reijcit *Nicolaus Eymericus in director. inquis. par. 2. quæst. 4. & Franciscus Picus Mirand. lib. 7. prænot. cap. 6.*

2 Tenendum igitur est, nullas orationes incantatorias vim habere naturalem (siue voce prolatas, siue litteris comprehensas, siue versus, aut prosa relatas; siue significatiuas, siue non significatiuas; siue hebreæ, siue alterius linguæ; siue dictas cum sibilo, aut afflatu, siue aliter quomodocunque absente, vel præsente ægro) sanandi vulnera, aut morbos, aut alios effectus, tam visibiles, quàm inuisibiles operandi. Hanc assertionem in vniuersum docuere in primis Theologi *S. Thomas 2. 2. quæst. 96. art. 4. vbi Caietanus, P. Suarez tom 1. de religion. lib. 2. cap. 15. num. 2. Sanchez in oper. moral. lib. 2. cap. 40. num. 44. Lessius de instit. & iure cap. 43. lib. 2. dub. 10. num. 63. Stephanus Bubalus in primam partem D. Thomæ quæst. 50. art. 1. quæst. 2. disp. 2. §. 4. Azorius tom. 1. lib. 9. instit. moral. cap. 23. Pereyr. lib. 1. de Magia cap. 4. Lorinus tom. 2. in psal. 57. vers. 7. Vera Crux lib. 2. de anima specut. 7. Petrus Ciruelo de superstit. par. 3. cap. 3. Victoria relect. de magia nu. 34. Martin del Rio lib. 1. disquisit. magicar. cap. 4. 3. 9. & lib. 3. par. 2. q. 4. sect. 3. & 7. Rodriquez in summa tom. 1. cap. 7. concl. 11. Rosella, Tabiena, Syluester, Vega, & alij Summistæ in verbo, incantatio.* Ex Iuristis eam probant *Martinus de Arles tract. de superstit. num. 9. in Oceano Iuris tom. 1. Simanch. de Catholic. institut. titul. 63. num. 33. Grilland. de sortilegijs quæst. 6. num. 18. Nauarrus in manuali cap. 11. num. 34. Grassius lib. 2. decis. cap. 3. num. 7. & cap. 5. num. 1. Zerola in praxi episcop. tom. 1. quæst. 20. num. 85. Llamas in method. cap. 3. §. 1. Maiol. tom. 1. colloq. 3. Campanil. in* diuer-

diuersor. iur. Canon. rub. 11. *cap.* 26. *num.* 94.

3 Ex Medicis non desunt, qui hanc veritatem, quam tanquam de fide proponimus sequendam, fatentur. *Hyppocrates lib. de sacro morbo, Galen. lib. 6. & primo simplic. Geropius in Hermathena lib.* 1. *Fernelius lib.* 2. *de abditis rerum causis cap.* 26. *Horat. Augerius lib.* 2. *cap.* 7. *Andr. Laurentius lib.* 1. *de virtute Regis Galliæ cap.* 3. *Andre. Cæsalpinus lib. de inuestig. dæmon. cap.* 22. *Ioannes Baptista Codrõch. lib.* 2. *de verbis venefic. cap.* 3. *Petrus Forestus, tom.* 1. *obseruat. lib.* 15. *Leonardus Vayrus lib.* 2. *de fascinat. cap.* 11. & alij quamplures apud *Franciscum Torreblanc. lib.* 11. *de iure spirituali cap.* 10. *num.* 30.

4 Nostra autem assertio non solùm in tot, tantorumq, auctoritate Doctorum fundatur, verum etiam in rationibus: Nam si incantationes ex vi verborum aliquam haberent virtutem hos mirabiles effectus operandi, esset profectò aut artificialis, aut naturalis, aut supernaturalis; atque à nullo est istorum; igitur nullam habent virtutem operandi tales extraordinarios effectus. Maior, & consequentia sunt notæ: Minor quoad primam partem patet ex his, quæ in præcedenti quæstione docuimus. Nam cùm formulæ illæ incantationum transeant ex sua natura, nequeunt operari aliquem effectum, nisi sint signa, ad quorum præsentiam alius aliquis ab homine operatur, nimirum Dæmon ex pacto inuocatus. Nec naturalis, eò quòd effectus à natura non producitur, nisi motu, vel mutatione; Igitur vt sanitas, vel aliquis alius effectus fiat, necessaria est mutatio, quæ non contingit sine qualitatis actiuorum virtute: Actiuæ qualitates ad operandum exigunt subiectum aptum, & ad agendum præparatum: Formulæ autem incantationum ex propria natura hæc nequeunt præstare; igitur non habent naturalem virtutem hos extraordinarios effectus operandi. Quoad tertiam verò partem patet; quia si foret supernaturalis, esset aut gratiæ, aut miraculi: hoc autem dici nequit; tum quia Deus nihil tale promisit, nec suæ reuelauit aliquando Ecclesiæ: tum quia Deus non iuuat magicas incantationes; Nec in Beelzebub sic operatur, ne gloriam illi suam ea mensura communicet, qua solet Angelis, & Beatis; igitur &c.

5 Præterea illæ incantatoriæ orationes nullam vim habent naturalem: quia si scriptæ sunt, cùm quid mortuum sint, & omnis energiæ expertes, quam virtutem continere possunt? nullam profectò, vt de se euidens est: quæ si quam habent, ab atramenti, vel chartæ, cui scriptæ sunt, temperamento vim illam accipiant oportet: & consequenter non sua propria vi, atque virtute operantur. Ore verò prolata verba vim dumtaxat habent contactu aeris faciendi veluti animalium, ceterorumq; inanimatorum sonum: atqui sonus tactum non magis immutare potest, quàm color auditũ, vel dulcedo visum, quæ horum sensuum non sunt obiecta; vt benè argumentatur *del Rius lib.* 1. *de magic. disquis. cap.* 4. *quæst.* 3. igitur cũ ad effectus huiusmodi extraordinarios, præsertim sanitatem, operandum necesse sit sensum tactus immutari; fateri oportet, morborum sanationẽ, reliquorumque effectuum operationem fieri nõ posse per solam verborum prolationem, atque inscriptionem.

6 Confirmatur; nam Magi ephesyni, qui Dæmones verbis pellebant, id ex pacto, simultaq; coactione faciebant; non verò ex verborum naturali virtute; testatur Plutarcus, quia nulla inerat in illis incantationibus vis, aut efficacia; vt testatur *Seneca lib.* 4. *naturalib. qq.* nisi quatenus signa sunt pacti, Quibus Dæmon constituit se adiuturum; igitur incantationum verba nullam vim operandi habent. Ita D. *Augustinus lib.* 2. *de doctrina Christiana, Lactantius lib.* 2. *cap.* 14. & 16. *D. Cyprianus lib. de Idolatr. cap.* 16. *Abulens. in Leuit. cap.* 19. *qu.* 19. & *in Exod.* 20. *quæst.* 1. & 8. & *in Paralip.* 2. *cap.* 14. *quæst.* 12. *Holcot. in Sapient. lect.* 189. *Ciruelo de superstitionibus par.* 3. *cap.* 12.

Ex his omnibus euidẽter colligitur, de fide esse tenendum, incantationes nullos posse habere effectus ex sua natura, & entitate, nisi ex pacto cũ Dæmone sortiantur. Ita *Martin. del Rio lib.* 3. *magic. disquis. par.* 2. *quæst.* 4. *sect.* 8. *P. Suarez, & Sanchez, vbi suprà.*

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum Religiosus arti notoriæ dans operam, censendus sit incantator, illabaturquè in primum hunc casum reseruatum?

CAPVT PRIMVM.

Quid sit ars notoria, & in quas species diuidatur, & an sit verè Magia incantatoria?

SVMMARIVM.

1 *Ars notoria quid sit.*
2 *Artis notoriæ duæ sunt species; & quæ illæ sint.*
3 *Describitur methodus, quo ars notoria adipiscitur.*
4 *Insipienter hæc ars Salomoni adscribitur.*
5 *Ars notoria quo ad vtramque speciem est Diaboli impostura.*
6 *Ars notoria est species incantationis, & Magiæ.*
7 *Ars notoria est quammaximè à Christiano fugienda, liberaturque* Diuus Thomas *ab impostura huius Artis.*
8 *Duo peccata in Diuinatione committuntur.*
9 *Ars notoria est à Dæmone, etiam si ab eo expressè non intendatur.*

1 ANgelicus Doctor 2.2. *quæst* 96. *art.* 1. quandam esse artem ab hominibus inuentam, quam Notoriam vocant, (cur verò ita vocetur, Authores non dicunt) edocet. Solet autem diffiniri, vt sit ars, quæ sine magistro, aut studio, diuinarum omnium, & humanarum cognitionem breuissimo temporis spatio pollicetur; ad similitudinem scientiæ Diuinæ, quæ Adamo, Salomoni, Paulo, Apostolis, & Prophetis elargita est. Hæc autem adipiscitur per nõnullas obseruantias, & per quędam ieiunia, & orationes ad Deum, figurarumq; inspectiones, & ignotorum verborum prolationem. Ita Diuus *Thomas, vbi suprà, in corpore articuli, &*

li, & in primo argumento, P. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 15. num. 4. Sanchez in oper. moral. lib. 2. cap. 40. num. 30. Sayrus in sua Claui Regia lib. 4. c. 6. num. 3. Maldærus de virtutib. Theologic. tractat. 10. cap. 7. dub. 10. Benedict. Perer de Magia lib. 2. c. 10. Martin. del Rio lib. 1. magic. disquis. cap. 4. quæst. 3. & lib. 3. par. 2. quæst. 4. sect. 2. Petrus Ciruelo de superstit. par. 3. cap. 1. & alijs, quos citat *Franciscus Torreblanc. de iure spiritual. lib. 11. cap. 9. num. 1.*

2 Huius artis duas inuenio species, obscuram vnam, quæ per viam fit eleuationis, transitus, raptus, vel extasis, quam ad Diui Pauli imitationem confingunt, cui in simili raptu diuina scientia infusa est, *epist. 2. ad Corinth. cap. 12.* & ideò Paulinā vocant: Alteram claram, quam spirituum vocāt, eò quòd fieri existimant visibili Angeli forma corporea colloquentis, vel in somnis apparentis, vt Regi Salomoni *3. Reg. cap. 3.* nam Diabolus conatur in his diuinam imitari virtutem, quæ sic testatur apud *Lucam cap. 21. Ego dabo vobis os, & sapientiam.* Ita *Delrius dict. lib. 3. par. 2. quæst. 4. sect. 2.*

3 Methodus autem communior, quo hæc adipiscitur ars, est huiusmodi. Principio iubent discipulum generali confessione totius vitæ maculas eluere, & frequenter communicari, & quandocunque in peccatum aliquod incident, eodem statim die confiteri, indicta per Ecclesiam ieiunia diligenter obseruare, & insuper addere spontaneos dies alios, præsertim quamlibet feriā sextam qua non nisi aqua, & pane vti liceat; quotidie septem psalmos, & certas quasdam preces offerre; atq; hæc omnia per septem septimanas ad vnguem obseruare, & intereà ab omni negotiorum sæculi tumultu, ac cogitatione hominum abstinere se prorsus debere. Quibus peractis, libellis alias quasdam precum concipiendarū formulas præscribit tunc recitandas, & certas figuras exhibet tunc adorandas. Præfingit etiam certas horas, quibus preces istę, & adorationes obeundæ, nempe septem primos Nouilunij dies, ipso Sole quotidie exoriente, ritibus hisce per tria nouilunia, ter peractis, debere hominem sibi præeligere diem aliquem, qui sit magis deuotus, & inspirationi recipiendæ magis accommodatus: tum hora tertia debere solum se sistere in templo, vel oratorio quopiam, vel in medio agri cuiuspiam, flexis in solo genibus, manibus, oculisque in cœlum subleuatis, ter primum versiculum hymni, *Veni sancte Spiritus*, pronunciare: quod cùm fecerit, repetente non minus, quàm Psalmum Prophetæ, ac Apostoli omni scientia impletum iri: Adeò, vt obstupescat ipsemet tam subita mutatione sui, quasi in Angelum, vel hominem alium migrasse. Hactenus *Martinus del Rio lib. 3. disquis. magic. quæst. 4. sect. 2.*

4 His doctus iste Author aliqua in hunc modū cōnectit. *Habetis mysteria omnia huius artis; in quibus quid peius, mirer, stoliditatē hos ritus adscribentiū Salomoni? scilicet, norat ille vel feriam sextam, vel nonam, exomologesim, vel Eucharistiæ sumptionem, vel Hymnum,* Veni sancte Spiritus? *An verò potius mirer Blasphemiam, tale quid de Salomone, Prophetis, Apostolis insinuantem? An sacrilegam audaciam rebus sanctissimis per summam hypocrasim sic abutentem? Nam hunc cultum, & totum hoc ad orationis patagium exhibent Diabolo, sacras illi preces, & Ecclesiæ sacramenta offerentes, cui initiantur. Profligati homines corpus, animumque simul periculo exitij manifesti exponunt. Etenim testatur Ciruelus lib. de superstit. par. 3. cap. 1. multos huic arti vacantes vitæ vtriusque iacturam subiisse: quosdam enim sibi notos à Diabolo in aerem sublatos per turbinem, terra vndique raptos, & ita afflictos, vt toto vitæ tempore incurabili ægritudine laborarint. Fuisse hoc misericordiæ diuinæ documentum, volentis illos sceleris in hac vita tam atroces pęnas pendere.* Hæc ille ibi.

5 Sed vtriusque artis species nihil aliud est, quā mera inuentio, ac Diaboli impostura, vt adnotauit *Martinus del Rio loco quo suprà, & Torreblanc. de iure spirituali lib. 11. cap. 9. & de magia lib. 1. cap. 14. num. 2.* & quamuis ita sit, dubitare nihilominus videtur *D. Thomas loco, quo suprà*, an huiusmodi ars ad hoc superstitionis genus, nimirum incantationis pertineat? Nam in fine corporis asserit, in arte notoria non quęri scientiam per magisterium Dæmonis loquentis cum homine, ad eum modum, quo vnus homo alium docet; & in solutione ad tertium ait, *in arte notoria non interuenire societatem initam cum Dæmone.* Addit etiam ibidem D. Thomas, artem illam esse inefficacem. Vbi Caietanus aduertit, ideò dici inefficacem, quia eius finis est scientiam per infusionem consequi: ergo ideò quæri scientiam: vt in primo etiā argumento Diuus *Thomas* obijcit, & in solutione non negat, sed dicit quærere illam modo indebito, & in hoc consistere eius malitiam. Videtur ergo malitia hæc non pertinere ad incantationem, sed vel ad tentationem Dei, quia ab eo petitur miraculum, seu opus supernaturale sine causa, vel necessitate; vel etiam ad cultum indiscretum, & vanum, non tamen falsum, quia reuera ibi non colitur alius Deus, sed verus indebito modo. Quia licet actiones aliquæ, quibus ars illa vti dicitur, non sint superstitiosæ, vt ieiunia, & orationes; Nihilominus coniunctæ cum alijs vanis obseruantijs facient totum Cultum superstitiosum, non tamen falsum, quia semper intenditur acquisitio scientiæ à vero Deo.

6 Tenendum nihilominus firmiter est, artem notoriam sub incātatione, & specie Magiæ comprehendi, pactumque implicitum cum Dęmone continere. Ita colligo ex Diuo *Thoma dicto art. 1. in prima parte corporis*; vt etiam eleganter aduertit doctissimus *Suarez loco citato.* Ait enim ibi Sā-

7 ctus Thomas, artem illam vti ad scientiam obtinendam quibusdam vanis obseruantijs, non vt causis, sed vt signis superuacuis: Et per consequens, ait, *Sunt signa pertinentia ad pacta quædam significationum cùm Dęmonibus placita, atque fœderata: & ideò ars notoria penitus est fugienda à Christiano, sicut aliæ artes nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis.* Quibus verbis manifestè demonstrat Sanctus

ctus Thomas, esse sentiendum idem de hac arte, sicut de tota magia, vel incantatione, seu diuinatione quoad superstitionem,& pactum cum Dæmone. Cùm ergo in fine corporis ait per artem notoriam non quæri scientiam à Dæmone docente, nō intendit certè excludere omnem modum acquirendi scientiam Dæmonis ope, sed solùm illum modum à Dæmone loquente, & docente more humano addiscendi. Non enim ita inquiritur scientia per artem notoriam, sed alia breuiori via,& faciliori, sine vllo hominis studio, & per solam vanarum obseruantiarum exhibitionem, quæ ita inficiunt orationes illas, vt existimandæ veniant Dæmonis inuocationes: & ideò suspicatur *Suarez in solutione ad tertium argumentum Diui Thomæ*, vbi negatiuè legitur: *Quæ societur cum Dæmone inita, in proposito locum non habet, mendum irrepsisse, & delendam esse negationem, affirmatiueq; legendum, locum habet.* Aliàs D. Thomas argumentum nō soluisset, sed confirmasset. Obiecerat enim, in hac arte non esse illam superstitionē, quæ est in diuinatione, quia ibi inquirūtur à Dæmone futura, quæ ipse cognoscere minimè valet: Hic autem procuratur scientia, quam
8 ille optimè nouit. Respondet autem, in Diuinatione non tantùm esse peccatum, quia veritatum cognitio procuratur à Dæmone, quas ipse nō cognoscit, sed simpliciter propter societatem cum eo initam: ergo oportet concludere, hanc posteriorem inordinationem in arte notoria habere quoque locum: Aliàs si hoc etiam concederet, non habere locum in hac arte, planè totum concessisset; Quod argumentum probare nitebatur. Atque ita videtur legisse Caiet. cùm ex hac solutione notat, ad peccatum mortale sufficere pactum initum cum Dæmone, quod constat (inquit Caietanus) in obseruantijs artis notoriæ committi.

9 Cùm ergo idem Caietanus dicit, per illam artem intendi scientiam per infusionem, nō est intelligendum, à Deo, sed à Dæmone, vel expressè, si expressum pactum præcipit, vel tacitè, & interpretatiuè, ac moraliter etiam, si expresè nō intendatur. Cuius rei optimam hanc reddit rationem P. Suarez; quia qui his obseruantijs vtitur, vult sine studio,& labore obtinere scientiam; sic autem obtineri non potest, nisi per infusionem; ergo virtualiter illam intēdit habere per infusionem: non potest autem fieri illo modo, aut per per astra, aut per verba, vel per obseruantias, quę adhibentur, vt de se constans est, & suprà latè ostensum; neque à Deo procuratur; quia ars illa nullis medijs ad hoc proportionatis vtitur, nec Deus promisit illam scientiarum infusionem per ieiunia, vel orationes, nedum per ignota verba, vel figurarum inspectionis; Ergo velit, nolit, qui sic operatur, se velle conuincitur scientiam habere infusam; & consequenter, se eius societatē habere, vel saltem illi moralem dare occasionē, vt se interserat, eò quòd nō omittat illam. Vndè qui sic operatur, in virtute tribuit Dæmoni virtutem infundendi scientiam, quæ solius Dei Optimi Maximi est propria. Ac subinde concludēdum est artem illam esse Dæmonis inuocatoriam, speciemque Magiæ.

CAPVT SECVNDVM.

Breuiter resoluitur Quæstio.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus arti notoriæ vacans est incantator, & huius peccati reseruati reus.*

2 *Religiosus quando in hac arte adipiscenda potest à peccato reseruato excusari.*

3 *Religiosus, qui simplici intentione vellet scientiam infusam à Deo impetrare medijs Orationibus, & ieiunijs, licèt non peccaret peccato idolatriæ, tentaret nihilominus Deum.*

4 *Religiosus, qui ope Dæmonis quocumque modo intendit vim memoriæ acquirere, vel facultatem, aut acumen ingenij, est huius peccati reseruati reus.*

5 *Religiosus, qui vult à Dæmone doceri eo modo, quo ab homine loquente, incidit in hunc peccatum reseruatum.*

6 *Religiosus in hunc casum incidit reseruatum, qui renuncians pacto Dæmonis, incumbit notoriæ arti.*

1 EX his igitur euidenter ostenditur, Religiosum huic arti vacantem esse incantatorem; & in crimen hoc reseruatum illabi, nisi ex alio capite possit legitimè excusari; Nam contingere pos-
2 set, ex ignorantia, & simplici intentione, vt Religiosus à Deo vellet ipsam scientiam infusam impetrare, & ad hoc non adhiberet vanas obseruationes illius artis, sed media ordinaria; quibus religiosè vti solemus ad aliquid à Deo impetrandum; vt sunt Orationes, ieiunia, & alia bona ope-
3 ra, vel corporis afflictiones. Et quamuis hoc sit verum quoad Idolatriæ superstitionem, & Dæmonis inuocationem, nihilominus tentaret Deū, vel improbè coleret, si id faceret sine speciali instinctu Dei, & sine causa, & non adhibendo industriam, & diligentiam, quam ex parte sua posset apponere: & ratione periculi (si esset aliquo modo præuisum) posset tunc superstitionis malitiam participare, & Dæmonis inuocationem. Ita P. *Suarez* eleganter loco citato.

4 Sed aduerte, nostram assertionem non solùm habere locum in hac specie Magiæ, nimirum incantatione, quam modo tractamus, & paulò ante explicauimus, sed etiam in omni arte addiscendi scientiam Dæmonis ope, quocunque modo intendatur; vt si quis Religiosus studendo, & faciēdo quod in se est ad scientiam acquirendam, simul vanis vteretur obseruantijs, quibus speraret vel vim memoriæ acquirere, vel facultatem, & acumen ingenij, vel organa sensuum melius disposita, vel similia, quæ virtute naturali fieri nequeunt; fieri autem aliquo modo possunt virtute Dæmonis, taliumq; obseruationum: absq; dubio Dæmonis inuocationem commutaret, vt latè exposuit *Martinus del Rio lib. 2. quæst. 24.* vt tangit *P. Suarez vbi suprà.*

5 Idem dicendum est de illo Religioso, qui vellet

let à Dæmone edoceri, eo modo, quo docetur ab homine loquente, siue intendat, vt Dæmon sibi loquatur ad aures corporis, in corpore visibili assumpto, siue solùm in imaginatione eadem verba formando, quod etiam facere potest: Quacunque enim ratione societas cũ Dæmone ineatur, etiã si nihil petatur expressè, vel tacitè, quod virtutem eius superet naturalem; est superstitiosum, & ad hanc Magiæ partem, quæ dicitur inuocatio Dæmonis, pertinet.

6 Sed quæres, an Religiosus, qui vbi pactum Dęmonis quomodocunque intercedit, renuntiauerit, atque protestauerit, se nolle, vt Dæmon concurrat; possit arti notoriæ vacare? Respondeo negatiuè. Primò, quia interdum (vt dictum est) per crassam ignorantiam, vel inaduertentiam, licet velle aliquem contraria: vnum in se, ac formaliter; aliud virtute:.. Sic tamen non licet in tali casu vti illa arte Notoria; Nam qui voluntariè vtitur talibus vanis medijs, ac improportionatis, etiam si explicitè dicat, se nolle pactum cum Dæmone habere, implicitè vult illud: & quamquam nolit expressum pactum, de facto vult tacitum, quia vult vti illis medijs, vt talibus; cùm tamen vtilitatem habere non possint, nisi Dæmonum interuentu. Ita *Sanchez in oper. moral. capit. 38. num. 4. Suarez tomo primo de Religion. lib. 2. cap. 9. num. 19. Lessius de iustitia & iure lib. 2. cap. 44. dub. 4. nu. 26.*

7 Secundò, quia protestatio non liberat, quando adest dubium, quòd Dæmon subsit talibus obseruantijs, nec pactum dissoluitur ex vi talis protestationis: vt aduertit *Torreblanc. loco, vbi suprà.*

DISPVTATIO TERTIA.

De Sortilegij *tertia primi Casus parte.*

QVAESTIO PRIMA.

De his, quæ sub sortilegij nomine comprehenduntur.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Sortilegium.

SVMMARIVM.

1 *Sortilegium vndè dicitur.*
2 *Sortilegium quamlibet Magicam superstitionem significat.*
3 *Sortilegium quid sit, & quid sortilegus.*
4 *Sortes propriè quæ dicuntur.*
5 *Sortium genus triplex.*
6 *Sortes vndè habuerunt originem.*
7 *Sors Diuisoria quid sit.*
8 *Sors Consultoria describitur.*
9 *Sors Diuinatoria quid sit.*
10 *Sors Diuinatoria ferè semper est cum peccato mortali; & quare.*
11 *Iudicium expectare à Deo licitum est, quibus conditionibus concurrentibus.*

1 Tertia primi casus reseruati particula est, *Sortilegia*, pro cuius explanatione in hac disputatione quamplura sunt examinanda. Aduertendum est igitur in iure Canonico *26. quæst. 1. & quæst. 2. & quæst. 3. & quæst. 4. & quæst. 5. & titulo de sortilegijs*; sortilegium dici à sortibus legendis, hoc est eligendis. Sortilegi vocantur, qui per sortes fortuita futura, & omnino occulta, præsentia, siue præterita, prænuntiant, aut patefaciunt, *cap. sortes 26. quæst. 5. Hostiensis in summa de sortilegijs num. 1. versic. Quid sit sors, Paulus Grillan. de sortilegijs quæst. 1. vers. sortilegium artem dicitur à sorte. Marta de iurisdictione parte 2. cap. 12. num. 1. & sequentibus*; & nouissimè *Franciscus Ansaldus de iurisdict. par. 4. tit. 8. cap. 1 num. 4.* Vel sorte quidpiam eligunt, velut qui fabas, aut festuchas commiscẽdo, aut cribum chartulis quibusdam inscriptis furta latentia detegunt, & produnt fures occultos.

2 Item aduerto, in iure Canonico interdum sortilegium sumi latè & amplè, ita vt quãlibet Magicam Superstitionem significet. Sicut etiã apud *Plinium lib. 8. cap. 4.* sortilegiorum nomine videntur intelligi vanæ omnes Magorum persuasiones, & ita comprehendi sub hoc nomine sortilegij omnes superstitiosæ diuinationes; ac proinde (vt notat Coriolanus de casibus reseruatis parte secũda casu primo, Versic. Quibus præmissis) sub nomine sortilegij in Decreto positi comprehendi omnes species diuinationis superstitiosæ, ex identitate, vel maioritate rationis: nam quando de animę agitur salute, & de euitando peccato, debet fieri extensio etiam iuris pœnalis. Ita *Iason in authentic. quas actiones num. 25. cap. de sacrosanctis Ecclesijs*: & potius dicenda est inclusio peccatorum, quàm extensio: vt patet *ex tit. Cod. qui inscribitur de malefic. & mathem.* Ita *Franciscus Longus Capuccin. in suo libro de casib. reseruat. clem. 8. fol. 207. in explicatione huius primi casus num. 4. Portel in dub. Regul. ver. sortilegia.*

3 Sortilegium igitur dici potest id, quod sortium superstitioso iactu patefit. Vndè sortilegus dicitur ille, qui aliqua superstitioso iactu diuinare nititur. Consistit igitur sortilegium propriè, & in rigore in humanis actibus cõsultò factis, siue fiat in taxillorum emissione, siue in aliquarum Chartularum descriptione, siue in signis resultantibus in plumbo liquefacto, aut cera quoque liquefacta in aquam proiectam, siue ex consideratione festucæ, quam quis elegit ex duabus æqualibus, vel in æqualibus oblatis, siue ex quibusdam schedulis scriptis, vel non scriptis in occulto positis, siue ex consideratione eius, quod aperienti librum primo occurrit: dum enim ex istis inquiritur

tur futurorum cognitio, est explicita diuinatio, & Dœmonis inuocatio; & generali nomine diuinatio per sortes, seu sortilegium appellatur. Ita Diuus *Thomas secunda secundæ, quæst. 95. artic. 3. & Sayrus in sua Claui Regia lib. quarto, cap. quinto, num. 14.*

4 Verùm vt hæc intelligas, obseruandum est primò, sortes propriè dici, quando aliquid serio fit ab homine, vt eius considerato euentu aliquid innotescat occultum; quia verò in rebus necessarijs sors locum non habet, neque in eis, quæ vt plurimum accidunt, sed in rebus humanis, quæ ad nos, vel ad nostros pertinent amicos, quæ per propriam industriam, & prudentiam cognoscere, & effectum producere non possumus:

5 res autem ad vitam pertinentes humanam tribus possunt accummodari modis, vel enim primò sollicitantur homines, vt ea qualitercunque habeant: vel secundò, vt habitis vtantur: vel tertiò, vt futurum euentum rei vsu cognoscant; ideò iuxta hæc tria triplex solet sortium genus constitui ab Auctoribus.

6 Quia igitur res vitæ nostræ deseruientes in nostros vsus assumere nolumus, nisi eas aliqualiter habeamus, res autem secundùm sui naturas omnibus communes, oportuit, ad hoc quòd eis distinctè vti possent, vt per aliquem modum inter homines diuiderentur. Quando autem communium diuisio rerum ex industria humana, & voluntate atq; concordia, ad effectum perduci potest; tunc constans est, quòd nō indiget sortibus. Quod si humanus sensus ad concorditer diuidendum non satis fuerit, tunc consueuere sorte diuidere; secundùm illud Prouerbiorum 8. *Contradictiones comprimit sors*; sicut autem est facultatum distinctio, ita etiam bonorum, & dignitatum. Vndè contingit quandoque, quòd aliqui non valentes concorditer eligere aliquem, cui aliqua conferatur dignitas, sorte hoc requirendum existimant. Quòd etiam in lege veteri fuisse obseruatum, inuenio; vt sorte quodam ad officium summi Sacerdotis accederent. Vndè Lucæ primo dicitur, quòd Zaccharias Diui Ioannis Parens sorte exijt, vt incensum poneret; Saul etiā sorte in Regem electus fuit, *primo Regum cap. 10.* sicut autem dubitari contingit circa bonorum distributiones, ita & pœnarum; & ideò si reddatur aliquis puniendus, ignoretur autem, quem puniri oportet; sorte hoc aliquibus videtur inquirendū. Sic enim obseruatum fuisse quoque in lege veteri, lego. *Ionas sorte in mari proiectus fuit*, vt in eius prophetia *cap. 3.* habetur: & *Iosue Acham de anathemate surripientem sorte mulctauit. Iosue 7.* Quando igitur sortium iudicio inquiritur, quid cui sit habendum; siue res illa sit possessa, seu possessio, siue sit honor, siue dignitas, seu pœna,

7 aut actio aliqua; vocatur sors diuisoria, quæ describitur esse, quando emittuntur sortes ad cognoscendum, quid cuique eueniat. Hæc ex sancto *Thoma secunda secundæ quæst. 95. articul. 8. & opuscul. 25. cap. primo, Sancto Antonino par. secunda, tit. 12. §. 8. & Syluestro verbo, superstitio quæst. 9. R. P. Iumperi à Drepano de Casib. reser. Tabiena verbo, sors, §. 1 Azorio instit. moral. lib. 9 cap. 21. Sayro loco citato, Portel vbi suprà*, & alijs communiter colligo.

8 Insuper verò, quia sicut dubitatur, an quis rem aliquam sit habiturus; ita etiam dubitari contingit, an aliqua sit re vtendum, & in vniuersum, an aliquid agere expediat; omnis enim actio vsus aliquid est, vel sui, vel rei alterius; ideò cùm talis dubitatio circa agenda occurrit, & per humanam siquidem prudentiam tali satisfieri non possit dubitationi, ad humanum consilium est recurrendum. Quia verò (vt Sapientia cap. 9. dicitur) Mortalium cogitationes timidæ, & prudentiæ nostræ incertæ; id circò vbi humano consilio dubitationi non potest plenariè occurri, ad sortium recurrunt inquisitionem. Ita de Hester cap. 3. legitur, Quid missa est sors in vrnam, quo die, & quo mense Iudæorum deberet interfici genus. Et quia huiusmodi sors loco succedit consilij, dicitur sors consultoria, quasi ad consultandum ordinata. Vndè sors consultoria describitur esse, quando ad cognoscendum emittuntur sortes, quid sit agendum aliquo in casu. Ita allegati Auctores paulò superiùs.

9 Tandem quia homines plerumque de futuris sollicitantur euentibus, ex quorum cognitione homo in pluribus agendis vel vitandis dirigi potest, & tamen futurorùm cognitio humanam superat industriam, iuxta illud Ecclesiast. 8. *Multa hominis afflictio, quæ ignorat præterita, & futura nullo scire potest nuntio*. Eam ob rem homines ipsi ad aliquid de futuris euentibus cognoscendum, ad sortes esse recurrendum arbitrantur: Et hæc dicitur sors diuinatoria. Diuini enim dicūtur, qui aliqua prænoscunt de futuris, quasi sibi id, quod est proprium Dei, tribuentes; secundū illud Isaiæ 41. *Annunciate quæ futura sunt, & dicemus quia Dij estis vos.* Vndè nomen sortis communiter in hoc sensu accipitur: & ita sors diuinatoria describitur: est inquisitio occulti humanam excedētis industriam per aliquid à nobis factū, scilicet, rebus humanis ad nos pertinētibus, vel habendis, vel vtendis, vel cognoscendis. Sortilegiū igitur, quatenus ab hac tertia specie sortium deriuatur, est hac in re à nobis considerandum. Vndè,

10 Aduertendum est secundò, quòd hoc tertium sortium genus, à quo diximus sortilegium, pro vt à nobis est considerandum, scilicet diuinatorium, ferè semper est peccatum lethale, quia scilicet ibi vt plurimum tacitè inuocatur Dæmō; Societas autem cum Dæmone non solùm expressè inuocando Dæmonem, sed id tacitè per quodcunque occultum pactum cum Dæmone initum, peccatum est lethale in suo genere; vt dicitur Corinth. 1. capit. 10. illis verbis: *Nolo vos fieri socios Dæmonum*; & Diuus Augustinus lib. secundo de Doctrina Christiana capit. secundo, ait; *Omnis societas Dæmonum, & hominum tanquam pestifera fugienda est.*

11 Consultò dixi, *ferè semper est peccatum lethale*; quia si quis non expectaret, aut quæreret cognitionē ex sortiū emissione, quasi illa sit satis ad fu-

futurorum parandam cognitionem, sed intenderet potius exinde expectare responsum, seu inditium à Deo, rationabili tunc existente causa; sortium vsus ad aliquid cognoscendum excusatur; vt docent *D. Thomas 2.2, quæst. 95. art. 8. Sayr. vbi suprà num. 18.* & alij. Ita colligitur ex sacra Scriptura *Prouer. 16.* sortes mittuntur in sinum, sed à Deo temperatur. Ita *Iosue cap. 7.* ex Domini præcepto deprehendi Achan reum fuisse per sortes. Et Saul videtur etiam eodem modo deprehendisse filium suum Ionathan mel comedisse: vt habetur primo libro Reg. cap. 14. *Et Ionas à facie Domini fugiens sorte deprehensus est, & in mare proiectus;* vt habetur Ionæ 1.

De diuinatione igitur præcisè per sortem nihil à nobis in præsentiarum venit dicendum; possunt enim videri Doctores; Præsertim Diuus *Thomas vbi suprà, Sanchez lib. 2. in oper. moral. cap. 38. & 40. Azor. lib. 9. institut. moral. cap. 21. Sayr. in Claui Regia lib. 4. cap. 5. & Summistæ omnes verbo, superstitio; & verbo, incantatio; & verbo, sors: Pater Suarez latè tom. 1. de Religione lib 2. cap. 12.* & alij. Solùm de diuinatione faciemus sermonem, quatenus sub sortilegij comprehenditur nomine ex pacto cum Dæmone inito.

CAPVT SECVNDVM.

Omnes superstitiosas diuinationes in Decreto Clementis Octaui sub nomine Sortilegij esse comprehensas, ostenditur.

SVMMARIVM.

1 *Sortes diuinatrices, præsertim consultoriæ, sunt superstitiosæ, & prohibitæ; & quare.*

2 *Diuinatoriæ sortes sunt, quas potissimè Clemēs Octauus in huius primi casus reseruati tertia particula prohibere intendit.*

3 *Diuinatio, quæ per media sortibus æquiualentia fit; duplex.*

4 *Prestigium quid sit.*

5 *Necromantia diffinitur.*

6 *Pythones qui dicuntur.*

7 *Geomantia describitur quid sit.*

8 *Idromantia quid sit.*

9 *Aromantia, & Pyromantia diffiniuntur.*

10 *Aruspicium quid sit.*

11 *Diuinatio in qua est sola Dæmonis tacita innocatio duplex.*

12 *Enumerantur quamplures diuinandi modi, ac declarantur.*

13 *Chyromantia est, quando ex figuris, & manuum lineamentis futurorum inquiritur notitia.*

14 *Quid Pyromantia, & Spatulamantia.*

15 *Physiognomia, & Metoposcopia quid sint.*

16 *Geomantia est, cùm ex punctorum portatione futurorum acquiritur cognitio.*

17 *Diuinatio superstitiosa est prohibita Iure Diuino, Canonico, & Ciuili.*

18 *Diuinatio, in qua est explicitum pactum cum Dæmone, est semper peccatum lethale.*

19 *Diuinatio, in qua solùm est pactum tacitum cum Dæmone, ex genere suo semper est peccatum mortale.*

20 *Religiosus his diuinationum generibus peccans, semper hunc casum incurrit reseruatum.*

21 *Ex ignorantia aliquando excusari potest Religiosus, si tamen Diuinatio solùm ex pacto implicito fiat.*

22 *Diuinatio ex ioco facta non inducit peccatum lethale.*

23 *Diuinatio ex ioco aliquando, ratione alicuius extrinsecæ circumstantiæ, est lethifera.*

1 Sortes diuinatoriæ, præsertim consultoriæ, sunt omnino superstitiosæ, & prohibitæ. Hæ sunt, (vt dicebamus) quæ ad cognoscendum mittuntur occultum secretum, vel præteritum, vel futurum. Ratio est, quia prædictæ sortes vanæ sunt, & inutiles ad tale cognoscendum occultum externum soli Deo, vel Angelis bonis, vel fortè malis cognitum; & ideò illicitum est, tale secretum medijs naturalibus inquirere; præsumitur enim id via Dæmonis indagari. Et hæ sortes diuinato-

2 riæ sunt potissimæ, quas Clemens Octauus in tertia huius primi casus reseruati particula prohibere prætendit. Ita adnotauit, & benè, Pater *Portel. in dub. Regul. verb sortileg num 21.* Quod verò in hoc verbo, *Sortilegij* aliæ diuinationes factæ per alia media, quæ sortes non sunt, comprehendantur, patet; tum quia sortilegium (pro vt sumitur in iure Canonico tit. *de sortilegijs, & 26. quæst. 1. 2. 3. 4. & 5.*) comprehendit omnes Magicas incantationes, maleficia, diuinationes, atque veneficia, vt insinuant *Martin. del Rio lib. 1. quæst. 1. & P. Azor. loco, quo suprà;* tum quia in hoc casu fieri debet extensio ista iuris pœnalis; quia (vt suprà dictum est) vbi agitur de salute animæ, & de peccato vitando, semper facienda est talis extensio. Vndè P. *Franciscus Longus Capuccinus in suo libro de casibus reseruatis, in decreto Clementis Octaui, in explicatione huius primi casus num. 4. Coriolanus ibidem, & Portel. vbi suprà,* asserunt, in hoc casu Clementis Octaui omnes comprehendi species, quæ sunt eiusdem generis: atqui in diuinatione facta sine sortibus eadem cernitur ratio, & pactū cum Dæmone initum; ergo mens Pontificis est, istam etiam diuinationem comprehendere, cùm fiat per media sortibus æquiualētia. Addo, plures hodie absq; sortibus expressis fieri diuinationes, quàm cū sortium expressione; ac proinde oportuit tali vitio penitus occurrere: ex quo fundamento ductus prædictus Capuccinus loco citato num. 5. diuinationem in communi absque sortibus tanquam in hoc casu comprehensam explicare cæpit. Verùm quia hoc est valdè prolixum, & Doctores in fine proximi capitis citati de eo latè tractant; nobis sufficit, hic solùm in vniuersum enumerare species superstitiosæ diuinationis, quæ si benè comprehendantur, satis esse possunt ad cognitionem, quando Religiosus in hoc reseruatum crimen incidere posset.

3 Duplex igitur est diuinatio, quæ per media sortibus æquiualentia fieri solet: quædam, in qua est pactum expressum cum Demone; quędā verò in qua solùm tacitum. Atqui vtriusq; variæ sunt species, iuxta signorum diuersitatem, quibus

4 quibus Dæmon solet diuinatores docere. Prima est præstigium, cùm nempe Dæmon varijs apparitionibus superstitiosorum oculos præstringit, se illorum aspectibus obijciens, occultaque docens. Ita *Alexander de Ales par.2.quæst.43. Gabr. in 2.sent.dist.8. quæst.2. art.3. Caietanus 2.2. quæst. 95. art.3. Valentia tom.3.disputat. 6. quæst.12.puncto 2. Sanchez in oper.moral.lib.2.cap.38. num. 12. Sayr. in Claui Regia lib.4. cap. 4. Pater Suarez latè tom.1. de Religion.lib. 2. de superstitione cap. 7.per totum, Martin. del Rio lib.4.disquisit.magicar. cap.2. quæst.6.& 7. per totum, Portel vbi suprà num. 24.* Secundò dicitur diuinatio per somnia, cùm instructio Dæmonis per somnia inspiratur. Ita Sanctus *Thom.2.2. quæst.95.art.6. Caietan. ibid.verbo, somnior.obseruatio, Sayr. Sanchez, Portel*, & alij locis citatis.
5 Tertia dicitur Necromantia, cùm videlicet adhibito sanguine, certisque carminibus, mortui videntur resurgere, & loqui, & futura docere. Quamuis enim Dæmon nullam animam ad mundum hunc reuocare possit, fingit nihilominus esse, mortuum assumendo corpus, acsi anima esset. Non desunt tamen, qui volunt Demonem id facere ex Diuina permissione, sicut de Samuele legimus lib. 1. Regum; quamuis alij affirment Deum id fecisse: Dæmonem autem, vel Pythonissam non potuisse facere. Quod verò hac in re sit sentiendum, consultetur *Sayr. vbi suprà num.6.* vbi id eleganter declarat. Dicitur autem species hæc Necromantia, eò quòd vel diuinatio hæc fieri solet in mortuis animalibus, vel in mortuorum animalium figura; deducto vocabulo à voce græca, νεκρὸν, quæ mortuum significat, & Μαντεία, quæ diuinatio interpretatur. Ad huiusmodi autem cadauera suscitanda, sanguis adijcitur, vt notant Sanctus *Thomas 2.2.quæst.95.art.3. Alexander de Ales in 2.par.quæst. 164. membro 2. Sayr.Sanchez, Delrius, Suarez*, & alij locis citatis. Dęmones namque Amatores sanguinis esse perhibentur; ideoque quoties necromantia fit, cruor aquę misceri solet, vt faciliùs Dæmones prouocentur.

6 Quarta species dicitur diuinatio per Pythones, cùm scilicet Dæmon futura prænuntiat per homines viuos, & arreptitios, qui Pythones dicuntur ab Apolline pythio, qui primus Author diuinandi olim putabatur. Ita sanctus *Thomas, Suarez, Sanchez, Portel, Sayrus*, & alij locis suprà citatis.

7 Quinta species dicitur Geomantia, cùm scilicet Dæmon per signa quędam apparentia in corporibus terrestribus docet; vt in ligno, metallo,
8 lapide. Ita allegati Doctores. Sexta species appellatur Hydromantia, cum scilicet Dæmon aliquid per figuras apparentes in aquis docet. Se-
9 ptima species appellatur Aromantia, cùm per signa Dæmon in aere apparentia homines docet.
10 Octaua species dicitur Pyromantia, quando scilicet per signa apparentia in igne Dæmon docet. Vltima autem species dicitur Aruspicium, cùm scilicet per signa apparentia in visceribus animalium sacrificatorum in aere Dæmon talia prænunciat.

11 Rursus diuinatio, in qua est sola tacita Demonis inuocatio, est duplex. Prior est, cùm cognitio occultorum vanè procuratur ex cognitione alicuius dispositionis aliàs in quibuscunque rebus existentis. Posterior est, quando huiusmodi cognitio quæritur ex dispositione eorum, quæ homines ipsi consultò faciunt, ad eam cognitionem acquirendam. Ita *Angelicus Doctor 2.2. quæst.95. art.3. Gregor. de Valentia tom.3. disp.6. quæst. 12. pun.9. Toletus in summa lib.4.cap. 15. Michael Med. lib.2. de rect.in Deum fide, Sayr.in Claui Regia lib.4. cap.5.num.11. Sanchez in oper.moral. lib.2.cap.38. num.13. Suarez lib.2. de superstitione cap.7. tom.1. de Religion.* & alij quamplures.

12 Priorem diuinandi modum D. Thomas loco, vbi suprà, in nouem diuidit species. Prima est, Genethlia, cùm ex syderum motu, aut situ cognitio acquiritur. Secunda Augurium, quando scilicet ex garritu auium, vel ex vocibus quorũcũque animalium, aut etiam ex sternutationibus hominum, occultorum quæritur cognitio. Sic autem nominatur à garritu auium audito, qui solet in istis præcipuè attendi. Tertia Auspicium, cùm scilicet ex auium volatu, aut ex alio motu quorumcunque animalium, quæritur huiusmodi occultarum rerum cognitio.

Quarta Omen, cùm videlicet ex verbis hominum casu aliquo, aut aliqua intentione prolatis, retorquet quis ad futurũ, quod vult cognoscere.
13 Quinta est Chyromantia, quando scilicet ex figuris, & manuum lineamẽtis futurorum inquiritur notitia. Quòd si quæratur ex apparentibus signis in planta pedum, dicitur Pyromantia: si ve-
14 rò in spatula alicuius animalis, dicitur Spatulamantia.
15 Septima Physiognomia, cùm ex totius corporis humani signis futurorum euentus inquiritur. Octaua Metoposcopia, cùm ex fronte cognoscitur.
16 Rursùs posterioris modi diuinãdi duas enumerat alias Diuus Thomas species, vbi suprà. Prima est Geomantia, cùm ex pũctorum portatione acquiritur cognitio, seu diuinatio per sortes; de qua suprà dictum est satis. Omnes istæ diuinationum species peculiarem inquirunt tractationem, atq; expositionem, & quoniã allegati Doctores abundè de his tractant, videndi sunt. A nobis erit agẽdum de illis dumtaxat, quę religiosis sunt frequẽtiores; nimirum de diuinatione per Astra, seu Astrologia, de Chyromantia, Geomantia, Physognomia, & Metoposcopia.
17 Ex his quãplura deducuntur primò diuinationem superstitiosam esse iure Diuino, Canonico, & Ciuili interdictam. Iure Diuino *Deut. 18. nu.25. Esay.8. Eccles.34* Iure Canonico per multa capita *26.q.5.& à Sixto V. in motu proprio, & Vrbano Octauo in extensione eiusdem*: & Iure Ciuili *l. nemo Codic. de malefic. & mathematicis.*

Secundò esse falsam, atque scandalosam. Ita *Lactan. lib. 1. diuina instit. Eusebius contra Hierocl. Gregor. Nanzian. contra Iulian. orat. 32. Rabb. lib. 1. de pęnit. cap. 23. ex Theolog. Suarez tom. primo de Religion.*

ligion. lib. 2. per diuersa cap. 4. 5. 6. 7. & 8. Lessius de iustitia & iure lib. 2. cap. 43. Azor. tom. primo institut. moral. lib. 9. cap. 18. & 22. Loriu. tom. secundo in Psalmos Psal. 57. versic. septimo. Sanchez in oper. moral. lib. 2. cap. 4. Castro de iusta hæreticor. punit. lib. primo ex cap. 13. latè, & eleganter *Martinus del Rio Magicar. disquisit. lib. 13. par. 1. quæst. 1. cum seqq. Sayr. in Claui Regia lib. 4. cap. 5. Iulius Cæsar Bulengerus lib. 3. diuinat. cap. 1. & Summistæ omnes in verbo, diuinatio.* Quibus addo *P. Fratrem Franciscum à Longo, Coriolanum, & Portel vbi suprà.* Ex vtriusq. Iur. Doctorib. *Nauarr. in Manual. cap. 17. num. 28. & seqq. Simanch. de Cathol. institut. cap. 62. Iulius Clarus in pract. §. hæresis num. 25. Didacus Perez in l. 9. titulo primo, lib. 8. ordin. & in l. 3. tit. 4. Auendan. de exequend. mandat. lib. 2. cap. 32. Auiles in cap. 35. Prætor, Glossa Ad dummos, Medices in summ. omn. hæres. par. 3. cap. diuinatio, & in summa peccat. par. prima tit. 2. quæst. 36. Lancellot. in templ. iudic. lib. 1. cap. 1. §. 3. num. 1. & seqq. Petr. Nauarr. de restitut lib. 2. cap. 2. num. 25. Grassius lib. 2. decis. cap. 5. cum sequentib.* & alij quamplures.

18 Tertiò diuinationem, in qua est explicitum cum Dæmone pactum, siue verbis, siue facto ipso, semper esse peccatum lethale. Nec inter fideles aliqua potest esse ignorantia, qua quis possit excusari, cùm res præ se ipsa suam ferat malitiam; ac toties doceantur. Sic *Valentia secunda secundæ disp. 6. quæst. 12. puncto 4. Martin. del Rio lib. 4 disquis. magicar. cap. 2. quæst. 4. Sayr. loco citato; Sanchez vbi suprà, Suarez,* & alij locis citatis.

19 Quartò, diuinationem, in qua solùm est pactum tacitum cum Dæmone ex genere suo est peccatum mortale; neque ex paruitate materiæ excusari potest; Quia vsurpatio cognitionis Deo reseruatæ ex se admodùm grauis est, abstrahendo à quauis materia. Ita Doctor. paulo anteà citati.

20 Quintò, Religiosum his diuinationum generibus peccantem semper in casum incidere hîc primò reseruatum, nisi ex alio capite excusetur.

21 Excusari quidem potest à mortali ratione ignorantiæ, quæ nec affectata, nec nimis crassa est. Quia non ita patens est eius malitia. Hoc autem intellige de diuinatione, quæ ex pacto implicito, seu tacito fit, non autem de illa, quæ ex pacto explicito. Ita *Caiet. secunda secundæ, quæst. 95. art. 2. versiculo, Ad euidentiam huius, Sayr. in Claui Regia lib. 4. cap. 5. num. vltimo, & Lessius de iustitia & iure lib. 2. cap. 43. dub. 10. num. 64.*

22 *Sanchez, Valentia, Martin. del Rio, & alij vbi suprà.* Ex alio quoque capite potest excusari, si intentio Religiosi diuinantis superstitiosa non sit, sed ea diuinatione vtatur ioci causâ, ad se oblectandum; quia tunc est tantùm veniale. Ita *Suarez tom. primo de Religione lib. 2. cap. 9. num. 11. Sayr. vbi suprà, capit. 5. num. vltimo, Sanchez ibidem, num. 20. Valentia, Caietan. & Martin. del Rio locis citatis.* Qui addunt, & benè, posse nonnunquam contingere, vt is iocus talibus vestiatur circumstantijs, vt omni culpa vacet,

23 & ad eutrapeliæ virtutem pertineat. Hoc autem ita intelligo, vt non adsit scandalum, vel aliqua suspicio; vt si esset persona talis conditionis, quòd ex eius ioco diuinatorio alij grauiter offendantur, vel coniectent id non fieri ex ioco, sed ex pacto vero, & reali cum Dæmone. Ita *Sayr. in Claui Regia lib. 4. cap. 7. num. 8. Filiarch. de officio sacerdotis par. 2. lib. 3. cap. decimo, & alij.*

CAPVT TERTIVM.

Examinatur, an dicti diuinationis modi in genere moris diuersas constituant species necessariò in confessione aperiendas?

SVMMARIVM.

1 *Diuinationes omnes ad tres tantùm in genere moris reducuntur species, iuxta* Valentiam.

2 *Diuinationes in genere moris non esse specie distinctas, ideoque non teneri Religiosum explicare, per quas res diuinauerit, docent quamplures.*

3 *Teneri Religiosum habentem pactum expressum cũ Dæmone fateri Diuinationis modum.*

4 *Reprobatur* Victoria *docens, satis esse Pœnitenti dicere, se fuisse superstitionis mortalis Reum.*

1 *Valentia 2. 2. disput. 6. quæst. 12. puncto 2. in fine* arbitratur, omnes superstitiosæ diuinationis modos in proximo capite enumeratos, quamuis in genere entis, seu naturæ videantur differre specie, nihilominus in genere moris ad tres duntaxat reducuntur. Prima est, in qua expressa Dæmonis inuocatio, quæ generali nomine appellatur necromantia. Secunda est, in qua est tacita inuocatio, qua per solam considerationem dispositionis, vel alterius rei motus, occultorum acquiritur cognitio: Quæ generali nomine augurium dicitur. Tertia, & vltima, dum aliquid consultò fit ad cognitionem occultorum comparandam, quæ generali nomine dici potest per sortes diuinatio, idque colligitur ex Diuo *Thoma 2. 2. quæst. 94. art. 3. in fine corporis,* vbi omnes diuinationis species à se latè enumeratas ad has tres duntaxat reducit. Nonnul-

2 li verò opinantur, has diuinandi species non esse in genere moris distinctas: & ideò non esse opus in confessione explicare, per quas res diuinatio fiat, nimirum per aerem, vel aquam, etc. Quòd si diuinandi modi non habeant specialem contra rectam rationem deformitatem, sed omnes eandem; ac proinde non esse distinctas specie, docent *Caietan. in opuscul. tom 1. opuscul. tract. 5. de confess. quæst. tertia, versiculo, hæc omnia, Victoria in summa, vbi de confessione, numero 176. Sotus in 4. distinct. decimaoctaua, quæstione secunda, articulo quarto, conclus. 6. in fine, Azor. tom. 1. lib. 9. instit. moral. cap. 12. quæst. 3. Suarez tom. 1. de Religion. lib. 2. cap. 9. n. 5. & cap. 10. num.*

num. 2. & 3. Rodriquez in summa tom. 1. in 2. adit. cap. 53. num. 5. consentit *P. Sanchez in oper. moral. lib. 2. cap. 38. num. 14.*

3 Verùm ambas sententias probabiles esse, licèt existimem; nihilominus assero, fatendum esse id in confessione, quando adest pactum expressum cum dæmone; vt *Suarez loco, quo suprà*, optimè probat: Quamuis etiam dicamus, diuinationem, in qua est pactū expressum, esse eiusdem speciei moralis cum ea, in qua adest pactum implicitum; & solam differre modaliter, seu (vt alij volunt) sicut completum, & incompletum, perfectum, & imperfectum intra eandem speciem. Quod dicit Suarez esse probabile: sicut profectò expressa, & tacita sunt eiusdem speciei. Et ratio est, quia longè diuersum iudicium est faciendum in confessione de pacto expresso, quàm de tacito, ob grauitatem delicti, & malitiam, quam continet pactum expressum. Quare Diuus *Thomas 2. 2. quæst. 95. art. 3. ad primum*, ait; *Multò grauius est, Dæmones inuocare, quàm aliqua facere, quibus dignum sit, vt se homines ingerant.*

4 Hinc infert, & benè, Sanchez, loco, quo suprà, non esse audiendum Victoriam proximè allegatum, quatenus asserit, sufficere fateri, dicendo, se fuisse superstitionis mortalis reum; quia non satis explicaretur malitia specifica, & grauitas peccati; potest enim superstitio illa contingere cum pacto implicito, aut cum pacto explicito cum dæmone; & ideò semper est in confessione aperiendus modus diuinationis, saltem in ordine ad pactum explicitum; eò magis, quia huiusmodi pactum semper hæresim continere contingit: vt certum est ex supradictis.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum Religiosus de rebus occultis, vel futuris ferens iudicium per Astrorum constellationes, sit censendus ita sortilegus, vt in hunc casum incidat reseruatum?

Certum est, diuinationem tunc esse superstitiosam, & prohibitam, quando nec diuinæ authoritati, nec naturali cōnexioni effectuum cum suis causis, causarumque cum suis effectibus est fundata: vel quando in hac ipsa inuestigatione modum excedit, vt ex supradictis patet. Necessarium autem esset, ad maiorem huius materiæ cognitionem, per singula huius diuinationis signa discurrere, & expendere, quantam habeant cum effectibus, qui ex illis prædicuntur connexionem, vt clariùs constaret, quando diuinatio in vnoquoque signo perniciosa sit. Sed quantum ad rem nostram spectat, satis nobis est, in particulari tractare de diuinatione, quæ per Astra, seu per manuum, seu altera corporis lineamenta fit, quia ad rem nostram magis spectant; & his diuinationis generibus frequentiores solēt esse Religiosi, pro vt experientia sæpe nos docuit; igitur de prædictionibus ex Astris in hac quæstione dicendum est, & explicandum, quando illicitæ sint, & in quo gradu ex genere peccati. Supponimus enim, non omnem prænotionem ex syderum obseruationibus sumptam esse illicitam, neque prohibitam, vt videbimus: Nam iura etiam Canonica aliquam permittunt, & ratio ipsa naturalis docet, cùm cæli, & astra naturales causæ sint inferiorum effectuum, ab illis vt tales sunt, aliquorum cognitionem effectuum desumi posse. Quia verò illæ causæ non sunt per se causæ omnium effectuum, qui in hoc fiunt orbe inferiori; & eorum, quorum sunt causæ, non semper sunt solæ, sed aliarum indigent cooperatione: neque enim semper sunt efficaces, quia impediri possunt; ideò etiam est constans, multos ex his effectibus non posse cognosci per Astra, vel cum certitudine. Eò vel maximè quòd licet Astrorum virtus multum valere possit ad hos effectus, tamen à nostris sensibus est remotissima, & maiori ex parte occulta, & ex hoc etiam capite necesse est quoque, vt nos multi ex his effectibus lateant. Vt ergo clarè, & distinctè procedamus in hac quæstione, primò agemus de Astrologia naturali, secundò de iudiciaria.

CAPVT PRIMVM.

Futurarum rerum prænotio per naturalem Astrologiam facta quonam pacto sit legitima.

SVMMARIVM.

1 *Astrologia duplex, naturalis, & indiciaria, & quid sit naturalis.*
2 *Astrologia iudiciaria quid sit.*
3 *Astrologia merè naturalis est de se licita.*
4 *Expenditur motus proprius Sixti Quinti, demonstraturque, non aduersari naturali Astrologiæ.*
5 *Naturalis Astrologia quam maximè deseruire potest generi humano.*
6 *Religiosus, qui futura prædicit ex naturalis Astrologiæ vsu, non est sortilegus.*
7 *Vsus naturalis Astrologiæ è sanctis Patribus commendatur.*
8 *Qui ex naturali Astrologia futura prædicunt, vt de Republica benemeriti sunt prosequendi laude.*
9 *Sancti Patres in veteri testamento Astrologia naturali præditi.*

1 Dvplex igitur est Astrologia; altera naturalis, altera verò iudiciaria. Naturalis, quæ medicinæ, agriculturæ, & nauigationi multum deseruit. Ea autem est, quæ ex situ, cursu, motuque Astrorum, ea, quæ naturaliter contingunt, coniectat; vt Eclypsim, pluuias, grandines, tempestates, & cætera huiusmodi. Ita *Martinus del Rio lib. 4. magicar. disquisit. cap. tertio, quæst. prima, Sanchez in oper. moral. lib. 2. cap. 38. num. 27. Pater Suarez tom. 1. de Religion. lib. 2. cap. 11. num. 2. Azor. institut. moral. lib. 9. cap. 13* & alij. Iudiciaria est, quæ syderibus,
2 & Astris varios, ac multiplices influxus adscribit,

quorum obseruatione, notationeuè certò prænunciat fortuitos rerum euentus, & ea, quæ libera hominis volũtate peraguntur: præterita item, & præsentia hominibus penitus incognita, & occulta; & huius tres sunt partes, de quibus capite sequenti agemus.

3 Prior igitur Astrologia coniectans, quæ naturaliter contingunt ex Astrorum aspectu, est de se licita. Ita *Pater Suarez, Sanchez, Delrius, Azorius,* & alij communiter. Et similiter non est illicita, quatenus coniectat ex astrorum aspectu, considerando natiuitatis punctum, temperamenta, & hominis propensiones; quia hæc scientia ad id se extendere potest. Ita docent *Abbas Panormitanus cap. 2. de sortilegijs nu. 7. Caietan. 2. 2. quæst. 95. art. 3. in fine. Emmanuel tom. 1. summæ cap. 7. nu. 3. Suarez vbi suprà num. 8 & sequentibus, Salas par. 2. quæst. 9. art 5. tract. 5. disput. 2. sect. 8. num. 79. Sanchez, & Martin. del Rio locis citatis.*

4 Nec obstat motus proprius Sixti Quinti, contra Astrologos, quoniam hoc iudicium ibi non damnatur: quod enim ibi (vt infra videbimus) damnatur, est, quando casus fortuiti, aut à libero pendentes arbitrio prædicuntur; vt eleganter *P. Suarez num. 12.* obseruat. Nam Summus Pontifex ibi, dum damnat artes inuentas ad futuros prænoscendos fortuitos euentus, limitationem interponit, dicens: *Ex certis dumtaxat futuris euẽtibus ex naturalibus causis necessariò, vel frequenter prouenientibus, quæ ad diuinationem non pertinent.* Nam diuinatio in malam partem sumitur, & propriè tantùm est de contingentibus, & per se occultis. Et paulò inferiùs aduersus Astrologos iudiciarios legem ferendo subiungit: *Præterquàm circa agriculturam, nauigationem, & rem medicam.* Quia nimirum hæ artes obseruationibus vtuntur eorum effectuum futurorum, ac naturalium, vt sunt æstus, frigus, pluuiæ, serenitas, tempestas, & similes. Ratio est, quia hi effectus non sunt per se occulti, sed verè iudicari possunt per suas causas: Atqui huiusmodi causæ sunt celi, Astrorumque influxus, vt de se patet; Igitur nec est per se malum illos per tales causas inuestigare, nec est cur hoc prohibeatur, cùm ad vsus vitæ humanæ admodùm vtile esse possit. Et ideò fortasse Diuus

5 *Hieronymus in Epistola 130. ad Paulum*, inter artes vtilissimas generi humano ponit non solùm Astronomiam, sed etiam Astrologiam, hanc scilicet naturalem.

De secunda verò nostræ instructionis parte anceps videtur *Sanchez, vbi suprà num. 29.* Sed quia de hac re infrà latè erit agendum, consultò omitto.

6 Religiosus ergo, qui futura prædicit uirtute, seu ex naturalis Astrologiæ vsu, non est sortilegus; Quinimò ut de Republica benemeritus dignus est laude, ac premio. Ita colligo ex Doctoribus citatis, præsertim *Portel in dubio Regul. verbo, sortilegia.* Quod certè non obscurè insinuant

7 Patres, præsertim *Chrysostomus orat. 9.* ex nouiter additis in *tom. 5. Hieronym. loco cit. Diuus August. Epistol. ad Ianuar.* ubi ita affatur: *Non autem quisquam sapiens arbitratur, obseruatores temporum esse reprehendendos; quia dicunt, non proficiendum hodie, quia tempestas exorta est, & cet. vel si qui fortè alij naturales effectus circa motum aeris, & humoris, ad vitandas temporum qualitates, ex syderum ordinatissima conuersione notati sunt, de quibus dictũ est, cùm conderentur, vt sint in signa, tempora, dies & annos.* Item Diuus *Chrysostomus in Genes. cap. 1, hom. 6. Quid est,* inquit, *in signa, & tempora, & dies, & annos? docere nos vult Diuina scriptura, quòd horum cursus scientiam nobis concedit temporum, & vicissitudines versionum, numerum dierum, anni curriculum, & ex his possumus dignoscere omnia.* His addo *Arnobium contra gentes lib. 1. ubi, syderum,* (ait) *motus certis signis partibus variorum discriminũ afferunt necessitates, & statutis temporibus rerum vicissitudines.* Et certè laudandi sunt homines, qui per Astra hæc nobis innotescunt. Etenim certum est, quod multa, quæ in hoc uniuerso euentura sunt, aliquando Benignus Deus per Astra, uel per alias res naturales hominibus insinuare uult; ut *Eucherius, Perrera,* & alij in primum Genesis caput notant. Et *Suarez tom. 2. ad tertiam partem disput 14. sect. 6. Valentia 2. 2. quæst. 12. puncto 3. Azor. instit. moral. par. 1. lib. 9. cap. 14.* & alij.

8 Quòd autem ut de Republica benemeriti laude sint prosequendi qui hanc naturalem exercent astrologiam, ex eo ostendo, quia Primus noster Parens hanc obtinuit à Deo scientiam, quam posteà suos docuit filios; ut Diuus *Chrysostomus, Perrer.* & alij ad secundum Genes. caput scribentes tradunt. Præsertim *Sixtus Senensis in*

9 *Bibliotheca lib. 15. cap. 11. Solian. in annalib. sacris tom. 1. die 7.* & alij apud *Torreblanc. de iure spirit. lib. 7. cap. 2.* Item hac scientia prædictum fuisse Enoch, demonstro ex illis uerbis Epistolæ Canonicæ Diui Iudæ Apostoli, ibi: *Prophetauit autem de his septimus ab Adam Enoch;* quod *de naturali Astrologia interpretantur Patres Origenes hom. 28. innumer. Tertullian. Arnob.* & alij citati à *Bernard. Aldret. lib. 4. de las antiguedades de España cap. 12.* Nec minus perfectissimus fuit Noe in hac naturali Astrologiæ scientia; ut testatur *Verosus de Noe lib. 3.* ubi inter cætera ita inquit; *Tunc sanctissimus omnium Pater Noha iam ante edoctus Theologiam, sacrosq; ritus, cœpit item docere humanam sapientiam, docuit illos etiam astrorum cursus, distinxit Annum, ac cursum Solis, & duodecim Menses ad motum Lunæ.*

Abraham etiam naturalis Astrologiæ præcellens fuit, quatenus illius notitiam à Deo excepit, & certè quando ei Generationis suæ dilatationem illæ promisit ex hac parte illam comparauit. Nã Genes. cap. 15. ita legimus: *Eduxitq; eum foras, & ait illi: Suspice Celum, & numera stellas, si potes, & dixit ei; sic erit semen tuum.* Similiter Moyses in aula Regis Pharaonis educatus omni Aegyptiorum sapientia edoctus fuit, quorum cùm præcipua fuisset Astrologia, ab ea expers non fuit. Ita colligitur ex *Diuo Luca in Actis Apostolorum cap 7.* ibi; *Moyses fuit eruditus in omni sapientia Ægyptiorum.*

Rex

Rex Dauid Astrorum cognitione quam maximè fuit eruditus, vt colligitur ex Psalmo 18. & ex Psalm. 103. eiusque filius Salomon Rex Sapientissimus hanc scientiam à Dño Deo acceptā apertè testatus est, cap. 7. lib. Sapientiæ, ibi: *ipse enim dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram. & scientiam dispositionum Orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium, & consumationem, & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, anni cursus, & stellarum dispositiones.*

Demùm sanctissimum Iob naturalem Astrologiam edoctum fuisse, nos sacra Scriptura docet, dum in sciendis tempestatibus, aut insignibus aeris permutationibus efficiendis trium syderum fecerit mentionem, quas ad hanc Astronomorum doctrinam commendat; Ille enim cap. 9. ait; *Qui facit arcturum, & orionas, & Hyadas in interiora Austri.* Arcturus dicitur Stella ab ethemplarus cæteris lucens. Orion pulcherrima est constellatio, & est decem & septem stellarum prope Taurum. Hyadas septem stellæ sunt inter Cornua Tauri, sic dictæ à pluuia, quam ciere solent; vt tradit *P. Reuera in Amos cap. 5. num. 24.* Vnde Virgilius Aeneidos 1. cantabat.

Vndè imber, & ignis.

Arcturum, pluuiasq; hyadas, geminosque Tritones.

Et Ouidius lib. 5. Faustorum cantat.

Ora micant Tauri septem radiantia flammis.

Nauita, quas Hyadas Gratus ab imbre vocat.

Multa alia ad idem ostendendum possem adducere, sed breuitatis causa, illa consultò omitto; Nam hæc satis sunt ad nostrum institutum.

CAPVT SECVNDVM.

Astrologia iudiciaria in quibus casibus non possit esse illicita, ostenditur.

SVMMARIVM.

1 *Astrologiæ iudiciariæ tres sunt partes, & quæ illæ sint.*

2 *Religiosus futura prædicens maiori firmitate, quàm ex Astris haberi potest, est sortilegus, & hunc incurrit casum reseruatum.*

3 *Religiosus, qui ex solo corporis temperamento, vel alijs circumstantijs, sumeret probabilem coniecturam, & aliquid prædiceret, non est sortilegus.*

4 *Religiosus, qui ex tenuissima illa coniectura, quam ex Astris habere potest, aliquid prædicit, non est sortilegus.*

5 *Diuinatio futurorum, etiam si ex leuissima coniectura per Astra comparata fiat, interdicitur in motu proprio Sixti Quinti.*

6 *Astrologi quoad forum externum subiacent in his diuinationibus pœnis in dicto motu proprio contentis.*

7 *Motus proprius Sixti Quinti in vtroque foro obligat, secundum sententiam Authoris.*

8 *Religiosus, qui futura dubitanter prædicit, in foro interno licèt non sit sortilegus, est tamen in foro externo, & huius primi casus reus.*

9 *Astrologia versans circa reuolutiones totius anni licèt non sit superstitiosa secundum* Martinum del Rio, *interdicitur nihilominus à Sixto Quinto.*

1 ASTrologiæ iudiciariæ tres sunt partes: Prima dicitur reuolutionum, quæ prædicit totius anni belli, pacisque vicissitudines, aeris salubritatem, annonæ pretium, morbos animantium, etcet. Secunda continet natiuitatum magisterium, docens, quid sigillatim homini tota vita obtinget: vt, certo morbo, certo tempore, mense, aut die, aut certo loco hominem periturum; Vxorem diuitem, aut pauperem, pulchram, aut deformem ducturum; fore gratum tali Principi; ad certam dignitatem promouendum. Tertia dicitur electionum, quæ docet, quid in singulis rebus consultò, & vtiliter faciendum, quid omittendum, quando ædificandum, quando mihi nauigandum, equitandumuè, quando egrediendum, domiuè manendum, deniq; quando, & quibus in locis singula facienda, vt fœliciter cedant.

2 Hoc supposito; dico primò, Religiosum hæc absolutè pronunciantem, aut maiori firmitate, quàm ex Astris haberi potest, vt dicendo esse probabile; censendum esse sortilegum. Ita *Martin. del Rio lib. 4. magicar. disquis. cap. 3. quæst. 1. conclus. 3. Patres Sanchez, & Suarez, locis allegatis suprà.* Hæc assertio probatur; quia hoc iudicium absolutè, aut probabiliter, nequit ex solis Astris comparari; si enim inclinationum humanarum id iudicium haberi nequit ex Astris, sed coniectura tantum valdè tenuis, vt pulchrè ostendit *Suarez loco citato num. 9. & Sanchez vbi suprà num. 29.* ne dum actuum liberè producentium, præcedenti tali inclinatione certò cognita; Igitur Religiosus, qui absolutè, aut maiori firmitate prædicet illa, vel ea intentione illam inuestigat cognitionem, tacitè vtitur Dæmonis disciplina, vel vult ab eo hæc edoceri. Sic *Pater Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 11. num 13. Valentia 2. 2. disput. 6. quæst. 12 puncto 3. versiculo, si autem huiusmodi, Lessius de iust. & iure lib. 2. cap. 34. dub. 6. num. 42. Sanchez lib. 2. in oper. moral. cap. 38. num. 33. Martin. del Rio lib. 4. disquis. magicar. cap. 2 quæst. 3.* & alij.

3 Dico secundò, non esse censendum illum Religiosum sortilegum, qui non ex Astris duntaxat, sed ex alijs circumstantijs, & causis particularibus sumeret probabilem coniecturam: vt ex personæ temperamento, ex eiusdemque alijs actibus, & similibus circumstantijs, quia talis obseruantia non est diuinatio, sed prouidentia; nec cum alijs circumstantijs considerare Astra tanquam aliquid conducentia pertinet ad naturalem Astrologiam; vt eleganter *Suarez, & Lessius vbi suprà.* Ita puto sentire Sanctum *Thomam secunda secundæ, quæst. 45. articulo quinto in fine corporis, Sayr. in Claui Regia lib. 4. cap. 7. num. 4. Rodriquez in summa tom 1. cap. 7. num. 3. Caietanum 2. 2. quæst. 95. art. 5.* paulò post

post principium versiculo, in eodem articulo repet. & in fine, Valentiam 2. 2. disput. 6. quæst. 12. puncto 3. versic. iam vero ex conditione, Cardinalem Toletum lib. 4. cap. 15. n. 6. Martin. del Rio loco citato, & alios: quatenus affirmant, non esse superstitiosum, & malum futura prædicere, quando astrologi hæc prænunciant non vt certò euentura: secùs verò, quando vt certa prædicunt.

4 Dico tertiò, non esse Religiosum sortilegum, quando hæc prænunciat sola illa tenuissima coniectura, & certitudine, qua scire potest per astra; & ita habet in mente; vel si absolutè prædicat, ita tamen intendens, & non maiori certitudine: quia coniecturalis cognitio, vt sic pendentium ex libero arbitrio potest haberi. Ita *Sanctus Thomas Caietan. Valentia, Sayr. locis citatis, & Panormitan. cap. 2. de sortilegijs nu. 7. Sanchez vbi suprà num. 34.*

5 Sed quæres; an interdicatur hæc futurorum predictio hac modo declarata motu proprio Sixti V. contra Astrologos? Respondeo, interdici illis verbis: *Statuimus, vt contrafacientes iudicia; & Natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus, successionibus, fortuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid euenturum affirmare audent, etiam si id à se non certò affirmari asserant, aut protestentur &c.* inquirant, & procedant in eos seueriùs Canonicis pœnis, & alijs eorum arbitrio animaduertant.

6 Verùm *P. Suarez* existimat, hoc ad solùm forum externum referendum esse, atque ita ait præsumi in foro externo Astrologos diuinatores, & uerba addita proferre ad occultandam malitiã diuinationis. Idem docuisse uidentur *Valentia 2. 2. disput. 6. quæst. 12. puncto 3. versic. si autem, & Martin. del Rio lib. 4. disquisit. Magicar. cap. 2. quæst. 3.* fatetur tamen *Suarez*, non deesse in tali prædictione graue peccatum, saltem ratione scãdali, & speciei mali: cùm præsumatur iuris, & de Iure.

7 Veriùs tamen existimo, dicendum esse cum *Sanchez* loco paulò superiùs allegato id in utroque foro per illum motum proprium interdici; quia cùm in eo permiserit iudicium de agricultura, nauigatione, medicina, & alijs rebus naturalibus Sixtus Quintus, de quibus constat, certum iudicium ferri non posse, sed ualdè dubium; & deinceps absolutè interdicat illud circa casus fortuitos, & pendentia ex libero arbitrio, etiam cum eo dubio videtur in hoc posteriori prohibitionis casu loqui in utroque foro, sicut in priori permissionis loquitur in utroque. Ratio prohibitionis est, quoniam hìc modus diuinandi futura Reipublicæ est ualdè perniciosus, & expositus multis superstitionum periculis, & calumnijs diuinatorum fingentium id dubium. Et ita sentit *Salas 1. 2. q. 9. art. 5. tract. 5. disput. 2. sect. 3. num. 36. & sect. 8. num. 80.* putat esse probabile, hoc esse peccatum lethale, ob grauem prohibitionem in

8 eo motu proprio latam. Hinc infero, quòd quãuis Religiosus, qui futura dubitanter, seu non certò prædicit, non esset sortilegus saltem in foro interno, esset tamen in foro externo; ac proinde incideret in casum hunc reseruatum.

9 Insuper ex his deducitur, quo pacto veniat intelligendum id, quod docet *Martin del Rio lib. 4. cap. 3. quæst. 1.* non esse nempe iudiciariam Astrologiam superstitiosam circa reuolutiones uersantem, prædicentemque totius anni bello, pacisque uicissitudines, aeris salubritatem, annonã, morbos animalium; nec Astrologiam natiuitatum docentem, quid sigillatim toto uitæ tempore homini continget; nec Astrologiam electionum prædicentem, quid in singulis rebus faciendum, & omittendum, quo feliciter cedant: si pronunciet ea omnia non tanquam certa, sed ualdè dubia; & intentio sit uerbis consona. Hoc enim in rebus naturalibus pronunciantis non erit superstitio, etiam si firmiter asseratur; ut præcedenti capite docebamus: at in fortuitis casibus, & in ijs, quæ ex libero pendent arbitrio, & si non sit superstitio ea dicere cum sola tenuissima certitudine, quam habent, ut tertia conclusione probauimus; est tamen interdictum in motu proprio Sixti Quinti. Vndè paulò superiùs ex ui illius diximus, Religiosum hæc ita prædicentem esse in foro externo sacrilegum, & peccare peccato reseruato in Decreto Clementis Octaui.

CAPVT TERTIVM.

Astrologia, quatenus prædicit futura contingentia ex libero arbitrio pendentia, ut falsa, & superstitiosa reprobatur.

SVMMARIVM.

1 *Astrologia diuinatrix, quæ futura contingentia ex libero arbitrio pendentia certè prædicit, est superstitiosa, falsa, & omni iure prohibita.*
2 *Testimonia sacræ scripturæ ex veteri testamento desumpta adducuntur.*
3 *Ex nouo testamento nonnulla alia.*
4 *Astrologia iure ciuili damnatur.*
5 *Abhorrent Sancti Patres quammaximè hanc diuinatricem Astrologiam.*
6 *Diuus Gregorius Papa vrget rationibus contra Astrologos.*
7 *Astrologi humanam tollunt libertatem; & quomodo.*
8 *Astra quomodo sunt signa ad placitum, & dæmoniaca.*
9 *Astrologia res occultas tam præteritas, quàm præsentes, & futurum occultum inuestigans, est superstitiosa, & omni iure prohibita.*
10 *Religiosus quocunque modo futura prædicens ex vi figuræ astronomicæ est Sortilegus, & hunc incurrit casum reseruatum.*
11 *Religiosus, qui figuram pro rebus deperditis efformat, Astrologicam, dicens, in tali loco esse furta, est sortilegus, & hunc incurrit casum reseruatum.*
12 *Religiosus peccat mortiferè peccato hoc reseruato, qui inquirit occulta furta, aliaue delicta, per quamcunque diuinationem.*

13 Nun-

13 *Numquam huius delicti grauitas per ignorantiam excusari potest.*
14 *Hæc diuinatio semper pactum implicitum inuoluit.*
15 *Religiosus, qui per Astrologiam manifestaret delictum occultum, peccaret non solùm peccato sortilegij reseruato, verum etiam contra iustitiam.*
16 *In hunc casum incideret reseruatum Religiosus, qui aperiret, vbi est Thesaurus.*
17 *Religiosus, qui vtitur maleficio ab alijs facto, hunc incidit in casum reseruatum.*
19 *Religiosus recurrens ad Astrologos pro re aliqua occulta scienda, non dicendo, vt diabolum adeat, vel ad veneficium; incurrit hunc casum reseruatum.*
20 *Zahores qui dicantur.*
21 *An Zahores naturaliter possint videre ea, quæ in visceribus terræ sunt abscondita?*
22 *Religiosus non peccat lethaliter, consulens Zahores ad venas aquarum inueniendas; & quare.*
23 *Religiosus, qui Astrologos consulit circa suæ promotionis futurum euentum, hunc incurrit casum reseruatum.*

1 Diuinatrix Astrologia, quæ futura contingentia ex libero pendentia arbitrio ex signis Cęli, Astrorumque certò prædicit, est superstitiosa, falsa, & omni iure prohibita. Assertio est certa, & communis. Ita Theologi omnes tam veteres, quam moderniores; *Sanctus Thom. 2. 2. quæst. 95. art. 5. Seraphic. noster Bonauentura in centiloquio, S. Anton. 2. p. tit. 12. cap. 1. §. 6. Petrus de Tarantasia, Riccardus, Paludanus, Gabriel in 4. sent. Gulielmus, Parisiensis tract. de legibus, Io: Franc. Picus lib. 5. de prænotionib. Iulius Sirenius lib 9. de fato cap. 29. Petrus Cirolus lib. de superstit. p. 2. cap. 3. Michael Medina lib. de recta in Deum fide cap. 2. Pater Suarez tom. 1. de Religion. lib. 2. cap. 11 num. 15. Azor. 1. p. instit. moralium lib. 9. cap. 13. quæsito 1 Sanchez in oper. moral. lib. 2. cap. 38. n. 30. Salas p. 2. q. 9. art. 5. tract. 5. disp. 2. sect. 3. à num. 26 Pereyr. de magia toto lib. 3. precipuè cap. 2. & 3. Sotus in 4. sent. dist. 19. quæst. 3. Sumel 1. p. quæst. 57. art. 3. Fran. Ouied. in 2. sentent. dist. 7. qu. 1. Malderus de virtutib. Theologicis tract. 10. cap. 8. dub. 1. Lessius de iust. & iur. lib. 2. cap. 43. Valentia 2. 2. disp. 8 quæst. 22. punct. 4 Sayr. in claui Regia lib. 4. cap. 5. Bonacina de legibus disp. 3. quæst. 5. punct. 3. n. 10. Filiucius tract. 24. cap. 4. qu. 1. Coriolanus de casib. reseruatis p. 2. in expositione primi casus, Portel in dub. Regular. verbo sortilegia nu. 29. Franciscus Longus Capuccinus in suo libro de casibus reseruatis Clementis Octaui,* & summistæ omnes *verbo, Astrologia, & verbo, superstitio, & verbo, diuinatio.* ex Canonistis *Panormitanus, Anagn. Ancharan. in cap. ex tuarum de sortilegijs, Cardinalis Turrecremata in cap. illud 26. q. 2. Decius, & Ioannes Andreas in cap. nouit. de iudicijs Simanch. de cath. instit. tit. 6.* ex Iuris cæsarei doctoribus quamplures, *Menochius de arbitrar. lib. 2. casu 388. & de præsumpt. lib. 5. præsu. 7. nu. 21. Lancellot. in templo iudicum lib. 1. cap. 1. §. 3. Farinac. in praxi Criminali tom. 1. qu. 20. num. 57. Oldradus cons. 100. Salicetus in leg. 2. & 5. de Maleficis, & mathem. Grilland. de sortileg. qu. 5. n. 8. & sequentib. & q. 11. n. 16. Cassaneus in Cathal. glor. mund. part. 10. consider. 52.* & alij quamplures apud *Franciscum Torreblanc. lib. 7. cap. 5. de iure spirituali.*

2 Probari autem potest primò ex veteri testamẽto, *Isayæ 47 stent, & saluent te Augures cęli, qui contemplabantur Sydera, vt ex eis annunciarent ventura tibi.* Vbi septuaginta legunt, Astrologi cœli, & Hieronymus addit, *qui vulgò appellantur Mathematici, & ex Astrorum cursu, lapsuque Syderum res humanas regi arbitrantur.* Et ex hoc loco intelligimus, quoties scriptura sacra augures abhorrẽt ac prohibet, hos etiam Astrologos, & Mathematicos comprehendere: nam (vt ait *Isidorus lib. 8. origin. cap. 9.*) Astrologi dicti sunt, eò quòd in astris augurantur. Intelligit verò de iudiciarijs, quia nomen Astrologi, aut Mathematici generalius est, & honestam artem etiam significare solet. Facit etiam illud Ieremiæ 10. *iuxta vias gentium nolite discere, & à signis cęli nolite metuere, quæ timent gentes; quia leges populorum, vanæ sunt.* Vbi simul coniungit Idolatrias quas gentium vias vocat, & diuinationem per astra, quæ signa Cœli appellat, & omnia dicit esse vana.

3 Ex nouo quoque testamento ad idem ostendendum adduci potest illud Pauli ad Galatas 4. *Dies obseruatis, menses, & tempora, & annos. Timeo vos, ne fortè sine causa laborauerim in vobis.* Nam licèt hoc testimonium Pauli alium possit habere sensum; nihilominus in hoc illud vrget contra Astrologos Iudiciarios Sixtus Quintus *in dicto motu proprio dicens: Vt illos meritò Apostolus arguat, atque increpet illis verbis; dies obseruetis, & menses, & tempora, & annos, timeo vos.* Idem de his maximè videtur intelligendum quod dicitur Actorum 19. *eos, qui fuerunt curiosa sectati, tulisse libros, & coram omnibus combussisse.*

Secundo iura Canonica Astrologiam iudiciariam quammaximè abhorrent. *Nam c. illo 26 q. 2.* dicitur: *Planetarios, quos mathematicos vocant, Christiana vera pietas repellit, & damnat.* Sumptaque est hæc sententia ex *Diuo Augustino lib. 4. de confess. cap. 3.* & in ea significatur opus hoc ex se esse malum ac detestabile, non solùm quia prohibitum: & cap. sed & illud, inter alias superstitiones ponitur; *requirere stellarum cursus, & ex his euentus futurorum rimari: ex Origene hom. 5. in Iosue, & in cap. non liceat 26. quæst. 3.* prohibentur Christiani obseruare Lunæ, & Stellarum cursus; *aut inanem signorum fallacia per domos facienda.* Sumptumque est caput illud ex Canonibus Martini Bracarensis cap. 72. Intelligitur autem iuxta subiectam materiam de Lunę, aut stellarum inani obseruatione, & superstitiosa; iuxta Gentilium traditionem, (vt ibidem dicitur) qui putabant Lunam, & Stellas esse Orbis terrarum rectores, (vt dicitur sapientiæ 13.) ex quarum influxu cœtera eueniunt necessariò. Et ideò in Concilio Toletano primo in fidei assertione dicitur: *si quis Astrologiæ, vel mathesi existimat esse credendum, anathema sit.* In quo modo diffiniendi illud significare videntur Patres Concilij, hoc fieri sine hæresi non posse.

4 Præ-

4 Praetereà, Astrologia hoc modo sumpta etiam iure Ciuili damnatur: vt patet in lege, item apud *Labeonem §. si quis Astrologos ff. de iniurijs, & leg. 4. tit. 16. lib. 9 in Cod. Theodos. & leg. artem Geometriae 2. leg. nemo Aruspicem 5. Cod. de Malefic. & Mathem. leg. Mathematicos C. de episcopal. aud.*

Insuper contra hanc diuinatricem Astrologiã scripsere Sancti Patres, praesertim *Diuus Augustinus lib. 5. de Ciuitate Dei, & lib. 2. de doctrina Christiana cap. 20. & seqq. Euseb. lib. 6. de praeparat. Euangelic.* in principio referens Porphyrij insaniam, qui Deos dicebat Gentium omnia ex stellis futura cognoscere, etiam hominum facta: & ideò illa praedicere potuisse. Vndè conijcere licet hanc astrologiam, eiusque deceptionem totius fuisse operis superstitionis diuinatoriae originem: illum verò errorem per totum illum librum confutat Eusebius, stellas non posse, ostendens, liberas impedire actiones, *& cap. 8.* refert optimam disputationem Bardesani Syri de hac re: *& cap. 9.* aliam Briginis, de qua infrà aliquid erit dicẽdum. *lib. etiam 14. cap. 4.* refert, Socratem dixisse Astronomiam. Et ex verbis eius colligitur, Socratem in eam venisse sententiam, vt existimaret, quandam esse vtilem, quae ad cognoscendum tempora deseruit: aliam nimirùm curiosam & parum vtilem non tamen perniciosam, nempe illam, quae nimia sollicitudine astrorum distantias, magnitudines, & similia speculatur: aliam verò esse perniciosam Astrologiam, quae videlicet futura inquirit: proptereà enim aiebat, *omnino non esse curandum homini, vt per Coelestia corpora futurorum,* quae in potestate Diuina sunt, cognitionem perquirat. Nec enim possent homines illa cognoscere; nec diù gratum esset, si quae illis occultantur, ea tu diligenter inquiras.

Anasta: Nicen. quaest. 18 in script. vbi ex Gregorio Nanz. nonnulla refert *Basilius eleganter hom 6. exameroni illud Genesis* primo exponens, vt sint in signa, & tẽpora: Nam quia his verbis Genethliaci abutebantur, ideò contra illos vehementer inuehitur, eumque imitatus est *Ambrosius lib. 4. examero. cap. 4. breuiùs Anast. Sinaita lib. 4. in examerom.* circa eadem verba inquit; *non ea dicit Deus volens Astrologiam docere homines, neque in sola Luna, & astris habere spem gubernationis: vt sapientium Astrologorum videtur vanitati. Olimpiodorus in Eccles. ita legit illa verba; quis nouit, quid sit homini bonum, aut quid futurum est sibi? quis homini nuntiabit, quid post eum futurum sub Sole sit? praesens, inquit, haec auctoritas nostri Ecclesiastae omnẽ funditùs euertit diuinandi superstitionem, vanasque Astrologorum nugas de hominum genituris*: nullus enim mortalium certam futurorum scientiam consequi potest.

Rursùs Cyrillus Hierosolimitanus Cathechisi 4. §. de hominis statu, arbitrij confirmans libertatem, addit: neque enim ex generationis natura peccas, neque propter animam fornicaris, neque (vt nonnulli fingunt) Astrorum inclinationes ad amplectendam impietatem te cogunt, Cur tua ipsius mala confiteri detrectas? cur innocuis astris culpam adscribis, non ergo deinceps attendas astrologis. Et in fine dicit, aequè esse euitandos Astrologos, sicut alios Augures, ac diuinatores. Vndè *Lactantius lib. 2. cap. 17.* elegantissimè notat, Astrologiam esse à Daemonibus inuentam. Itèm *Chrysostomus hom. 6. in Matthęum* efficacissimè eorum confutat errores, qui ex Sydere, quod Christo nato Magis apparuit, veras esse colligebant Astrologiae praedictiones: *Nam si Christus, inquit, secundùm legem natus est,* astrorum quomodo Astrologiam fouit, fatumque destruxit, omnemq; artis huius obruit officinam? quod latiùs prosequitur *hom. 2.*

6 Neque omittam Diuum Gregorium Papam in Euangelia *hom. 10.* vbi haec habet: sed inter haec sciendum est, quòd Priscillianistae haeretici nasci vnumquemque hominem sub constellationibus stellarum putant: & hoc in adiutorium sui erroris assumunt, quòd noua stella exijt, cùm Dominus in carne apparuit, &c. & infrà, sed absit à fidelium cordibus: vbi multis efficacissimis rationibus ex sacra scriptura desumptis diuinatoriam Astrologiam falsam, atque superstitiosam esse demonstrat. Quibus addo *Cyprianum de singul. Clericor. Epiphanium haeresi 16. Iustinum ad Senatum Romanum, Theodoretum in Genesim q. 16. Gregorium Neocęsariensem in Ecclesiasten. cap. 11. Nissenum lib. 6. philos. cap. 1. Damascen. lib. 2. cap. 7.*

7 Tandem ratione à priori ostendi potest, quia vel praedictio futurorum contingentium liberorum, & aliorum motum humanorum in constellationibus, & Astris fundatur tanquam in causis; & sic fundatur in heresi, ideoque non solùm superstitiosa est, sed etiam haeresis confessionem virtute continet: vel fundatur in astris vt in puris signis, & sic continet superstitionem Daemoniacam, eodem modo, quo alia auguria, & diuinationes: necesse est autem, vt in altero horum fundetur; igitur non potest non continere grauissimam, ac perniciosam doctrinam detestabilẽ omnino, grauissimamque culpam. Consequentia, & minor sunt notae; maior verò quo ad priorem partem constat; quia vt praedictio illa possit esse certa, ex constellatione Syderum oportet, quòd ex necessitate ineuitabili talia sequantur futura: & ita ferè antiqui supponebant Gentiles, qui putabant omnia fato euenire, & inde huiusmodi diuinationem commendabant, & arte; vt ex Augustino, Origene, & alijs Patribus suprà allegatis constat. Ergo vtendo hac arte isto modo, tollitur humana libertas, & voluntates nostrae influxibus coelestibus ex necessitate subijciuntur, vitiaque omnia, & peccata non homini, sed cęlo, eiusque authori erunt attribuenda. Denique supponitur, in illo errore animas humanas, & facultates earum, intellectum, & voluntatem materiales esse, & corporeas; quandoquidem necessitati, & influxui causarum subijciuntur corporaliũ; quae omnia falsa, erronea, & hereticalia sunt. Illationes ex doctrina Sanctorum Patrum, quos paulò superiùs citauimus, sunt notae.

8 Quo ad secundam verò partem probatur; Nam

Nam si prædictiones fundentur in astris, non vt sunt causæ, sed vt sunt pura signa, esse superstitiosas, certum est. Nam talia signa, non sunt signa naturalia, quia non sunt causæ determinatæ rerum futurarum, vt supponitur: nec sunt effectus earum, vt per se notum est: nec habent cum illis communem causam in cuius influxu connectantur necessariò: ergo sunt signa ad placitum significantia, & ex illis quæritur cognitio, non in vi inuentionis, sed in vi alicuius disciplinæ. Hæc autem non potest esse, nisi Demoniaca; Igitur in tali disciplina interuenit consortium, & pactum tacitum cum Dęmone, & consequenter omnis superstitio, quæ in illo continetur. Quin potiùs omnis alia superstitio diuinatoria in hoc fundata esse creditur, nam omnia ferè diuinationum alia signa vana in elementis, aut circulis, aut figuris confictis; vel alijs huiusmodi fiunt, obseruando certam aliquam syderum dispositionem, vt quasi inde omnia pendeant.

9 Hinc dico. Astrologiam res occultas, siue præteritas, siue præsentes, vt furtum occultum, Thesaurum, virginitatem, & cętera inuestigantē esse superstitiosam, & omni iure interdictā. Ita docent omnes doctores suprà citati, & specialiter noster *Alexander Alensis 2.p.q.164.membro 6 art. 3. & Turrecremata in cap. illos 26.q.2 art.4. Suarez tom.1.de Religion.lib.2 cap.11.n.27. Sanchez lib. 2. in oper.moral.c.38.n.36. Martin. del Rio lib.4. magic. disquis.cap.2.q.7.sect.4.*

10 Ex quibus omnibus infertur in primis, Religiosum quocunque modo futura prædicentem ex vi Astrologiæ, seu figuræ (vt dicunt) Astrologicæ, esse sortilegum, & in peccatum hoc primò reseruatum illabi, neque posse absolui à quocunq; authoritatem à reseruatis absoluendi habente, nisi priùs certò promittat, & si opus fuerit cum iuramento hanc artem amplius se non exerciturum propter pactum in ea contentum implicite cum Dæmone.

11 Infero secundò, sortilegium esse, si pro rebus deperditis inueniendis figuram formet Astrologicam, dicatque, in tali, vel tali loco esse furta, & furem esse ibi, vel illic, talibusque signatum signis &c. quia hæc per astra sciri nequeunt, vt doctores paulò superiùs allegati affirmant.

12 Infero tertiò, Religiosum lethaliter peccare peccato hoc primò reseruato, qui inquirit occulta furta, aliauè delicta occulta per quamuis diuinationem, hæc enim absque Dæmonis auxilio sciri nequeunt. Ita *Alexander de Ales, Turrecremata, Suarez, Sanchez locis citatis, Emmanuel Rodriquez tom.1. summæ cap.7 nu. 4. Salas prima secundæ q.9. art.5 tract.5. disp.2. sect.8. nu 79. Sotus de iust. & Iure lib. 8. qu. 3. art. 2. ad 3. vers. in his autem:* Ex Astrologis *Nauarrus in summa Latina, & Hispana cap.11.n.3 & Martinus del Rio vbi suprà*: de quo extat capitulum in iure, ex tuarum de sortilegijs, vbi Sacerdos, qui cum quodam infami ad priuatū locum accessit, vt per inspectionem astrolabij furtum Ecclesiæ recuperare posset, licèt sine pacto expresso cum Dæmone, sed ex zelo, & simplicitate id fecisset, grauissimè peccasse dicitur: ac suspensus est ab Altaris ministerio per annum. Ita docent paulò anteà allegati Doctores.

13 *Caietanus 2.2.q.66.art.2.* expendens hunc textū, colligit, ignorantiam raro huius delicti grauitatē excusare. Inde in cap.1. eodem titulo generaliter dicitur, esse prohibitum de furtis inquirere per

14 diuinationem. Quòd verò hæc absque Dęmonis auxilio sciri nequeunt, sic ostendo: quoniam ex astris non possunt occulta ab homine cognosci; & ideò illa inquisitio pactum implicitum inuoluit, quia vel supponit artem aliquam à Demone traditam, vel eò tendit vt Dęmon se immisceat, & quod desideratur ostendat. Antecedens patet, quia vel præteritæ inuestigantur actiones nunc ex dispositione, & aspectu, quæ nunc astra habent; & sic minus possunt ex illis cognosci, quàm actiones futuræ; quia multòminus pendet iam ex cęli causalitate, quàm futura; vt rectè notauit Origenes apud Eusebium suprà. Si verò inuestigantur præterita ex præteritis constellationibus ad illa eandem habent habitudinē causarum insufficientium, & non imponentium necessitatem. Tandem eodem modo comparantur ad illa, sicut præsens constellatio ad futurum comparatur euentum: ergo illa præteritorum contingentium inuestigatio eandem habet malitiam, quam futurorum.

15 Quòd si sermo erit de actionibus, quæ eodem fiunt tempore; vel illæ sunt occultæ, quia sunt actus liberi merè interni; & sic constat, ex astris non posse cognosci, quia non sunt causæ per se illorum, nec in illis ponunt necessitatem: vel sunt actiones, aut res externæ, sed occultæ propter loci distantiam, vel remotionem eius à sensibus hominum: & sic etiam non potest talis effectus cognosci in præsenti per astra, quia non potest haberi notitia intuitiua talis effectus virtute Astrorum, vt de se patet, nec abstractiua, quia etiā ad hoc astra non posuerunt necessitatem, vt res in tali loco reconderetur, velut Romæ nunc hoc, vel aliud fieret ab hominibus; Igitur in his omnibus diuinationibus est idem superstitionis genus, & malitiæ.

Dato nihilominus (quod non concedo, neque à quoquam Catholico concedendum est) quòd certū esset, occultum delictum posse per Astrologiam cognosci; foret tamen lethale peccatum id efficere contra iustitiam; quia iniustè crimen occultum panderetur, vt benè inquiunt Docto-

16 res allegati. Similiter esset peccatum lethale reseruatum in primo hoc casu Magos consulere, vt aperiant vbi est thesaurus, quia cùm ipsi consulto Dæmone id scire possunt, videntur virtualiter velle pactum cum Dæmone, eiusque societatem. Addo idem esse, si consulantur Astrologi ad hoc sciendum, quia similiter sola Dæmonis ope id assequi possunt. Ita Authores suprà allegati.

17 Infero 4. hunc primum casum incurrere Religiosum, qui vtitur maleficio ab alijs facto, vel vtitur eo, quia eadem tacta ratione vult implicitum

tum pactum, & societatem cum Dęmone. Secùs verò, (inquiunt nonnulli Doctores, quos statim citabimus) si iuberet facere illud, & illo non vteretur, vel si consilium daret, vel permitteret fieri, & sic de cæteris; quia solùm facientes, & vten-
18 tes comprehendit casus iste primus. Patet, quia lex prohibens aliquid, & puniens facientem, non punit mandantem, vel consulentem, & similes, nisi exprimat. Ita *Syluester verbo excommunicatio vltima, quæsito 4. Caietanus in summa eodem verbo, Nauarrus in summa cap. 27. n. 41. Portel in dub. regul. verbo, sortilegia num. 30.*

19 Quæres; an Religiosus recurrens ad Astrologos pro re aliqua occulta scienda, non dicendo, vt Diabolum adeat, vel ad veneficium; incurrat in hunc primum casum? Respondet *Portel, vbi suprà*, esse peccatum lethale, quia via illicita scire intendit occultam veritatem: sed an sit peccatū reseruatum excitat, dum putat credibiliter non esse reseruatum; quod mihi minimè probatur; Nam iste Religiosus certò scit, Astrologum non alia via, nisi ope Dęmonis, id scire posse: quamobrem virtualiter videtur pactum velle cum Dęmone, & societatem. Vndè videtur, quod Astrologus facit, ab eo fieri: iuxta vulgatam regulam, quod alius nomine meo facit, ipse facio: ac subinde licèt Religiosus, qui iubet facere maleficiū, vel præstat consilium, (asserant Doctores allegati, præsertim *Portel*) dummodò illo non vtatur; quòd in casum hunc non incidit reseruatum; veriùs nihilominus existimamus ex tacta ratione, comprehendi.

20 Quæres secundò; an Religiosus consulens Zahores pro thesauro, ac aqua inuenienda, peccet mortaliter? & an tale peccatum sit sortilegium; & consequenter reseruatum?

Pro huius difficultatis intellectu præmitto primò; Zahores esse quoddam hominum genus, qui se videre dicunt venas aquarum, & metallorum, cadaueraque in terræ visceribus abdita, atque apostemata, & alia humorum genera intra corpus latentia, non impediente corpore, vel vestitu. Præmitto secundò, nonnullos, hæc fieri posse naturaliter, affirmare; quia huiusmodi ho-
21 mines humori melancholico, & consurgentium vehementiæ vim hanc tribuunt. Hi sunt *Rhodiginus lib. 16. antiq. lect. c. 2. Vayrus lib. 2. de fascinat. c. 4.* Verùm hæc opinio nullo vtitur vero fundamento; quia (vt optimè *Martinus del Rio inquit lib. 1. disquis. Magicar. cap. 3. q. 4. litt. C. vers. adyciam his, & in commentarijs ad Medęa ver. 231.*) illud solùm probat, illos imaginari se videre quæ non vident. Et ideò *Vera cruz lib 2. de anima specul. 2. ad finem* fatetur, se non capere posse, qualiter hæc absque Dæmonis illusione contingant: ac subiūgit, se non audere damnare, quia nouit viros alios probos affirmantes hæc videre.

22 His præmissis, respondeo, Religiosum non peccare lethaliter hos consulens homines ad venas aquarum, & metallorum thesauros inueniēdos præcisè; ratio est, quia venas aquæ possunt cognoscere ex vaporibus manè, & vesperè illic expiratis, & metalla in terræ visceribus abscondita ex quodam herbæ genere ibi nasci solito. Secùs verò de alijs, quæ se videre asserunt præsertim quia dicunt, quæ, & qualia sunt; quare ea manifestant Dæmone illa docente. Etenim impossibile est, visus aciem corpus tam dēsum, & opacum penetrare. Præterea, quia ij vim hanc certis diebus alligant, nempe feria 3. & 6. quod vanæ superstitionis, & latentis cum Dęmone pacti est manifestum signum: cùm hi dies nihil præceteris habeant ad aciem visus acuendam; quo circa peccat Religiosus lethaliter, inciditque in hunc primum casum reseruatum hos circa eas consulens, quia sola Demonis ope hæc prædicunt. Ita *Pater Sanchez lib. 2. in oper moral. cap. 38. n. 37. in fine, & Martin. del Rio* latè hoc ostendens *lib. 1. disquis. Magicar. cap. 3. qu. 4. vers. adyciam his*, & in comentarijs ad *Medęam vers. 231.*

23 Infero tandem, sub hoc casu comprehendi Religiosum, qui Astrologos consulit circa suæ promotionis futurum euentum, ex dictis suprà; quia cùm id scire non possit talis Astrologus, nisi ope Dęmonis, vult virtualiter inire pactum cum illo, & ideò sortilegus censendus est.

CAPVT QVARTVM.

Rationibus, quæ fieri solent ab Astrologis pro eorum sustentandis erroribus aduersus veram & Catholicam nostram doctrinam proximi capitis, occurritur.

SVMMARIVM.

1 *Effectus futurus cognoscitur infallibiliter euenturus per cœlorum vniuersales influxus, etiam si à causa libera producatur.*
2 *Summi Romani Pontifices ex quo ducantur ad Astrologiam iudiciariam interdicendam.*
3 *Infallibilitas effectus non infert necessitatem, nec libertatem tollit.*
4 *Dei infallibilis futurorum scientia nostram non tollit libertatem.*
5 *Deus nostram determinat voluntatem, non tamen eam necessitat.*
6 *Deus vt naturæ Author hominum determinat voluntates ad materiale peccatorum.*
7 *Astra per proprium influxum non possunt liberas causas ad vnum determinare: & quare.*
8 *Necessitari est ad vnum determinari peractionem necessariam.*
9 *Infallibilitas scientiæ Dei non præcedit effectum futurum, sed sequitur: Quare.*
10 *Deus nostras mouet voluntates suaui modo, moderando motionem nostra libertate.*
11 *Ex Astrologorum euasionibus nullam humanam sequeretur Creaturam liberè operari, nullum esse peccatum.*
12 *Obiecta sensibilia nullam habent virtutem ad vnam determinandam voluntatem humanam.*
13 *Astrologiam Iudiciariam putant Theologi Dæmoniacam, & superstitiosam.*
14 *Thesaurus in terræ visceribus à Dæmone absconditus, liberè abstrahi potest.*

15 Signa

15 *Signa Astronomica sunt Diuina à Deo instituta.*
16 *Dei præscientia nostræ non præiudicat libertati. Quare?*
17 *Occultam veritatem à Dæmone inquirere semper est ex se mortiferum.*
18 *Vsus Philosophiæ ope Dæmonis comparatæ ad veritatem acquirendam non est prohibitus.*
19 *Pronostica raro vera, & qui his fidem præstant cum Dæmone ineunt pactum.*
20 *Astrologi Dæmones obligant ad procurandum vt eueniant ea quæ per Astra prædicent.*
21 *Astra non sunt omnium futurorum certa signa. Expenditurque Hyeremiæ Testimonium.*
22 *Nunquam hominibus innotuit Astra esse certa futurorum signa.*
23 *Astra non habere influxum, qualem Astrologi inquirunt, docent Sancti Patres.*
24 *Astra sunt signa æquiuoca iuxta Astrologos.*
25 *Testimonium Sacræ Genesis dilucidè exponitur.*
26 *Adducuntur Esay. Testimonij variæ declarationes.*
27 *Cæli quomodo dicuntur complicari.*
28 *Orratio illa Ioseph falsa.*

1 MVlta nobis respondere Astrologos (quos
sæpè redargueri ipse conatus sum;) experientia
comperi. Nã ad habendam ex Astris certam,
veramque cognitionem, satis esse, aiunt, vt
Cæli, tanquam causę vniuersales, etiam humanas
voluntates ad vnum infallibiliter operandum influant:
Nam ad prædictionis certitudinem sufficit,
quòd effectus sit infallibiliter futurus, & vt
talis cognoscatur, etiam si non ex necessitate
eueniat, sed liberè; Igitur non sequitur ex eo, illicitam
esse Astrologiam, quia libertatem tollit
arbitrij, aut humanas necessitat voluntates, ex
Cęlorum influxu. Potissima quippè ratio, qua
2 mouentur Pontifices ad hanc iudiciariam interdicendam
artem, est, quia vel tollit liberi arbitrij
vsum, vel voluntates nostras necessitat; Igitur his
ablatis, non est cur dicatur illicita. Et certè aliud
est, effectum esse infallibiliter futurum, aliud esse
3 euentum necessariò, seu ex necessitate: nam infallibilitas
necessitatem non infert, nec libertatem
tollit; vt in diuina scientia constat, etenim (vt
4 scholastici omnes docent) infallibilis futurorum
scientia Dei nostram non tollit libertatem. Similiter,
aliud est voluntatem determinari à Superiori
causa, aliud necessitari; quia (vt multi vo-
5 lunt) Deus determinat illam, & nihilominus non
necessitat: Igitur si quis de Cęlo ita respondeat,
non cogetur fateri, illos errores, quos suprà, sequi
ex futurorum prænotione ex vi Astrorum
influxus habita diximus. Atque eadem ratione
non sequitur, Cælum, vel Deum Authorem
naturæ esse causam peccati, nisi quo ad materiale,
quod Scholastici non abhorrent, quatenus
dicunt Deum hominum determinare voluntates
ad peccatorum materialia.
7 Verùm quamuis hæc Astrologorum defensio
aliquam habeat apparentiam, nihilominus esse
falsam ex Sanctorum Patrum doctrina, & ex euidenti
ratione demonstro; nam non minus falsum
est dicere voluntates hominum determinare
ad vnum per Astrorum influxum, quàm necessitari:
quia stellæ naturaliter influunt, ac necessariò
quantum possunt; Igitur si nostras possent
ad vnum determinare voluntates foret illa
determinatio merè naturalis physica, & necessaria,
& præueniens humanæ libertatis vsum:
Non enim in nostra esset potestate illam impendere,
neque in Cælorum potestate esset illam suspendere
aut moderari; igitur talis determinatio
infert necessitatem, vel potius vt *Suarez* eleganter
docet est idem cum illa, & quasi illius descri-
8 ptio: quia necessitari nihil aliud est quam ad
vsum determinari per actionem necessariam,
quæ non fit in illius potestate qui determinari dicitur.
Si ergo futuri effectus infallibilitas quæ ex
tali prouenit determinatione optimè libertatis
infert euersionem & necessitatis inductionem
simpliciter, quia est necessitas antecedens ac
9 merè naturalis consequens. Et ideò non est simile
de scientia Dei; nam infallibilitas eius non
est, antecedens, sed consequens, nec est in causa
per determinata ad vnum sed in effectu liberè
futuro & obiectiuè presenti in æternitate. Quod
autem de Deo nostram determinante voluntatem
antecedente dicebatur aliquo influxu ab ipso
solo præcedente falsum quidem est sed non in
eo gradu certitudinis, quo ille error quem nunc
improbamus, quia inter Deum, & Cælum ali-
10 quæ possunt assignari differentiæ; Nam Deus liberè
mouet, Cælum naturaliter: Deus suaui
modo & sapientia ac libertate sua moderando, &
accommodando motionem: Cælum verò mere
naturaliter operatur, & quantum potest: denique
Deus mouet spiritualiter; Cęlum verò materialiter,
& quamuis hæc differentiæ adeò materiales
sint, vt negari nequeant, quin expredictæ
æquiparationis & Sanctorum Patrum doctrina
in presenti materia contra illam sententiam,
quam Astrologi ad sui afferunt defensionem
in illo sensu intellectam magnum sumatur
argumentum quicquid de illa sit sentiendum
modo non curo; quia non est præsentis speculationis.
11 Ad illud verò de causa peccati Respondetur,
posito illo influentiæ cælestis genere, in nostram
voluntatem potius sequi, nulla esse peccata, quia
sine libertate non peccatur, tunc autem nulla esset
libertas: essent tamen ad obiectã turpia conuersiones
prauæ, quæ si liberè fierent essent peccata.
Et ita euidenter sequitur ex illa ratione,
quæ nunc sunt peccata, & nobis tribuuntur, qui
liberè fiunt à nobis ex illa hypothesi Deo fuisse
tribuenda quo ad illam turpitudinem, quia tunc
ex necessitate haberent; atqui hęreticum est dicere
primam causam, & radicem omnium actionum,
quę turpiter ab homine fiunt, esse in Deum
referendam: Neque hoc vllus Theologorum admittet,
eo quòd aliàs omnes tribuũt illam deter-

minationem Deo, qui cum illa conatur componere libertatem, ratione cuius saluari putāt, quod malitia in hominem, & non in Deum refundatur: Verùm quicquid de hoc sit, modò non disputo, est enim altioris materiæ alibi tractandæ.

12 Ad vltimum denique respondetur, non minus euidens esse, causam corporalem spiritualem ad vnum non posse determinare voluntatem de se liberam, ac non posse illam necessitare; tum quia hæc duo idem esse, maximè respectu causæ naturaliter operantis; tum etiam quia neutrum fieri potest, nisi per influxum directum, & immediatum in ipsam voluntatem: nam sensus, & sensibilia obiecta non habent efficacitatem, seu virtutem ad vnam voluntatem determinandam humanam quacunque ratione, aut modo proponantur; quod in actionibus non fit humanis, de quibus modò est sermo, & quæ futura contingentia vocantur, de quibus Astrologicæ fiunt prædictiones.

13 Secundò arguunt Astrologi; quia si Astrologia superstitiosa, mendax, falsa, & erronea existimatur, est quia cùm vtatur ad prædicendum Astris, signisque, putant theologi Dæmoniacam: atqui hoc est falsum; igitur ex hoc, quòd vtitur astris ad futura prædicenda, non est superstitiosa, falsa, & erronea Astrologia. Consequentia hæc patet, nam asserunt, suis Regulis, & experimentis inuenire vera esse, quæ prædicuntur per talis artis peritiam; si autem solent eam inquirere veritatem, quæ vbique inuenta fuerit, ambalis est, & iustè arripi potest. Cur ergò, si comparari potest per astra, erit illicitum vti cælestibus signis, quæ prædocet Astrologia; etenim hoc ita verum existimant istius artis amatores, quòd veritas non minus potest quæri per astra, & licitè; veluti licitum est thesaurum absconditum in visceribus terræ, etiàm si ab ipso Dæmone fuisset absconditum, abstrahere.

15 Minor, in qua est tota difficultas, ostenditur, quia signa illa sunt diuina; quia Deus in Cælo medijs astris omnia scripsit futura, & quantumuis contingentia, & libera; vt patet ex illo *Genesis 1. Et sint in signa, & tempora, & Dies, & annos*. Igitur Astrologia docens hanc astrorum significationem non erit Dæmoniaca, sed diuina scientia, vtēs signis diuinis. Adhoc confirmandum adducunt *Origenem apud Eusebium lib. 6. de præparat. Euangelic. cap. vlt.* Vbi postquàm latè ostendit, stellas non esse nostrarum actionum causas, ait non esse inconueniens significans esse signa à Deo instituta; quia significatio non ita nostræ libertati repugnat, sicut efficientia. Dei enim præscientia nostræ non præiudicat libertati; ergo nec signa per eam data, vt manifestum est de prænotionibus in sacra contentis scriptura; sic enim (ait) *fieri potuit Cælum tanquam liber à Deo conscriptus ad futura significanda*. Adducitque orationem quandam Ioseph, in qua dicit: *Legi in tabulis Cæli quæcumque contingent vobis, & filijs vestris*. & illud *Isa. 34. Complicabuntur Cæli vt liber*: quia nimirum eius significata impleta iam erunt.

17 Respondeo negando minorem præpositionem, & consequentiam, & ad probationem dico in primis, veritatem occultam à Dæmone inquirere, aut discere, semper esse per se malum: & hoc sensu falsum est, esse licitum arripere veritatem à Dæmone. Eodem modo si ad effodiendum thesaurum occultum oporteret à Dæmone discere, & vbi esset; non liceret id ab illo quærere, quia iam cum illo iniretur societas: secùs verò esset, si aliàs patefactum esset, vbi fuisset absconditus thesaurus; nam tunc licèt opera Dæmonis ibi esset repositus, licitum esset illum effodere, quia hìc nullum esset pactum cum Dæmone.

18 Atqui eadem proportione, si quis ope Dæmonis didicisset philosophiam, quæ semel acquisita iam non dependeret ex Dæmonis testimonio, sed ex suis certis principijs; non esset profectò illicitum inde naturalem discere veritatem, quia tunc iam nullum esset cùm Dæmone commercium. Non est autem sic in præsenti, sed prænotionis credulitas semper Dæmonis vtitur authoritate, qui signum imposuit, seu (quod idem est) persuasit hominibus, talia astra esse signa talium futurorum, & vera significare. Vndè vlteriùs negamus, in tali prænotione, vel inquisitione veritatem in-

19 ueniri im nò dicimus, eum, qui hoc supponit, fidem Dæmoni iam præstare, & cum illo pactum inire. Nec refert, quòd interdum eueniant, quæ sic prædicuntur; quia hoc est rarum, & casuale: vt docet *Diuus Augustinus de Diuin. Dæmon. c. 3. & lib. 2. de doctrin. Christian. c. 24.* & sæpe ab ipso Dæ-

20 mone procuratum ad homines decipiendos. Vndè fit, vt per talem artem, quasi obligentur Dæmones ad procurandum, vt eueniant ea sicut per astra iuxta suas institutiones prædicuntur, & consequenter, vt homines illis vtendo, tacitè Dæmonum implorent auxilium, ad hoc, vt eueniant ea, quæ ipsi prædixerunt.

21 Ad probationem verò minoris respondeo cū *Martino del Rio lib. 4. Magicar disquisit. cap. 3. q. 1. & P. Suarez tom. 1. de relig. lib. 2. c. 11. nu. 24.* astra non esse signa futurorum omnium certa, quocunque verò modo asseratur, esse falsum, & erroneum; & vti tali arte esse vanum, & superstitiosum: absolutè enim, & absque vlla distinctione damnatur ab Ecclesia: & *Ierem. 10.* ad illam irridendi euasionem dicitur: *à signis Cæli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges Populorum vanæ sunt*: siue ergo timeantur vt causæ, siue vt signa, vanum est. Vndè *Origen.* hoc ipsum testimonium adducens, non videtur persistere in priori sententia, sed concludit: *Ieremias autem, vt homines ad seipsum conuertat, & vt formidinem, quæ à signis impendet, auferat: ac vt omnem forsàn huiusmodi opinionem ab hominum animis deijciat, à signis, inquit, Cæli ne timeatis*. Igitur sentit, radicitùs esse tollendam talem de signis Cæli opinionem, quia quomodocunque ex illis certò præsciri possint futura, eadem sollicitudo, ansietas, & perniciosa curiositas in omnium hominum remaneret animis: & insuper ea etiam isto modo pactum tacitum cum Dæmone minimè excluderetur.

22 Con-

22 Concesso nihilominùs, astra talem à Deo habere significationem; vndè quæso esset hominibus nota? illam profectò Deus non reuelauit; quòd si eam Deus reuelauerit, vndè constat de tali reuelatione? numquid in Astrologorum regulis? At illæ sunt incertissimæ, & sæpissimè deficiunt, ac mentiuntur, quod est Dæmonis proprium. Necessarium igitur est, vt à Dæmone quæratur illa significatio tanquam ab eo, qui illam cognoscit, & per ea futura præscit, & sic eadem committitur superstitio.

23 Demùm plusquàm falsum est, astra imposita ad huiusmodi significationem posse talem habere influxum, qualem ab illis petunt Astrologi; vt rectè probant *Gregorius hom. 10. in Euangel. & Augustin. lib. 5. de Ciuit. Dei per septem prima capita*: vanis omnibus occurrendo Astrologorum euasionibus, præsertim argumento facto de geminis, & varijs illorum moribus. Nam sicut indirectè infertur, eos non necessitari à cœlo, ita conuincitur, non significari: Quia stellæ significantes, & earum concursus, seu aspectus idem est; Igitur non potest de vno gemino significare, quòd erit malus, & de alio, quòd erit bonus; quia vnum signum in se vniforme, & eodem modo se habens in duobus sub eodem signo natis, non potest significare contraria. Vel si in vno bonitatem significat, & malitiam in altero, falsum est signum, & non est à Deo.

24 Quòd si dicatur, esse veluti æquiuoca signa ad plura significandum imposita, tunc constans est, quòd incerta, & æquiuoca tota redditur significatio: nec certis potest comprehendi regulis quas tradunt Astrologi, sed oporteret singulis significationes, seu impositiones anteà præscire per eius reuelationem, qui talia signa imposuit. Vndè esset superflua, (quia reuelatio per se satis est) & ad saluandas Astrologorum vanitates est prorsus inutilis.

25 Venio modò ad scripturæ sacræ testimonia, quæ pro illa significatione suadenda afferuntur; nam nullius sunt roboris. Verba enim illa primi capitis Genesis ab omnibus Patribus (vt eleganter *Martinus del Rio, & Suarez locis citatis* obseruant) intelliguntur de signis à Deo datis ad numerandos annos, dies diuidendos, & tempora apta ad vsum huius vitæ cognoscendum, & ad nauigandum, seminandum, & alios vsus vitæ necessarios; vt ex Chrysostomo in superioribus adnotauimus. Duplex ergo est expositio; vna, vt per illa duo verba idem significetur, & vnum explicet aliud. Cùm enim dictum esset; *vt sint in signa*; additum est; *& tempora*; id est in signa temporum, quæ tempora sunt dies, & anni. Ita ferè *Augustin. in imperfect. Genes. cap. 13*. Alia est, vt sint signa Aestus, & Hyemis, ita vt tempus seminandi indicent, alia metendi, alia nauigandi: ita vt (ait *Cyrillus Alexandrin. Cathechef. 6.*) *Homo naui sedens, & incertis fluctibus nauigans, in stellam aspiciens, dirigat nauem*. Et infrà dicit, *per solem Deum diei pulchritudinem contulisse; per lunam noctis tenebras consolatum esse*. Et hæc expositio etiam *Basilij, & Ambrosij*, & aliorum ibi, quam *Augustinus dicto cap.* complectitur.

26 Alter verò *Isaiæ* locus varias habet expositiones, quæ legi possunt apud expositores ibi. Præsertim apud *Perreyram tom. 1 lib. 2. cap. 3*. Dico nihilominus, non esse ad propositum, quia ibi metaphoricè loquitur scriptura; ex qua locutione nullum præsumitur robustum argumentum. Consistit autem similitudo in hoc, quòd sicut liber inuolutus legi non potest, ita nec in Cęlis Iudicij dies legi poterit. Nihilominus non inde sequitur, nunc omnia posse in eo legi futura, neque enim in quolibet libro dies omnes leguntur. Cęli ergo iam tunc non significabunt id, quod significare possunt naturaliter, serenitatem nimirum, & pluuiam, ver, & hyemem, tempus nauigandi, vel seminandi, &c. Hæc enim, & similia sine motu Cęli non significantur, sicut neque fiunt: quia ergo tunc motus cessabit Cęlorum; ideò complicabuntur sicut liber.

Aliter dici potest, quòd similitudo desumpta est ex Hebræorum more, qui sacros libros in vnico folio, siue ob longa membrana scribebant: & eam instar telæ textorio radio circumuolutæ circa Cylindrum, vel bacellum ligneum circuminuoluebant, ac complicabant. Hinc ergo desumebatur comparatio: sicut quando Cęlum creatum apparuit primò, dicitur fuisse extentum sicut mēbranaceus huiusmodi liber, quando spectandus euoluitur, & exponitur; extendens Cęlum sicut pelle *Ps. 107*. Sic Propheta agens de mundi fine, Cęlorumque dissolutione, comparat eam libro illi complicato, siue membranæ circumuolutæ, vt aduertit Author *quæstion. Hortodox. respons. 90*. Quod clarè in Apocalyp. explicauit B. Ioann. c 6. ibi; *Cęlum recessit sicut liber inuolutus*; quo loco *Andreas Cæsariensis* illam Hebręorum obseruauit consuetudinem; ex quo cùm desumpta sint ad verbum ferè quæ loco illo scribit *Arethas Cæsariensis*, & locus eius in versione latina sit mutilus, rectè sibi consulet, qui ex Andrea locum Arethę contraxit. hæc del Rius.

27 Vel generalius dicas, quia vsus libri est ad legendum, & tunc solet complicari, quando iam non est vsui. Cęli ergo complicari dicuntur, quia eorum vsus influentiæ, & ministeria varia cessabunt. Vel denique exponi potest ille locus per alium Apocalypsis paulò ante allegatum: *Et Cęlum recessit sicut liber inuolutus*. Quod dictum est de Tribulatione futura tempore Antichristi. De qua Christus Dominus *Matth. dixit: Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum*. Sic ergo Cęlum recedet, non quidem motu locali; sed ab hominum oculis, veluti recedere solet liber inuolutus, quia eius litteræ videri non possunt.

28 Oratio verò illa Ioseph, quam citat *Origenes*, non solùm Canonica non est, verùm neque etiam vllam habet authoritatem, eamque nonnulli ex sāctis Patribus reijciūt. Vt ex *Peryerio* notat *Pater Suarez*. Nonnulla alia obijciunt Astrologi ex sacra scriptura, sed quia eleganter illa *Martinus del Rio* soluit, omitto.

R. P. Iuniperi à Drepano de Casib. reser.

QVAESTIO TERTIA.

De Chyromantia Diuinatoria.

Vtrum Religiosus per lineamenta manuum futura prædicens sit censendus sortilegus, ita, vt sub hoc primo casu comprehendatur?

CAPVT VNICVM.

Quotuplex sit Chyromantia, & quonam pacto possit esse licitus, vel illicitus eius vsus.

SVMMARIVM.

1 *Naturalis Chyromantia quid sit.*

2 *Chyromantia Astronomica quid sit.*

3 *Chyromantia naturalis non est omninò illicita.*

4 *Chyromantia Astronomica vana, falsa, & superstitiosa.*

5 *Religiosus, qui per manuum lineamenta indicat de facto, est sortilegus, & hunc incurrit casum reseruatum.*

6 *Hunc casum non incurrit reseruatum Religiosus, qui tantùm probabiliter per manuum lineas indicat de corporis temperamento, seù animi inclinatione.*

1 CHyromantia in duas diuiditur partes; in naturalem, & Astronomicam. Naturalis dicitur illa, quæ per lineas, & partes manuum considerat probabiliter corporis temperiem: & ex hac probabiliter animæ indagat propensiones. Astronomica, quæ multa vana, & falsa commiscet: quatenus manus palmam in certos colliculos, areolas, lineasque diuidit: areolis Planetas singulos, lineisque dari astra præfigit: Docens astra, Planetasque ipsis areolis, & lineis correspondere. Ita *P. Suarez tom. 1. de religion. lib. 2. cap. 10. num 14. Sanchez in oper. moral. lib. 2. cap. 38. num. 47. & Martin. del Rio lib. 4. disquis. magicar. cap. 3 quæst. 5.*

3 Dicò primò, Chyromantiam naturalem, si intra debitos limites se contineat, vtendo signis, quæ sunt in manu, tanquam effectibus, ex quibus aliquo modò corporis dispositio colligi potest, & temperamentum, cui animi solent inclinationes accommodari, esse licitam. Ita *Sanchez, Suarez, Martin. del Rio vbi suprà, Albert. Magn lib. 1. animal. tract. 2. cap. vltim. Franciscus Picus lib. 6. prænot. cap. 2. Petrus Ciruelo, Doracens. lib. 3. Astrolog. Christianæ cap. 1. Grillandus de sortilegijs lib. 2. quæst. 3. num. 14. Troil. Malutt. tract. de sortib. par. 1. n. 32. & Villalpand. de iur spir lib. 7. c. 8. n. 12.*

4 Dico secundò; Chyromantiam astronomicam esse vanam, superstitiosam, falsam, & scandalosam. Ita *S. Thomas 2. 2. quæst. 66. Eymer. in direct. Inquis. p. 2. q. 42. & ibi Penam comment. 67. Simanc de Catholic. instit. tit. 21. nu. 18. Nauarr. in Manual. cap. 11. num. 31. P. Suarez dicto lib. 2. cap. 10. nu. 14. Sanchez vbi suprà. P. Azor tom. 1. instit. moral. li. 9. c. 16. Martin. del Rio vbi suprà, Lessius de iust, & iur. lib. 2. tract. 43. dub. 7. Malder. de virtutib. Theologic. tract. 10. cap. 7. dub 8. Doctissimus, atque amicissimus noster Augustinus Barbosa de offic. & potestat, Episc. p. 3. alleg. 51. cap. 8. num. 130, Lopez p. 1. cap. 41. instruct. & latè Vallez cap. 32 Sacra philosophia.* Quoniam damnat eam Sixtus V. in suo motu proprio contra Astrologos, & in Cathalogo Romano librorum prohibitorum interdicuntur omnes libri eandem docentes.

5 Dico tertiò, Religiosum illum esse sortilegum, qui per manuum lineas indicat de facto, siue de actuali hominis vita; scilicet hunc esse talem, vel donis diuinis, vel gratuitis, seu de extrinsecis hominis, vt de honoribus, opibus, & reliquis fortunę bonis, malisuè; vel de nuptijs, alijsque negotijs, quorum electio est voluntaria; quia hæc sciri nequeunt per sola manuum lineamenta. Ita *Nauarr. in Summa latin. & Hispanica cap. 11. num. 31. Petrus Ciruelo de superst. p. 2. cap. 4. Simanc. de cath. inst tit. 21. num. 8. Alcocer in Summa cap. 24. Nauar. lib. 2. de restit. cap. 2. par. 1. dub. 7. in noua edit. n. 139. & seqq. Lud. Lopez p. 1. instruct. cap. 41. & Sanchez vbi suprà num. 47.*

6 Dico 4. Religiosum, qui per manuum lineas probabiliter iudicat de corporis temperamento, animi inclinatione, ingenij bonitate, cæterisque omnibus, quæ naturaliter sciri possunt, non esse sortilegum, neque comprehendi sub hoc casu; dummodò limites naturales Chyromantiæ non excedat. Ita colligo ex *Suarez, Sanchez, & alijs citatis Authoribus.*

QVAESTIO QVARTA.

De Physiognomia Superstitiosa.

Vtrum Religiosus, qui per alias corporis partes futura prædicit, siue occulta pandit, censendus sit sortilegus?

CAPVT VNICVM.

Quid sit sentiendum, statuitur.

SVMMARIVM.

1 *Physiognomia duplex, Naturalis, & Astrologica; Et quid illa sint.*

2 *Religiosus vti licitè potest physiognomia Naturali; Et quomodo.*

3 *Religiosus Physiognomiam Astrologicam exercens est sortilegus, & hunc casum incurrit reseruatum.*

4 *Religiosus, qui de hominis vita physiognomicè iudicat, est sortilegus.*

5 *Religiosus alchymista an lethiferè peccet, & hunc casum incurrat reseruatum?*

6 *Alchymia secundùm partem distillatoriam est licita, & valdè vtilis; secùs quo ad falsam metallorum transmutationem.*

7 *Religiosus exercens artem alchymicam quo ad distillationis partem, non peccat: Et quare.*

8 *Religiosus sophysticè transmutans metalla ægra in nobiliora, letiferè peccat: Sed non incurrit casum reseruatum.*

9 *Religiosus, qui speculatiuè dumtaxat Alchymię arti studet docenti veram metallorum transmutationem, non peccat.*

Du-

1 DVplicem esse Physiognomiam cognoscimus; alteram, quæ est naturalis Philosophiæ pars; alteram verò, quæ astrologica appellatur. Prior est, quæ corporis humani membra, præsertim humeros, pectus, manus, pedes, frontem, nasum, oculos, supercilia, aures, caput, & vniuersam faciem obseruat, & inspicit; quibus notatis probabiliter coniectat naturalē totius humani corporis temperiem: naturales item animarū affectiones, & bonam, ac malam hominis valetudinem. Posterior est, quæ corporis humani partibus, præsertim manibus, pedibus, naso, auribus, oculis, supercilijs fronti, faciei, capiti correspondere confingit certos Planetas, hoc est errantes stellas, quarum omnium signis inspectis, & notatis, prosperos, & aduersos hominis euentus, & casus intelligere se putat, & audacter prædicit.

2 His notatis, dico primò; Religiosum, qui physiognomia naturali vtitur, quatenus naturali, ad coniectandos animi effectus, ingenium, corporis temperamentum, bonam, aut malam valetudinem, non esse sortilegum; quia hæc probabiliter sciri possunt. Ita *Sanchez in oper. moral. li. 2. cap. 38. num. 44. Pater Azor. 1. par. instit. moral. lib. 9. c. 16. ad finem, Lessius de iustitia, & iure lib. 2. cap. 43. dub. 7. num. 45. Martin. del Rio latè lib. 4. disquis. magic. cap. 3. q. 4. Bonacina de legibus, disp. 3. quæst. 5. punct. 3. Franciscus Torreblanca de iur. spirit. lib. 7. cap. 7. num. 1.* Vbi citat *D. Thom. 1. p. q. 115. art. 4. & p. 2. q. 9. art. 5. & 2. 2. q. 95. art. 5. & 6. & q. 96. art. 2. & q. 172. art. 3.* Atqui si hæc certò prædicat, est sortilegus censendus, comprehenditurque sub hoc primo casu; quia non possunt ex vi talis naturalis scientiæ certò sciri. Ita *Sanchez, Lessius, Azor. del Rius locis citatis.*

3 Dico secundò; Religiosum, qui Physiognomiam astronomicam exercet, esse sortilegum. Ita sentiunt Doctores paulò superiùs citati; nam hæc ars superstitiosa est, & omni iure damnata, vt latè probat *Martinus del Rio loco citato.*

4 Hinc infero, peccare lethaliter hoc primo reseruato crimine Religiosum, qui physiognomicè iudicat de facto, siue actuali hominis vita, scilicet hunc esse talem; seu de donis, & gratuitis; seu de extrinsecis hominis, vt de honoribus, opibus, & reliquis fortunæ bonis, malisuè, de nuptijs, statu vitæ, & alijs negotijs, quorum electio est voluntaria. Sic ex doctoribus citatis colligo.

5 Superest pro huius materiæ complemento, vt dicamus, quid sit de Religioso Alchymista sentiendum. An scilicet peccet mortaliter Religiosus alchymiæ artem exercens? & an tale peccatum sub hoc primo casu reseruato comprehendatur? Quod est, quærere; An alchymia, quatenus metalla viliora in argentum, & aurum transmutat, sit superstitiosa? Ad quam difficultatem breuiter respondeo, nonnullos doctores existimare, hanc transmutationem esse fictionem, & impossibilem naturaliter veram transmutationem: alios autem, eam esse possibilem, contendere. Doctores vtriusque partis, & rationes referunt latè *Benedictus Pereyra lib. 1. de Magia cap. 12. Valentia 2. 2. disp. 6. quæst. 13. puncto 2. difficultate vltima*, latiùs verò *Martin. del Rio lib. 1. disquis. Magicar. cap. 3. quæst. 1. sect. 2. & 3.* in qua tanquam longè probabiliùs defendit, veram esse metallorum transmutationem.

6 Nihilominus dicendum esse existimo, artem alchymicam esse certissimam, & potest esse licita, & illicita: nam quo ad distillationes est non solùm licita, verùm quoque valdè vtilis; nam per eam infinita tam pro salute tuenda & conseruanda, quàm recuperanda optima habemus remedia; quo ad verò auri, & argenti ex his metallis confusionem, potest esse Reipublicæ perniciosa, quatenus realiter imperfectiora metalla transmutat in sublimiora, nimirum in verum argentum, & aurum; & sic illicita censenda est, & omni iure prohibita; vt patet ex estrauaganti, *spondet Ioannis 22. de crimine falsi* Tandem hæc ars, quatenus docet veram, & realem metallorum transmutationem; (quæ vera metallorum transmutatio dari rationi non repugnat, non solùm speculatiuè, sed practicè, vt latè demonstrant *Albertus Magnus lib. 3. de Metallis tract. 1. cap. 3. Timon. lib. 3. Meteor. quæst. vltim. Antonius Mirandulanus de singular. certami. lib. 10. Marcell. Paligenius, Cardanus, & alij apud Martin. del Rio Magicar. disquis. lib. prim cap. 5. quæst. 1. sect. 2. ex Theolog. Pererius lib. prim. de Magia cap. 12. Valentia 2. 2. disp. 6. q. 13. puncto 2. idem Martin. del Rio loco citato sect. 3. non negat, Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 77. art. vbi Caietanus, & reliqui Tomistæ*) non est illicita, nec vllo iure prohibita, nec prohiberi potest.

7 Ex quibus infero primò, Religiosum artem Alchymiæ exercentem quo ad primam partem, omnibus alijs extrinsecis circumscriptis, non peccare, quinimmò esse laudandum, atque præmio dignum; eò quòd artem, quam maximè naturæ humanæ necessariam exercet. Consultò dixi; *omnibus alijs extrinsecis circumscriptis*: quia contingere posset, vt in aliqua religione hoc sit iustè interdictum: (veluti in nostro Minorico ordine prohibetur, ne vllus frater exerceat artem Alchymicam, quæ prohibitio etiam comprehendit hanc partem, quæ distillationes respicit) nam tunc censenda est illicita, non quidem ratione sui, seu ex sua natura, sed ratione, qua est prohibita, tanquam statuto Religionis non consona. Ita *constitutio Generalis Vallis Solet. cap. 5. statuto 13. Salamant. cap. 5.* & nouissimè *Romana c. 5. §. 2. versic. & in primis.*

8 Infero secundò, Religiosum, qui sophysticè Metalla infima, & viliora, in nobilia conuertit, peccare quidem lethaliter, sed non incidere in hunc primum casum reseruatum; tum quia infert maximum Reipublicæ damnum; tum quia id sub grauissimis pœnis in dict. Extrauag. *spondet* interdicitur. *Angelus Verbo Alchimia. Oldradus quæst. 74. & Conc. 69. Andreas de Isernia in cap. quæ sunt Regalia, Fabius de Monte S. Sauini, Hierony. Zanetti, & alij quam plures apud Sāctorū de Melsi super cōstit. nostri ordin. c. 5. stat. 23. vers. Alchym.* notāter dixi,

dixi, *non incidere* in hunc casum, quia quamuis peccatum illud mortale, in quod Religiosus ob falsam metallorum transmutationem illabitur, non sit in hoc primo comprehensum casu; est nihilominus reseruatum in 4. vbi proprietas contra paupertatis votum reseruatur; Nam qui huic attendit arti, peccat contra paupertatis votum.

9 Inferò tertio, quòd Religiosus, qui speculatiuè huic incumbit arti veræ, quatenus docet veram & realem metallorum trasmutationem, non peccat, veluti qui alijs philosophiæ partibus studet, quia est vera scientia non prohibenda, nisi eius exercitium aliquod posset religioni inferre nocumentum. Potest quippè afferre nocumentum, quatenus talis scientia præbet occasionem, & mouet in plurimum animum ad illam in praxi exequendam: vt ipsa experientia docet. Hæc de primo reseruato casu in Clemētis VIII. Decreto.

CASVS SECVNDVS.

Apostasia à Religione, siue habitu dimisso, siue retento, quando eò peruenerit, vt extra septa Monasterij, seu Conuentus fiat egressio.

Multas iste secundus reseruatus casus continet difficultates, quæ veniunt peculiariter examinandæ, non enim commodè exponi potest, nisi dubia, quæ suboriri possunt, diluantur hac in quarta disputatione.

DISPVTATIO QVARTA.

De Apostatis, & Fugitiuis.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum Religiosus fugitiuus sit censendus Apostata à Religione, ita, vt sub hoc casu secundo comprehendatur?

CAPVT PRIMVM.

Quid, & quotuplex sit Apostasia.

SVMMARIVM.

1 *Apostasia in vniuersum quid sit.*

2 *Apostasia à Religione, ab Obedientia, & à fide: & quæ illæ sint.*

3 *Apostasia à fide describitur, atque declaratur.*

1 Apostasia idem est, quod retrocessio, seu desertio instituti semel suscepti, cum animo, vel obligatione permanendi in illo. Nam apostatare idem est, quod deficere, seu retrocedere, semperque in malam sumitur partem pro iniqua desertione, & inconstanti: & aliquando, iuxta latinorum vsum, dicitur etiam de rebus ciuilibus, vt apostatare à Rege, vel Imperatore, vt benè aduertit *Decian. in tract. Crimin. lib. 5. cap. 7. nu. 1.* iam verò ex vsu Ecclesiastico propriè dicitur respectu Dei, vel rerum diuinarum, iuxta illud *Ecclesiastici 10. Initium superbiæ hominis, apostatare à Deo.*

2 Præterea hæc à Deo Apostasia in tria membra distingui solet à Doctoribus, præsertim à *Diuo Thoma 2.2. q. 12. art. 1. & Glossa in c. 1. de Apostatis*, vbi *Innocentius, Hostiensis*, & alij Canonistæ. Diuiditur igitur in Apostasiam à Religione, ab obedientia, & à fide. Prima diuiditur in Apostasiam ab Ordine, & à Professione Religiosa: de quibus principaliter extat titulus decretalium de Apostatis, & iterantibus Baptisma; & pertinent ad materiam de Ordine, & statu Religionis. Secunda Apostasia ab obedientia in vno sensu generalissima est, & dici potest de omni peccato mortali, præsertim quando ab homine, qui ante iustus erat, committitur, quomodo ab Angelis, qui peccauere, Apostatæ, & rebelles à Patribus dici solent; vt videre est *in Gregorio Nazianzeno orat. 18. & 42.* & sic etiam *Anacletus Papa epist. 1. Decret.* dixit, spontè transgredientes legem Apostatas nominari. Speciali autem modo possunt in hoc ordine dici Apostatæ, qui à Pontificis obedientia recedunt, & hoc modo se ab Ecclesia separant. Verumtamen etiam hæc Apostasia licèt cùm hæresi frequenter sit coniuncta, tamen ad infidelitatem non spectat, sed sub vitijs charitati oppositis ponitur *à Diuo Thom. quæst. 39. 2. 2.* Ita *Suarez de fide disp. 16. sect. 5. & de Religion. to. 4. lib. 3. cap. 1. nu. 12. Pater Miranda tom. 1. sui Manualis q. 50. art. 1. vers. pro huius articuli intelligentia, Azorius institut. moral. li. 8. cap. 21. quæsito 1. Syluester verbo, Apostasia, & fuga Monachorum, Coriolanus de casibus reseruatis p. 2. casu 2. Bouacina*, & alii infrà citandi.

3 Tertia Apostasia à fide est illa, qua quis postquàm fidem recepit, eam dimittit, & fit Hæreticus. Loquendo autem de Religiosis, de quibus hìc nos sermonem faciemus, Apostata ab Obedientia est, quando quis non vult Religionem, quam simpliciter professus est, dimittere, sed alicui Superiori sit rebellis, nolens ei præstare obedien-

dientiam. Apostata à Religione est, quando Religiosus, qui factus verè religiosus per professionem dimittit habitum, cum animo eum amplius non resumendi. Ita *Suarez de Religione loco quo suprà, Portel. in dub. Regular. verbo*, *Apostata* in additione, *Sanchez lib. 6. in oper. moral. c. 8. nu. 2. Rodriq. qq. Regular. tom. 1. q. 30. art. 1. Miranda vbi suprà. Coriolanus loco citato*, & circa hanc vltimam Apostasiam, id est, à Religione, erit nostra tractatio.

CAPVT SECVNDVM.

Statuitur differentia inter Religiosum fugitiuum, & Apostatam à Religione; demonstraturque, Religiosum fugitiuum non comprehendi sub hoc secundo casu.

SVMMARIVM.

1 *Religiosum fugitiuum esse verè Apostatam, qui docent.*
2 *Discrimina inter Religiosum fugitiuum, & Apostatam.*
3 *An fugitiuus, & Apostata differant specie?*
4 *Religiosus Nouitius, qui relinquit Religionem animo ad illam redeundi, an nouitiatum interrumpat?*
5 *Fugitiuus, & Apostata moraliter differunt specie; Et quomodo.*
6 *Religiosus fugitiuus nulla Canonica plena plectitur.*
7 *Religiosum fugitiuum esse ipso iure excommunicatum, qui doceant.*
8 *Religiosum fugitiuum non esse excommunicatum, neque casum incurrere reseruatum, ostenditur.*
9 *Circumstantia aggrauans non est aperienda in confessione necessariò.*
10 *Circumstantia aggrauans in confessione est aperienda, iuxta Authoris opinionem.*

1 Religiosum fugitiuum esse verè apostatã, sentiunt quamplures Doctores, præsertim *Diuus Antoninus 2. p. tit. 12. cap. 6.* paulò post principium, *& tertia p. tit. 16. cap. 5. §. 3. Tabiena verbo, Apostasia quæsito 14. num. 17. Armilla eodem verbo n. 6. & Panormitan. cap. final. de renunciatione nu. 3.* vbi affirmat, eo ipso quòd Religiosus recedit à Monasterio, & non est sub obedientia Prælati, esse Apostatam.

2 Verùm hos Doctores in cautè esse locutos, affirmat *P. Sanchez loco statim citando*, nisi eos excusare velimus, quòd non loquantur de Apostasia propriè, & in rigore iuris, sed de Apostasia largè sumpta, de qua infrà latè dicemus, iuxta nostras Generales Constitutiones. Dicendum igitur est, hoc inter Religiosos Apostatas, & fugitiuos distare, quod fugitiuus propriè dicitur, qui à Monasterio recedit absque Superiorum venia, vt extra ipsius potestatem, & obedientiam sit; *leg. quid sit fugitiuus ff. de edilitio edicto*: Apostata autem est, qui è Monasterio recedit, animo & voluntate excutiendi obedientiæ iugum in perpetuum, deserendique institutum Religiosum; Quare si hic animus desit, effugiatque animo aliquandiù extra Religionem Vacandi, posteaque ad Religionem redeundi, erit quidem fugitiuus, non autem Apostata. Ita tradunt *Angelus verbo, Apostasia nu. 4. & ibi Syluester quæs. 4. num. 9. Caietanus 2. 2. q. 12. art. 1 dub. 2. & ibi Aragon. in dub de Apostasia a Religione, Bannes 2. 2. q. 12. Art. 1. dub. 1. de Apostasia a Religione concl. 2. & 3. Valentia 2. 2. disp. 1. q. 12. puncto 1. ad finem, Lessius de iustitia, & iure lib. 2. c. 41. dub. 15. n. 109. Pater Sanchez to. 2. in oper. moral. lib. 6. cap. 8. n. 2. Pater Suarez tom. 4. de Religion. li. 3. cap 1. Nauarrus lib. 5. Consilior. tit. de Apostatis consilio Vnico n. 6. & seqq.* ex nostratibus *P. Rodriq. to. 1. qq. Regular. qu. 30. art. 1. P. Miranda vbi suprà, conclus. 1. Portel. loco citato nu. 3. & Coriolanus vbi suprà.* Quare fugitiuus est nomen commune, fugitiuis, qui non sunt verè Apostatæ, & fugitiuis, qui verè Apostatæ sunt; vt benè annotauere *Azorius to. 1. institut. Moral. lib. 12. cap. 16. quæsit. 1. & P. Suarez vbi suprà, cap. 2. nu. 10. Sanchez, & Syluester locis citatis.*

3 Sed quæres; An hæc differentia sit specifica, ita, vt peccatum Apostasiæ verè & rigorosè, & peccatum fugæ sint diuersarum specierum? Respondeo, speculatiuè loquendo, valdè probabile esse, inter hæc peccata non esse specificam diuersitatem, nam tota malitia vtriusque peccati consistit in iniustitia contra Religionem, & sacrilegij contra Deum: frangendo promissionem illi factam, & contrectando iniustè rem Deo sacratam, ergo malitiæ sunt eiusdem speciei, quamquam vna sit maior, quàm alia; quod ita declaro. Nam furari rem animo illam restituendi post aliquod tempus, vel cum proposito nunquam eam restituendi, peccata sunt eiusdem speciei, licèt grauius vnum sit alio; sed ita prorsus in præsenti comparatur; Igitur.

4 Dices; qui recedit sine animo redeundi, simpliciter recedit à statu Religioso, alter verò non recedit; igitur committunt peccata diuersarum specierum. Respondeo, vtrumque retrocedere, sed priorem simpliciter, posteriorem verò ad tempus, aut proinde secundum quid; quod patet, quia pro eo tempore non vult talis fugitiuus vt Religiosus viuere: ergo pro tunc vult retrocedere à Religione, quamuis hunc habeat animum posteà redeundi. Vt si nouitius relinquat vitam sub obedentia Religiosa, animo redeundi posteà ad Religionem, sufficit, vt retrocedere pro tunc dicatur, & nouitiatum interrumpere; ergo similiter professio illa est quædam retrocessio, licèt dicatur secundum quid, quia solùm est ad tempus. Quæ differentia non potest sufficere, vt specificam constituamus distinctionem inter vtrumque peccatum; quia semper manet priuatio eiusdem honestatis, solùm differens secundùm magis, & minus.

5 Consultò dixi, *speculatiuè loquendo*; Nam moraliter hæc peccata videntur reputari tanquam specie diuersa primò in ordine ad confessionem; Nam sine dubio Religiosus temerè suam dimittens Religionem, animo nunquam ad illam redeundi, hanc tenetur in confessione aperire circumstantiam. Et hoc certum est ex communi doctorum sententia. Vndè licèt sit controuersia, an circumstantia notabiliter aggrauans, & non

non mutans speciem sit in confessione necessariò explicanda, in præsenti puncto non videtur admittenda; Non enim puto esse probabili, practicè negare, hanc circumstantiam esse confitendam, eò quòd non mutat speciem, sed tantùm notabiliter aggrauat. Quicquid enim sit de illa speculatiuè, moraliter est recepta illa differentia, tanquam sufficiens ad illam obligationem; siue hoc sit propter rigorosam distinctionem specificam, siue quia non potest status pœnitentis sufficienter explicari; siue propter notabilem grauitatem: quia se habent tamquam completum, & incompletũ in illa specie, quod ego veriùs puto, veluti Doctissimus *P. Suarez, & Sanchez*, & multi alij censent de mutilatione, & homicidio. Etidem valdè probabile est in exemplo furti suprà posito, quamuis nomen furti absolutè dictum de se illam includat intentionem, nisi aliud explicetur: & idem erit in præsenti, si quis declaret suum peccatum sub nomine Apostasiæ.

6 Differunt secundò moraliter in ordine ad pœnas iuris, nam propter temporaneam fugam nulla est posita in iure, vt doctè satis *P. Suarez, & Sanchez locis citatis* obseruant; propter hanc verò omnes incurruntur pœnæ, quæ propter Apostasiam à Religione ipso iure impositæ sunt. De quibus inferiùs proprio quæsito latè agemus De excommunicatione peculiariter hìc inquiri potest; an propter hoc crimen incurratur? Quidam

7 affirmant, quia ille est Apostata, & Apostata est excommunicatus: pro iure *cap. si periculosa ne Clerici, vel Monachi*. Hanc opinionem sustinent *Diuus Antoninus, Tabiena, Armilla, & Panormitanus suprà citati*; quamquam non desunt, qui eam quoque *Syluestro, & Caietano* tribuant, sed immeritò, vt inquit *Suarez*. Dicendum ergo est, propter hoc crimen nullam esse in iure communi impositam excommunicationem. Ita sentiunt *Syluester verbo, Apostasia §.8.* vbi primùm ait, Apostatam à Religione, si habitum dimiserit, esse excommunicatum; ergo illa non impleta conditione de habitus dimissione, non sentit incurrere excommunicationem, quod inferiùs magis explicat. Et *Caietan. verb. Apostasia*, vbi ait, Apostatas à Religione esse excommunicatos ob habitus dimissionem. In quibus verbis clarè sentit excommunicationem non incurri, donec ad illum actũ perueniat Apostasia. Idem sentiunt *Panormitan. & Innocentius in c. intelleximus de ætate, & qualit.* Ratio est, quia pro his apostatis nulla alia est excommunicatio in iure; nisi quæ lata est in dicto cap. vt periculosa: atqui ibi in Apostatas non fertur absolutè, sed in dimittentes habitum; igitur non est extendenda vltrà verba Textus.

8 Insuper in extrauaganti prima de Regularibus; exiens sine licentia, & ita vagando incedens, non excommunicatur, donec monitione præuia per quindecim Dies in suo malo perseueret statu, & tunc dicitur; *Quòd si efficere neglexerit, post ipsum terminum tanquam monitus Apostata excommunicatus in omnibus, & per omnia debet ab omnibus reputari:* ergo antea non est excommunicatus. Hoc verò intellige iuxta iuris communis dispositionem; Nam de iure speciali Religionum aliter sentiendum est, vt suo loco dicemus. Ex quibus deducitur, Religiosum fugitiuum non comprehendi sub hoc casu, ac proinde hoc graue peccatum non est reseruatum ex vi decreti Clementis Octaui, quia non est Religiosus fugitiuus Apostata à Religione.

9 Dixi suprà notanter, *in hoc puncto non esse admittendum, circumstantiam nimirum notabiliter aggrauantem speciem non mutantem non esse necessariò in confessione aperiendam*, quia illa sententia, quam docuere *Diuus Thomas in 4 dist. 16. q. 3 art. 2. quæstiunc. 5. Durandus ibidem q. 4 Gabriel in 4. q. p. Paludan. q. 3. art. 3 Seraphicus Doctor. S. Bonauentura dist. 17. q. vlt. Subtilissimus Scotus in 4 dist. 17. art. 2. Herrera in 2. disp. 31. q. 7. Corolario 3. post Regulam secundam, Adrianus q. 4. de confess. art. 2. Turrecrem. de pœnit. q. 5. cap. 1. num. 11. Diuus Antonin. 3. p. tit. 14. c. 19. §. 7. Syluester verbo, confessio quæsit. 9. & verbo, circumstantia n 6 & 8. Armill. eodem verbo num. 2. & 4. Corduba in Summa q. 5. Medin. Cod. de confess. q. 7. de circumstantiis. Vasquez ad 3. p. tom. 4. q. 91. art. 3. dub. 2. & 3. Reginald. tom. 1. lib. 6. cap. 5. num. 135. Valentia tom 4. disp. 4. q. 11. puuct. 2. Lessius de iustit. & iure lib. 4. cap. 3. dub. 12 n. 8. Pater Diana tract. 7. de circumstantiis agrauantibus. Philippus de Fabro in 4. sententiar. de pœnitent. dist. 17. q. Vnica disp. 24. cap. 1. nu. 18. Pitigianus ibidem q. Vnica art. 5. conclus. 5. Villalobos in Summa tom. 1. tract. 9. dub 36. num. 8. Fagundez, Tuteanus, Ceruela, & alij quamplures apud Patrem Dianam resol. 1. vbi suprà*, quamquam spe-

10 culatiuè valdè sit probabilis; nihilominùs in praxi existimo non esse admittendam, vt *P. Suarez tom. 4. ad 3. p. disp. 22. sect. 3. Sanchez in Sum. tom. 1. li. 1 1. n. 24. Conichius de Sacramentis disp. 7. dub. 3. conclus. 1. n. 13. noster Fauentinus vbi suprà, Fagundez de præceptis Ecclesiæ puncto 2 lib. 4. cap. 2. n. 6. in fin. Henriquez lib. 1. cap. 7. nu. 4.* nam *Faber* noster licèt pro contraria citetur sententia, nihilominus nobiscum sentit; solùm enim ibi fatetur oppositam esse probabilem, quod puto intelligere de probabilitate speculatiua.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum Religiosus, qui absque sui superioris licentia, eo animo egreditur à Monasterio, etiam habitu dimisso, vt aliam relaxiorem ingrediatur Religionem, censendus sit Apostata, & ita incurrat in casum hunc reseruatum ex vi Decreti Clementis Octaui?

CAPVT PRIMVM.

Prima sententia refertur cum suis fundamentis.

SVMMARIVM.

1. *Religiosus, qui sua deserta Religione ad aliam laxiorem, absque sui Superioris licentia, transit, est verè Apostata: & quare.*
2. *Religiosus ad hoc, vt sit verè Apostata à Religione, satis est, vt actu propriam deserat Religionem.*
3. *Religiosus, qui propriam deserit Religionem, & in aliam,*

aliam, absque sui Superioris venia, transit, si habitum proprium non dimittit, non est in rigore iuris Apostata.

4 *Religiosus, qui, absque proprij Prælati licentia, ad laxiorem transit, habitu non dimisso, non dicitur relinquere Religionis statum.*

1 PAter Suarez *tom. 5. ad 3. partem disp. 31. sect. 6. n. 4. & tom. 4. de Religion. lib. 3. cap. 1.* existimat, Religiosum, qui propria Religione deserta absque legitima licentia ad Religionem transit laxiorem, esse verè, & in rigore iuris Apostatam, & consequenter sub hoc casu comprehendi, pro hac sua opinione allegat *Innocent. in cap. fin. de renunciat. Panormit. ibid. n. 3.* dicitque esse communem Canonistarum sententiam, sed immeritò, vt statim videbimus. Allegat quoque ad hoc *D. Thomam 2. 2. q. 12. art. 1. Caietanum, & alios D. Thomæ Expositores.* Ducitur in primis, quia in Decreto Clementis VIII. de casibus reseruatis regularium ponitur secundus casus, Apostasia à Religione, siue habitu dimisso, siue retento. Qui autem absque venia à sua propria recedit, & aliam laxiorem ingreditur Religionem videtur in hunc casum incidere, & consequenter in Apostasiam veram. Rursùs, quia ille, qui sic recedit à Religione, non manet, nec perpetuò vult manere sub obedientia Religiosa alicuius Prælati; ergo vult simpliciter retrocedere ab statu Religioso; ergo est Apostata à Religione. Antecedens supponitur ex casu: Prima consequentia probatur, quia sine obedientia non potest perdurare status Religiosus, quia & ipsa obedientia substantialis est, & sine illa non potest paupertas exerceri.

2 Dices fortasse, (inquit *Suarez*) hæc solùm impediri quantum ad vsum, vsum autem non esse de substantia Religiosi. Sed contra hoc obijcitur, probando simul secundam consequentiam rationis factæ; Quia ad Apostasiam à Religione nō est necesse, vt aliquis se priuet substantiali vinculo Religionis, quia hoc impossibile est propria authoritate fieri; Quòd si fieret authoritate Papæ, iam non esset Apostata; ergo sufficit actu relinquere illum statum, quantum in se est: hoc autem facit, qui recedit à Religione cùm proposito perpetuò manendi sine iugo obedientiæ, & consequenter sine vsu paupertatis; igitur, &c.

3 Verùm hæc sententia *Suarez* mihi minimè probatur; nam ipsemet *eodem lib. 3. c. 1. n. 24.* fatetur, Religiosum, qui propriam deserit Religionem, & ad aliam, absque legitima licentia, transit, non dimisso habitu, non esse apostatam verè, & in rigore iuris; affirmatque, esse communem Doctorum sententiam. Cuius hæc sunt verba: Ad secundum idem cum proportione dicendum est; nam si quis relinquat habitum suæ Religionis, vt in sæculo aliquandiù permanenter viuat, quamuis simul habeat propositum ingrediendi aliam Religionem etiam laxiorem; Apostata est. Quod expressè docent *Innocentius, & Panormitanus suprà*: imò ipsi largiùs loquuntur. Sed hoc nobis nunc satis est, & sufficienter probatur illo secundo argumento, & alijs rationibus factis secùs verò est, quando aliquis suæ Religionis relinquit habitum, vt immediatè transeat ad aliam; tunc enim non censetur propriè Apostata, quia non retrocedit à statu Religioso vt sic: & hoc tantùm docet communis opinio. Hactenus *Suarez*.

4 Ex quibus verbis duo colligo; Primò, Apostatam non esse Religiosum in opinione *Suarez*, qui habitu suæ propriæ non dimisso, ad aliam transit laxiorem Religionem. Secundò, quòd hìc verè non relinquit Religionis statum: & sic argumenta nihil concludunt, neque aliquid probant. Quo in casu vera esset sententia illorum, quos sub tacito nomine *Syluester loco statim citando refert*, & sequitur, docens talem Religiosum neq; esse fugitiuum.

CAPVT SECVNDVM.

Vera sententia sequenda stabilitur.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus non est ille Apostata censendus, qui ad laxiorem, absque debita licentia, transit.*

2 *Transitus, absque superioris licentia, factus ab aliquo Religioso est irritus.*

3 *Religiosus, qui firmum non habet animum manendi extra Religionem, non est Apostata: Et quare.*

1 NOn est igitur à communi sententia recedendum, quæ docet Religiosum, qui, sua propria deserta Religione, ad aliam etiam laxiorem transit, absque legitima Superioris licentia, non esse propriè Apostatam. Ita *P. Azorius li. 12. instit. moral. cap. 17. q. 7. Sà verbo, Apostata, Sanchez tom. 2. in oper. moral. lib. 6. cap. 7. nu. 8. Valentia 2. 2. disp. 1. q. 12. punct. prim. ad finem, Lessius lib. 2 de iustitia, & iure cap. 41. dub. 13. nu. 102. Caietan. 2. 2. q. 12. art. prim. vers. in eodem art. prim. Aduerte. Bannes 2. 2. quæst. 12. art. prim. vbi de Apostata à Religione dub. prim. conclus. 4. & ibi Aragon dub. vnico vers. ex his infero primò. Ex Summistis noster Astensis 2. p. Summæ li. 6. tit. 4. art. 3. vers. sed quid de Apostata, Angelus verbo, Religiosus num. 36. & verbo Apostasia nu. 5 Syluester verbo Religio 4. quæst. 4. & verbo, Apostasia quæsit. 4. nu. 9. vbi Armilla nu. 11. Tabiena verbo, Religio, quæsit. 23. & num. 24. & verbo, Apostasia quæsit. 11. nu. 14. & nouissimè Portel. in dub. Regular. verbo, Apostasia in addition. num. 2. Cortolanus de casib. reseruat. par. 2. casu 2. Ex Iuristis Glossa in cap. ex parte verbo, ad Nigros de tempor. ordinan & cap. final. de Apostatis in fine vbi Hostiensis num. final. Anton. num. 2. Anan. nu. 3. Archidiac. cap. penult. in fine dist. 50. Innocent. in cap. intelleximus in fine de ætate & qualit. vbi Ioan Andr. in fine Hostiens. num. 5. Anton. num. 50. Panormit. nu. prim. oppos. prim. fin. Bellamer. fine lapsus alleg. 33. alias 34. num. vnico, & ibi Mandos. adit. vnic. Baldus in authenc. Iubemus num. 4. Cod. de Episcop. & Clericis, Cardin. in cap. ex parte in fine, & ibi Henric. num. 7. Bellamera num. 3 idem Panormit. in cap. Sane num. 6. de Regul Franc. cap. cùm Singula §. prohibemus num. vltim. de præbendis in 6. Dominic. in cap. Si quis ex* Cle-

Clericis dist. 23. & alij quamplures. Ratio est, quia non simpliciter à Religiosæ vitę, sed à certę Religionis instituto recedit, cum in qualibet Religione tria vota Religiosi instituti substantialia emittantur. Et quamuis transitus hic ipso iure sit irri-
2 tus, attamen animus transeuntis non fuit omnino à Statu Religioso recedere, sed ad aliam Religionem transire: atqui Apostasia ex sua propria intrinseca ratione requirit animum dimittendi religiosum statum; igitur qui hunc animum firmum non habet, dici non potest Apostata. Item non erit verè, & rigorosè Apostata, qui non ha-
3 bet firmum animum (licèt sine licentia Superioris è Monasterio egrediatur) manendi extra Monasterium, neque sub obedientia Religiosa alicuius Prælati, ex *Patre Suarez, vbi suprà*: Atqui Religiosus, qui absque legitima licentia, sua propria deserta, transit ad aliam etiam laxiorem, non vult permanere extra Monasterium, neque absque obedientia Religiosa alicuius Prælati, quinnimo illam exposcit; igitur non est Apostata. Et ex hoc argumento facilè patet, quid sit respondendum ad argumenta *Patris Suarez*; nam si rectè ponderentur, nullius sunt roboris, assumitque doctissimus Pater falsum; eò quòd existimat Religiosum, qui sine Superioris debita licentia transit ad laxiorem nolle permanere in statu Religioso, & nolle esse sub perpetua obedientia, vt in tuenti facilè patet.

QVAESTIO TERTIA.

An Religiosus ex rationabili causa, absque licentia, ad Superiores recurrens maiores censendus sit Apostata, & in hoc casu secundo comprehendatur?

CAPVT PRIMVM.

Quid nonnulli senserint, refertur.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus egrediens è Monasterio recurrendi causa ad Superiorem, etiam si fuerit iniustè aggrauatus, est Apostata.*
2 *Religiosus, propter bonum commune Religionis, tenetur suo iuri cedere.*
3 *Religiosus non est Apostata, si aggrauatus à suo Superiore, immediatè ad alium absque licentia recurrit.*

1 NVlla potest assignari causa rationabilis, qua liceat Religioso, inuitò Prælato, exire de Monasterio; etiam si nimia vexatio proximi Prælati cum manifesta iniuria interueniat; vel vltra modum puniendo aliquod delictum; vel certè sine iusta causa affligendo; vel auferendo ea, quæ ex ordinario iure Religionis debentur, præsertim cum dedecore, & infamia: tunc enim si Religiosus eo animo recedat, vt Superiorem Prelatum adeat, qui se defendat, non videtur excusari Apostasia, putant nonnulli graues Authores, quibus assentitur *Bannes 2.2. q.13. art.1.* Ducuntur, tum quia *Concil. Trid. sess. 25. de Regularib. c.4.* interdicit Religiosis recessum à suis Conuentibus absque Superiorum licentia, etiam prætextu Superiores suos adeundi, nisi ab eis fuerint vocati: & hoc sub pena adeò seuera prohibet, vt indicet satis in illo facto peccatum graue: tum etiam, quia id non fit sine graui scandalo, & Religionis
2 perturbatione. Vndè inquiunt Doctores, teneri Religiosum paulisper sustinere, & cedere iuri suo propter commune bonum, & ideò etiam ipsi Superiores Prælati non solent tales excusationes admittere, sed grauiter Religiosos ad eos confugientes sub hoc prætextu puniunt. Igitur euidens signum est, quòd nulla sit rationabilis causa, qua Religiosus etiam aggrauatus suos possit adire Superiores pro subleuanda iniuria, & ad se defendendum, absque Apostasiæ vitio.

3 Ex opposito sentiunt alij, in hoc casu absque Apostasiæ nota posse Religiosum à suo Superiore proximo sic aggrauatum maiorem Superiorem adire, vt ad Prouincialem, & ex Prouinciali ad Generalem, & ex Generali ad Protectorem, vel ad Sacram Eminentiss. Cardinalium Congregationem, etiam absque habitu Religioso; eò quàm maximè si timet, se fore detegendum, & comprehendendum ab inferiori iniustè grauante, si portet Religionis habitum, propter Custodes in vijs adhibitos. Ita *Nauar. Commento 2. de Regularibus num. 61. citans Baldum, & Decium.* Quam sententiam ita veram existimat *P. Portel in addit. ad dub. regul. verbo, Habitus num. 3. & verbo, Apostasia n. 2. quem sequitur Pater Diana tract. 2. de dub. Regular. p. 2. resol. 115.* vt iudicet, talem Religiosum non solùm non esse Apostatam, verùm nec venialiter peccare. Consentire videtur *Pater Suarez tom. 4. de Religion. lib. 3. cap. 1. num. 6.* docens, hunc accessum per se non esse intrinsecè malum, licèt ex illo nonnulla sequantur incommoda, & benè *Barthol. à S. Fausto de voto obedientiæ q. 269. num. 2.*

CAPVT SECVNDVM.

Media inter has duas extremas sententias vera constituitur opinio.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus euidenter vexatus à suo proximo superiore, si ad alium absque licentia recurrit, non est Apostata.*
2 *Recursus ad superiorem habet appellationis vim.*
3 *Concilium Trident. Religiosis iniustè vexatis non interdicit ad superiores recursum.*
4 *Expenditur Sixti Quinti Constitutio contra Religiosos absque sui superioris licentia peregrinantes.*
5 *Licentia ad Prælatum maiorem recurrendi non est petenda à superiore aggrauante; & quare.*
6 *Licentia Prælatum maiorem adeundi est petenda à superiore vexante, quando nullum timetur damnum; & quare.*
7 *Religiosus non potest ad superiorem pro vexatione tollenda recurrere, quando ex eius fuga sequitur Religioni graue scandalum, aut perturbatio.*
8 *Cōc. Trid. ses. 25. c. 4. de Regularib. verus intellectus.*

9 Re-

9 *Religiosus in carceribus à suo superiore detentus non potest fugere, iuxta nonnullorum sententiam.*
10 *Religiosus in carceribus detentus iniustè potest fugere.*
11 *Religiosus iustè damnatus potest fugere, si modus exequendi sententiam sit iniustus.*
12 *Religiosus potest è Carcere, in quo detinetur, fugere, si pœna mortis, aut mutilationis ei pro delicto esset imponenda.*
13 *Religiosus ad Triremes damnatus potest fugere, causa eundi ad superiorem, vel ad Summum Pontificē.*

1 SI euidenter constet, Religiosum à suo Superiore iniquè vexari, nec aliud remedium habere, nisi vt à suo Monasterio recedens Superiorem maiorem adeat, vt possit se apud illum tueri, quatenus ius naturale concedit, & non aliter; tunc certum, & constans est, Religiosum huiusmodi non esse Apostatam, nec peccare mortaliter. Ita sustinent *Nauarrus loco citato, Antonius Cucus lib. 3. instit. maior tit 1. num 130. Emanuel Sà verbo, Religio n. 81 Azorius to. 1 instit. Moral. li. 12. c. 11. q. 7. Rodriquez qq. Regular. tom. 1. q. 30. art. 3. & de ordine iudiciario cap. 13. n. 4. in fine & tom. 1 Summę cap. 43. n. 1. Sayrus in Claui Regia lib. 11. cap. 17. n. 40. Sanchez tom. 2. in oper. moral. lib 6. cap. 7. nu. 17.* citari possunt pro hac sententia *Suarez, Portel, &*
2 *Diana locis citatis*. Ratio est, quia huiusmodi accessus ad Superiorem est quædam virtualis, seu implicita appellatio, *argum. cap. Dilecti 2. de appell. & legis contra Pupillum §. ijs qui de re iudicata*; Iusta autem appellatio nemini denegatur. Item, quia de iure naturę cuiuscumque concessa est propria defensio, nec à Superiore interdici vllo modo
3 potest; vndè nec prohibita est à Concilio Tridentino, vt optimè explicant *Nauarrus, Suarez, & Sanchez locis citatis*: Non enim illud decretum potest intelligi de Religiosis iniquè à Superiore vexatis, qui nullo alio remedio suæ vexationi cōsulere possunt, quàm fugiendo ad Superiores, qui grauamen auferant. Et optimè confirmat Sixtus
4 Quintus in declaratione ad suum motum proprium, qui est 73. in bullario, vbi de his Regularibus sine suorum Superiorum licentia peregrinantibus ita statuit: *Quodsi dicerent ad Apostolicam sedem se confugere, ob grauamina à suis superioribus sibi illata, & ideò ab ipsis superioribus licentiam, & litteras obtinere non potuisse: non propterea vllo modo recipi debet*, (eorum excusatio) *nisi fide dignorum testimonio de petita ab eis licentia, & per suos superiores denegata constiterit*. Ex qua acceptione manifestum apparet, non esse omnino, & per se malū egredi sine Prælati licentia claustrū prætextu adeundi Superiorē quinimo aliquando necessarium, vt si vexatio sit talis naturæ, vt aliquod graue malum inde sequi possit, seu aliquod notabile scandalum, pro vt contingere solet, & experientia compertum est. Et quamquam Romanus Pontifex solùm ibi loquatur de prætextu ad Sedem confugiendi Apostolicam, tamen eadem proportionalis ratio est de pretextu adeundi Prouincialem, vel Generalem; tum quia in his, vt eleganter annotauit *Suarez*) est sufficiens iurisdictio ab eadem Sede Apostolica communicata; tum etiam quia si rationes extrinsecæ attendantur, non minus scandalizare, & perturbare solet huiusmodi Romana profectio sine voluntate Prælatorum Regularium, quàm profectio ad superiorem Prælatum Religionis sine inferioris consensu. Si autem respiciatur ratio intrinseca, eadem necessitas, & iusta causa esse potest adeundi tales Prælatos; immò quoties sufficiens fuerit, intra Religionem defensionem quærere à maiori Prælato, & sine causa tētaretur maior profectio.

5 Quia verò Sixtus V. significare videtur in illa sua declaratione, ad hoc, vt rectè fiat ad Superiorem accessus, necessariam esse licentiam petitā, licèt non sit obtenta; quia sine coram sufficienti testimonio petita licentia admitti non vult excusationem: per quod videtur excludi id, quod *Nauarrus vbi suprà* asserit, non esse nimirum petendam licentiam ab eo, cuius grauamen per Superiorem tolli procurator; quod significat *Glossa 1. in cap. cùm Pastoris 2. q. 7. & sumi videtur ex c. ex p. de accusationibus*: ideò aduerto, quòd licentiæ petitio de rigore iuris, & in foro conscientiæ non videtur simpliciter necessaria; quia nullo alio iure positiuo præcepta esse in hoc casu, in quo scilicet consensus Prælatorum est necessarius. Nec Sixtus V. hoc directè præcipit, sed ex præsumptione quadam sine illa non vult excusationem admitti ab Ordinario; illa verò præsumptio non oberit conscientiæ, si reuersa ea solùm admissa sit; quia nullus eius fructus sperabatur. Quo circa hoc in particulari ex circumstantijs pendet; nam si subditus Prælatum immediatum timeat, non solùm non esse concessurum facultatem, sed etiam omninò impediturum recursum ad Superiorem, vel negotiationibus effecturum, vt Superior Prælatus falsis informationibus præueniatur, vel alio modo suæ noceat defensioni; tunc excusari poterit subditus etiam à petenda licentia. Quòd si fortasse ob eam rem in itinere capiatur, vel alias pœnas sustinere cogatur, non est hoc argumentum sufficiens culpæ in conscientia, sed præsumptionis eius in exteriori foro: in quo si de veritate constiterit, cessabit sine dubio afflictio; & dabitur Religioso testimonium, quo ad Superiorem securè peruenire possit.

6 Sed quæres; si nullum damnum timetur, debet ne tunc Religiosus à Superiore vexante petere licentiam adeundi Superiorem maiorem? Respondeo, si probabiliter non timeatur damnū sibi inferendum à Superiore vexante, censeo petendam esse saltem de honestate, & congruentia, maximè si aliqua esset spes illam obtinendi, vel si nulla esset, sufficiens ratio desperandi. Ita *Pater Suarez vbi suprà*; quia Religiosus tenetur (per se loquendo) non ire absque licentia; Igitur tenetur, quando absque incommodo potest; illam priùs procurare; neque habet iustam causam hoc omittendi, quando non habet probabilem rationem desperandi; neque timet aliquod incommodum. Immò licèt non habeat spem obti-

obtinendi licentiam, illam petere debet: Primò, ex quadam vrbanitate, & congruentia, (vt dicebam) ne suum contemnere videatur Prælatum. Secundò, vt suam, quantum in se est, iustiorem faciat causam. Tertiò, quia potest esse maxima ratio sedandi scandalum; nam si quod posteà nascitur illius causa, potiùs Prælatus, quàm subditus illud afferre censendus est. Hæc autem consulenda sunt, non quidem de iure, quia ius nullum ad hoc cogit faciendum, sed de congruentia, & Vrbanitate Religiosa.

7 Quòd si ex fuga Religiosi iniustè vexati tale sequatur scandalum, & perturbatio Religionis sit Magni momenti; tunc existimo, Religiosum non posse suum adire Superiorem maiorem pro vexatione tollenda; quia tunc scandalum, & perturbatio cùm sit talis naturæ, defensione illius Religiosi preponderanda est. Et ita prima sententia *Bannes*, & aliorum esset vera, & Religiosus peccaret mortaliter, non quidem peccato reseruato Apostasiæ à Religione, sed peccato scandali, & grauis nocumenti, quod ex eius fuga sequitur Religioni. *Ita Rodriquez, & Sanchez locis cit.*

8 Quare etsi Tridentinum *d. sess. 25. c. 4. de Regularibus* decernat, Religiosos sine superiorum licentia in scriptis obtenta à suis recedentes Monasterijs posse ab ordinarijs locorum tãquam sui instituti desertores puniri; id decretum non habebit locum in Religioso, qui iustè fugit, vt Superiores adeat; & eò quam maximè si sufficientem fidem faciant huius iustæ causæ fugiendi, quòd tunc fuga hæc vacet culpa. Ita *Nauarrus comm. 3. de Regular. num. 51. ad quartum Rodriquez tom. 1. qq. Regular. q. 30. art. 4. in fine, Sayr. in Claui Regia lib. 12. cap. 17. n. 4. & Sanchez eo c. 7. n. 18.*

9 Atque hinc deducitur resolutio eius quæstionis, an censendus sit fugitiuus Religiosus, qui è Carcere, in quo iussu sui Superioris inclusus est, fugit? & quidem constans est, non licere ei fugere; quia etsi id cæteris siue Sæcularibus siue Ecclesiasticis sit permissum; attamẽ secùs est de Religiosis, qui sua libertate priuantur exeundi à Claustro, & vagandi. Ita docent *Caietanus 2. 2. q. 69. ar. 4. dub. 2. in fine, Armilla verbo, accusatio n. 19. Nauarr. in Comment. 4. de Regular. num. 64. Coriol. 5. Salcedo in addit. ad pract. Bernardi Diaz in cap. 137. § immò circa Carcerem, Aragon. 2. 2. q. 69. art. 4. circa secundum argumentum Diui Thomæ, & ibi Sala. controuer. 2. post 2. conclus. Bannes eodem art. 4. post 5. conclus. Petrus de Ledesma 2. tom. Summæ tit. 8 c. 24. folio mihi 781. col. 1. Sayr. in Claui Regia li. 12. c. 18. num. 9. Emmanuel Rodriq. de ordine iudiciario c. vlt. num finali, & tom. 1. Summæ cap. 40. num. 1. & qq. Regular. tom. 2. q. 22. art. 6. & Sanchez in opere Moral. tom. 2. lib. 6. cap. 7. num. 12.*

10 Verùm hæc sententia sic absolutè non placet, nisi aliquibus illam restringamus limitationibus; & ita veram censemus sententiam, quando ea carceris pęna iusta est, ac legitima. & iuris ordine seruato imposita;

11 secùs enim fugere licebit. Similiter licitum erit fugere, quando licèt sententia iusta fuerit, & modus exequendi iniustus est; vt si custos carceris suo proprio motu, vel iudicis, aut alterius iussu iniustè illi cibum, vestitum, vel ignem ad vitam substentandam denegat. Ita *Nauarrus eodem n. 64. Corrol. 7. & 8. Sayr. vbi suprà n. 10. Salcedo loco cit. §. est autem Superior, Rodriquez tom. 1 Summæ cap. 40. num. 1. & qq. Regular. art. 6.* atque idem intelligendum venit, quando iustè secundùm allegata, & probata damnatus esset, cęterùm reuera innocens esset, nec reus criminis tanta pęna, digni; eò quòd in foro conscientię huiusmodi sententię obedire non tenetur.

12 Idem sentio, quando præcepto Superioris iussus esset, aut sententia iusta damnatus, vt in carcere maneret, posset quidem fugere pęna mortis, aut mutilationis imponenda ei esset. Ita *Salon. paulò superiùs citat.* & *Bannes vbi suprà*, qui idem docent de Religioso perpetuo carceri condemnato, dummodò fugiat non quidem ad vagandum aut habitum dimittendum; sed ad impetrandum illius pęnæ veniam à Superiori Prælato, Summoue Pontifice; quia in tanta angustia durissimum esset, Religiosum hac priuare libertate. Quam sententiam veram existimamus: quicquid incontrarium asserat *P. Sanchez citans Nauarrum, Salcedum, & Rodriquez* minimè obstantes.

13 Neque abhorreo limitationem, quam idem *Bannes 2. 2 q. 96. art. 4.* post quintam conclusionem ponit, nimirum non habere locum in Religioso Triremibus damnato; Nam ex eò quòd est durissima pęna subeunda, damnatus posset fugere, non vt vagetur, sed vt Superiorem adeat, aut Pontificem Summum, veniam petiturus. *Scio, Nauarrum, Valentiam, Vasquez, Sayrum*, & alios oppositum sentire: Sed mihi benignè, & probabiliùs ita venit cum *Bannes* dicendum.

QVAESTIO QVARTA.

Vtrum Religiosus, qui dimisso habitu fugit à Religione, sine intentione perpetuò manendi extra illam, sed solùm pro certo aliquo determinato tempore, sit Apostata à Religione censendus, ita, vt incidat in hunc casum reseruatum?

CAPVT PRIMVM.

Prima sententia affirmatiua cùm suis rationibus adducitur.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui è proprio Monasterio egr editur, absque Superioris licentia, dimisso habitu, animo redeundi ad proprium Monasterium est verè Apostata: Et quare.*

2 *Clericus in sacris constitutus dicitur Apostata, si absque habitu clericali sæculariter viuit.*

3 *Qui à fide recedit, animo iterùm ad fidem redeundi, dicitur Apostata à fide.*

1 TEnent nonnulli grauissimi Auctores, Religiosum, qui cum dimissione habitus, ea intentione egreditur è proprio Monasterio absque Superioris licentia, vt per aliquod tempus maneat extra Religionẽ, esse verè & rigorosè Aposta-

statam. Ducũtur in primis; quia ex opposita opinione sequitur monachum, qui dimittit habitũ animo vagandi, vel militandi per aliquot annos, cum intentione tandem reuertendi ad Religionem, non esse Apostatam, neq; incurrere in infamiam, & pœnas Apostatarum: Consequens est falsum; ergo. Minor patet ex communi modo loquendi, & sentiendi omnium iurium, & Ecclesiæ Prælatorum; omnes enim hos vocant Apostatas, & vt tales eos puniunt.

2 Secundò; Clericus in Sacris, qui dimisso habitu clericali, seculariter viuit, aut militat, simpliciter est, & censetur apostata ab ordine, siue habeat intentionem redeundi ad pristinum statum, siuè non; igitur idem est in præsenti. Probatur consequentia, quia vtraque Apostasia in retrocessione consistit à perfectiori statu; ergo si in ordine sacro est vera retrocessio sine intentione perpetuitatis, erit etiam in Religione.

3 Tertiò, quia vt aliquis retrocedere dicatur, in quo consistit Apostasiæ formalitas, non est necessaria intentio nunquam redeundi ad priorem statum, sed sufficit, velle nunc cadere à priori statu, & conuerti in alium; etiam si posteà ad priorem sit redeundum; vt qui recedit à fide, absolutè est apostata, etiam si fingamus habere animum redeundi ad fidem, & qui cadit à gratia; simpliciter retrocedit à via Dei, etiam si eodem tempore, quo peccat, animum habeat posteà pœnitendi; ergo intentio non redeundi non est de ratione Apostasiæ; Igitur in illa fuga cum dimissione habitus, nihil deest ad veram Apostasiam. Et in hanc partem his rationibus ductus inclinare videtur *P. Suarez dicto lib. 3. cap. 1. de Religiosis fugitiuis.*

CAPVT SECVNDVM.

Communior negatiua Sententia refertur.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui eo solo animo egreditur è Monasterio, vt per aliquod temporis spatium extra Obedientiam, & Religionem vagetur, etiam si habitum dimittat, non est Apostata.*

2 *Religiosus, qui propriam dimittit Religionem, animo ad aliam transeundi, non est Apostata.*

3 *Apostasia est retrocessio à statu Religionis.*

4 *Religiosus fugitiuus cum animo redeundi ad proprium Monasterium, etiam si habitum dimittat, non est Apostata.*

1 NOn esse Apostatam Religiosum, qui eo solo animo egreditur à Religione, vt per aliquod temporis spatium vagetur extra obedientiam, & Religionem, etiam si habitum dimittat: Ita sentiunt communiter Doctores infrà citandi. Ducuntur in primis; quia in diffinitione Apostasiæ poni solet, quod sit cum animo omnino relinquendi statum Religiosum: at qui ille non habet hanc intẽtionem, vt supponit casus; ergo.

2 Secundò, quia si quis temerè discedat à propria Religione, cum animo transeundi ad aliam, non est apostata: *vt ex communi sententia doctorum cum Glossa in c. 1. de Apostatis, Caietani, & aliorum 2. 2. q. 12. art 1.* & summistarum in verbo, Apostasia habetur, quod cẽsetur verum, etiam si propriæ Religionis habitum dimittat; ergo à fortiori si dimittat habitum, cum animo reassumendi, & redeundi ad propriam Religionem, non erit Apostata.

3 Tertiò; quia Apostasia est retrocessio à Statu Religionis, sed qui sic recedit, non retrocedit à statu, quia semper habet animum redeundi; ergo. Et confirmetur: Nam ex hoc fundamento affirmant communiter Doctores, Religiosum fugitiuum cum animo redeundi, retento habitu,

4 non esse Apostatam; ergo quamuis relinquat habitum, non erit Apostata; cùm habitus non sit de substantia Religionis, & consequenter dimissio illius nihil prodesse potest adhoc, vt sit censendus Apostata. Atq; hanc sententiã tenẽt *Angelus verbo Apostata nu. 4. & ibi Syluester q. 4. n. 9. Caietanus 2. 2. q. 12. art. 1. dub. 2. Aragon. ibidem in dub. de Apostasia à Religione, Bannes 2. 2. q. 12. ar. 1. dub. 1. de Apostasia à Religione conclus. 2. & 3. Nauarr. lib. 5. consil. tit de Apostasia cons. vn. n. 6. & duplici seq; Valentia 2. 2. disp. 1. q. 12. puncto 1. Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 12. c. 16. quæs. 1. Lessius lib. 2. de iust. & iure c. 41. dub. 15. n. 109. Rodriq. qq. regul. tomo 1. q. 30. art. 1. Sanch. tom. 2. in oper. moral lib. 6. c. 7. n. 4. Tabiena verbo, Apostasia q. 11. nu. 14. & ibi Armilla num. 11. Anan. in c. fi. de Apostatis statim in princip. & alij Moderniores.*

CAPVT TERTIVM.

Authoris Sententia.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui è Monasterio egreditur cum propriæ Religionis habitus dimissione, eo animo, vt per longum tempus extra Religionem maneat, est verè Apostata; quare.*

2 *Quid requiritur ad veram, & realem Apostasiam.*

3 *Intentio manendi per longum tempus extra Religionem censenda est perpetua.*

4 *Religiosus, qui absque sui Superioris licentia egreditur è Monasterio cum habitus dimissione, sine intentione manendi extra obedientiam perpetuò, est excommunicatus.*

5 *Religiosus, qui absque suæ Religinis habitu egreditur è Monasterio furtiuè, incurrit omnes Apostatæ pœnas.*

6 *Religiosus, qui absque sui Superioris licentia egreditur à Monasterio cum habitus dimissione, firmum habens animum quamprimum reassumendi habitum, & reuertendi ad propria, non est Apostata.*

7 *Religiosus, qui suæ Religionis proprium alterius Religionis cooperit habitu, vt exteriùs non appareat, non est Apostata.*

8 *Religiosus non incurrit censuram in Capitulo,* Vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi, *qui habitum non defert in cubiculo; & quare.*

9. Religiosus, qui è Monasterio proprio fugit ob nimiam Superioris sæuitiam, non est Apostata, si id animo facit statim maiori Superiori se præsentandi.

Ambæ allatæ sententiæ probabilitate non carent, quia fundamenta, quibus nituntur, aliquo modo intentum ostendere videntur; possunt tamen facili modo dilui, & ideò mediam sententiam inter vtramque statuere determinauimus.

1 Dico igitur primò, Religiosum, qui egreditur è Monasterio cùm dimissione propriæ Religionis habitus, eo animo, vt pro longum tempus extra suam Religionem permaneat, esse verè, & realiter apostatam. Hæc assertio est pro prima sententia contra secundam, eamq; optimè probant Argumenta facta pro illa sententia, & vlteriùs ostēdi potest primo, quia determinatio manendi per longum temporis spatium extra Religionem, atq; religiosam obedientiam moraliter existimatur retrocessio, & abdicatio status Religiosi. Verùm huiusmodi abdicatio est vera, atq; realis apostasia; Igitur Religiosus, qui eo animo deserit propriam Religionem, censendus est verè, & rigorosè apostata. Maior, & consequentia sunt notæ. Minorem ostendo; quia si hæc non esset vera (moraliter saltē) Apostasia, ex eò quod abdicatur à religioso statu; profectò ex eo proueniret, quia Religiosus ille firmum & constantem post illud longum temporis spatium animū redeundi ad Religionem habet: atqui illa intentio non satis est; igitur nihil proficit, quo minus illa manendi extra Religionem per longum tēpus intentio moraliter nō dicatur vera Religiosi status abdicatio, & cōsequenter Apostasia. Probatur minor, quia si illa intentio præcisè, & absolutè sufficeret (ad euitandam apostasiam) eo quam maximè esset, quia ponitur in apostasiæ diffinitione, adeò vt videatur essentialis, ita vt si illa desit, non sit Apostasia: sed hoc est falsum; igitur falsum est illud, à quo sequitur. Minor ostenditur, simul & declaratur: Nam si per intentionem deserendi simpliciter Religionem intelligatur cum toto rigore intētio nunquam redeundi ad religiosum statum, certum est, sine fundamento poni talem intentionem in apostasiæ diffinitionē; quia (vt eleganter *P. Suarez* annotauit loco statim citando) nullo iure probatur, nec efficaci ratione, neque in alijs Apostasiæ speciebus ita est, vt in Apostasia à fide clarè patet, nec denique communi modo loquendi, & sentiendi est consentaneum, cui multum debent hæ morales diffinitiones accommodari. Si autē illa intentio latiùs sumatur, prout existimo sumendam esse, pro intentione nimirum simpliciter permanendi in statu sæculari, id est, pro aliquo notabili tempore; sic faciliùs admitti potest: ex hoc tamen videtur sequi euidenter minoris probatio.

Secundò probatur; Nam Auctores secundæ sententiæ duo necessariò exposcunt ad hoc, vt Religiosus huiusmodi non censeatur Apostata.

2 Primùm est, vt dimissio habitus ea intētione fiat, vt eum citò reassumat; alterum, vt sit sine animo deserendi Religionem: atqui in nostro casu deficit primum; Igitur in secunda sententia, ex quo ille non habet intentionem citò reassumendi habitum, sed post longum tempus, dicendus est Apostata verè, & rigorosè.

3 Tertiò; intentio illa assumendi habitum, quē Religiosus dimiserat à Monasterio egrediens, post longum tempus, potest tanquàm perpetua reputari; tum propter periculum mortis; tū propter periculum numquam redeundi, propter prauam cōsuetudinem, & maiores difficultates, quæ in tanto tempore timeri possunt; Igitur hæc intentio æquiualet animo perpetuò manendi extra Religionem: quia animus satis est ad hoc, vt Apostata censeatur.

4 Quartò probari potest à posteriori; quia Religiosus, qui à Religione propria fugit cum habitus dimissione, siue intentione perpetuò manēdi extra Religionem, sed pro aliquo tempore, incidit in excommunicationem *in c. 2. ne Clerici, vel Monachi latam in 6. vt probat P. Suar. to. 5. ad 3. p. disp. 31. sect. 6. & tom. 4. de relig. lib. 3. c. 1. n. 19.* at illa censura fulminatur (vt ita dicā) aduersus monachos verè Apostatas; Igitur si talis Religiosus non esset verè apostata, certè gladio anathematis non perçuteretur.

5 Quod verò huiusmodi Religiosus in omnes ferè Apostatæ pœnas incurrat, facilè ostendi potest ex Constit. Pauli Quarti in tertia constitutione, quæ habetur in Bullario, cuius mentionem facit *Suar. loc. cit. n. 12. & n. 14.* aduersus Apostatas illis verbis: *alij verò, qui nullo suffulti prætextu, temeritate propria,* (& paulò inferiùs) *extra claustra suorum Regularium locorum degunt, & in sæculo, aliqui habitu sui ordinis detento; aliqui, illo abiecto, in habitu presbyterorum sæcularium, & quamplurimi in habitu laicali temerè vagantur.* Hos ergo omnes Summ. Rom. Pontifex Apostatas censet, & pro omnibus illius statuit pœnas, quas Doctores referunt; ergo eandem moram, vel vagādi tempus in sæculo censet sufficere ad apostasiam, habitu retento, aut dimisso, veluti censet eandē sufficere cum habitu clericali, & laycali, & in nullo ex his modis postulat, quòd fiat egressio siue animo vnquam reuertendi; Igitur talis intentio non satis est ad hoc, vt non possit induci vera, & realis apostasia.

6 Dico secūdò; Religiosum, qui egreditur è suo monasterio absque legitima sui superioris licentia, cum habitus dimissione, sine intentione perpetuò extra Religionem manendi, si animum firmum habeat, quàm primùm reassumendi habitum, & reuertendi ad propria, non esse verè Apostatam, neque in pœnas cōtra Apostatas latas incidere. Hęc assertio est pro secunda sententia, eamq; minimè negare possunt Authores secundæ sententiæ. Rationes verò, quas formant Doctores pro illa secunda sententia, nostram optimè probant assertionem.

7 Ex his inferò primò, non esse Religiosum Apostatam, qui ita suæ Religionis habitum alio cope-

coperit, vt exteriùs non appareat *Ita P. Sanchez tom. 7. in oper. moral. lib. 6. cap. 7. num. 5. Quamquam Glos. Clement. 2. Verbo extrinseci de vita, & honestate clericor. & ibi Imol. n. 31. & Card. ibid. ver. dignitatem n. 2. q. 3. Io. Andr. Regula, Certum in fi. de regul. iur. in 6. & cap. Deus, qui, n. 2. de vita, & honestate clericor. vbi Anchar. n. 4. notabil. 4. & ibi Imol. n. 2. Franc. cap. 2. in principio n. 2. ne Clerici, vel Monachi in 6. & ibi Probus in addit. ad Monach. à n. 8. vsq; ad finem, Anan. rubr. de apostat. nu. 3. cap. fin. in fin. eod. tit. Rebuf. prax. benef. tit. de dispensatione num. 43. Diuus Anton. 3. p. tit. 16. cap. 6. paulò post princ. & tit. 24. cap. 53. Syluest. ver. excommunicatio 9. casu 24. n. 53. quæsito 4.* sentiant, talem Religiosum esse Apostatam verum: aut enim Doctores isti incautè loquuntur, aut de Apostasia largè & impropriè sumpta intelligendi sunt. Nam, vt constans est, habitus dimissio, vel detentio nihil refert ad veram Apostasiam, sed eam solus animus recedendi imperpetuum, vel per longum tempus ab instituto Religioso constituit; & ita hunc non esse propriè Apostatam, tradit *Mendosius*, dicens, *ita fuisse in Rota Romana decisum in signatura gratiæ verbo, licentiæ vers. qui licentia non obtenta; Rodriq. qq. Regul. to. 1. q. 30. art. 2. Sanch. vbi suprà: inclinat quoque P. Suarez vbi suprà.*

8 Inferò secundò, non esse Apostatam Religiosum, nec incurrere in excommunicationem in c. vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi, in 6. qui habitum non defert in cubiculo suo, vel alio in loco secreto, vt melius studeat, quiescat, dormiat, &c.: Nec eum, qui ex quadam leuitate habitum dimittit, vt melius currat, ludat, vel saltet. Ratio est, quia qui ad breue tempus habitum dimittit statim assumendum, non dicitur dimittere; *leg. Diuortium ff. de diuinat. & ita docent Probus in addit. ad Monac. cap. 2. n. 7. ne Clerici, vel Monachi in 6. Francis. de Platea tract. de excomm. §. 9. n. 3. Paludan. in 4. dist. 18. q. 3. art. 3. n. 41. D. Ant. 3. p. tit. 24. c. 53. Sylu. ver. excomm. 9. casu 24. nu. 51. notabil. 1. & nu. 53. notab. 3. & ver. habitus q. 2. Tabiena ver. excomm. 5. casu 23. q. 1. nu. 2. Nauarrus in summa c. 26. n. 131. Passarel. in priuileg. minim. c. 34. P. Suar. tom. 5. ad 3. p. disp. 23. sect. 4. nu. 27. & n. 29. Sanchez tom. 2. in oper. moral. lib. 6. c. 8. n. 55. Azor. tom. 1. instit moral. lib. 12. c. 13. q. 5 casu 16. & c. 17. q. 9. Sayr. de censur. lib. 3. c. 33 n. 13. & 14. Rodr. qq. reg. to. 2. q. 76. art. 6. notab. 2. Confectius in priu. Mendicant. in notabilib. positis post Bullas Apostolicas tit. 13. c. 14.* Quòd non solùm id locum habet in prædicto casu, verùm quoque si habitus dimittat Religiosus, & ad breue tempus sumat vestes virgatas, vel partitas clericis omnino interdictas, vt festum amici celebret, vt nuptias, primum sacrũ, doctoratum, & huiusmodi. *Ita Cardinalis Clem. 2. in princip. n. 4. q. 3. de vita, & honest. cleric. Rosell. ver. excomm. 1. casu 16. n. 3. Sylu. eo notab. 3. Nauarr. Emmanuel Rodriq. & Sanch. locis citatis.* Quinimò si eo animo dimittat, vt eat ad fornicandum, vel vt secretò furetur, cùm intentione tamen statim illum reassumendi, non esse Apostatam, neque excommunicatum illa excommunicatione lata in dicto c. periculosa. Ratio esse potest, quia ad hanc censuram incurrendam desideratur moralis dimissio, nec sufficit quæcunq; habitus expoliatio; vt optimè ostendit *Sanchez loco quo suprà n. 49.* Atqui dimissio tam momentanea non dicitur moralis dimissio, vt patet ex dicta *leg. diuortiũ, ff. de Diuortijs*; Igitur. Confirmatur; quia *Syluester, & Passarel vbi suprà, & alij fatentur*, opus esse ad hanc incurrendam censuram dimitti habitum, alio assumpto ad vsum; at habitus alienus ad tam breue spatium assumptus, statimque deponendus non dicitur moraliter assumptus ad vsum. Tandem, quia & si dimissio illa momentanea ex malitia alterius speciei illi adiuncta sit grauis; attamen in ratione dimissionis temerariæ, quæ sola subijcitur censuræ latæ in illo cap vt periculosa, censetur leuis, nec nomine dimissionis (moraliter loquendo) sed cuiusdam spoliationis digna. *Ita P. Suarez loco citato n. 31. Toletus lib. 4. Summæ c. 18. n. 3. Emmanuel Sà verb. excom. n. 9. Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 12. c. 1. q. 5. vers. his igitur, & latè P. Sanchez vbi suprà nu. 57. in fine. Sanctar. tract. de Apostat. c. 1. n. 5. & seqq. & P. Diana tract. 2. de dub. regular resol. 115.*

9 Infero Tertiò, Religiosum, qui è Monasterio proprio fugit ob nimiam Superioris sæuitiam, nõ esse Apostatam, si id animo faciat statim alij se præsentandi Superiori. *Ita sentit Abbas in cap. ad nostrum de appellat.* vbi dicit, quod Abbate nimis in Monachos sæuiente, licitum est illis fugere de Monasterio: nec per hoc dicuntur Apostatæ. Ad quod optimè alllegat *textum in leg. 2. §. Dominor. ff. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris*, vbi *Baldus affirmat*, quòd correctio debet esse moderata; aliàs ad Superiorem remitti potest: vt quando Abbas odio haberet Monachum, illumque aggrauaret; Monachus assumere potest arma ad sui defensionem; vt annotauere *Card. in Clem. 1. §. præfatæ de statu Monachor. & Nauarr. lib. 2. Consilior. de appellat. cons. 4. num. 30.*

CAPVT QVARTVM.

Aliqua dubia circa præcedentem doctrinam expediuntur.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui animo deliberato relinquendi in perpetuum Religiosam vitam à suo egreditur Monasterio, cum habitus dimissione, est verè Apostata, comprehensus sub hoc casu.*

2 *Apostasia duplex, interna, & externa. Et quomodo vtraque committatur.*

3 *Religiosus, qui in sua Cella proprium dimisit habitum, sæculari assumpto, & ab ea egreditur, & vsque ad septa peruenit Monasterij, sed mutata intentione, non egreditur, non est Apostata.*

4 *Religiosus, qui dimisit habitum animo Apostatandi, sed posteà mutato animo, non est è Monasterio egressus, non incidit in censuram Capituli, si periculosam.*

5 *Religiosus, qui sub habitu alienæ Religionis animo per multum tempus vagandi extra Monasterium egreditur, est verè Apostata, & sub hoc casu comprehensus.*

6 *Religiosus, qui sub alterius Religionis habitu egreditur à Monasterio, animo vagandi extra Obedientiam, incurrit censuram in Cap. vt periculosa latam.*

7 *Religiosus, qui proprium habitum cooperuit alterius Religionis habitu, dum è proprio egreditur Monasterio animo apostatandi, non est Apostata; iuxta aliorum sententiam.*

8 *Prædictus Religiosus, iuxta Authoris sententiam, sub censura dicti Cap. vt periculosa comprehenditur; quare.*

9 *Iudæi inter Christianos commorantes, si signum, quod gestare debent, cooperiunt, incurrunt pœnas Capituli, Nonnullis de Iudæis.*

10 *Lex Pœnalis quando patitur extensionem.*

11 *Extensio legis pœnalis permittitur facienda, ne legislatoris mens lædatur.*

12 *Habitus propriæ Religionis occultatio materialiter non est habitus depositio, est tamen formaliter mutatio.*

13 *Religiosum, qui absque sui Superioris licentia egreditur è Monasterio, habitu non dimisso, cum animo tamen statim redeundi ad proprium conuentum, esse Apostatam excommunicatum; qui docent.*

14 *Religiosus, qui sic è suo Monasterio egreditur, est Apostata, non ratione iuris communis, sed Religionum peculiaris.*

15 *Religiosus fugitiuus in hunc casum non incidit reseruatum; quare.*

16 *Furtiua egressio è Monasterio non est comprehensa sub hoc casu.*

17 *Sacra Rota Romana determinauit fugitiuum Religiosum non esse Apostatam.*

18 *Romani Pontifices nostri ordinis Apostatas excommunicantes, non excommunicant eos, qui à Monasterio egrediuntur animo statim reuertendi.*

19 *Religiosus excommunicatus à Superioribus nostri ordinis, ex quo absque venia à Monasterio exiuit, potest à quocunque absolui Sacerdote.*

20 *Apostata à Religione nostra non est multis innodatus censuris: contra Mirandam.*

21 *Religiosus apostata non incurrit censuram capituli vt periculosa; si habitum temerè non dimisit.*

22 *Religiosus absque Apostasiæ labe potest habitum dimittere.*

23 *Religiosus dimittens temerè suæ Religionis habitum, absque apostatandi animo, incurrit censuram capituli, vt periculosa.*

24 *Religiosus verè suæ Religionis apostata, si habitum non dimittit non punitur censura lata in dicto cap. vt periculosa.*

25 *Religiosus, qui absque suorum Superiorum licentia è Monasterio egreditur ad parentibus subueniendum, non est Apostata.*

26 *Casus, in quibus tenetur Religiosus exire è Monasterio ad parentibus subueniendum; & quomodo.*

27 *Religiosus ille non est censendus Apostata, qui ad Matri morienti subueniendum egreditur è Monasterio, absque Superioris licentia, si petita fuit illi negata.*

1 SVperest hîc modò, pro eorum, quæ hactenus docuimus, complemento, apostasiæ declarare formam, quæ sub hoc secundo casu in decreto Clementis reseruato comprehenditur. Dico igitur, quod quando Religiosus, deliberato animo relinquēdi imperpetuum religiosam vitam, egreditur à suo Monasterio, habitumq; suæ dimittit Religionis; est verè & realiter Apostata, incurritque in excommunicationem, & omnes alias Apostatarum pęnas. Et hoc Apostasiæ crimen reseruatur in secundò decreti casu. *Ita communiter Doctores, tam Theologi, quam Canonistæ in cap. vt periculosa, ne clerici, vel monachi.*

2 Circa quod primùm distinguere oportet apostasiam internam ab externa. Illa committitur per solum propositum dimittendi Religionem; & non satis est ad pęnas Ecclesiasticas, etiam excommunicationem, neque etiam ad reseruationem; vt ex dictis in prima huius tractatus parte patet: Exterior in ipsa reali dimissione religionis, siue cum habitu, siue sine habitu fiat.

3 Multa circa hanc assertionem occurrere possunt examinanda dubia. Primum; an Religiosus, qui in sua cella mutat habitum, & sæcularem accipit; ab ea egreditur, & vsq; ad septa peruenit Monasterij, si ibi ad se conuertatur, & mutat animum, seu ibi per vim capitur, aut detinetur, sit apostata censendus? Respondeo, non esse absolutè Apostatam, quia non consummauit actum, quem apostasia significat; & ideò casus iste reseruatus non est ex vi Decreti Clementis Octaui, vt videtur ipse declarare, dicens, apostasiam reseruari: *Quandò eo peruenerit, vt extra septa Monasterij, seu conuentus egressio fiat.* Non sufficit etiam ad pœnas in iure latas contra Apostatas, vt sic; quia huiusmodi pœnæ restringuntur ad actus consummatos.

4 Dixi consultò, *vt sic*, quia de excommunicatione fortassè est alia ratio; quia non fertur in apostatas, *vt sic*; quia non omnes Apostatæ illam incurrunt, vt suprà dictum est: Sed fertur in suæ Religionis dimittentes habitum animo apostatandi; vt constat ex dicto cap. periculosa: Hoc autem peccatum satis consummatum est in illo actu. Nihilominus *P. Suarez tom. 4. de Religion. lib. 3. cap. 1. num. 27. in fine, & Sanchez loco citato num. 57.* probabile esse existimant, incurri in excommunicationem; quia id satis explicant verba textus, *ibi. Ne in scholis, vel alibi temerè habitum suæ Religionis dimittant*; quibus iuncto principio textus; *vt periculosa Religiosis vagandi materia subtrahatur*, valdè verisimile fit, sermonē præcipuum Pontificis esse de locis extra Monasterium, & illa referri per illam particulam, vel alibi: ac proindè donec quis extra Monasteriū habitu dimisso existat, eum non incurrere illam cēsuram. Quem sensum verba primi casus reseruati in hoc Clem. Octau. Decreto confirmant. Cur enim voluisset Pontif. peccatum illud non esse reseruatum ante exitū extra septa Monasterij, si ces-

cessaret esse sufficiens ad excommunicationem Papalem incurrendam?

5 Secundum dubium est; an Religiosus, qui sub habitu alienæ Religionis, animo per multum tẽpus vagandi extra suam Religionem, egreditur è monasterio, sit reus huius peccati reseruati? Ratio dubitandi esse potest; tum quia iste Religiosus non censeri videtur apostata, quia non habet animum, seu intentionẽ perpetuò manendi extra rel gio sam obedientiam; tũ quia non videtur dimittere habitũ Religiosũ, quod desideratur ad hoc, vt dicatur apostata à religione, prout quamplures DD. quos citat *P. Suar. vbi sup. n. 13. docent.*

Verùm his non obstantibus, dico, esse verè Apostatam, & comprehendi sub hoc casu reseruato: quia (vt suprà probauimus) intentio per lõgum tempus manendi extra Regularẽ obedientiam, atq; disciplinam, satis est ad veram constituendam apostasiam à religione. *Ita Suar. sup. n. 21* nec refert, quòd habitum alterius Religionis, vel proprium deferat; Nam Clemens solam apostasiam desiderat ad hoc, vt hic incurratur casus reseruatus; vt ostendunt verba illa eiusdem Clementis: *Siue habitu dimisso, siue retento.* Et certè ad veram Apostasiam à Religione nihil refert, an habitus Religionis dimittatur, nec ne: Sed reuera sufficit Apostatam esse recedentem à Religione, si animo discedat, vel nunquam redeundi ad illam, vel non redeũdi, nisi post longum tempus spatium, etiamsi habitum retineat: quia sicut habitus monachum non facit, sed Regulæ monasticæ professio, sic apostatam reddit recessus à Monastica professione, etiam si habitus non deponatur, *Vide Suar. loc. cit. n. 14 & Sãch. vbi sup. n. 4.*

6 Sed quæres; an huiusmodi Religiosus sit innodatus excommunicatione lata in dicto *cap. vt periculosa?* Ratio dubitandi est, quia iste non videtur dimittere habitum Religionis, etiã si suę propriẹ nõ sit. Respondeo, esse excõmmunicatum; Nam Pontifex in illo cap. Anathematizat Religiosos, qui in scholis, vel alibi habitum suæ Religionis dimittunt: atqui ille Religiosus, licet habitum alterius Religionis assumat, iam proprium dimittit, ac proinde in censuram ibi latam incidit.

7 Maior difficultas est, si talis Religiosus retinuit habitum suæ Religionis, ita alio occultans, vt exteriùs nullo modo appareat; an incurrat in censuram latam in dicto cap. vt periculosam? Existimant nonnulli grauissimi Doctores statim citandi, non incurrere. Ducuntur, quia lex pœnalis vltrà verborum proprietatem extendenda nõ est, & maximè hæc, quæ secundùm totam verborum proprietatem accipienda est, *vt Pater Suarez tom. 5. ad tertiam partem disp. 23. sect. 4. nu. 27. & Sanchez in oper. moral. lib. 6. cap. 8. nu. 21 latè probant, & ipse pro iuris Pontif. defens. disp. 1. q. 2. cap. 3.* At occultare omnino habitum non est propriè, & in rigore dimittere, igitur &c.; Nec valet in materia pœnali argumentum à rationis paritate, nec in hac censura est prohibita omnis vagandi occasio, sed ea, quæ est per habitus dimissionem. Insuper, quia si Religiosus alijs modis occultis incedat, vt in tenebris, aut intrà currum, vel velata facie, est sufficiens vagandi ansa, cùm tamen luce clarius sit, hunc non incurrere.

Præterea, quia non est eadem ratio in habitus occultatione, & depositione, vt apparet manifestè ex *Glossa in cap. Deus, qui, in fine, de vita, & honestate Clericor.* vbi ait; *Religiosos non delaturos habitum suæ religionis exteriùs, sed tantùm interiùs, quando ex delatione externa scandalum consurgeret, Ita Ioannes de lignau. & Zenzelinus Clement. 2. de vità, & honest. Cleric. quos refert, & sequitur Panormit. in dicto cap. Deus, qui, n. vlt. Paludanus in 4. distinct. 18 quæst. 3. art. 3. num. 41. Claudius repetit. leg. vt vim num. 99. ff. de iust. & iure, Tabiena verbo, excommunicatio 5. causa 23. q. 1. n. 2. Sayr. de cens. lib. 3. cap. 33. num. 9. & 10. Suarez tom. 5. ad 3. partem disp. 23. sect. 4. num 33, & 34. Francus regul. final. num. 4. de regul. iuris in 6. & probabilem existimat Pater Sanchez suprà n. 63.*

8 Et quamquam hæc sententia probabiliter substineri potest, saltem post factum, (*vt docet Rosell. v. Apostasia nu. 8. & verbo, excommunicatio prima, casu 16. n. 2. Angelus verbo, excomm. 7. casu 27. n. 1.*) nihilominus probabiliùs, atq; veriùs sentiendum est, hunc esse comprehensum sub illa censura dicti capituli, vt periculosa, prout docẽt in propriis terminis DD. innumeri, nimirũ, *Io. Andreas c. 2. Deus, qui, de vita, & honestate Cleric. nu. 2. & ibi Ant. nu. 3. Card. nu. 1. q. 1. Anch. nu 4. notab. 4. Imol. n. 2. Idem Imol. dicens, sic determinatum Bononiæ, Clem. 2. n. 31. de vita, & honest. cleric. in Clem. 1. n. 17. de statu Monach. Francus c. 2. in pr. nu. 2. ne Clerici, vel Monac. in 6. & ibi Probus addit. 16. ad Monac. a n. 8. vsque ad fi. Anania rubr. de apost. nu. 3. & c. fi in fi. eodem tit. Oldr. cons. 194. n. 12 & seqq. Calcan. cons. 127. vers. ad primum, quod si excomm. nu. 6. Villaut. tract. de censur. q. 35. n. 45. Rebuf. praxi benefic. tit de dispensat. cum regul. nu. 43. D. Ant. 3. p. tit. 16. c. 6. Syluester, verbo excomm. 9. casu 24. n. 53. q. 4. Caiet. in Summa verbo excomm. c. 61. & ibi Armilla casu 35. num. vnico, Nauarrus in Summ. c. 27. n. 131. Passarell, in priuil. minimor. c. 34. in fi. Bannes 2. 2 disp. 1. q. 12. puncto 1. in fine. Rodriquez qq. regul. tom. 2. q. 76. art. 6. notabil. 2. P. Azorius tom. 1. inst. moral. lib. 12. c. 13. q. quinto, & c. 17. q. 10. Sanch. vbi suprà n. 63. & alij apud ipsum.* Probari potest hæc sententia primo, quia quo ad effectum huius excommunicationis incurrendæ idẽ est, habitum proprium dimittere, ac illũ ita occultare, superinduendo aliũ, vt nequeat quis cognosci tanquã Religiosus talis ordinis; eò quòd ita tegens, & si materialiter non dimittat, Attamẽ eum formaliter dimittit, hoc est in ordine ad videntiũ notitiã; quem dimissionis modũ prohibere in primis voluit Pontifex sub illa excommunicatione, vt cõstat ex fine, quem sibi statuit in illius textu ibi; vt periculosa vagãdi occasio religiosis subtrahatur.

9 Et confirmatur, quia in *capit. nonnullis de Iudæis*, Iudæi inter Christianos commorantes sub certa pęna iubentur signum quoddam gestare,

quo à Christianis secernantur: Atqui ibi fatentur Doctores, eidem pœnæ eos subijci, si id signũ ita opertum portent, vt non appareat; eò quod finis legis id iubentis frustraretur, cùm quo ad eũ finem idem sit non gestare, & eo modo gestare, vt non appareat, nam sic occultato signo, à Christianis Iudæi non distinguerentur, qui finis huius legis fuit. Cùm ergo similiter finis Canonis excommunicantis Religiosum dimittentem habitum fuerit, vt Religiosus ex habitu cognitus vagari nequeat, idem prorsus erit, illum non gestare, ac ita operire, vt prorsus Religionis non cognoscatur.

10 Secundò, quia vbicumque est dispositio pęnalis, facilè posset eludi, extensione non facta; at in pęnalibus permittitur extensio, *vt constat ex c. quam de vsuris in 6. & ibi communiter Doctores.* Vbi constitutio penalis irritans Vsurarii testamẽtum ad codicillos, & donationem causa mortis extenditur; Ne Canon ille ad testamenta restrictiùs eludatur: & Clementin. 1. de Sepulturis sepelientes tempore interdicti in Cemeterijs excommunicantur; & tamen ad in Ecclesiis sepelientes extenditur, ne constitutio illa facilè eludatur; neq; hæc est extensio, sed tacita inclusio, *vt docet Glossa in c. 1. Verbo, Italiam de temporib. ordinandor. in 6.*

11 Tertiò, quia qui solis verbis legis contentus eius mentem offendit, non euadit eius pęnas, *leg. non dubium C. de legib. leg. fraus, & leg. contra legem ff. eodem titulo, Regul. final. de Regul. Iuris in 6.* atqui Religiosus habitum omnino operiens sola canonis verba iubentis habitum gestare amplectitur, & manifestè eius mentem offendit, ac manifestè trasgreditur, quæ est, vt ex habitu cognitus vagari non possit; Igitur excommunicationem incurrit.

Ad argumenta prioris sententiæ ex his respõderi potest faciliter. Ad primum respondeo in primis, quod licèt verum sit, legem pœnalẽ non esse vltrà verborum proprietatem extendendã, nihilominùs in hoc casu non dicitur propriè extendi lex, sed declaratio mentis inclusæ in illa. Secundò respondeo, id non obstare, quia eius extensio permittitur, ne facilè eius mens eludatur, pro vt ostensum est in secunda ratione. Ad

12 aliud dico, quod licèt habitus occultatio non sit propriè (materialiter loquendo) habitus depositio, est tamen formalissimè, & proprijssimè eiusdem mutatio, si legis mens propriè ponderetur. Nam in id tendit, vt Religiosus non vagetur cum dimissione habitus, qui alio coopertus iã quo ad videntium notitiã existimatur dimissus.

13 Tertium dubium est; an si aliqua Religio Apostasiæ casum reseruauit iuxta hoc Clementis Octaui Decretum, Religiosus, qui à sua Religione, siue Monasterio recedit, inconsulto Prælato, censeatur, & iudicetur Apostata, & excommunicatus, ita, vt incidat in casum reseruatum, etiamsi habitum non dimittat, nec voluntatem in malũ affirmatam habeat, aut id fiat animo statim redeundi? Ad hãc difficultatẽ respondet *P. Mirãda tom. 1. sui Manualis q. 51. art. 1 concl. 2.* hunc esse in foro exteriori Ecclesiæ verè Apostatam, & excommunicatum *Addit Portel v. Apost. in addit. n. 1. in dub. regul.* incidere in hunc quoq; cas. res.

14 Verùm mihi (absolutè loquendo) hæc sententia minimè probatur; Nam nullo iure ostẽdi potest, vt ex suprà dictis patet. Quamobrẽ dico primò, talem Religiosum esse Apostatã iure peculiari Religionũ; Nam ferè omnes Prælati Regulares iure priuilegiorũ habent facultatem excõmunicandi Religiosos, qui absq; eorum licẽtia è monasterio egrediuntur, vt colligitur ex cõpendio Mendicantium Verbo, Apostasia. Quinimmò Innocentius Octauus §. 22. de facto ordinis Apostatas excommunicat: non est tamen huiusmodi excommunicatio reseruata. Dico secundò, si Apostasia esset in aliqua religione reseruata, Religiosum fugitiuum non incidere in

15 casum reseruatum. Hæc assertio patet ex dictis; Nam Clemens octauus reseruandam, ait, esse Apostasiam à Religione: hæc autem animum non reuertendi desiderat, igitur non satis est, si Religiosus extra Monasteria vagetur absq; Prelatorum licentia; sed requiritur, vt eo animo fiat, vt nolit ad religionem redire. Nõ enim Pontifex dixit absolutè, *Apostasia*; Sed Apostasia à Religione; nam vox illa, à Religione, ita determinat aliam, nimirum, Apostasia, vt nullo modo possit ostendi alia Apostasia, quæ fit absque animo nõ reuertendi. Et confirmatur primò, quia Clemẽs hoc Decreto reseruandam fore determinat nocturnam è Monasterio, seu Conuentu egressio, etiam non animo apostatandi facta: At qui *P. Miranda* fatetur, quòd egressio Monasterij absq; legitima Superioris licentia in foro exteriori Ecclesiæ sit Apostasia; Verùm hæc egressio non

16 compræhenditur à Põtifice Summo. Sub Apostasia à Religione, igitur signum efficax, & euidens est, Religiosum, qui absque legitima Superioris licentia egreditur è Monasterio, non esse apostatam. Superuacaneum profectò esset, si ab Ecclesia communiter existimaretur apostata ille, qui à suo recedit monasterio sine superioris venia, alium casum reseruare distinctè à primò; igitur. Confirmatur secundò, quia Religiosum fugitiuum non esse Apostatam, determinauit Sacra Rota Romana; *vt refert Mandos. in Signatura gratiæ, verbo, licentia, versiculo, qui licentia non obtenta.* Nam olim in Sacra Rota Quæstione proposita, ac nimis ibidem controuersa, & ventilata, vtrum Religiosus exiẽs monasterium sine sui Superioris licentia, ac dimittens habitum, seu portans illum occultè, esset excommunicatus ex vno dumtaxat capite, aut verò ex duobus? conclusum fuit, esse excommunicatum ex hoc, quia dimisit habitum, nõ verò propter primum, quia reuera talis non est censendus apostata; igitur non incidit in hunc casum Religiosus fugitiuus, etiam si peccatum apostasiæ esset in Religione reseruatum.

18 Atque hinc infero primò; Summos Pontifices Apostatas nostri ordinis excommunicantes non

nõ eos anathematizare, qui è Monasterio egrediuntur animo statim reuertendi, quia non sunt verè Apostatæ; sed eos qui à nostra apostatant Religione.

19 Infero secundò, Religiosum, qui fuit à nostris excommunicatus Superioribus, eò quia absque sui venia è monasterio exiuit, posse à peccato à quolibet Sacerdote absolui, etiam si Prælatus sibi crimẽ reseruauit apostasiæ: Nam virtute huius Decreti Clementis Octaui Superioris solùm apostasiam à Religione, quantum ad hunc secũdum casum spectat, sibi reseruare possunt: Cùm autem Religiosus fugitiuus apostata à Religione non sit, licèt sit excommunicatus à suis Superioribus, in crimen reseruatum non incidit.

20 Notanter dixi; *Quantum attinet ad hunc secundũ casum*; quia si fuga esset facta tempore noctis, esset reseruatum crimen in tertio casu, & non posset absolui, nisi à suo superiore, vel ab eius habente authoritatem.

Dico tertiò, contra *P. Mirandam*, apostatam à Religione nostra non esse multis innodatum cẽsuris, sed illa Innocentij octaui, & nostrarũ Constitutionum; quando fuerit declaratus apostata, & excommunicatus. Etenim *P. Miranda*, existimauit, Religiosum, qui absque habitus dimissione à Religione apostatauit, in censuram in cap. vt periculosa, incurrere, quod est manifestè falsum, vt rectè *P. Sanch. tom. 2. in oper. moral. lib. 6 c.*
21 *8. n. 15. ostendit*; quia textus in eo c. solos Religiosos temerè habitum Religionis deponentes excommunicat. Hæc autem dimissio absq; apostasiæ labe contingere potest: & è contra potest es-
22 se apostasia absq; habitus dimissione, vt latè ostẽdunt *Valentia 2. 2. disp. 1. q. 12. puncto 1. ad finem Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 12. c. 17 q. 6. Sanch. vbi supra n. 4. Caietan. 2. 2. q. 12. art. 1. dub. 2. Aragon. ib. in dub. de Apostasia à Relig. & ibi Bannes dub. 1. Lessius de iust. & iure lib. 2. c. 41 dub. 15. n. 109. idem Sãchez expressiùs n. 45. & Rodriq. qq. regul. tom. 1. q. 30. art. 1.* Quarè Religiosus temerè dimittens suæ
23 Religionis habitum absque apostatandi animo, eã incurrit; *vt benè docent Paludanus in 4. dist. 18. q. 3. art. 3. n. 41. Nauarr. lib. 5. consilior. tit. de apost. cons. vn. n. 6. Valentia, Lessius, Rodriq. & Sanch. vbi suprà*; & è contra, quantumuis apostata sit, si habitum non dimittit, censuram in can. vt periculosa, latã
24 non incurrit. *Ita docent Glossa in c. 1. verbo, Apostatæ de tempor. ordinand. in 6 Hostiens. in Summ. tit. de apost. n. 4. Imol. in c. Deus, qui n. 2. de vita, & honestate Cleric. Anan. rub. de apost. nu. 3. D. Ant. 3. p. tit. 24. c. 13. noster Astensis in sum. 2. p lib. 7. tit. 2. art. 2. casu 36. Arag 2. 2. q 12. art. 1. in dub. de apost. à religione, & ibi Bannes dub. 1. post 2. concl. doctissimi atq; sapientissimi P. Suar. to. 3. ad 3. p. disp. 31. art. 6 & to. 4. de relig. lib. 3. c. 1. Lessius de iust. & iure lib. 2. c. 41. dub. 15. n. 109. Sanch. vbi sup. n. 20. noster Rodriq. to. 1. Summæ c. 43. n. 1. in fi. Idem apertè insinuat Abb. in c fi. de apost. n. 2. Ang. verbo, apostasia n. 6. & ibi Syluest. q. 8. in fi. n. 11. & alij quamplures apud Sanch.*

25 Quartum dubium est, an dicatur apostata Religiosus ille, qui parentes habet in necessitate existentes, & egreditur Monasterium ad eis subueniendum, animo redeundi, sed non eorum durante necessitate? Ratio dubitandi esse potest, quia is animum non habet ad religionem statim redeundi, sed per longum tempus extra Claustra manendi; quæ satis est ad apostasiam constituẽdam, vt suprà ostensum est; Igitur. Ad hanc difficultatem respondent *D. Thomas 2. 2. q. 101. art. vlt. ad 4. Sylu. verbo Religio 9. §. 9. P. Cord. super reg. nost.* quod aut parentes erant ante filij religionis
26 ingressum in ea necessitate, vel non: in 1. tenetur exire, etiã Prælato inuito: *sic Nauarr in Manual. c. 14. n. 14.* requirunt tamen DD. isti grauẽ parentũ necessitatem, grauis autem est, vt pote si mendicare oporteat, vel aliis seruire cum magna eorum status indecentia; Negant verò in secundo casu; nihilominus oppositum tenendum est, *vt ipsemet Nauarrus lib. 3. consil. tit de regul. consil. 54. n. 1.* docet, scilicet per superuenientem necessitatem post professionem id fieri posset. Et quia Naua. verba sunt scitu digna, hìc referã. *Quia post vtrumq; Thom. in 2. 2. q. 101. art. 4. diximus in Manuali c. 14. n. 14. & in comment. de regul. c. nullam 18. q. 2. n. 48. & seqq. quod necessitas non solùm extrema, sed grandis; non solùm præcedens, sed etiam superueniens parẽtibus filiorum religiosorum; etiam post professionem eorum, est iusta causa, vt superiores possint dare ipsis licẽtiam Manendi extra Monasterium, causa eis subueniẽdi.* hactenus *Nauarrus. Et in comment. regul vbi suprà, ait,* quod non solùm potest, verũ etiam tenetur exire, cum licentia, vel absque illa, si necessitas est adeò extrema, quòd etiam extraneo succurrere teneretur, non obtenta licentia, *c. pasce 86 dist. & Gloss. in c. non dicatis de statu Monachor. ex quibus patet*, Religiosum, qui Monasterium relinquit, vt parẽtibus subueniat absq; superiorum venia, non esse apostatam. Existimo tamen, quod priùs tenetur à suis Superioribus Veniam petere: quà si negetur, licebit monasterio exire, vt dictum est.

Ex quo inferò, Religiosum, qui morientẽ matrem habet, si à suo petit Superiore licentiam, vt ei in illa subueniat necessitate tam extrema, vel assistat; & illa negata, è Monasterio egrediatur, animo statim reuertendi post eius parentis mortem; etiam in nostro minorico ordine non esse apostatam; quia iste iure naturæ tenetur in tam grauissima necessitate suis assistere parentibus; Nã eo quia Superior iniustè, & barbaricè illi negauit veniam, quam ex munere tenebatur tali præstare Religioso, iustè egredi potuit. Consultò dixi, *etiam in nostro Minorico ordine*; quia de iure communi non est apostata, posset esse tamen ex vi nostrarum Constitutionum: quæ in hoc casu non habent locum; quia iusta, & rationabili causa excusatur apostasia, vt latè ostendit *P. Suar. to. 4. de relig. lib. 3. c. 1. n. 3. & 4. cum seqq.*

TERTIVS CASVS.

Nocturna, & furtiua è Monasterio, seù Conuentu egressio, etiam non animo apostatandi, facta.

DISPVTATIO QVINTA.

De Religiosis furtiuè nocturnè è Monasterio egredientibus.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum omnis nocturna è Monasterio egressio sit peccaminosa, & in hunc comprehensa casum tertium?

CAPVT PRIMVM.

Quid requiritur ad hoc, vt Religiosus censeatur hunc tertium casum incurrere?

SVMMARIVM.

1 *Ad hoc, vt egressio nocturna è Monasterio sit reseruata, multa requiruntur.*

2 *Religiosus, qui in diei crepusculo, vel noctis furtiuè è Monasterio egreditur, non incurrit casum reseruatum.*

3 *Egressio, quando dubitatur, an fuerit facta in nocte, vel in vespere, vel in diluculo, in foro externo est interpretãda esse facta de die; secùs in foro interno.*

4 *Religiosus, qui omnibus, vel aliquibus videntibus religiosis egreditur è Monasterio, absq; licentia, hunc casum non incurrit.*

5 *Religiosus, qui ad septa Monasterij in nocte, peruenit, sed mutata voluntate ad domum reuertitur, non incurrit casum reseruatum.*

1 AD hoc, vt aliquis Religiosus in hunc incurrat casum, tria simul concurrere debent. Primum, vt egressio sit nocturna, Secundum, vt sit furtiua; Tertium, vt sit extra Monasterium, id est extra claustra: Vndè fit, vt si aliquis Religiosus egrederetur de die, etiam apostatandi voluntate, in hunc non incurreret casum. Debet igitur egressio fieri nocturno tempore, etiam si desit Apostatandi voluntas, ad hoc, vt Religiosus in hunc casum incidat.

2 Si quis verò in diei crepusculo, vel noctis, è Monasterio egrederetur furtiuè, non incideret in hunc casum; quia diei, noctisque crepuscula ad diem pertinent, non verò ad noctem; Nox enim (secundùm etiam vsum loquendi) nox dicitur, nisi sint tenebræ.

3 Quòd si dubitetur, an egressio fuerit facta in nocte, vel in vespere, vel in diluculo, in foro externo interpretandum est, esse factam de die, vt sic pœna mitigetur, *l. si Præses, & l. interpretatione ff. de pœnis, & regul. in pœnis in 6.* secùs verò in foro interno, in quo si interpretatio non fuerit saltem probabilis, exponitur probabili peccati mortalis periculo.

4 Quantum verò ad secundum; egressio fieri debet furtiuè. Quòd si non fuerit furtiua, non incurritur in hũc casum reseruatum. Vt si quis nocte egrederetur, omnibus, vel aliquibus videntibus Religiosis, non incideret in hunc casum. *Ita Coriolanus de casibus reser. par. 2. casu 3. vbi addit,* si talis egressio possit probari per duos, aut tres testes, non esse furtiuam, iuxta tradita per *Sotum de secret. detegen. membro 2.* Igitur quæcunque è conuentu egressio, siue fiat habitu dimisso, siue detento, siue fiat, vt se Prælato cælet, siue lasciuiæ causa, iterùm eadem nocte reuersurus, siue ex leui causa associandi aliquem fugitiuum, seu ad malum finem exeuntem, in hunc casum incurrit reseruatum.

5 Quo ad verò tertium, vt in hunc incidat Religiosus casum, oportet, vt extra Monasterium, seu conuentum egrediatur. Vndè fit, quòd si quis ad septa nocte peruenerit Monasterij, sed ibi mutata voluntate, ad domum reuertitur, non fit casus reseruatus, etiam si ibi fuerit detentus à superiore. *Vide Coriolanum supra hunc casum.*

CAPVT SECVNDVM.

Aliquæ difficultates ad hanc materiam pertinentes breuiter resoluuntur.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus in hunc casum incurrit reseruatum, qui per vim, & metum licentiam egrediendi è Monasterio à suo Prælato obtinuit.*

2 *Religiosus ille, qui nocte, ex consensu Prælati iniquè præstito, è monasterio egreditur, casum hunc incurrit reseruatum.*

3 *Prælatus Conuentualis, qui occultè è monasterio egreditur noctè, dicitur furtiuè egredi.*

4 *Religiosus, qui tempore æstiuo è monasterio egreditur de licentia Superioris, eundi gratia ad aliquem locum, si ibi remaneat ad effectum luxuriandi, dicitur furtiuè egredi, & hũc incurrit casũ reseruatũ.*

5 *Religiosus, qui obtinuit licentiam certum determinatum locum petendi, si alium adit, & ibi per spatium temporis sibi concessum manet luxuriãdi causa, est Apostata, iuxta nostras constitutiones, & hunc casum incurrit reseruatum.*

6 *Religiosus, qui à Superiore nocte mittitur ad instantiam alicuius nobilis viri excipiendi causa alicuius morientis confessionem, sed fictè; incurrit hunc casum reseruatum.*

7 *An egressio monasterij furtiua, si die fiat, comprehẽdatur sub hoc casu?*

8 Re-

8 *Religiosus, qui furtiuè noctè egreditur à Monasterio, peccat mortaliter, & in nostro Minorico Ordine est excommunicatus.*

9 *Apostatas nostri Ordinis non esse in rigore iuris apostatas, aduertit Author.*

10 *Apostatæ licèt sint excommunicati, non tamen incurrunt casum reseruatum; & quare.*

11 *Religiosus, qui noctè egreditur à Monasterio, a Censura contra Apostatas latas in nostro Minorico Ordine à quocunque potest absolui Sacerdote.*

1 Circa prædicta nonnullę occurrunt examinādæ difficultates. Prima est; An Religiosus, qui per vim, & metum Prælato immissum obtinuit licentiam egrediendi à Monasterio, dicatur egredi furtiuè, ita hunc casum incurrat reseruatum. Respondeo censendum esse eius egressum furtiuum; eo quod inuito Prælato, vel sine legitimo cōsensu egreditur, prout demonstrare videtur particula illa, *furtiua*, quæ idē significat, quod sine licētia Prelati. Vndè illud peccatum non solùm est quasi furtum, sed quasi rapina in illo genere: in vniuersum autem sub furtiuo egressu cōpræhenditur, quia fit inuito Prælato. Ita *P. Suarez loco infrà citando*.

2 Secunda; An Religiosus, qui noctè, ex consensu Prælati iniquè præstito, è Monasterio egreditur, dicatur egredi furtiuè? Respondeo affirmatiuè: Nam talis egressus censetur furtiuè factus; quia Prælatus non potuit illam dare licentiam contra sui muneris rationem; cùm enim ipse tenebatur impedire, ne talis Religiosus egrederetur, pręstitit licentiam nulliter: quia tali in hoc casu caret facultate. Non enim est ad destructionem, sed ad ædificationem collata authoritas.

3 Tertia; an Prælatus sic occultè si egrediatur è Monasterio, dicatur egredi furtiuè? *P. Suar. tom. 4. de Relig. lib. 2. c. 8. n. 5.* opinatur, & optimè, dici egredi furtiuè; quia licèt Prælatus Conuentus non habeat præsentem Prælatum, cuius voluntate regatur; habet tamen regulam, & voluntatem Superioris Prælati, aut totius Religionis, aut expressam, aut secundùm rectam rationem præsumptam, respectu cuius talis egressio furtiua est. Denique modus talis egressus qualis ille sit, manifestat, quia semper fit occultè, ac furtiuè.

4 Quarta; vtrum Religiosus, qui tempore æstiuo licentiam à suo superiore eundi V. G. Montem Realem obtinuit, eo animo, quia noctè est è Monasterio egressurus, vt Panormi maneat luxuriandi causa, censeatur egredi furtiuè, ita, vt comprehendatur sub hoc casu? Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia illa licentia est nulla, inuitoquè Prælato data. Etenim constans est, quod si Prælatus id sciret; illam non præstaret: quòd si præstaret, vt benè *Pater Suarez* docet, illa esset nulla, eò quòd iniusta; & ita nihil operatur; ac proindè illum egressum furtiuum, & in hac reseruatione comprehensum esse, existimo.

5 Atque hinc multorum casuum conscientiæ resolutiones pro nostris Reformatis in Regno Siciliæ existentibus inferuntur. Primò infertur, esse Apostatam Religiosum. (iuxta nostrarum Constitutionum Generalium Decreta) qui ex licentia Superioris localis è Monasterio egreditur, vt ad aliquē accedat locum Prælato expositum atque declaratum, ipse verò præter intentū, & voluntatem Superioris, ad alium accedit, ibiq; manet per spatium assignati temporis; nam censetur ex tacita ratione illa egressio furtiua, & consequenter sub hoc casu compræhēsa. His addo, quòd si habitum dimittat, est excommunicatus censura lata in cap. vt periculosa.

6 Secundò infertur, Religiosum, qui ad instantiam alicuius deuotæ personæ noctè à Superiore consensus mittitur alicuius morientis excipiendi causa confessionem, sed fictè, (cùm ipse id procurauerit, vt posset liberè suam explere voluntatem circa alios effectus) furtiuè egredi, & sub hoc casu incidere, esseque iuxta nostras Generales constitutiones Apostatam, & posse à Prælato excommunicari. Per hoc alij casus huius generis resolui possunt.

7 Quintò dubitari etiam potest, an hic casus extendatur ad egressum furtiuum diurnum? Verba enim Pontificis sunt: *Nocturna, ac furtiua è Monasterio egressio*; ergo omnis furtiua egressio illicita reseruata est. Respondeo nihilominus cum *Patre Suarez loco citato num.* 6. dictionem illam, *Ac*, complexiuè, & non diuisiuè esse intelligendam, ac propterea furtiuam egressionem, si nocturna non sit, quamquam contingat esse peccatum mortale, ex vi illorum verborum non reseruari. Sicut enim nocturna egressio non reseruatur, nisi furtiua sit, vt per se euidens, tam ex ipsamet, quàm ex intentione Pontificis; ita è conuerso furtiua egressio, nisi sit nocturna, non reseruatur, vt paulò superiùs demonstrauimus: quia vt illud prius verum sit, necesse est, particulam, *Ac*, complexiuè sumi, & inde etiam posterius; vt per se constat.

8 Quæres, an Religiosus, qui sic furtiuè noctè egreditur è Monasterio, excommunicationes contra Apostatas latas incurrat? Respondeo primò, talem Religiosum peccare mortaliter, cùm obedientiam in re grauissima violet. Respondeo secundò, in nostro Minorico ordine saltem talem Religiosum manere excommunicatum, iuxta statuta generalia, tā Toletana tit. de Apostatis, quàm Vallisoletana eodem titulo, vbi Apostatæ excommunicantur: & declarant, esse Apostatas illos, qui sine licentia Superiorum, siuè habitu dimisso, siuè retento, egrediuntur soli, vel associati: cùm ergo Religiosus prædictus noctè egrediens absquè superioris licentia, erret in re grauissima, erit excommunicatus. Ita *P. Miranda tom. primo sui Manualis quæst. 51. artic. 1. conclus. 2. Portel in dub. Regular. in verbo, Apostata in addit. num. 2. & 3.* nam ibi statuta nō distinguunt, an parum, vel multum extra conuentum moram trahant. Cœteri autem Religiosi attendere debent formam, quæ in suis constitutionibus contra Apostatas ponitur.

9 Aduerto tamen hìc, Regulariter loquendo, nostri

nostri ordinis Apostatas non esse in rigore iuris verè apostatas, sed per quandam Analogiam, (vt ita dicam) & similitudinem cum Apostasia rigorosè sumpta, desiderat animum amplius ad Religiosam obedientiam non redeundi. Vndè potius dici possunt Apostatæ ab obedientia quã à Religione. dixi; per similitudinem, & Analogiam, quatenus nostri Superiores, statutaquè generalia pœnas contra Apostatas in iure latas eis applicant: ac proinde in foro exteriori Ecclesiastico existimandi atque censendi sunt verè apostatæ.

10 Dixi consultò in primis; Regulariter loquendo, quia contingere aliquando potest, (quamquam raro, vt ipse vidi) vt Religiósus aliquis eo animo è Monasterio egrediatur, vt nolit amplius ad ordinem redire, vel saltem eam habeat volũtatem per multum tempus extra Monasterium vagandi. Secundò dixi; in foro exteriori, vt aduerterem, quòd si in aliqua religione esset reseruata Apostasia à Religione, prout in secundo casu huius Clementis octaui Decreti; Apostatæ per similitudinem, & analogiam dicti, quamquam excommunicatione sint innodati, non comprehenduntur sub illa reseruatione. Vndè quantùm ad crimen à quolibet Sacerdote absolui possunt, etiam quo ad censuram, si superioribus aliquo titulo reseruata non fuerit.

11 Quæres; quis possit absoluere Religiosum noctu egressum è Conuentu, & reuertentem etiam occultè? Respondeo, posse à quolibet Sacerdote absolui quo ad censuram; quia Constitutiones nostræ generales excommunicationes contra Apostatas latas non reseruant, quo autem ad crimen lethale ob talem egressum furtiuum commissum, si nocturna egressio fuerit reseruata; à Superiore, vel ab eius authoritatem habente: hoc autem intellige tantùm in foro conscientiæ; quia in foro externo (quo ad censuram loquor) esset à Prælato publicè absoluendus, si ipse vellet. Ita sentire videtur *Portel vbi suprà*. Et hæc pauca sufficiant pro tertio hoc casu.

CASVS QVARTVS.

Proprietas contra Votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale.

DISPVTATIO SEXTA.

De peccato proprietatis contra votum paupertatis.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum actus proprietatis comprehendatur sub hoc casu?

CAPVT VNICVM.

Declaratur, quid sit proprietas, & Quæstio breuiter resoluitur.

SVMMARIVM.

1 *Proprietas quid sit.*
2 *Proprietatis definitio declaratur.*
3 *Actus proprietarij an sint Religiosis interdicti?*
4 *Actus donandi, commutandi, vendendi, in rigore non sunt actus proprietarij.*
5 *Alicuius rei notabilis detentio non est per se Religioso proprietaria.*
6 *Actus proprietarij solitariè sumpti non comprehenduntur sub hoc casu.*
7 *Actus proprietarij, & si nonnũquam maiorem continẽant grauitatem, quàm detentio, non comprehenduntur tamen sub hoc casu; & quare.*
8 *Actus proprietarij comprehenduntur sub hoc casu, quatenus totum important coniunctum; Et quomodo.*
9 *Religiosus subditus Prælato præcipienti tenetur reuelare ablatum, seu illi tradere.*
10 *Religiosi subditi Prælato conuentuali Cellas visitanti, res quibus vtuntur ei manifestare tenentur; secùs facientes incurrunt hunc casum reseruatum.*
11 *Religiosi tutè vti non possunt rebus prohibitis per Constitutiones Generales, aut Prouinciales. Quare.*
12 *Religiosi conuersi nostri Ordinis contra Prælatorum voluntatem vti non possunt libris.*
13 *Religiosi excusandi aliquando sunt à peccato proprietatis ex tacita superiorum licentia.*
14 *Quibus modis res solent fratribus nostri Ordinis à superioribus interdici.*
15 *Religiosus concionatur, qui à suo Superiore libris vtendi facultatem obtinuit, non est proprietarius, si absque Ministri venia illos procuret.*

1 PRoprietas est, quando Religiosus aliquid occultè tenet contra sui superioris voluntatem, vel paratus non sit, si Prælatus eam petat, (ne ea priuetur) illi tradere. *Ita Io: Andr. communiter receptus in cap. cùm ad Monaster. de statu Monacorũ, Nauarr. lib. 3. consil. consil. de Regul. consil. 75. n. 49. Coriolanus de casibus reseruatis par. 2. casu 4. P. Fr. Ioannes à Trinit. in exposit. casuum in nostro Minorico ord. reseruat. casu 2. num. 3. & alij nostræ Regulæ*
2 *expositores*. Hæc diffinitio, seu descriptio pro dicendorum clariori notitia per partes indiget dilucidatione: vt hìc quartus casus manifestus fiat, & peccata quæ in eo reseruantur, euidenter ac mani-

manifestè cognoscantur, saltem in nostro minorico ordine. Etenim nostra intentio est ad hunc peculiarem finem ordinata: nimirum ad fratres nostros dirigendos, atque (quantum cum Domino possumus) instruendos. Dicitur ergo, quod religiosus, vt sit proprietarius ea proprietaria detentione, de qua modò loquimur, aliquid debet habere: & hoc intelligitur, si id in sua habeat potestate, vel in alterius custodia, & deposito licet enim Religiosus re illa de facto non vtatur, si tamen alius eam suo custodit nomine, dicitur ipse Religiosus illam habere. Additur prætereà; contra sui Superioris voluntatem &c.; Quia si Religiosus contra paupertatis votum, superfluis vtendo, peccet, si illa contra Superioris voluntatem non retinet, vel est paratus, si à Superiore petantur, tradere; certè in reseruationem huius casus non cadit. A contrario, si res, qua vtitur, nō sit Religioso superflua, sed licita, eam tamen cōtra Prælati voluntatem retinet, vel cum animo eam non manifestandi, etiam requisitus; sub hac reseruatione comprehenditur. Tandem additur; ne illa priuetur; quia si Religiosus aliquam rem celat, & suo non tradit Superiori, ne ignominiam patiatur, vel quia in conscientia requirit secretum, talis occultatio, & non traditio certè non censetur reseruata.

3 Igitur non solùm ex vi nostræ Regulæ certum est, sed etiam ex iure, esse Religiosis interdictum habere rem aliquam propriam. Sic decernitur in *cap. cum ad Monast. & c. monachi de statu Monacor. & in c. non dicatis 12. q. 1. & in consil. Trid. sess. 25. de reformatione c. 2.* ex quibus inferunt Doctores, præsertim nostri ordinis statim citandi, non solū possessionem proprietariam religiosis esse interdictam, verùm quoque omnes actus, quos proprietarios vocant; vt sunt commutare, vendere, donare, & similes. *Ita Siguenza in expositione nostræ regul. c. 7.* vbi existimat, omnes hos actus sub hac reseruatione esse comprehensos. Verùm

4 hæc sententia nullo modo est admittenda. Vndè aduerto, quòd quamuis huiusmodi actus donandi, commutādi, vendendi, &c. communiter proprietarij vocentur; nihilominus non sunt Religiosis verè, & in rigore actus proprietarij, sed analogicè, & per quandam similitudinem dumtaxat. Ducor; quoniam actus isti in religioso sunt illiciti; & ideò quia Religiosus non est verè proprietarius, & Dominus rei, quæ commutatur, venditur, donatur, &c. ergo neque cùm actus isti à Religioso exercentur, verè & rigorosè proprietarij existimantur, sed Analogicè tantùm, quatenus scilicet, vt sint liciti, debent præsupponere in commutante, vendente, aut donante rei proprietatem, aut dominium. Nullus enim, nisi proprietarius, Dominus, vel alius de eius licentia rem aliquam commutare, vendere, aut donare legitimè potest. Ad hoc explicandum, confirmandumque, adoptari potest optimum exemplum serui, aut mancipij. Nam seruus, qui nullius rei est Dominus, licentia ab Hero non obtēta, sed propria authoritate commutando, vendendo, aut donando, rigorosè loquendo, non dicitur proprietarius: quia rei, quæ commutatur, venditur, aut donatur, non est verè Dominus, vt modò suppono; sed dicitur per similitudinem proprietarius; quia tanquam verus Dominus rem propria authoritate minimè donat, aut commutat. Verùm seruus iste in rigore censendus est per hos actus fur, & latro (vt infrà melius, & fusiùs declarabimus) quia donat, & vēdit propria authoritate ea, quæ sunt alieni dominij, non verò quæ sua sunt. Ac eadem ratione Religiosus propria authoritate vendēs, aut commutans aliqua, non dicitur, nec in rigore est proprietarius, sed per Analogiam dumtaxat: existimabitur nihilominus fur, & latro, eo quòd rem alienā propria authoritate, absque proprij Domini licentia vendit, donat, & commutat.

5 Idem cum proportione dicendum est de detentione alicuius rei notabilis, quæ licèt proprietaria dicatur, nihilominus in Religioso non est verè proprietaria, nisi per quandam similitudinem, & Analogiam; eò quòd sicut solus ille existimatur proprietarius, qui est verus Dominus, & vt sibi libuerit, rem aliquam retinere, absque alterius dependentia voluntatis, possit; ita Religiosus, quando renuente, & contradicēte Prelato, rem aliquam secundùm propriam voluntatem detinet, dicitur detentor proprietarius.

6 His præmissis dico primò, actus, qui proprietarij extenso vocabulo appellantur, nudè & solitariè sumptos non comprehendi sub hoc quarto casu. Hæc assertio de se patet; quia ad hoc, vt sub hoc casu comprehendatur Religiosus, nō satis est rem aliquam commutare, sed necesse est, vt ita illam vsurpet, vt existimet propriam, iuxta paulò superiùs dicta; *Ita P. Sanch. tom. 2 in oper. moral. lib. 7. c. 20. nu. 13. Ioannes à Trinitate in hunc casum n. 2. P. Mir., Bernardus de Areualo, & fr. Martinus de sancto Ioseph super hunc casum. Citari potest Palatius in 4. dist. 38. disp. 1. ad finem in solutione ad nonum.* Et euidenter colligitur primò ex nostris generalibus constitutionib. *Toletanis §. de casib. reseruat.* vbi tantùm reseruatur peccatum proprietariæ detentionis: Secundò ex *Tridentin. sess. 25. c. 2. de regularib. in fine*, vbi de solis proprietatem habentibus loquitur, vt benè post *Palatium annotauit P. Sanchez vbi suprà.*

7 Dices, eandem culpæ grauitatem habere actus illos donandi, vendendi, & commutandi, & aliquādo fortassè maiorem, quam actum proprietariæ detentionis; Igitur quemadmodum iste, ita & illi censendi sunt reseruati. Respondeo, negando consequentiam, quia lex pœnalis nōn patitur extēsionem vltrà casum expressum, etiam si alio in casu paritas rationis interueniat, inritq; prohibitio, quæ interuenit in casu per legem pœnalem diffinito: vt communiter docent *Doctores, præsertim Castro de leg. pœnal. lib. 1 c. 7. Sotus de iust. & iure lib. 4. q. 7. art. 1. Sanchez, clauis Regia, & alij, quos suprà citauimus.* Vndè cùm reseruatio sit lex pœnalis, extendi non debet ad alium casum, quā ad diffinitum; Igitur cùm sola proprietas rei, quæ

sit

sit peccatum lethale, reseruetur in decreto, sola illa censenda est reseruata, non verò alij actùs proprietarij, quales sunt actus donandi, vendendi, &c. quamquam aliquando actus isti eandem grauitatem culpæ habeant, quinimmo maiorē.

8 Dico secundò, hos actus, qui proprietarij dicuntur, si coniunctim accipiantur, idest, quatenus connotant proprietariam alicuius rei detentionem, pro vt ab illa procedūt, sub hoc casu comprehendit. *Ita P. Sanchez vbi suprà n. 4. Ioannes à Trinitate, Miranda, & alij communiter nostræ regulę expositores in hunc casum;* quia actus isti demonstrāt, Religiosum illius rei, quam donat, vendit, aut commutat, habere proprietatem, id est illam existimare ita suam, vt contra Superioris voluntatem præbere velit, in quo consistit vera proprietas contra paupertatis votum; vt ex paulò superiùs dictis constat.

9 Multa ex dictis inferuntur; primùm, quòd si Prælatus per obedientiam, aut simpliciter absq; illa iusserit, vt reueletur aliquid à Communitate, vel particulari Religioso ablatum, subditus illud reuelare, & tradere tenetur: aliàs committet peccatum proprietatis in hoc casu reseruatæ.

10 Idem dicendum est, quando Prælatus supremus, aut fortè Conuentualis subditorum cellas visitet, & eis pręcipit, vt res quibus vtūtur, manifestent: tunc enim si manifestare nolint, ne rebus illis priuentur, in similem reseruatum casum incurrunt. Idem de imaginibus, vel alijs signaculis curiosis, quibus vtuntur in Breuiario, si absq; licentia Superioris detinent, vel ea in visitatione superioribus demonstrare nolint: in hunc incidūt reseruatum casum. Quod etiam intelligo de alijs superfluitatibus, atque rebus curiosis, quibus nonnulli ex nostris Reformatis vti solent, absque Superiorum licentia, quam Prælati iustè concedere non possunt. Vndè quamquam ex licentia detineant Superiorum, sunt censendi proprietarij, & sub hoc casu comprehensi.

11 Secundùm, esse valdè periculosum, & in conscientia non tutùm, aliqua vti re per constitutiones generales, aut Prouinciales prohibita: maximè quando Constitutiones loquuntur in terminis ex vi suæ significationis obligatorijs sub præcepto imponentibus; eò quòd sufficienter per has constitutiones suam Superiores proponunt, atq; declarant volūtatem; & ideò subditus talem rem sic interdictam, & vetitam retinens, contra Superioris expressam voluntatem facit, & consequenter videtur proprietarius. Quod pro nostris laicis specialiter doceo, qui vtuntur libris ipsis à Constitutionibus generalibus interdictis: sciant

12 ipsi, & confessores, qui eorum excipiunt confessiones, eos esse proprietarios; vt insinuare videtur ex tacta ratione *P. Ioannes à Trinitate.*

13 Excusari nihilominus possunt Religiosi multoties à culpa lethali in his euentibus ob inaduertentiam, vel ignorantiam, vel præsumptam, aut tacitam licentiam à Prælatis concessam, quando videntes subditum vti rebus per generales Cōstitutiones interdictis, tacent, & dissimulāt.

14 Verùm ad maiorem huius doctrinæ dilucidationem maneo, dupliciter posse ordinis statuta, aut Prælatos aliquid interdicere; vel quantum ad vsum, vel quantum ad inquirendi modum. Exēpli gratia: in nostra Reformata Prouincia Vallis Mazariæ Regni Siciliæ adest Constitutio prohibens, ne fratres, qui non sunt concionatores, libros habeant concionan'i, & è contra concionatoribus fratribus vsum aliquorum concedit librorum: Atqui quantum ad inquirendi modum præcipit, ne hos libros inquirant, aut procurent, Ministro Prouinciali inconsulto. Hac, vel alia simili constitutione supposita, Religiosus non concionator libris predicabilibus vtens proprietarius censendus est, quia contra prohibitionem statuti, & consequenter contra Prælati voluntatem in statuto sufficiēter declaratam, illis vtitur.

15 At Religiosus cōcionator, quia horum librorum conceditur vsus, non erit proprietarius, illos procurando absque Ministri Prouincialis venia, peccabit nihilominus peccato inobediētiæ, quatenus Superioris præceptū violat. Dixi notanter; *non esse proprietarium Religiosum Concionatorē,* quia vsus librorū est sibi concessus, licèt modus inquirēdi prohibitus; in quo inquirēdi modo quandoque interuenire potest aliqua circumstātia, quia etiam proprietarius sit censendus; vt v. g. si pecunia interueniat; illa enim interueniente, in eius praua dispositione committi potest proprietatis peccatum. De qua re consulendi sunt nostræ Regulæ expositores.

Hinc infertur tertio, Religiosum qui contra Constitutiones Prouinciales ad amicos spirituales pro rebus ad sui vsum concessis absque Superioris Conuentualis, seu Prouincialis licentia recurrit; non esse proprietarium, sed peccare contra obedientiam, & eo magis quando id in virtute sanctæ obedientiæ interdicitur.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum quælibet proprietas sit peccatum mortale reseruatum?

CAPVT PRIMVM.

Quid nonnulli Authores senserint, refertur.

SVMMARIVM.

1 *Proprietas etiam ex paruitate materiæ considerata semper est mortale peccatum, secundùm aliquos grauissimos Doctores.*

2 *Fratres Ordinis Minorum possunt etiam respectu vnius actus esse proprietarij, iuxta aliquos nostræ regulæ expositores.*

3 *Carthusianus occultans vnum obulum, seu denarium, est proprietarius.*

4 *Furans aliquod minimum voluntate nocendi Domino eius, lethiferè peccat.*

5 *Voluntas aliquid in vniuersum appropriandi est religiosis interdicta.*

Ita

1 ITa rigide hæc in re locuti sunt nonnulli, vt existiment, minimè posse esse, hoc crimen (ex materiæ paruitate veniale) quod sit contra votū maximè conducens ad status Religiosi conseruationem. Hi sunt *Gerson 2. p. in responsis ad quasdam quæstiones sibi propositas q. penult. Alphabeto 34. litt. S*, explicans, esse mortale, licèt filum, aut acum absq; expressa, aut tacita Superioris licentia, Religiosus accipiat: *Diuus Antoninus 3. p. tit. 16. c. 1. §. 11. notabili 2. Passar super Priuilegia minimor. tit. de propriet. abdicanda post c. 43. vers. verùm quando, Viualdus in Candelabro Sacrament. 3. p. cap. 14. num. 68.*

2 Hæc sententia adeò viguit, inter nostros Patres, vt etiam existimauerunt, quòd frater minor de vna acu fieret proprietarius, si illam teneret occultè contra Superioris voluntatem, vel expressam, vel interpretatiuā; eò ducti quia in *reg. nostra c. 6.* ita habetur: *fratres nihil sibi approprient:* atqui ly, *nihil*, omne includit, nec habet locum in hoc vulgatum illud Axioma, parum pro nihilo reputatur, veluti si quis vouisset vnam coronam de Beata Virgine recitare, & dimitteret vsū Aue Maria dicere, propter hoc non frangeret votum, nisi quoque votum fuisset de illa re minima; nimirum non relinquere nec vnum Aue Maria. Nam tunc teneretur etiam ad illam rem minimam, ratione voti. Ita (dicunt) est in casu præsenti; Nam cùm ex Regula nostra *in c. 6.* habeamus; *fratres nihil sibi approprient*, fit, vt quælibet res, etiam minima, veluti de acu possit frater minor effici proprietarius.

3 Et confirmatur per ea, quæ docuit *Nauarr. lib. 3. consil. consil 75. num. 10. vbi refert*, esse quosdam Monachos Carthusianos, asserentes, satis esse quamlibet minimam rem, modò ea mente accipiatur, vel retineatur, vt eam velit sibi appropriare, ita quòd vnum occultans denarium, vel obulum, vel volens illum clàm habere, Superiore nolente, peccat mortaliter. *Et n. 13. ait:* vrget grauiter statutum eiusdem ordinis positum *in 2. par. statutorum antiquorum c. 31.* disponens, quòd Monachi defuncti in proprietate duodecim denariorum, & infrà, non sepeliantur in cœmeterio, aut sepulti exhumentur. Ex quo palàm colligitur, eum qui admittit summæ minoris proprietatem summa duodecim denariorum, Ecclesiastica carere debere sepultura; qua tamen non debet carere quis ob peccatum veniale.

4 Præterea Angelicus Doctor *2. 2. q. 66. art. 3.* expresse videtur docere, quòd furans aliquod minimum, mente nocendi Domino eius, peccat mortaliter. Item omnis proprietas, siue appro-
5 priandi in vniuersum voluntas est monachis vetita, *c. cùm ad Monasterium §. finali de statu Monachor.* & voluntas appropriandi vnum denarium est proprietas, & voluntas appropriandi, igitur est etiam prohibita, & consequenter videtur mortifera.

CAPVT SECVNDVM.

Quid verius sit sentiendum, statuitur.

SVMMARIVM.

1 *Proprietatis crimen, licèt ex genere suo sit grauissimum peccatum, ex materiei nihilominus paruitate, pot est esse veniale.*

2 *Detentio vnius denarij, vel plurium quantitatem notabilem non constituentium Monachum Carthusianum non facit proprietarium, nec huius peccati reum.*

3 *Assignantur causæ, quibus concurrentibus Frater Minor in detentione alicuius rei paruæ non est proprietarius.*

4 *Lutherani Hæretici affirmant, omnia peccata esse lethalia, & nullum veniale.*

5 *Declaratur Patrum Carthusianorum Constitutio.*

6 *Quomodo sit intelligendus Diuus Thomas docens, quòd minimum furans, mente eius Domino nocendi, sit mortiferum.*

7 *Voluntas sibi aliquid appropriandi non semper (licèt sit prohibita Religioso) est peccatum lethale.*

8 *Cuncta præcepta nostræ Seraphicæ Regulæ non sunt inter vota sollemnia computanda. Quare.*

9 *An omnia præcepta sub sollemni obedientiæ voto contineantur?*

10 *Quomodo sunt intelligenda verba illa nostræ regulæ, nimirum;* N. Voueo, & promitto seruare Regulam, & vitam fratrum minorum.

11 *Votum est lex quædam, quæ ab hominis dimanat voluntate, quam quis sibi ponit.*

12 *Omnis voti violatio est peccatum, sed non semper lethale.*

1 VEriſſima sententia est, posse hoc crimen, quod ex genere suo grauissimum mortale est contra Paupertatis votum, ex materiei paruitate reddi veniale: quippe siue illud consideremus quatenus furtum est, eò quòd res aliena absque Domini licentia vsurpetur; siue quatenus Sacrilegium est contra paupertatis votum, materiei datur paruitas culpa lethali liberans; ea enim, & in furto, & in voti fractione datur. Ita sustinet *Maior. in 4. distinct. 38. q. 9. conclus. 5. Sanchez tom. 2. in oper. moral. lib. 7. cap. 20. nu. 2. Azor. tom. 1. institut. moral. lib. 12. quæsito 6. Rodriquez tom. 3. quæstionum Regular. q. 29. art. 10. conc. 8. Mendoca in suis quodlibet q. 8. concl. 8. Cordub. in summa q. 109. Nauarr. lib. 3. consil. tit. de regul. consil. 75. num. 18. & tit. de statu Monachorum consil. 3. num. 18. Viualdus in candelabr. Sacram. 3. p. cap. 14. num. 84. Ludouicus Lopez in 1. p. instruct. consc. cap. 156. conclus. 5. Graffius 1. p. decis. lib. 5. n. 49. Rebellus tract. de iust. p. 1. lib. 3. q. 15. sect. 3. num. 22. Ioannes à Trinitate, frater Martinus à Sancto Ioseph super hunc casum, & Coriolanus de casibus reseruatis p. 2. casu 45. his tamen non obstantibus.*

2 Dicendum est igitur, detentione vnius denarij,

narij, vel plurium quantitatem notabilem non facientium, non constitui Monachum Chartusianum proprietarium, nec peccati mortiferi reum. Sic *Nauarrus vbi suprà, & alij Doctores allegati*. Idem similiter dicendum est in nostra Religione, nimirum, quòd appropriatio vnius acus, vel similis rei Minoritam peccati lethalis non facit reum. Ita post alios *Pater Coriolanus vbi sup.* Ratio esse potest, quia licèt omnis transgressio præcepti obligantis sub pœna peccati mortiferi sit (regulariter loquendo) lethalis; fallit nihilominus, quoties vnum de tribus concurrit, scilicet
3 rei paruitas, subreptio, vel defectus iudicij ad id sufficiens; vt rectè annotauere *Nauarrus in Manuali c.11.n.4. Sanchez, & alij paulò superiùs allegati.* At in proposito in transgressione præcepti Regulæ, quę nihil iubet appropriandum, per appropriationem huiusmodi paruitas occurrit materiei, vt de se constās est; Igitur illa nō est lethalis. Insuper præceptum Regulæ de nihil sibi appropriando non videtur magis obligare, quàm lex Diuina de nihil furando: nec adeò fortis, vt est lex naturalis obligans sine vllo humano mediante facto: illa verò est lex humana, aut certè diuina, ex suppositione, scilicet mediante voto hominis facto, obligans: transgressio autem legis Diuinæ, & naturalis de nō furando ex rei exiguitate excusatur à culpa mortali, vt tradunt *Sanctus Thomas 1.2.q.88.art.5. & communiter Doctores, præsertim Sanchez, Corduba, Suar. & alij, quos paulò superiùs retulimus*; Igitur quoque lex ista humana nostræ Regulæ *in c.6.* ob rei paruitatem à mortali excusabit.

4 Confirmatur, nam opposita sententia nimis videtur ad hæresim lutheranorum accedere asserentium omnia peccata esse mortalia, & nulla venialia. Ita *Nauarrus vbi suprà*. His connecto
5 id, quod docet *Coriolanus vbi suprà*, actum fore nimium de omnibus nobis, si per exiguitatem, & paruitatem materiæ à culpa mortifera non excusaremur: nullus sanè esset frater minor, qui non censendus esset proprietarius, & lethalis culpæ reus, etiam ex papyri folio, aut calculo, siue Rosario, & huiusmodi. Vndè diluenda veniunt primæ sententię fundamenta. Ad primum Respondeo cum *Nauarr. vbi suprà*, Charthusianos Patres non esse proprietarios, eò quòd detineant absq; sui Superioris licentia denarium, aut aliquam rē exigui momenti. Ad illud verò statutorum dico, litteram illorum librariorum incuria vitiatam esse, & habere (infrà) pro (vltrà.)

6 Ad illud verò *diui Thomæ respondet Gratianus*, & benè, esse interpretandum de illo, qui minimū furatur, non solùm simpliciter, animo nocendi Domino illius, sed etiam notabiliter.

7 Ad vltimum respondeo, concedendo, omnē voluntatem appropriandi esse monacho crimē; sed nego, omne tale peccatum esse lethale; & prætereà negandum est, omne nostræ Regulæ præceptum esse votum; prout rectè noster *Emmanuel Rodriquez tom.1.qq.regular.q.26.art.4. latè ostendit*; Etenim præceptis de castitate, obedientia, & paupertate exceptis, quæ sunt formaliter vota, cuncta alia præcepta in ipsa nostra Se-
8 raphica Regula contenta non sunt inter vota solemnia computanda, (vt quidam Doctor Panormitanus ex Eminentissimi Domini mei Cardinalis de Oria Archiepiscopi Panormitani Examinatoribus falsè, & absque vllo fundamento affirmauit) sed sunt solùm præcepta nobis tradita ad instar Ieiunij quadragesimalis præcepti Christianis per Ecclesiam impositi. Ita *Coriolanus vbi suprà*. Si enim omnia præcepta Regulæ nostræ essent vota, quærere vtique quis posset; sunt ne simplicia, aut sollemnia? Simplicia autem minimè: Nullum enim in nostra professione tale emittimus. Quòd si affirmes, esse solemnia; in isto iterùm recipiuntur, ne talia præcepta sub voto abdicationis proprietatis, aut continentiæ, nunquam: nemo enim hactenus in eam incidit amentiam, vt ieiunandi præceptum, non equitandi, præces canonicas persoluendi, & alia huiusmodi generis; quæ nobis minoribus fratribus sub præcepto mandantur, audeat affirmare, esse materiam paupertatis, aut continentiæ, vt sub his contineantur votis.

9 Dices, vniuersa præcepta contineri sub solemni obedientiæ voto. Sed neque hoc: nam nihil hac in re tam certum est apud Catholicos Doctores, quàm nullum esse reum voti solemnis obedientiæ, nisi ea solùm quis prætermittat, quæ virtute obedientiæ, aut sub excommunicatione latæ sententiæ sibi à Prælato, aut verbo tenus, aut scripto præcipiuntur: Igitur si præcepta sub nullo trium votorum solemnium continentur, perspicuum est, non esse vota. Hæc *Rodriquez vbi suprà*.

10 Instat autem Doctor Panormitanus sic Religiosus Minor vouit solemniter seruare Regulam fratrum Minorum: atqui in Regula sunt præcepta ieiunandi, preces canonicas recitandi, non equitandi, non habendi mulierum consilia, & alia huius generis; Igitur omnia hæc exui voti seruandi Regulam sunt vota. Respondeo, negando consequentiam; Nam votum solemne seruandi Regulam fratrum Minorum in tria vota essentialia, nimirum obedientiæ, Castitatis, & paupertatis resoluitur: vt apertè demonstrant illa verba; *Voueo, & promitto seruare Regulam fratrum minorum, viuendo in obedientia, castitate, & paupertate*: ita vt sensus sit. Ego N. Voueo seruare Regulam fratrum minorum, quæ consistit in tribus votis essentialibus, quæ sunt obedientia, castitas, & paupertas. Vndè alia Regulæ præcepta non possunt dici vota, nisi largè, & consecutiuè sumantur.

11 Dato nihilominus, quòd sint vota, nihil aduersus nostram conclusionem probare ex hoc possunt aduersarij; Nam votum est lex quædam, quæ ab hominis dimanat voluntate, quam

quam quis sibi ponit; ergo non aliter obligare debet, quàm si eadem lex ab Ecclesia, vel à Deo ipso imponeretur: homo enim sibi leges prefingens, se obligare intendit ad instar legis, & non aliàs; eo, inquam, modo, quo lex Diuina, vel Ecclesiastica obligaret, si præciperet: at in legis Diuine transgressione materiei paruitas à mortifera excusat culpa; igitur &c.

12 Hinc infertur, quòd omnis voti violatio peccatum quidem est, sed non semper mortale; quia ob exiguitatem, seu materiei paruitatem, desinit esse lethalis, sicut quælibet alia transgressio præcepti minima. Ita Doctores omnes, præsertim paulò superius citati.

QVAESTIO TERTIA.

Quanta debet esse parua quantitas excusans Religiosum à mortali culpa, ita vt proprietarius non censeatur?

CAPVT PRIMVM.

Variæ Doctorum sententiæ circa hanc materiam adducuntur.

SVMMARIVM.

1 *Quantitas vnius argentei satis est ad constituendum Religiosum proprietarium, iuxta nonnullos Authores.*
2 *Duorum argenteorum quantitatem sufficere ad Religiosum constituendum proprietarium, qui docent.*
3 *Religiosus, qui duorum argenteorum, aut Regalium detinet quantitatem, Prælato inuito, non peccat contra votum paupertatis, iuxta Mendosæ sententiam.*
4 *Quatuor, aut quinque argenteorum quantitatem satis esse ad constituendum Religiosum proprietarium, tenent quamplures.*
5 *Quantitas sufficiens ad constituendum peccatum lethiferum contra votum paupertatis, desumenda est à quantitate petita ad furtum mortale filiorum. Quare.*

1 ILlud enim hac in re certum est, quantitatem ad constituẽdum Religiosum proprietarium eam esse, quę peccatum mortale constituit, quia in hoc casu absolutè detentio proprietaria reseruatur, quæ est peccatum mortale. Verùm quæ quantitas requiratur, vt eam Religiosus detinens committat peccatum lethale detentionis reseruatæ, difficile est determinare, ob doctorum varietatem: non enim est hac in re vna sententia: existimant namque nonnulli, quantitatem vnius argentei satis esse ad proprietatis mortale peccatum contra votum paupertatis constituendum: non tamen satis esse, vt censeatur peccatum Superiori reseruatum virtute huius decreti. Ita sentit *P. Corduba in summa q. 109 consentit Nauarrus in Manuali c. 17. n. 3.* quatenus substinet, dimidium iulij, seu Caroleni, aut argentei sufficere ad constituendam proprietatem contra votum paupertatis.

Verùm hæc sententia nullam habet probabilitatem, quia ad eam reseruationem (sicut in ceteris casibus reseruatis cõtingit) id solum exigitur, vt peccatum mortale sit; sicut quãdo reseruatur incestus, furtum, &c. atq; ita Clemens Octauus in hoc decreto de casuũ reseruatione pro Regularibus hoc casu quarto nihil aliud desiderat, quã quòd sit peccatum mortale violatio voti paupertatis: Atqui detentio vnius argentei satis est ad peccatum mortale proprietatis constituendum; igitur sufficit vt ad hoc censeatur reseruatum.

2 *Medina verò in summa lib. 1. c. 10. in fi.* duos argenteos putat esse quantitatem sufficientem ad cõstituendum Religiosum proprietarium, ita vt in hunc incurrat reseruatum casum. Ait enim; reseruante Superiore proprietatis peccatum duos vsurpantis argenteos, non cẽseri reseruatum minoris quantitatis: & sic cùm supponat, posse reseruari, videtur asserere, esse mortale. Id quod (teste *Sanchez* loco statim citando) R R. Pater Claudius Acquaviua Sapientissimæ atq; Sanctissimæ Religionis Societatis Iesu Præpositus Generalis iussit obseruandum, nec priùs cum peritissimis consultetur. Quod certè testimonium apud me maximũ est roboris, ob tanti viri grauitatem, atq; doctrinam. Idem sentit *Pater Sorbus in addit. ad compend. priuilegior.*

3 Hanc quantitatem non satis esse, arbitratus est *P. Alphonsus de Mendoca August. in quodlib. q. 8.* de paupertate Religiosa: affirmat quippe, non peccare lethaliter Religiosum, qui quãtitatem duorum argenteorum, aut realium, aut tarenorum recipit, retinet, aut expendit, Superiore inconsulto: immò etiam palàm dicente Superiore, ne eos expendat. Ducitur, quia quãtumuis Prælatus licentiam neget, & palam dicat, ne id fiat; adhuc subditus in re tam paruæ quantitatis operari censetur cum licentia rationabiliter præsumpta. Nã licèt Prælatus eam neget, non tamen rationabiliter, sed potius irrationabiliter negat. Longè enim irrationabile & durum videtur, quod Prælatus habere velit Religiosum subditum tanquã seruum, & vile mancipium, cùm aliter omnino res se habeat. Hoc autem (ait *Mendoca*) cum grano salis condiendum est: quòd scilicet Prælatus oppositum non strictè & expresè iubeat. Quoniam si V. G. in virtute Sanctæ Obedientiæ præciperet subdito, ne talem duorum argenteorum, seu tarenorum, vel carolenorum sumptum faceret, mortaliter peccaret subditus non parendo. Idem sentiunt *Frater Ioannes à Trinitate super hunc casum n. 9. & Frater Ioannes Ximenez super c. 6. nostræ Regulæ.*

4 *Pater Sanchez lib. 7. cap. 20. in oper. moral. tom. 2. num. 3. noster Rodriquez in summa tom. 1. c. 150. n. 6. & Martin. à Sancto Ioseph* super hunc casum volunt quatuor, aut quinque argenteos esse sufficientem quantitatem, vt efficiatur peccatum mortale proprietariæ detentionis.

5 Nonnulli verò censent, quantitatem hanc pensandam esse iuxta quantitatem petitam ad furtum mortale filiorum; quia non sunt Prælati credendi magis inuiti quo ad rem clàm acceptam à Religiosis, sed quo ad solum modum, quo parentes carnales circa filios suos; cùm non minus, sed magis subditos diligere debeant. Et ita inuiti censeri non debent quo ad rem acceptam eiusdem quantitatis; quia Pater carnalis honestæ conditionis inuitus non censetur. Item, quia Religiosi ius habent, vt ex eis bonis alantur à Monasterio, sicut filij Parentum bonis. Fatentur nihilominus esse mortale, si tres, aut quatuor argenteos furentur. Ita *Rebellus tract. de iust. p. 1. lib. 2. q. 15. sect. 3. num. 22. & 23.* neutrum autem putat probabile *Pater Sanchez*; primum, quia filij non sunt voto paupertatis astricti, nec eorum statum aliqua dedecet possidere, & sunt necessarij parentum bonorum hæredes: & ideò iure optimo præsumitur, Parentes non esse adeò inuitos quo ad rem acceptam. Secundum, quia communior sententia est, exigi furtum quadruplicis argentei ad mortale; vt communiter Doctores Hispani affirmant.

CAPVT SECVNDVM.

Authoris sententia.

SVMMARIVM.

1 *Quantitas petita ad mortale in materia furti satis est ad constituendam in Religioso detentionem proprietariam contra paupertatis votum; iuxta Authoris opinionem.*

2 *Quantitas, quæ in genere furti respectu Religiosi peccatum constituit lethiferum, non est mortale in genere proprietatis. Quare.*

3 *Quantitas notabilis absque licentia accepta semper est sufficiens ad mortale proprietatis peccatum.*

1 CEnseo igitur, quãtitatem petitam ad mortale in materia furti satis esse ad constituẽdam in Religioso detentionem proprietariam contra paupertatis votum. Hæc autem quantitas quatuor argenteos hispanicos excedere non debet. Hæc assertio quo ad primam partem docent *Corduba in Summa q. 109. Mendoca in quæstionibus quod libeto q. 8. concl. vlt. Lopez in 1. p. instruct. conscient. c. 156. concl. 5. Graffius 1. par. Decisionum lib. 3. c. 5. Rodriq. in Summa tom. 1. c. 150. n. 6. Coriolanus de casibus referu. p. 2. casu 4. fr. Martinus à Sancto Ioseph in hunc casum, P. Sanch. loc. cit. Suar. tom. 3. de Relig. lib. 8. c. 8. n. 10.* vbi testatur de communi, quo ad verò secundam partem idem *Suar. loc. cit. & c. 11. num. 24. Sanchez vbi sup. num. 3. in fine, Rodriquez, vbi suprà, & communiter Moderniores Doctores Hispanici.*

2 Sunt autem circa quantitatem hanc duo maximè notanda; primum est, dum dicimus, eam quantitatem exigi, & ad mortiferã sufficere proprietatem contra votum, quæ sat est ad mortale furtum in sæcularibus; intelligendum est de materia sufficienti ex se ad furtum, seclusis personæ, aduersus quam committitur, circumstantijs. v. g. furari acum à Sartore quandoque est mortiferum, occasione damni emergentis, vel lucri cessantis operum sartoris; & ab homine paupere multò minorem quantitatem, quàm à diuite, & respectu Principis maior quantitas exigitur: prout *Bonac. de contractib. disp. 2. q. 8. puncto 1. num. 7. Sanchez, & Suarez loci citatis, Reginaldus to. 2. lib. 22. c. 1. num. 19. & Pater Diana tract. 17. & 3. Miscellaneo Resol. 53. & alij, quos in casu* 8. huius Decreti Clementis Octaui citabimus, annotant. At id acus furtum, aut rei paruæ à paupere, quod commissum à Religioso esset in genere furti peccatum lethale, non esset in genere proprietatis mortiferum contra votum admissæ; & sic reseruato proprietatis peccato, non censeretur hoc reseruatum. Et è contra in genere furti; v. g. esset veniale à Principe, seu Rege octo furari argenteos, & in genere peccati proprietatis esset lethale, quippe furti malitia consurgit ex damno proximis illato: ac proinde quandoq; maior, quandoque minor quantitas constituit illud mortale, at peccatum proprietatis solam voti recipit transgressionem, quia inuito Prælato Religiosus sibi aliquid appropriat; & ideò nec augetur, nec minuitur quantitas hæc petita ad lethiferum ex magno, aut ex paruo damno illato, cùm in vtroque euentu dominij actus æquè exerceatur, appropriando sibi aliquid contra superioris voluntatem. Quamobrem tenendum est, exigi, & sufficere eam quantitatem, quæ communiter, seclusis ijs personæ circumstantijs, ad mortiferum satis esset, quã diximus quatuor esse argenteorum: prout in his Hispaniarum partibus est communior Doctorum sententia, teste *Sanchez*, vbi suprà. Facit ad hoc quod communiter tradunt Neoterici Doctores tractantes de furto, qui dicunt excommunicationem in furantes latam eos solos ligare, qui furtum ex se lethiferum admisere; ac excusant id, quod ratione solius personæ est tale, vt acus à Sartore. Secundum est, quantitatem
3 in se notabilem non semper absque licentia acceptam satis esse ad mortale proprietatis peccatum; quia res magni valoris potest ad solum breuissimi temporis vsum modici valoris vsurpari reddenda statim; & ideò erit sola culpa venialis in voto. Ita *Sanchez, vbi suprà, & latius Suarez omnino videndus dicto cap. 11. lib. 8. de paupertate Religiosa.*

QVAESTIO QVARTA.

Vtrum proprietatis peccatum in Religioso duplicem habeat malitiam alteram furti, & alteram sacrilegij, & ita duplicem reseruationem?

CAPVT PRIMVM.

Breuiter secundùm veritatem resoluitur Quæstio.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Proprietaria detentio duas continet in se malitias.*
2 *Proprietatis peccatum duas continet reseruationes.*
3 *Religiosus proprietarius aliquando vnum tantùm committit peccatum.*
4 *Religiosum Ordinis Minorum esse proprietarium, qui res notabilis valoris recipit, easque suis amicis, seu consanguineis donat de licentia dantis.*
5 *Quando in eodem proprietatis crimine potest esse duplex malitia furti, & duplex malitia proprietatis, declaratur.*
6 *Religiosus mortifere peccat peccato proprietatis, & furti, qui ab amico spirituali accipit pecuniam pro libris emendis, illamque in alium vsum, seu rem conuertit.*
7 *Religiosus, qui aliquod donum accipit à sæculari, cuius Monasterium est capax Dominij, si mulierculæ, vel consanguineis donat, peccat mortiferè in genere furti; quod crimen duas habet malitias, in eodem genere.*

1 VTramque (regulariter loquendo) malitiam eam habere proprietatem, existimandū est; Nam si Religiosus aliquid de bonis vsurpet Monasterij, & alteri, absque expressa, aut saltem tacita licentia Superioris, manifestè est furtū; quia contra Superioris voluntatem, qui est simul cū Monasterio Dominus, res vsurpatur; & proprietas, quia absque debita licentia; vt benè *Corduba noster dicta q.* 106. *Nauarr. lib.* 3. *de restit. c.* 1. *p.* 3. *in noua editione dub.* 3. *n.* 128. *Sayr. in claui Regia lib.* 9. *c.* 16. *n.* 21. *& Sanchez loco citato*, tradunt. Atque idem euenit, si Religiosus rem sic vsurpatam nō alienet, sed sibi retineat, quippè qui id inuito Domino, & absque Prælati licentia efficit; & vtraq; eadem malitia reperitur, si sæcularis eam rē Religioso concedat quo ad proprietatem, vel quo ad vsum; eò quòd eo ipso ea proprietas, & vsus acquiritur Monasterio; vt tradit *Innoc. in c. olim, de Priuilegijs n.* 3. *Abbas in c. cùm ad Monasterium, de statu Monachor. num.* 2. *Nauarrus commento* 2. *de regul. num.* 32. *&* 33. & colligitur ex lege etiam *ff. de acqu. rer. domin. & Concil. Trident. sess.* 25. *c.* 2. *de regular.* ibi; *etiam quouis modo ab eis acquisita*; & infrà; *sed statim ea Superiori tradantur conuentuique incorporentur*; & ideo inuito Domino, & absq; licentia eam Religiosus rem vsurpat.

2 Idcircò huiusmodi peccatum, ratione duplicis malitiæ, quam in se continet, duas habet reseruationes, alteram furti, si res tanti sit valoris, quanti exposcitur ad constituendam reseruationem, vt dicemus infrà in casu octauo; alteram proprietatis.

3 Dixi, regulariter, quia contingere potest, vt in Religioso peccatum sit proprietatis dumtaxat, vt si Sæcularis aliquid det illi, ea lege, ne Monasterio acquiratur, est proprietas, eò quòd eam absque superioris licentia accipit; non autem furtum, quia ex voluntate Domini accipit: nec refert, Monasterium esse inuitum, quia nihil illi est acquisitum. Similiter solam contingit reperiri proprietatis malitiam, quando Religioso aliquid datur à vero Domino, cuius acquirendi est incapax Monasterium; vt si Religioso nostri Ordinis dentur annui redditus, arma, aut vestes pretiosæ, erit proprietas, sed non furtum, cùm ex voluntate Domini acceperit, nec Monasterio aliquid acquisitum sit, vt pote quod incapax acquirendi est, vt eius contradictio efficiat acceptionem esse furtum. Ex qua Doctrina resoluitur difficultas, quæ in praxi quotidie euenit, nimirum Religioso Minoritæ aliquando dantur aliquę res pretiosæ, quarum est incapax, ipse verò Religiosus, ex quo eas acceptare non valet, petit à Domino veniam, vt suis amicis, aut parētibus nomine suo tribuere possit, ille autem libenter ait, se in id venire.

4 Quæritur, an iste Religiosus sit proprietarius, si illas tribuat? Respondeo, esse proprietarium; quia recipit Dominium illarum, quatenus Dominus intendit, à se illarum dominium abdicare, & proprietatem Religioso dare. Ita existimo sentire *Turrianum* 2. 2. *tom.* 1. *disp.* 84. *dub.* 3. *P. Rodriquez in exercit. spirit. par.* 3. *tract.* 3. *cap.* 15. *Vasquez apud Turrianum, Layman in Theologia moral. tract.* 5. *c.* 7. *nu.* 16. & nouissimè *Canedo de paupertate Religios. dub.* 24. *num.* 11. *Turrianus* ex nostra tacta ratione idem probat; quia donans per talem concessionem post acceptationem factā à Religioso aliquo iure priuatur, nec potest illam reuocare, nec licitè de bonis Religioso concessis disponere, & hoc ius reuera transtulit in dicligiosum, nempe facultatem liberè disponenR de illis bonis; ergo sine consensu Superioris non poterit vti illa facultate, sine peccato contra votum paupertatis. Item in tali casu Religiosus efficitur Dominus iuris administrandi, idque independenter à voluntate Prælati; ergo. Et ita constanter sentiendum esse, saltem pro nostris fratribus, existimo: quicquid incontrarium dicat *Pater Diana tract.* 4. *de paupertate Religiosa*, soluendo allata *Turriani* argumenta, quæ nō impugno; eò quòd si rectè ponderentur, minimè eis *Pater Diana* satisfacit.

5 Similiter contingere poterit duplici titulo cōcurrere vtramque circumstantiam necessariò in confessione explicādam; vt si quis de rebus monasterij vel sæcularis, etiam eius licentia interueniente, dummodò cōditionem non apponat, ne acquiratur Monasterio, & Monasterium sit capax acquirendi; aliquid absque Superioris licentia accipiat, & absque eadem id distribuat; erit duplex malitia furti, & duplex etiam malitia proprietatis. Prima in acceptione, vt suprà declarauimus; Secunda autem in distributione, cùm iterùm hęc absque Prælati licentia, & inuito Domino fiat. Illustrari hoc potest exemplo; qui voto Religionis astrictus vxorem ducit, & consummat matrimonium, duplex crimen committit, scilicet, semel ducendo, & posteà semel prima vice consummando: ita in proposito. Si autem conditio adsit, ne res Monasterio acquiratur, cōcurrit duplex proprietatis peccatum; alterum in acceptione absque licentia, alterum in distri-

butione, etiamsi dominus dederit, vt distribuat, vt suprà dicebamus contra *Sanchez*, & *Dianam*: in neutro autem casu erit furtum, si sæcularis illius in vtroque concurrat voluntas; in eo autem, in quo non concurrerit, erit furtum. Si verò Monasterium sit incapax illius acquisitionis, in vtroque erit peccatum proprietatis, non autem furti in acceptione, quia ex voluntate Domini, nec in distributione respectu Monasterij, vt potè quia Dominus non erat, nec respectu Domini, quia sæcularis, si ex eius voluntate fiat; secùs si contra eius voluntatem, quia ipsi res illa reddenda erat; eo quòd etiam monasterium, & ipse Religiosus incapaces acquirendi erant.

6 Ex his infero, Religiosum peccare mortiferè peccato proprietatis, & furti, qui ab amico spirituali accepit pecuniam pro libris emendis, ipse autem in aliam conuertit rem; vt si donauit mulierculæ, aut fortè consanguineis: peccato quidem furti; quia contra voluntatem Domini, qui si sciret illi non elargiretur eleemosynam: peccato proprietatis duplicis, quia absque Superioris licentia (vt suppono) accepit & absque ea distribuit. Hoc autem intelligo, quando Monasterium est incapax, vt contingit in nostris Religiosis. Si verò fuerit illius donationis capax, du-

7 plicem inuenio furti malitiam, alteram respectu Sæcularis donantis, alteram verò respectu Monasterij, cui fuerat illa eleemosyna pecuniaria acquisita ac proinde peccatum huiusmodi multas continet reseruationes, saltem iuxta nostras generales Constitutiones, si reseruationes adhuc existant post Clementis Octaui Decretum, quod difficile mihi persuadeo, vt latè proprio quæsito suprà demonstratum est.

CAPVT SECVNDVM.

Examinantur nonnullæ difficultates ad hanc materiam pertinentes Regularibus quam maximè necessariæ.

SVMMARIVM.

1 *Religiosum non esse proprietarium, qui contra Superioris volũtatem aliquam rem ex loco publico pro vsu temporali sumit, animo, vt in eodem loco eam restituat, qui affirmant.*

2 *Prædictum Religiosum esse proprietarium, & sub hoc casu comprehensum, demonstrat Author.*

3 *Religiosi nostri Reformati hunc casum incurrunt reseruatum, qui inuitis Prælatis extrahunt libros ex vno Monasterio ad aliud.*

4 *Religiosum non esse proprietarium, qui ab amico spirituali absque Superioris licentia comestibilia alicuius valoris recipit, vt ea comedat, docet Lopez, & alij.*

5 *Religiosus, qui comestibilia accipit in ea quantitate, quæ sit considerabilis valoris, absque Superioris licentia ea in proprium vsum conuertens, peccat mortiferè contra paupertatis votum, & hunc incurrit casum reseruatum.*

6 *Comestibilium vsus est pretio æstimabilis.*

7 *Religiosus, qui ad tempus alicuius rei dominium retinet, peccat contra paupertatis votum, si absque Superioris licentia illa vtitur.*

8 *Quantitas, quæ ad peccatum in genere furti constituendum satis est, non sufficit in his comestilibus ad faciendum Religiosum proprietarium.*

9 *Religiosus, qui aliqua comestibilia ad bona Monasterij pertinentia absque Superioris licentia sumit ad proprium vsum, vel vt alijs tribuat, non est proprietarius, iuxta Suarez opinionem.*

10 *Impugnatur prædicta Suarez sententia.*

11 *Religiosus, qui comestibilia in ea quantitate accipit, quæ existimatur notabilis valoris, etiam si ad proprium vsum illa conuertat, peccat mortiferè contra paupertatis votum, estquè verè proprietarius; quare.*

12 *Religiosus, qui comestibilia absque Superioris licentia ad bona Monasterij pertinentia sumit, eaquè extra monasterium tribuit, peccat contra votum paupertatis, & insuper peccato furti, teneturq; tam ipse, quam accipiens ad restitutionem.*

13 *Religiosus strictioris obseruantiæ, vel Capuccinorum lethiferè peccat, qui noctu exit è monasterio ad hortum, vt fructuum accipiat quantitatem spiritualibus amicis donandam, si modò quantitas sit notabilis.*

14 *Religiosus strictioris obseruantiæ, vel Capuccinorum, si absque sui Superioris licentia sibi vsurpet aliquem habitum, mantellum, aut femoralia ex ijs, quæ ad communem Conuentus vsum destinata sunt, lethiferè peccat contra votum paupertatis.*

15 *Religiosus, qui necessitate ductus aliquem habitum, mantellum, seu femoralia, ex his, quæ ad communem vsum sunt destinata, sibi vsurpat, non peccat, si petita licentia à Superiore, fuit sibi negata.*

16 *Pater Suar. reducitur ad bonũ sensum ab Authore.*

17 *Patris Suarez fundamenta diluuntur.*

18 *Religiosum esse proprietarium, & sub hoc casu comprahensum reseruatum, qui ex his donat absque Superioris licentia, quæ ad proprium vsum concessa à suo Superiore habet.*

19 *Religiosus, qui contra sui Superioris volũtatem mutuo dat ea, quæ sibi ad proprium vsum sunt collata, peccat contra votum paupertatis. Et quomodo aliquando potest excusari.*

20 *Religiosus, qui absque Superioris licentia alteri Religioso eiusdem conuentus donat rem ad vsum sibi concessam, peccat mortiferè contra paupertatis votum.*

21 *Noster Pater Rodriquez impugnatur, quatenus docet, non peccare Religiosum, qui absque sui Superioris licentia dat alteri Religioso eiusdem Conuentus librum valentem quinque aureis.*

22 *Religiosum, qui absque Superioris licentia libros pro libris commutat, non peccare, qui docent.*

23 *Prædicti Authores reprobantur.*

24 *Religiosus, qui, Superiore notabiliter inuito, commutat libros pro libris, peccat contra votum paupertatis.*

25 *Fratres Minores, qui commutant libros pro libris absque Superioris licentia, & Syndici interuentu, sunt proprietarij.*

26 Re-

26 *Religiosus, qui occultat rem, quam cum Superioris venia detinet, ne ab eo auferatur, peccat lethaliter, & in hunc casum incidit reseruatum.*

27 *Religiosus occultans aliquam rem, ne à suo Prælato auferatur, peccat lethaliter, etiam si aliàs sit paratus ipsi Prælato præbere, si præciperet.*

28 *Religiosus, qui solo eo animo celat aliquam rem, vt non patiatur confusionem, & verecundiam, existimans Superiorem eam non ablaturum, sed reprehensurum dumtaxat, non peccat.*

29 *Religiosus non paratus ad dimittendam rem, quam ex Superioris venia detinet, volente Superiore auferre, peccat contrą paupertatis votum, & hunc incurrit casum reseruatum.*

30 *Religiosus ille cēsendus est proprietarius, & sub hoc casu comprehensus, qui est paratus rem quam tenet Prælato reddere petenti, qui non aufert, ex quo eius timet querelas, & murmurationes.*

31 *Religiosus tenetur rem dimittere, quam ex Superioris licentia tenet, quando Superior reuocat illam licentiam.*

32 *Peccare lethaliter Religiosum, qui dicit meus habitus, meum mantellum, mei libri, qui affirmant.*

33 *Religiosus non peccat lethaliter contra votum paupertatis, qui dicit mei libri, meum mantellum, &c. nisi intendat de illis habere proprietatem.*

1 PRima est, an Religiosus censeatur proprietarius, ita vt sub hoc casu comprehendatur, si aliquam rem ex loco publico pro vsu temporali sumat, eo animo, vt deinde in eundem locum restituat. *Pat. Azorius p. 1. instit. moral. lib. 12. c. 12. q. 3.* respondet, non peccare talem Religiosum peccato proprietatis contra votum paupertatis, quando id per Regulam non est prohibitum: nō enim eò quòd accipit, vti vult citra omnē prorsus volūtatem sui Superioris, sed ad certos dumtaxat dies, & voluntate illam in eundem locum, vndè acceperat, referendi: secùs verò si ad vsum perpetuum. Ita ille. Quam sententiam ex nostris sequuti sunt *Villalobos in summa tom. 2. tract. 35. dub. 29. nu. 8. & Fauentinus in 4. sententiar dist. 15. q. 2. disp. 45. c. 5. nu. 114. Pater Diana etiam tract. 6. de paupertate Religiosa Resol. 40. in fin.* probabilem existimat: & ipse ētiam aliquando sequendam in praxi docui.

2 Nunc autem re melius considerata, assero; Religiosum peccare lethaliter contra votum paupertatis, esseque verè proprietarium, & sub hoc casu comprehensum. Ita sentiunt *P. Sanch. tom. 2. in oper. moral. lib. 7. c. 19. num. 57. Faust. in Thesaur. Religio. lib. 8. quæst. 106. num. 2. & Pat. Diana, quatenus vbi suprà* probabilem hanc nostram sententiam esse docet probatur; nam si excusari possit talis Religiosus à peccato proprietariæ detentionis, eò esset, quia vtitur illa re pro aliquo determinato tempore, non verò ad perpetuum vsum: atqui hæc differentia non satis est, quando hæc vsurpatio fit absque Superioris licentia; Igitur eodem modo peccat Religiosus, qui rem ex loco publico pro vsu temporali sumit, ac si imperpetuum ea vtenda vsurparet. Consequentia, & maior sunt notæ: minor ex eo patet, quia quo ad peccatum proprietatis admittendum nulla prorsus assignari potest talis differentia, vbi nulla præsumitur, aut exp essa habetur Superioris licentia, inter vsum temporalem, & perpetuum, cùm in vtroq; euentu vsus rei pretio æstimabilis absque licentia vsurpetur; sed sola in hoc est differentia, quòd faciliùs præsumitur licentia ad vsum temporalem, vt sic excusetur proprietatis vitium. Vndè *Sanchez* ex hoc capite excusat talem Religiosum à mortali, sed non à veniali. Hoc autem non placet, regulariter loquendo; nam vsus talis rei adeò temporalis esse posset, vt magnum communitati afferat incommodum, priuetque Religiosos alios, qui fortasè illius indigent vsu: posset nihilominus talis vsurpatio ita breuis esse, vt excusetur à peccato mortali.

3 Huic deducitur, esse graue peccatū proprietatis contra votum Paupertatis id, quod solent nostri Reformati facere; nimirum inuito Prælato Conuentuali, & Prouinciali ad proprium vsū Bibliothecæ alicuius Monasterij, seu conuentus libros vsurpare, seu ad alium conuentum extrahere, nisi ignorantia inculpabili excusentur.

4 Secunda est, an Religiosus, qui ab amico aliqua comestibilia accipit, absque Superioris licētia, ad eum solum vsum, vt Religiosus ea comedat, nec Monasterio acquirantur; sit proprietarius, & peccet contra votum paupertatis? *Ludouicus Lopez 1. p instruct. consc. c. 156. vers. sed iam de recept.* affirmat, integrum esse Religioso ab amico Sæculari recipere duas gallinas, & aliqua saccaro condita, quæ vulgari voce conseruas vocant; & si comestibilia illa sint conuentui destinata ad Religiosorum communem vsum. Idem docet *Ioannes dela Cruz de statu Religio lib. 1. c. 3. dub. 3. concl. 3. & Pater Diana vbi sup. resol. 41.*

5 Verùm hæc opinio mihi minimè probatur. Veriùs sentit *Sanchez omnino sequēdus in oper. morat. lib. 7. c. 19. nu. 53.* docens, esse contra paupertatis votum, absque licentia Superioris huiusmodi comestibilia accipere in ea quātitate, quæ arbitrio boni iuri existimetur alicuius considerabilis valoris. Nam vsus facti, (vt optimè docet *Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 12. c. 12. quæsito 2.*) quo quis vtitur re, ex Prælati venia, cum paupertatis voto non pugnat: secùs si absque eius licētia: nam & si habens merum facti vsum aliquid non habeat proprium, vt vouens paupertatem abdicat a se omnem rei vsum, ac si tacitè promittat, non se rebus vsurum absque Superioris facultate; Igitur si Superioris hæc nō interueniat licentia, certè sibi vsurpat vsum rei, quem à se ratione voti abdicauerat; igitur si res est magni valoris, vsus illius vsurpatio contra voluntatem Superioris erit mortifera. Ita sentire censeo *Azorium, vbi sup.* & testatur *Sanch. loc. cit.*

6 Insuper ille comestibilium vsus est pretio æstimabilis, & vsurpatur absque Prælati licentia, ergo est cōtra paupertatis votum, ac proinde proprietarius. Item quia quantumcunq; velit Religiosus,

giosus, nunquam acquirit rei vsurpatæ dominiũ, sed solum vsum: & in hoc consistit voti Paupertatis transgressio, quòd ea re absque Superioris voluntate vtatur.

7 Vrgeo tandem, quia quamuis Religiosus ad tempus alicuius rei Dominium retineat, vt contingit in Religiosis Societatis Iesu, qui sola biennij vota emisere; peccat tamen (vt optimè docet *Lessius lib. 2. de iust. & iure c. 4. dub. 3 nu. 18.* quem sequitur *Sanchez*) contra paupertatis votum, si illa absque Superioris licentia vtatur; quàm non secùs vtendi re facultate priuetur, quàm si sua non esset: ergo à fortiori non possunt Religiosi Professi rei alicuius dominiũ habere, ac rei erunt voti paupertatis, si alicuius rei pretio æstimabilis absque expressa, aut tacita saltem Superioris licentią vsum habeant: ac proinde illarum rerum comestibilium acceptio ad proprium vsum, si sunt considerabilis quantitatis, erit proprietaria contra votum paupertatis.

Quæres; quæ nam quantitas requiritur ad hoc, vt dicatur Religiosus contra votum paupertatis in huiusmodi comestibilium acceptione peccare? Respondeo, quantitatem, quæ ad peccatum furti constituendum, nimirum quatuor argenteorum, non satis esse ad constituendum Religiosum proprietarium ex his comestibilibus, sed maiorem quantitatem exposcendam esse; vt nouissime *Frater Noster Martinus à Sancto Soseph, & Suarez, & Diana* resoluit super hunc casum.

9 Tertia difficultas est, an Religiosus, qui sine sui Superioris facultate aliqua comestibilia ad bona Monasterij pertinentia sumit, vel ad proprium vsum, vel vt alijs tribuat, contra votum paupertatis peccet; ita vt censendus sit proprietarius? *Pater Suarez tom. 3. de Religion. lib. 8. c. 11. num. 41.* negatiuè respondere videtur. Inquit enim de bonis Monasterij vsu consumptilibus, pertinentibus scilicet ad cibum, & potum, si tantùm ad proprium vsum actualem, (vt sic dicam) & transitorium à Religiosis aliquid sumatur, regulariter non videtur peccatum mortale, nisi damnificatio religionis esset nimia, & in re extraordinaria, & pretiosiori: extra huiusmodi enim casum res huiusmodi reputantur leuioris conditionis. Et quamuis Prælatis hoc displiceat, non tamen ita sunt inuoluntarij, vt illam reputent materiam grauem in ordine ad paupertatem, sed solùm in ordine ad decentiam, & perfectionem Religionis. Accedit, quod Religiosi quo ad vsum huiusmodi rerum tractantur vt filij: inter parentem autem, & filium non censetur similis actio grauis: secùs verò esset, si huiusmodi res in magna quantitate acciperentur, & occultæ retentæ paulatim consumerentur. Nam illud esse posset graue peccatum, quamuis ad id discernendum in particulari magna prudentia necessaria sit. Hactenus *Suarez*, quem sequitur *Diana resol. 30. tract. 6. de paupert. religiosa, citans Tannerum in 2. 2. disp. 7. quæst. 3. dub. 4. nu. 106.* quo in loco sic ait; nulla etiam Prælati seueritas in huiusmodi acceptiones quoad substantiam rei acceptæ iniquas reddere potest.

10 Displicet quam maxime hæc sententia *Patris Suarez*, nisi ad bonum sensum eam reducamus, vt infrà videbimus; Etenim *Nauarrus lib. 3. de rest. c. 1. in noua edict. p. 3. dub. 3 num. 180. in fine, & num. 181 Sayr. in clauis Regia lib. 9. c. 16. num. 20. Lessius lib. 2. de iustitia & iure c. 41. dub. 9. num. 79 vers. 7. Sanchez in oper. moral. tom. 2. lib. 7. c. 19. num. 50. in fine* affirmant, loquentes de comestibilibus conuentus in vsum communem destinatis, esse contra paupertatis votum aliquid absque Superioris licentia vsurpare; quare inter hæc comestibilia, & alia nullum discrimen constitui potest. Vndè,

11 Dico primò, Religiosum, qui comestibilia in ea quantitate accipit absque Superioris licentia, quæ existimatur notabilis, ratione valoris, seu pretij alicuius considerationis, peccare mortiferè contra paupertatis votum, esseque proprietarium censendum, quamuis illa ad proprium vsum conuertat. Ratio est, quia Religiosus sic ea accipit vt sibi debita, & quasi aliquod ad bona Monasterij ius habeat, dominij actum exercet; vt de se constans est, cùm nulla petita licentia vt sua, vel sibi debita vsurpet. Quòd si ea non vt sua, vel sibi debita apprehendit; igitur furtum committit, & peccat mortiferè peccato furti, cùm aliena sibi non debita vsurpet; igitur vtroque modo peccat, & restituere tenetur, si res extant integrè. Ita *Corduba noster in Summa q. 109. Azorius lib. 12. instit. moral. p. 1. c. 11. q. 6.*

12 Dico secundò, si hæc extra monasterium aliquibus donet in ea quantitate, vt suprà dictum est, quæ sit magni momenti, peccat quoque peccato proprietariæ detentionis, & furti, teneturque ad restitutionem tàm ipse, quàm recipiens. Sic *Corduba, Petrus Nauarrus, Ioannes Azorius, & Sayrus locis suprà citatis*. Ratio est, quia sic accipiendo, & donando, absque Superioris venia, furtum committit, & actum dominij exercet, quorum vtrumque illi interdictum est, vt de se patet.

13 Atque hinc infero, Religiosum Reformatum, vel Capuccinum peccare lethiferè, qui noctu exit è Monasterio ad hortum, vt fructum accipiat quantitatem, spiritualibus amicis donandam, si quantitas sit notabilis, ita vt ad Summam quatuor argenteorum pertingat, quia in nostro Minorico Ordine non solùm Prælato hoc displicet, verùm existimatur res notabilis. Colligo, quia Conuentuales Prælati non audent deuotis amicis præbere etiam in minima quantitate fructus Vindarij Conuentus, absque maioris partis Capituli Conuentus consensu; igitur res grauis est, in nostro ordine saltem.

14 Idem dicito de Religioso, qui absque sui Superioris licentia sibi vsurpat aliquem habitum, mantellum, aut femoralia, ex his, quæ ad communem conuentus vsum destinata sunt, etiam si necessitate ductus id faciat. Ita *Nauarr. lib. 3. de restit. c. 1. in noua editione p. 3. dub. 3. num. 180. & 181.*

181. *Sayr. in claui Regia lib.9.c.16. num.20. Lessius de iust.& iure lib.2.c.41 dub.9. num.79. & Sanchez vbi suprà.* Dixi notanter; *etiam si necessitate ductus id faciat*, quia si esset Superior (vt suppono) veniā concessurus illis vtendi, peccaret subditus lethaliter, absque eius licentia ad proprium vsum illa conuertendo, vt doctè annotauere *Corduba Petrus Nauarrus, Ioannes Azor., & Sayr., & alij locis citatis:* Secùs verò quando Prælatus nollet concedere licentiam; tunc enim non peccaret. *Ita Sayr. vbi suprà*; quia Superior ex munere dare tenebatur; cùm enim bona illa sint communia, & pro fratrum necessitatibus destinata, eorum Superior non est Dominus, sed solùm dispensator; ac proinde bellum ex parte sua gerit iniustum. Vndè potest Religiosus ea pro necessarijs suis vsibus accipere, absque voti paupertatis violatione: hoc enim non est actus dominij, aut proprietatis exercere, (cùm non ex iusticia, sed ex charitate, & Religionis instituto ei res debita sit) sed vsum necessarium ad victum, & vestitum habere, quod voto non repugnat paupertatis. Hinc Superioribus in nostra regula præcipitur cap.4. vt sollicitam curam gerant circa ea, quæ sunt fratribus nostris necessaria. Sicut enim Religiosus inseruire tenetur Monasterio; ita & Religio ei de necessarijs ad vitam subministrare tenetur.

16 Neque existimo, doctissimum *Patrem Suarez* sentire oppositum; Nam inquit, si à Religiosis aliquid sumatur, non videtur (regulariter loquēdo) peccatum mortale; Etenim ly, *aliquid*, paruam, seu minimam quantitatem significare videtur, & certè si res comestibilis sit tantæ quantitatis, vt argenteos quatuor non superet, non erit peccatum lethale, ob paruitatem materiei. Hoc enim probat *Suarez*, nec oppositum sentire potest: ratio est, quia inter comestibilia, & alia bona Monasterij nulla intercedit differentia: vt eleganter annotauit *Sanchez lib.7. in oper. moral. tom.2.c.19.num.53.in fi.* Cùm ergo in illo *libro* 8. *c.6. P. Suarez* ad peccatum mortale contra paupertatis votum quantitatem quatuor argenteorum sufficere affirmet, certè in rebus comestibilibus idem docere debet. Vndè pro minima quantitate, quam ipse statuit in comestibilibus sumpta, censet id, quod paulò superiùs monui-

17 mus. Quòd si oppositum sentit, prout putat *Pater Diana*, certè nullo nititur vero fundamento; Nam in primis falsum est, Prælatos non esse tam inuoluntarios, vt non existiment materiam grauem in ordine ad paupertatem in his rebus comestibilibus: & maximè in illis Religionibus, quarum Monasteria sunt pauperrima, ita vt quātitas illarum rerum satis esse possit ad Religiosos sustentandos pro vna saltem refectione. Secundò falsum est, quòd Religiosi quoad vsum huiusmodi rerum tractentur vt filij, quia hæc proportio inter filios, & parentes, inter Prælatos, & subditos assignari minimè potest; quia filij non sunt voto paupertatis astricti: neque eorum statum dedecet aliqua habere, & sunt bonorum parentis necessarij hæredes; & ideò iure optimo præsumitur, non esse adeò inuitos quo ad rē acceptam. In Religiosis verò secùs res se habet, vt de se patet; quapropter in his illicitis acceptionibus esse magis inuitos superiores domorum, quàm sunt filiorum parētes, ambigendū nō est.

18 Quarta, an Religiosus sit proprietarius, & sub hoc casu comprehensus, qui aliquid ex his donat, quæ ad proprios vsus sibi à Prælatis collata sunt. Respondeo affirmatiuè. Sic sentiunt *Seraphicus noster Bonauentura in speculo disciplinæ ad Nouitios p.1.c.4. paulò ante finem, Gerson 2.p.in responsis ad quasdam quæstiones sibi præpositas q. penultima Alphabeth.34. littera S, Diuus Antoninus 3.p.tit 16.cap.1.§.11.notab.2.& 4 Syluester verbo, Religio 6.quæsito 7.dicto 2.Passarellus in compendio priuilegiorum m.nim. tit. de proprietate abdicanda post c 43.vers.si verò Religiosus, Sanchez loco suprà citato num.64.Valentia 2.2.disp.10.q.43.puncto 3. Corall.5.Lopez in 1.p. instruct.c.156. in princ.Lessius de iust.& iure lib.2.c.41. dub.9.num.79.vers.5. Rodriquez qq.regular.tom.2.q.29.art.10.concl.3. Mēdoca in suis quodlib.q.8.concl.3.Miranda, & pro nobis Minoribus omnes nostræ Regulæ expositores:* Ratio est, quia iam vsurpat rem independenter à Prælati voluntate, & ita tanquam Dominus; eò vel maximè quia religiosus solum facti vsum habet, vt de se euidens est; ille autem, qui est alicuius rei vsuarius, nequit alteri eiusdem rei concedere vsum, quia hoc non est vsuarij, sed vsufructuarij, vt habetur *Instit. de vsu, & habitat §. 1. & 5.* & docent paulò anteà allegati Doctores.

19 Hinc multa inferuntur: primum, idem esse tenendum, si mutuo, vel commodato quidquā ex ijs, quæ ipsi ad vsum permissæ sunt, daret alteri absque Superioris licentia, vt ex dictis patet. Excusari autem potest à peccato lethali Religiosus, quando id de præsumpta Superioris licentia facit, præsertim in rebus paruis, & crebrò occurrentibus; nam in his docet Lessius vbi suprà, censeri esse facultatem tacitam, & generalem, saltem ad breue tempus: His addit *Sanchez vbi suprà num.65.* & benè, non fore mortale, sic accommodare res ad proprium vsum destinatas, quando Religiosus commodans de illarum restitutione, ac conseruatione esset securus; eò quòd censenda est parua materia, & maximè cū ad breue tempus fit. Secùs verò ait, si id fiat ad longum tempus; quia tunc res in præiudicium conuentus, & Monasterij consumitur.

2 Secundum, esse etiam contra paupertatis votum, si sine expressa, vel saltem tacita licentia Superioris Religiosus donet rem ad vsum sibi concessam alteri Religioso eiusdem Conuētus. Ita docent noster *P. Corduba in Summa quæst. 109. Mendoca, Lopez locis supra citatis, Emmanuel Rodriquez tom.3.qq.regular.quæst.29 art.10.conclus.3.& Sanchez vbi suprà.* Atq; idem dicendum esse existimo de mutuo, vel acommodato dato absque licentia Superioris alteri Religioso eiusdem conuentus, vt patet ex supra citata ratione.

Atque

21 Atque hinc abhorreo, quod docet noster P. *Rodriquez tom.1. summæ c.2. in 2. edit num.11. conclus.5.* non peccare Religiosum, qui absque sui Superioris licentia alteri eiusdem Cõuentus Religioso dat librum valentem quinque aureos nisi credatur Religiosus, cui datur, malè expensurus, & nisi dans sit ordinis nostri minorum Religiosus, quia cùm maneat liber ille in illo conuentu, præsumitur fore, vt Prælatus non dicatur inuitus: abhorreo profectò, quia saltem modus Superiori displicebit: & ita non liberabitur donans à culpa veniali, at non erit mortale, propter rationem traditam, quia videtur parua materia, vt inquit *Sanchez suprà*, cùm res illa in eodem conuentu maneat. Hæc autem ratio non militat pro nobis fratribus Ordinis Minorum; nã cùm ex vi nostræ Regulæ id sit interdictum, esset peccatum mortiferum ita Religioso præbere tanti valoris librum.

22 Quæres; an sit peccatum mortale libros pro libris commutare, etiam cum Sæcularibus, quãdo nullam inde iacturam patitur Conuentus? Pro alijs Religiosis non esse lethiferum, respõdet *Rodriquez tom.2. summæ c.31. num.4. versic.7. Digo, & Lopez in 1. p. instruct. c.156. concl.4.* ducuntur, tum quia Superioris adest interpretatiua licentia; tum quia talis commutatio non habet propriam distractionis, aut consũptionis rationẽ.

23 Verùm hæc resolutio mihi minimè probatur: tum quia, commutatio est actus dominij, vt pote quæ à solo habente dominium, vel legitimam rei administrationem validè fieri potest; tum quia iure optimo potest Superior esse inuitus notabiliter: immò communiter ita eueniet, vt ipso inconsulto sic disponat Religiosus, cui solus facti vsus est iure concessus.

24 Et ideò dico primò, hanc commutationem esse mortalem, quando fit Superiore notabiliter inuito. Ita *Sanchez loco, quo suprà num.15. & num.77.* Dico secundò, hanc commutationem non esse mortalem, quando creditur Superior non esse inuitus quo ad rem, sed quo ad solum modum. Ita *Mendoca vbi suprà, concl.8. & Sanchez vbi suprà:* vbi addit, exigi quoque, ne Superior sit quo ad hunc modum notabiliter inuitus; quia tunc subditus peccaret lethaliter, rem vt supra commutando.

25 Pro nobis autem Fratribus Minoribus certum est, esse peccatum lethale; eò quòd nobis est specialiter interdicta quæuis commutatio, aut rerum venditio, quas ad proprium vsum habemus, absque Prælati authoritate, & Syndici Apostolici; quæ etiam non sat est, quando conditiones præscriptæ in decreto Pauli Quinti non concurrunt. Videantur expositores nostræ regulæ, & Clementina, exiui *§. Cæterum de verborum significatione.*

26 Quinta est, an contra votum paupertatis ita peccet Religiosus, vt censeatur comprehensus in hoc casu, quando rem cum Superioris licentia acceptat, occultat, posteà nihilominus eam, ne Superior auferat? Respondeo, quòd hic casus est valdè frequens, & sæpè contingit, etiam in monialibus, quæ dum visitat Superior Cubicula, multa abscondunt, ne à Prælato videantur: & peccat Religiosus sic res cẹlãs lethaliter peccato proprietatis, & consequenter in hunc casũ comprehenditur. Ita docent *Hostiensis in c. cum ad monasterium num.7 versic. quòd si proprietas de statu monacorum, & ibi Ioannes Andreas num.3. & 22. Panormitanus num.8. Felinus in c. cum num.26. versic. crederem tamen, Diuus Bonauentura vbi suprà paulò ante finem, Diuus Antoninus 3. p. tit.16. cap.1. §.21. notabili 1. & 2. Syluester verbo, religio 6. quæsito 7. dicto 1. Armilla verbo, religio num.27. & ibi Tabiena quæsito 44. num.45. ad finem Gregor. Lopez leg.14. verbo, proprio tit.7. par.1. noster Corduba Super Regulam patris nostri Francisci c.7. q.4. paulò post principium in 2. casu, & ibi omnes nostri expositores, Passarellus in compendio priuileg. minimor. post c.43. tit. de proprietat. abdicand. statim in principio, & versic. verùm quando, Mendoca vbi suprà concl.4. Rodriquez in summa tom.2 c.31. num.3. versic.5. digo, & tom.3. quæstionum Regular. quæst.29. art.10. concl.5. Graffius lib.3. c.5. num.44. partis primæ dec. Valentia 2,2. disp.10. q.4. puncto 3. concl.2. vers. patet enim, Lessius lib.2. de iust. & iure c.4. dub.5. num.2. & cap.41. dub.9. numer.79. versic.8. Sanchez vbi suprà num.60. Viualdus in candelabr. Sacrament. 3. p. c.14. num.85. Nauarr. lib. de restit. c.1. in nou. edition. p.3. dub.1. num.159. & alij communiter.* Ratio est, quia sic occultans, vult contra Superioris licentiam rem illam ablaturi, si conscius esset, possidere. Neque obstat, si dicas, initio habitam esse licentiam, quia eo non obstante, potest idem Superior, vel alius ad libitum reuocare; Religiosusque tenetur voto paupertatis, eam liberam reuocationem non impedire: atqui quando rem cẹlat, ne auferatur, licentiæ impedit reuocationem; igitur.

27 Quæres; excusari ne potest Religiosus talem rem cẹlans, si ex alio capite paratus sit præcipiẽti Prælato illam ipsi præbere? Respondeo cum *Rodriquez eodem c.31. citato num.3. versic. lo quinto digo, & Sanchez eodem num. in fine,* non excusari à proprietate mortali; licet oppositum doceat *Diuus Bonauentura vbi suprà c.2. colum.2. ad medium versic.4. circa furtum,* vbi sibi contrarius ait, tunc tantùm cælari aliquid Superiori proprij habere rationem, quando Religiosus in virtute sanctæ obedientiæ iussus manifestare cælat.

28 Excusabitur tamen à peccato, si eo animo cẹlat, vt non patiatur confusionem, & verecundiam; existimans Superiorem eam non ablaturum, sed reprehensurum dumtaxat, & maximè quando eam rem detinet cum licentia dumtaxat præsumpta. Ita colligitur ex *Corduba, Rodriquez, Mendòca, & Sanchez locis citatis.*

29 Ex quibus infero primò, Religiosum non paratum ad dimittendam rem, quam ex Superioris venia detinet, volente Superiore auferre, esse reum voti paupertatis, & sub hoc casu comprehensum. Ita *Rodriquez tom.3. quæstionum regul. q.29. art.12. Nauarr. lib.3. de restit. c.1. in noua edit.*

p.3.

p.3.dub.1.num.161 Lessius de iust. & iure lib.2.c.4. dub.5.num.25.& c.41.dub.9. Passarellus, & Sanchez locis citatis. Ratio est, quia solo eo tempore, quo permiserit Superior potest rem illam retinere.

30 Sed quæres; an Religiosus dicatur proprietariis, & consequenter in hoc casu comprehensus, quando est paratus illam Prælato petenti reddere; sed Prælatus eam non aufert, quia timet illius Religiosi quærelas, murmurationes, atque inquietitudines? Respondeo esse Reum paupertatis voti; eò quod ea licentia censetur ex metu extorta, ac proindè nulla. Ita docuere *Nauarrus, Rodriquez, Lessius eo c.4. num. 25. Sanchez, & alij locis citatis*. Hic aduerto, hunc casum sæpè contingere: vt ipse experientia comperi. Vndè se abstineant nostri Reformati à murmuratione, & quærelis, quando Superior res, quas eius licentia tenent, aufert; quia contingere potest, vt ex talibus murmurationibus, & quærelis proprietarij constituantur.

31 Infero secundò, quando Religiosus ex Superioris licentia aliquid haberet, id dimittere teneri, ex eo tantum quod Superior reuocat illam licẽtiam; quia ex tunc haberet absque licentia, & sic peccaret lethiferè contra paupertatis votum sic colligo ex extrauag. exiuit *versic. profectò de verbor. significat. in 6.*

32 Sexta difficultas; vtrum peccet mortiferè Religiosus ille, dicendo, meus habitus, meum mantellum, mei libri, &c. esse lethale peccatum, respondent nonnulli, quando non ex lapsu linguæ, sed aduertens, ac modo assertiuo id ait Religiosus. Ducuntur in primis, quia id interdicitur *in c.2. regula Diui Augustini*, & refertur *in c. non dicatis 12.q.1.* & est Ecclesiæ primitiuæ conforme, de qua actorum 4. dicitur; *Nec quidquam eorum, quæ possidebat suum quisque esse dicebat*. Secundò, quia censetur proprietatis actus, & ideò apud *Cassianum lib.4.c.3.* grauiter monachus plectebatur, etiam ex linguæ lapsu, appellans aliquid suũ. Item *Turrecremata in dicto c. non dicatis Præpositus*, quem refert, & sequitur *Graffius 2.p. decis. lib. 3. cap. 9. nu.8. & alij*, quos refert *Nauarrus* statim citandus.

33 Verùm mihi videtur distinguendum: si Religiosus id dicat, intelligens quo ad dominium, siue data opera dicat, siue ex inaduertentia culpabili, venialiter peccat; quia est mendacium officiosum, nisi intenderet velle habere dominium, & proprietatem: id quippe cum voto paupertatis pugnat, atque adeò esset mortale, nisi materiei paruitas excusaret: si autem dicat, intendens actu, vel virtute, (vt communiter à Religiosis dici solet) rem illam esse suam quo ad vsum, nullo modo peccat, quinimmò est actus virtutis, quo se pauperem omni dominio carentem profitetur. Nam & si verba illa, *Meus, & tuus*, strictè sumpta dominium significent, vt patet *in leg. Quintus ff. de aur. & argent. Glossa in c. quo iure verbo, meum, distinct. 8.* & largè sumpta important rem possessam, vt tradit *Glossa verbo papyrus ff. de origine Iuris*. Ita & benè sentiunt *Nauarrus comment.2.num.1.de regul. Tapia Authent. ingressi, verbo ipso, ingressu c.3.num.65.66.& 67. Cod. de Sacrosanctis Ecclesijs, Vega tom.2. Summæ cap.83. casu 3. & Pater Sanchez tom.2. in oper. moral. lib.7. cap. 19. num. 59.*

QVAESTIO QVINTA.

Vtrum Religiosus proprietariæ detentionis pecuniariæ in nostro Minorico Ordine, possit absolui ab alio, quàm à Ministro, vel à Commissario Generali?

CAPVT VNICVM.

Expenditur generalis Constitutio Romæ habita in Capitulo Generali celebrato anno 1612. in qua iuxta Decretum Clementis Octaui reseruatur Patribus Ministro, & Commissario Generalibus detentio proprietaria pecuniaria.

SVMMARIVM.

1 *Generalis constitutio nostri Ordinis Minorum in Generali Capitulo Romæ celebrato habita refertur.*
2 *Quatuor prædicta constitutio continet; Et q; illa sint.*
3 *Peccatum proprietatis non potest absolui, nisi à Ministro, vel Commissario Generali in nostro Minorico Ordine.*
4 *Necessitas pro qua recurrendum est ad pecuniam, siue denarios, manifestanda est Ministro Prouinciali, vel Guardiano.*
5 *Nostri eleemosynarij, seu quæstores sunt rei contra paupertatis votum, & in hoc casu comprehensi, qui absque Superioris licentia, seu notitia, eleemosynas pecuniarias apud aliquas personas deponunt.*
6 *Guardiani, vt proprietarij sunt plectendi, qui propria authoritate pecunias ad Monasterium quomodolibet spectantes apud alios, quam Syndicũ deponũt.*
7 *Quæstores nostri Ordinis sub hoc casu reseruato comprehenduntur, qui absque conuentualium Superiorum licentia expendunt quæsitas pecunias.*
8 *Peccatum pecuniariæ detentionis non esse reseruatum Reuerendissimis Patribus nostris Ministro, & Commissario Generalibus, quibus fundamentis aliqui affirmant.*
9 *Diffinitores Generales etiam cum Ministro Generali non possunt sibi reseruare peccata.*
10 *Peccatum pecuniariæ detentionis esse reseruatum Generalibus Superioribus nostri Ordinis, etiam si solus Minister Generalis illud sibi reseruauerit.*
11 *Peccatum detentionis pecuniariæ de consensu Capituli Generalis fuit reseruatum.*
12 *Fratres nostros, qui ad proprium vsum, absq; Superioris licentia, & necessitate, detinent pecunias, esse excommunicatos, à nulloq; absolui posse, nisi à Generalibus, tenet Author.*

1 QVoniam in Comitijs Generalibus nostri Ordinis Romæ celebratis iuxta Clementis Octaui dispositionem, reseruatum fuit crimen proprietatis pecuniariæ Reuerendissimis PP. Ministro, & Commissario Generalibus, duximus

ximus illam hic constitutionem explanare, nec non difficultates, quæ inter Religiosos nostri ordinis minorum de obseruantia occurrere solent, examinare.

Patres igitur illius Capituli Generalis ita statuere. *Vt congruum adhibeatur remedium collapsæ obseruationi circa pecuniæ vsum, statuitur, vt Religiosi ad pecuniam non recurrant, nisi existente vera, vel eminenti necessitate: sicut regula ipsa, & declarationibus summorum Pontificum constat: & cùm talis necessitas extiterit, qui habuerit, manifestet suo Ministro Prouinciali & pecuniæ quantitatem, & necessitatis qualitatem, quam apud syndicum solum deponere liceat, cuius interuentu (probata à Prælato necessitate) expendatur. Quòd si necessitas in tantum vrget, vt expectari aduentus Ministri Prouincialis non possit, Guardianus Conuentus iudicet, & probet; ea tamē lege, vt si pecunia ante Prouincialis aduentum consūpta non fuerit, teneatur ipsum adire, vt suprà. Circa quod Ministrorum Prouinc. & Guardianor. conscientiam oneramus; si verò necessitas imminens nō fuerit, & pecunia sit quæsita, vel admissa, cōmunitati incorporetur. Qui autem aliter pecuniam habuerint, vel expenderint, vltrà penam proprietariorum, ab alio, quā à Ministro, vel à Cōmissario Gener. absolui nō possint.*

2 Pro cuius constitutionis intellectu moneo, quatuor in ea præcipi, vltrà pœnas transgressoribus impositas. Primò iubetur, vt Religiosi ad pecuniam non recurrant, nisi existente vera præsenti, vel eminenti necessitate, iuxta nostræ Regulę puritatem, summorumque Pontificum declarationes. Secundò, vt Ministro Prouinciali, & in illius absentia Guardiano tam qualitas, aut necessitatis status, quā in pecuniæ necessariæ quantitas manifestetur; ea tamē lege, vt si pecunia ante Prouincialis aduentum consumpta non fuerit, ei notificetur, notificatione Guardiano iā facta minimè obstante. Tertiò, vt apud Syndicum dumtaxat deponatur pecunia, eiusquè interuentu expendatur. Quartò, vt si necessitas præsens, aut imminens non fuerit, & pecunia sit iam admissa, vel quæsita, communitati incorporetur.

3 Tandem pœnæ transgressoribus impositæ hę sunt: vt in foro exteriori tanquam proprietarij iuxta alias ordinis constitutiones puniantur, & in foro interiori à nullo alio, quàm à Ministro, aut Commissario Generali; vel de eorum licentia absolui possint.

4 Et licèt in hac constitutione quatuor ista sub præcepto cadant, nihilominus eorum obseruantia in vno tantùm consistit, nimirum quòd tàm necessitas pecuniæ, quàm eius quantitas Ministro Prouinciali, & in eius absentia Guardiano manifestetur; vt secundùm eorum iudicium, & approbationē possit legitimè expēdi pecunia.

5 Ex quibus inferò primò: Quæstores nostros, seu Eleemosynarios (vt vocant) reos esse contra paupertatis votum, & sub hoc casu comprehensos, qui inuitis Superioribus apud peculiares personas deponūt pecuniarias eleemosynas pro fratrum expendendas necessitatibus. Ratio est, quia sub pœna proprietariorum interdicitur talis pecuniæ depositio facienda apud alios, quàm Syndicum.

6 Secundò, hoc idem esse interdictum superioribus localibus; & ita vt proprietarij plectendi sunt Guardiani, qui propria authoritate apud alios, quàm Syndicum, deponunt pecunias pro fratrum necessitatibus præsentibus, aut imminentibus acquisitas.

7 Tertiò, Proprietarios esse Quæstores, seu eleemosynarios, qui absque consensu, & approbatione conuentualium Præfectorum, expendunt quæsitas pecunias. Nam Generalis Constitutio desiderat, necessitatis qualitatem, & pecuniæ quantitatem esse approbandam à Conuentuum Guardianis. Vndè videtur dicendum, non posse ad eleemosynarium, Prælato inconsulto, pro eleemosynis pecuniarijs recurrere. Et eò fortiùs censeo esse proprietarios, qui pecuniarum quantitatem apud peculiares personas depositas inuitis Prælatis, detinent, quamquam eo animo fiat depositio, vt pro fratrum necessitatibus in dies occurrentibus fiat.

8 Sed video controuersiam inter Religiosos, an huiusmodi crimen pecuniariæ detentionis sit Generalibus Prælatis reseruatum; nam multi Capitulares, qui illi Capitulo Generali adfuerunt, affirmauere, hanc reseruationem factā fuisse absq; Capituli, seu vocalium consensu; etenim ipsi nec consenserunt, nec vnquam talem audierūt reseruationem propositam fuisse vocalibus, vt suum aut præberent, aut negarent suffragium; ergo cùm reseruatio iuxta decretum Clementis Octaui inualida sit, nisi præmittatur discussio Capituli, aut maior pars Capitularium consentiat, vt proprio quæsito latè demonstratum est, & hæc discussio, atque iste consensus defuerit; Sequitur euidenter, hanc reseruationem inualidam, nullamque esse.

9 Quòd si dicas, hanc reseruationem fuisse factam cum consilio, & consensu Diffinitorum Generalium, & approbatione Reuerendissimi Patris Ministri Generalis. Respondent, non obstare, quia horum cōsensum, & approbationem non sufficere, iam suprà nos docuimus; quia ille non est consensus capituli Generalis; Diffinitores enim omnes cum Ministro Generali non efficiunt, neque capitulum integrant Generale, sed ipsi, & Ministri Prouinciales, ac Custodes, cęterique omnes, qui in electione Ministri Generalis habent votum. Vndè quamuis reseruatio ista facta fuerit cū diffinitorij Generalis consensu, & Ministri Generalis approbatione, non tenet; quia consensus capituli defuit, id est maioris partis Prouincialium, & Custodum, cunctorumque vocalium.

Et si iterùm instes; statuta, in quibus hæc continetur reseruatio, fuisse Apostolica authoritate confirmata. Respondent, se nullam certitudinem, aut notitiam huius Apostolicæ confirmationis habere; quia neque in principio, neque in fine dictarum Constitutionum Generalium

ralium

ralium intimatur. His addunt, quòd licèt statuta à Summo Pontifice confirmētur, dummodò nō fieret reuocatio expressa Decreti Clementis Octaui, non teneret, nec esset valida huiusmodi reseruatio; quia quando Summi Pontifices aliqua Religionum confirmant statuta, semper inquiunt, se illa confirmare, si concilio non aduertentur Tridentino, aut alijs Ecclesiæ, vel Decretis Apostolicis. Cùm ergo hæc reseruatio facta fuerit contra formam in decreto Clementis Octaui præscriptam, sequitur, non fuisse confirmatam à Sede Apostolica.

10 Quamquam hæc fundamenta nonnullorum Doctorum nostris ordinis conturbauerint animos, Dico nihilominus, constanter & animosè tenendum esse, hanc reseruationem validam, & firmam esse, iuxta Decretum Clementis Octaui; quia iuxta illud potest Generale Diffinitorium, absque consensu, & consilio capituli determinare, vt proprietatis pecuniariæ crimen reseruetur Reuerendissimis Patribus Ministro, & Commissario Generalibus; Nam liberam tribuit Summus Pontifex in illo Decreto Superioribus facultatem ex vndecim casibus enumeratis, quē maluerint, sibi reseruare: at porrò proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale, in illis vndecim reseruanda proponitur absque consensu, & consilio Capituli Generalis; igitur benè ex Diffinitorij Generalis decreto potuit reseruari Generalibus Prælatis hæc detentio proprietaria pecuniaria.

11 Insuper inter decreta illius capituli Generalis Romæ celebrati adest allata constitutio: atqui illa decreta publicata, atque acceptata fuere in dicto Capitulo, & ab omnibus vocalibus approbata; igitur & ista. Consequentia tenet, etenim non est credibile, voluisse Patrem Ministrum Generalem, Commissarium quoque Generalem cum suo diffinitorio inter alia Constitutionem illam inserere decreta, si vocales eiusdem Capituli prius illam acceptassent, ac publicandā consensissent. Quòd verò vocales illi, quos citat contraria opinio, asserunt, est omnino futile; nam absque ratione videtur id affirmare, cùm authenticè non constet, nec constare possit. Vndè potius credendum Constitutionibus Generalibus est, quàm eorum dictis; & eò magis quia constitutio per sequentem Generalem Congregationem fuit confirmata, & addita excommunicationis pœna aduersus pecuniarios Reli-
10 giosos. Vndè infero, nunc fratres, qui ad proprium vsum, absque Superioris licentia, & necessitate, detinent pecunias, esse excommunicatos, & à nullo alio absolui posse, nisi à Generali Ministro, vel Commissario Generali, & in eorum absentia à Ministro Prouinciali, authoritate eiusdem Capituli Generalis intermedij Romæ celebrati Anno 1615. sub Reuerendissimo, atque Illustrissimo Domino Antonio de Trejo, tunc nostri Ordinis Vicario Generali. Videantur illa Decreta.

CASVS QVINTVS.

Iuramentum falsum in iudicio Regulari, seu legitimo.

DISPVTATIO SEPTIMA.

De Testibus in iudicio legitimo falsum deponentibus.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum Religiosus à Iudice Regulariter, & debitè interrogatus, falsum materialiter, sed verum formaliter testans, peccet lethaliter, & sub hoc casu comprehendatur?

CAPVT PRIMVM.

Aliqua notabilia ad hanc materiam necessaria præponuntur.

SVMMARIVM.

1 *Nemini licet falsum dicere testimonium.*
2 *Falsum testimonium in iudicio tanquam grauissimū crimen proponitur à Summo Pontifice reseruandū.*
3 *Testis legitimè interrogatus compellitur fateri veritatem.*
4 *Testis legitimè interrogatus veritatem fateri nolēs, peccat contra Obedientiam Iudici debitam.*
5 *Expenduntur verba Textus nimirum;* In iudicio Regulari, seu legitimo.
6 *Religiosus quando censetur legitimè rogari à iudice?*
7 *Religiosus veritatem in iudicio aperire non tenetur, quando delictum est omnino occultum; & quare.*
8 *Testis, qui dubitat, an iudex iuridicè procedat, cōpellitur iuxta nonullorū sententiam veritatem fateri.*
9 *Testis rogatus à Iudice, de cuius mandato dubitat, si imminet tertiæ personæ damnum, in Rei fauorem inclinare debet.*
10 *Testis sic dubitans, quando crimen, de quo interrogatur, vergit in Reipublicæ damnum, vt est crimen Hæresis, vel læsæ Maiestatis, fateri contra Reum tenetur veritatem.*

1 PRo faciliori eorum, quæ hac in disputatione veniunt determinanda, intellectu, oportet nonnulla præmittere necessaria; igitur notandum est primò, ex nulla causa, nec vllo in loco lice

licere falsum dicere, multo minus testi in iudicio id permissum esse, quin potius grauiter interdictum. Cùm enim in iudicio testis vt plurimum, & ferè semper non nisi iuramento adhibito testimonium ferre soleat, vt habetur *in cap. hortamur 3.q.9.& 4.q.2 & 3.cap.si testes §.item iurisiurandi, & cap. quoties & cap. nuper nobis de testib. & appellat. & leg. Iuris iurand. Codic. de testib.* eò grauius peccat, quod non solùm mendacium in iudicio committit, sed etiam periurus est, falsum præbens testimonium, grauemque iniuriã & parti, & iudici facit, qui interdum falsò testimonio ductus contra veritatem iudicare compellitur, vt determinant *Diuus Thomas 2.2. q.70. Caietanus, Salon. Aragonus, Bannes, & alij Diu. Thomæ expositores ibidem noster Alensis 3. part. q.43. Sanctus Antoninus part.3.tit.9.cap.11. Canonistæ in titulo de testibus, & attestationibus, & in causa 3. quæst.9.& in 4.q.3. Summistæ in verbo, testis, vbi Angelus, Syluester, & Tabiena, Sotus lib.5. de iustitia, & iure quæst.7. Nauarrus in Manuali cap. 17. num.134. & cap.25.num.40. & in cap. inter verba 11.q.3. concl.6. Couaruuias lib.2. variar. Resol. cap. 13. Petrus Nauarrus lib.2. de restit. cap.3. part 2. post dub.5. num.198.& dub.11 num.149. Valentia tom. 3. disput.5.q.15. Toletus lib.5 instruct. Sacerdot. cap. 59. Clauis Regia lib.12. cap.19. Rodriquez tract. de ordine iudic. cap.7. Emmanuel Sà verbo, iudicialis actus §. de testib. Sanchez tom.1 in oper. moral. lib.3. cap.6. Reginaldus lib.24. sect.5. de mendacio testis, Portel in dub. regul. verbo, testis in addit. verbo, iuramentum, & verbo, denunciat: Coriolanus de casibus reseruatis super hunc casum, Ioannes à Trinitate de*

2 *casibus reseruatis casu* 8. Meritò igitur quodcunq; falsum testimonium in iudicio tanquam grauissimum crimen proponitur à Pontifice reseruandum: Nam Iudicem irridet, & iustitiam torquet, delicta impunita relinquit, libertatem effrenatis præbet, virtutem Religionis ratione periurij violat, communi, vel particulari bono nocet, & innumera ferè mala secum fert.

3 Notandum est secundò, teneri testem legitimè interrogatum veritatem fateri, vt docēt *Angelicus Doctor 2.2.q.70 ar.1.& ibi Caietanus, Salon, Petrus de Aragon, Domin. Bannes, & alij eius discipul. præsertim Azorius tom.1. lib.11. Instit. moral. cap.4.q.5. Sanchez vbi suprà, Reginaldus loco citato, Alexander de Ales 3. par. q.43. membro 1. Angelus verbo, testis §.26 Syluester eodem verbo q. 8. versic. primum, Sanctus Antoninus par.2. tit.1. cap. 19.§.7. Sotus vbi suprà q.7. cap.1. & in Relect. detegendo secreto num.2. q.7. concl.3. dub.3. Nauarrus locis suprà citatis, Valentia vbi supra q.14. puncto 1. Rodriquez Toletus, & Clauis Regia locis citatis.* Et certè veluti reus tenetur fateri veritatem, quando legitimè à Iudice interrogatur, ita etiam & testis: atq; adeò quamuis absque iuramento interrogetur, grauiter peccat, si interrogatus iuridicè veritatem ne-

4 get, aut taceat. Facit enim contra obedientiam iudici debitam, qui ius ad testem interrogandam habet, graue insuper (vt dictum est) damnum communitati, & Reipublicæ infert, cum illi maximè expediat, vt crimina puniantur; quæ nequeunt puniri, nisi probentur: in iudicio autem probari nequeunt, nisi testis iuridicè interrogatus veritatem fateatur. Demùm parti plurimum nocet; si enim causa ciuilis sit, nisi testis veritatem dicat, actor suum perdit ius: & si criminalis causa fuerit, iudicabitur accusator tanquam calumniator, cùm in probatione defecerit ex testis iniquitate.

5 Tertio notandum est, verba illa in casu posita, *nimirum, in iudicio regulari, seu legitimo,* importare quodlibet iudicium forense, quod secundum leges, vel Canones in suo foro solet dici actus legitimus duarum personarum sub eodem iudice, iuxta *Glos. in cap. forus, de verbor. significatione*, & videntur ibi enumerari iudicium regulare, & legitimum, excludendo iudicia priuata per conuentiones, vel arbitria particularia. Vndè tunc censendum est, hunc casum esse reseruatum, quando Religiosus legitimè, se iuridicè in-

6 terrogatus negat veritatem, aut tacet. Interrogari Iuridicè, & legitimè tunc testis dicitur, quando in iudicio productus à Iudice competente competente interrogatur, & quando iste competens iuris ordinem seruat, & testi constat, esse ordinem iuris seruatum à Iudice interrogante. Quod contingit (inquit *Sanctus Thomas 2.2. quæst. 70. artic. primo*) quando vel de manifestis, vel de his, in quibus infamia processit, interrogatur. Vbi autem constat euidenter, Iudicem esse virum iustum, & probum, non oportet, vt testi ostendat, se procedere secundùm iuris ordinem; quia nemo præsumitur malus, nisi quando id euidenter constat.

7 Ex quo inferò in primis, non teneri Religiosum in iudicio veritatem fateri, si delictum est ita occultum, vt in iudicio nullo modo probari possit; quia sicut tunc non licet Iudici procedere, ita nec testem interrogare. Secundò, si infamia non præcesserit: vndè si reus est opinatus præsertim de illo crimine, de quo inquiritur, ita, vt existiment communiter eum non perpetrasse tale delictum, non potest legitimè interrogari, & sic nec testis dicere tenetur veritatem; Quia non videtur Iudex seruare Iuris ordinem: secùs verò quando seruatur, vt docebimus infrà, hanc doctrinam limitando. Quan-

8 do autem dubius est testis, an Iudex Iuridicè, nec ne, interroget; tunc nonnulli docent, in re tuta, vbi nullum imminet periculum aut bono publico, aut tertiæ personæ; vt plurimum inclinandum in fauorem Iudicis: eritquè iudici interroganti obediendum, maximè quando argumentum probabile non apparet in contrarium. Etenim semper in eam partem inclinandum est, in qua minus periculi inest, obediendo autem in hoc casu nullum omnino adest periculum, aut bono communi, aut tertiæ alicui personæ, cum tamen non obediendo inobedientiæ periculum incurrat subditus; igitur.

Quan-

9 Quando autem imminet tertiæ personæ damnum, & probabiliter testis dubitat de Iudicis mandato, inclinare potius debet in fauorem rei, maximè quãdo agitur de eius morte, vel alia graui pęna. Vt v.g. si inquirat iudex aduersus homicidam, aut furem, aut quemuis alium reum priuati criminis, puta quod vox est in perniciem publicam, & dubium est probabile pro vtraque parte; tenebitur testis potius non respondere, & cęlare crimen, quàm manifestare; quia maius periculum est, si homo contra ius occidatur, quàm si Prælato non præstetur obedientia, & in dubio pars tuta sequenda est: quòd si neutra fuerit tuta, illa sequenda vbi minus est periculi. Sic etiam si Iudex inquirat contra personam aliquam, cuius vita vtilis est reipublicæ, & testis dubitet, an Iudex legitimè inquirat, in eam potius partem inclinare debet, quæ reo fauet, cùm maius periculum sit, ne dignissima persona præter vis occidatur, quàm si non iudici interroganti obediatur. Ita *Sotus in relect. de tacendo secreto membro 3. quæst. 2. Azor. p. 3. lib. 13. c. 27 per totum.*

10 Secùs verò quando crimen, de quo interrogatur vergit in damnum Reipublicæ, vt est crimen hæresis, læsæ Maiestatis, & alia id genus, in dubio dicendum est, potius, quàm cęlandum. In re enim dubia pars illa dicenda est, vbi minus est periculi: cùm igitur minus periculi sit si persona priuata iniustè occidatur, quàm si Respublicæ lædatur; in tali dubio potius inclinandum erit in personæ particularis periculum; atque adeò dicendum est potius testimonium, quàm cęlandum. Quæ omnia ad Religiosum testem applicando cùm debita proportione, possunt multi casus conscientiæ, hac in re resolui.

CAPVT SECVNDVM.

Ex dictis resoluitur breuiter Quæstio.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui in Regulari legitimo iudicio testatur falsitatem, quam post diligentias adhibitas existimauit esse veritatem, non est huius criminis reus. Quare.*

2 *Religiosus, qui nullis adhibitis diligentiis, testatus est falsum, de quo dubitat, tanquam verum, lethaliter peccat, & hunc incurrit casum reseruatum.*

3 *Religiosus, qui materialiter dumtaxat falsum testatus est post adhibitam diligentiã, ad nihil tenetur.*

4 *Religiosus, qui in iudicio falsum, putans esse verum, testatus est; si posteà cognoscit, se falsum in iudicio dixisse, tenetur se retractare; maximè si ad liberandum Reum prodesse poterit, iuxta Authoris sententiam.*

5 *Parti tenetur satisfacere testis sub peccato, quando non adhibuit diligentias, & fassus est falsitatem.*

6 *Religiosus, qui coram legitimo Superiore suum falsum retractauit testimonium, ad nihil tenetur; si Prælatus ei credere nolit.*

7 *Religiosus, qui in Regulari iudicio verum testatus est, putans esse falsum, peccat lethaliter, & sub hoc comprehenditur casu reseruato.*

1 Religiosum, qui in iudicio Regulari, & legitimo testatur falsitatem, quam post diligentias adhibitas existimauit esse veritatem, excusari à peccato lethali, & consequenter non esse comprehensum sub hoc casu, arbitramur. Ratio est, quia testatus est mendacium materialiter tantum, quatenus dicit falsum, existimans esse verum. Ita *Sanctus Thomas vbi supra art. 4. ad primum. Sotus, Salon, & alij locis suprà citatis* Ratio quoque est, quia postquam quis adhibet diligentiam, vt in mentem, & memoriam reuocet rem, de qua testimonium fert, existimans se certum esse de eo, quod falsum est; excusatur à peccato ratione ignorantiæ impeccabilis. Consultò

2 dixi, *post adhibitam diligentiam*; eò quòd si talem non adhibuit diligentiam, aut protulit tanquam certum id, de quo dubitat; peccat lethaliter, incurritquè in hunc reseruatum casum, cùm iam ex negligentia culpabili falsum dixit testimonium.

3 Indè sequitur, ad nihil teneri Religiosum, qui solùm materialiter falsum testatus est post debitam adhibitam diligentiam. *Ita Caietanus 2. 2. q. 70. art. 4. Sotus lib. 5. de iustitia & iure q. 7. art. 4. ad primum Nauarrus in Manual. cap. 2 num. 40. Petrus Nauarrus lib. 2. de restit. cap. 3. p. 2. post dub. decimum num. 255. Emmanuel Rodriquez tract. de origin. Iudicial. cap. 7. conclus. 5. Toletus lib. 5. cap. 59. in fine, Valentia tom. 3 disputat. 5 quæst 14 puncto 4. Sayr. in Claui Regia lib. 12. cap. 19. n. 6 Bonacina, & alij communiter.* Ratio est, quia cùm non fuit causa moralis damni ex negligentia inculpabili, aut ex intentione mala, consequenter ad nihil tenetur.

4 Verum mihi videtur, in hoc casu teneri posteà testimonium retractare, si intelligat se falsum dixisse, & præterea si prodesse possit ad liberandum alterum, aduersus quem dixit testimonium; dummodò tamen ex tali retractatione notabile proprium non incurrat damnum. Ducor, quia cùm ex tali testimonio falso inculpabiliter nullam commiserit iniustitiam, se retractare non tenetur, sed ex sola charitate, qua debet innocentem iuuare. Charitas autem non obligat cum tanto incommodo, vt rectè docet *Caietanus vbi suprà*, & communiter moderniores. Tenetur quoque huiusmodi testis admonere partem, in cuius fauorem dixit testimonium, vt procuret innocentis liberationem; vel Superiorem adire, & affirmare suo iuramento (si opus fuerit) se ex lapsu memoriæ dixisse falsum, sed re diligentiùs considerata deprehendisse veritatem, & vrgente conscientia ad eam explicandam accedere, & retractandum priùs dictum.

5 Atqui vbi testis ille debitam non adhibuit diligentiam, sub peccato tenetur satisfacere parti, iuxta damna consecuta. Ita *Sanctus Thomas, Nauarrus, Rodriquez, Sayrus, Toletus, & alij.*

6 Sed quæres, ad quid tenebitur Religiosus, quando Superior credere noluerit; cùm iuxta capitulum prætereà de testibus cogendis, non teneatur testi se retractanti fidem adhibere, eò maximè quando incontinenti non fit retractatio? Respondeo, ad nihil teneri, nam ex quò fecit quod in se est, sufficienter excusatus, & liber manet. Ita *Sayr. vbi suprà*.

7 Sed statim se offert curiosa difficultas: An Religiosus, qui in Regulari iudicio verum testatus est, existimans tamen verè dicere falsum, sit huius reseruati peccati Reus? Respondeo affirmatiuè; nam formaliter falsò iurat, id, quod desideratur, ad hoc vt in hunc casum comprehendatur. Nam ex hoc, quod verum existimat esse falsum, falsum vult testificare, & consequenter Deum in testem falsi vult adducere; & sic falsum diceret testimonium, & iuramentum: vndè formaliter mentitur, iuxta ea, quæ docet *Nauarrus in Manuali cap. 25.* licèt ad nihil teneatur, quia revera nemini nocet, quamquam intentionem habeat nocendi.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum Religiosus in iudicio Regulari mendacium leue dicens, peccet lethaliter peccato hoc reseruato?

CAPVT VNICVM.

Quid sit hac in re sentiendum secundùm veritatem statuitur.

SVMMARIVM.

1 *Religiosum in iudicio leue mendacium dicentem, quod in alia materia esset veniale, peccare lethaliter, & sub hoc esse casu comprehensum, docet Caietanus.*
2 *Pœnitens à confessario interrogatus de veniali, quod fecerat, si negat se fecisse, peccat lethaliter.*
3 *Qui de re leui falsum iurat peccat lethaliter quare.*
4 *In iudicio dicere mendacium in materia leui non est mortiferum.*
5 *Potest dari hæresis venialis, & in qualibet materia, ex eius paruitate peccatum ex genere mortiferum est veniale.*
6 *Mendacia à Iudice in iudicio facta sicut sunt venialia, ita & à subdito facta.*
7 *Tacere rem leuissimam in iudicio, quamuis confiteri tenetur, non est mortale. Quare.*
8 *Dicere in confessione mendacium leue, etiam quando est tota confessionis materia, non est lethiferum.*
9 *Leue mendacium in iudicio dicere non esse mortiferum, ostendit Author.*
10 *Religiosus de aliquo leui à Iudice interrogatus cum iuramento de veritate dicenda, si negat, aut tacet veritatem, peccat lethaliter, & sub hoc comprehenditur casu.*
11 *Pœnitens lethaliter peccat, qui in confessione scienter falsus est veniale peccatum, quod non fecit.*
12 *Pœnitens, qui inter alia peccata venialia seu mortalia, fatetur, se aliquod veniale fecisse, quod revera non fecit, quare non peccat lethifere.*
13 *Pœnitens, qui in confessione generali negat peccatum veniale, quod verè commisit, aut mortale, de quo fuit legitimè aliàs absolutus, non peccat lethiferè.*
14 *Mendacium in iudicio tàm interno, quàm externo dictum est veniale grauius illo, quod extra iudicium dicitur.*
15 *Testimonium Diui Thomæ adductum à Caietano declaratur.*

1 CAietanus *2.2.q.69.art.1.* asserit, omne mendacium, quãuis in materia leui sit, & quod extra iudicium esset veniale, in iudicio factum, siue sacramentali, & interiori, siue exteriori & forensi, esse lethiferum. Vndè si in confessione sacramentali rogetur pœnitens, an dixerit, aut fecerit tale, quid, quod est peccatum veniale; aut reus in iudicio interrogetur a Iudice, quàm con-
2 fiteri tenetur, etiam si sit de re leui, si id falsò neget, mortaliter peccat. Idem sentiri debet de teste sic interrogato. Ducitur *Caietanus*, quia dicendæ in iudicio veritatis obligatio tanta est, vt quamuis sit de re leuissima, in iudicio tamen interiori, vel exteriori sit grauis, eò quòd est contra veritatem iudicij, atque adeò iudicium super eo Mendacio fundatum falsum esse oportet.
3 Confirmatur, quia sicut vis iuramenti iuramentorum exigit veritatem, atque adèo de re leui periurium efficitur mortale; ita ius iudicij iudicandorum exquirit veritatem, ac proptereà mẽdacium in iudicio de re leuissima efficitur mortale. Ita sentire videtur *Sanctus Thomas 2.2.q.62. art.1. ad tertium*, vbi ait, *omne mendacium in iudicio contra ipsum iudicium dictum esse peccatum mortale.* Eiusdem sententiæ videtur esse *Syluest. verb. mendacium §.3. Armilla eodem verbo n.2. D. Antoninus p.2. tit.10. c.1. §.3.*

4 Ex opposito verò alij aiunt, non esse mortale peccatum in iudicio dicere mendacium, siue sit in materia præcipua, de qua iudicatur, siue in circumstantijs illi accidentibus, si materia sit leuis sic tenent *Sotus lib.1. de iustitia & iure q.6. art. 1. in fi. & in relect. de teg. en. sacr. membro 2. q.7. concl. 2. Nauarrus in cap. fratres num 20. & sequentibus de pœnitentia distinct.5. & in Manuali cap.18. nu.3. & in cap. inter verba 11. quæst.3. concl.6. n.737. Bannes 2.2.q.69. art.2. dub.1. Salon. 2.2. quæst.66. art.1. Valentia tom.3. disput.5. quæst.13. puncto 1. Filiarcus de officio Sacerdotis p.2. lib.4. cap.21. Sà in verbo, mendacium, Sayr. in Claui Regia lib.12. cap.2. nu.20. Couarr. lib.1. var. cap.1. n.2. Imol. Alexander, & alijs, quos citat, & sequitur Couarr. & P. Azor. to.3. instit. moral. p.3. lib.13. cap.1. dub.4. & c.28. dub.3. & alij*
5 *quamplures*. Hæc sententia aliquibus rationibus ostẽditur. Primò, quia in materia fidei potest esse peccatum veniale, potest enim tam leuissimũ esse verbum, vt esset hæresis tantùm venialis. Item in materia Charitatis, & Religionis potest esse peccatum veniale ex materiei paruitate, vt v.g.

furari

furari obulum in Ecclesia est peccatum veniale tantùm, & leuissimè percutere Clericum. Item furtum rei minimæ est veniale, quamuis hæc ex suo genere, & simpliciter sint lethifera. Igitur pari ratione, quamuis mendacium in iudicio tam interiori, quam exteriori sit mortale ex genere suo; ex materiei nihilominus paruitate, poterit esse solum veniale. Secundò, peccatum mortale ex genere suo efficitur veniale; vt communiter testantur cum *Caietano* omnes Doctores; tum ex deliberationis plenæ defectu, tam ex materiæ paruitate: atqui (vt constat) mendacium in iudicio, aut etiam in confessione potest esse veniale ex defectu plenę deliberationis, vt si subito, & absque consensu, cum quadam incogitantia quis in iudicio, & in confessione mentiatur; igitur à pari ratione ex paruitate materiæ veniale esse posset.

6 Tertiò, si quodcunque mendacium in iudicio, & confessione ex parte subditi, & pęnitentis esset lethiferum; Igitur pari ratione ex parte iudicis, & confessoris quilibet defectus esset mortalis; eò quòd pari ratione tenentur iudices fideliter tractare in iudicio, qua subditi: nec minus peruertitur istud iudicium ex parte istorum, quàm illorum, cùm igitur aduersarij concedant, mendacia aliqua in iudicio à Iudice facta esse venialia, eadem ratione concedere tenentur, esse venialia, si fiant ab alijs.

7 Quartò, quoniam idem est tacere veritatem, quam quis fateri tenetur, & iam negare; atqui tacere rem leuissimam, in Iudicio, quam quis confiteri tenetur, non est mortale; igitur nec eam negare, & similiter, in confessione si pœnitens rogetur à confessore, an dixerit, aut fecerit tale quid, quod est leue & veniale, non peccat mortaliter tacendo; ergo nec negando illud, vt docent *Victoria de Sacramentis tract. de confessione num. 170. Sotus lib. de iustitia, & iure 5. q. 8. art. 1. ad 3. & in 4. dist. 18. q. 2. art. 4. Angelus verbo, confessio sacramentalis 1. num. 6. & 7. Nauarr. in c. fratres distinct. 5. de pænit. n. 12. & seqquentibus Azor. vbi suprà, Sayr., Valent., Filiarcus, Sà, & alij locis citatis.* Ita hoc verùm existimat noster *Fauentinus in 4. sententiarum distinct. 17. q. vnica disp. 14. c. 3. nu. 51.* vt putet, esse mendacium in confessione veniale, quando est tota confessionis materia: contra *Nauarrum vbi suprà, Layman in theolog. moral. lib. 4. tract. 6 c. 8. num. 15. Conich. de Sacram. disp. 6. dub. 3. num. 6. Fagundez de præceptis Eccles. præcepto 2. lib. 3. c. 2. n. 10. Filiuc. tract. 7. c. 5. nu. 112. Megalam in 1. p. lib. 5. cap. 8. n. 7 Suarez tom. 4. ad tertiam partem disp. 22. num. 6. & alios, quos suprà* pro hac sententia citauimus, nec non contra *Dianam tract. 4. de Sacramentis resol. 96. in fine*, vbi solùm hæc habet; mihi autem non placet.

9 Inter has duas extremas sententias intermediando; Dico primò, dicere leue mendacium in iudicio non esse mortale. Hæc conclusio est pro secunda sententia contra primam: nam sicut in alijs omnibus humanis actionibus non est mortale leue mendacium dicere, ita & in iudicio. Etenim si esset mortale, maximè hoc prouenires ex iniuria, quæ infertur iudicio, & iudici, quæ certè sumenda est vel ex materia ipsa, vel ex animo illam inferentis. Vndè cùm in casu nostro nec habeat animum commentiendi iudicem, nec ex quacunque re mentiri in iudicio, sed solùm de re leui, iniuria. Inde consequens in materia leui non erit nisi venialis: etiam si illud mendacium scienter, & animo mentiendi dicat; nam sicut in confessione prædictum mendacium non esset mortale peccatum, cùm sit leue, & Sacramento magnam non ferat iniuriam, (vt Doctores allegati communiter docent) ita etiam in iudicio; quia non est maior ratio de illo iudicio interno, quàm de externo.

10 Dico secundò; si Religiosus fuerit à Iudice competente de aliquo leui interrogatus cum iuramento de veritate dicenda, eamquè negauerit, aut tacuerit, peccabit lethaliter, eritquè comprehensus sub hoc quinto reseruato casu. Hæc conclusio est certa in omni sententia; peccabitq; profectò non ratione mendacij præcisè, quia cùm sit leue, non infert iudicio iniuriam graue; Sed ratione iuramenti, quia adducit Deum in testem falsi. Ita sentire videtur *Azorius vbi suprà*; quòd verò sit reseruatum, patet, quia huiusmodi est iuramentum falsum in Regulari, & legitimo iudicio factum, prout patet ex Decreto Clementis octaui.

11 Hinc inferò primò, peccare mortaliter pœnitentem, qui in confessione scienter fassus est peccatum veniale, quod non fecit; non quidem ratione mendacij, sed quia scienter sacramentalem recipit absolutionem, quæ cùm non cadat in materia, est nulla, ac proindè sacrilegè recepta. Et in hoc sensu benè *Suarez, Fagundez, Layman, Azorius, Conichius, Filliucius, Megala, Sotus, Nauarrus, Salon, Valentia, & alij locis citatis*; secùs verò si cùm illo peccato veniali, quod sibi falsò, imponit, alia fateatur peccata venialia,

12 seu mortalia; tunc enim ille non peccat lethiferè, quia adest legitima Sacramenti materia, & mendacium est solùm leue.

13 Infero secundò, pœnitentem, qui suorum omnium peccatorum faciens generalem confessionem, in illa aliquod negat peccatum ueniale, quod uerè commisit, aut aliquod negat mortale, quòd alioqui est in sacramentali confessione legitimè confessus, & à quo est legitimè absolutus, non peccare mortaliter; quia mendacium vel de re leui, (nimirum de peccato ueniali) uel de re ad eam confessionem non pertinẽte, non est peccatum mortale aliàs legitimè in confessione detectum, & per absolutionem remissum. Ita *Nauarrus, & Azorius locis citatis*.

14 Dico tertiò, mẽdacium in iudicio tam interno, quàm externo dictum esse peccatũ ueniale grauius illo, quod extra iudiciũ dicitur. Hæc assertio uidetur ad mentem *Caiet.* & aliorũ contra secundã sententiam. Et hoc probat ratio *Caiet.* quod si aliud intẽdit, respondendũ est ad confirmationẽ,

longè disparem esse rationem in periurio, quàm in mendacio; ideò enim (vt paulò superiùs dicebamus) mendacium cum iuramento firmatum etiam in re leuissimá est mortale, quia Deus adducitur in testem falsitatis, quod cedit in grauẽ Dei iniuriam, & irreuerentiam, in quacunque re fiat, cùm iam iuro falsum, vt iurando, me non leuasse festucam, & si leuem, quàm iurando, me non occidisse hominem, quem tamen occidi. At verò mendacium simplex, & sine iuramento prolatum in re leui, quamuis in iudicio fiat, suam tamen non mutat naturam, nec iniuriam iudicio infert grauem, nec desinit esse leuis.

15 Testimonium verò *D. Thom. non iuuat Caietan.* nam illa quæstione ad tertium docere voluit, dumtaxat mendacium in iudicio absolutè, & ex genere suo esse peccatum mortale. Id, quòd clariùs docet 2.2. *q.*70. *art.*40. non tamen ex eo negat fieri posse veniale propter materiei leuitatem; immò ibidem expresè docet, falsum testimonium non semper esse mortale peccatum; *& q.*59. *art.*4. *ad* 2. & in corpore docet, quòd licèt iniustum facere ex suo genere sit peccatum mortale, ex paruitate tamen materiæ est solùm veniale. Et exemplificat in furto rei paruę. Idemquè pluribus alijs in locis docet, præsertim *q.66. art.6. in corpore ad tertium, & 1.2.q 88. art.5. ad ad primùm, & ad secundùm, & art.6.*

QVAESTIO TERTIA.

Vtrum Religiosus mortiferè peccet peccato hoc reseruato, quando legitimè interrogatus à Iudice, vtitur verbis amphibologicis ad veritatem negandam?

CAPVT PRIMVM.

Licet ne iuramento vti amphibologia ad significandum aliquod verum iuxta mentem iurantis, & iuxta diuersum sensum ab eo, quem audientes excipiunt?

SVMMARIVM.

1 *Nonnunquam licitum est in iuramento vti verbis ambiguis, si verba ex genere sunt ambigua.*

2 *Non licet in iuramento vti verbis ambiguis, quæ verè ambigua non sunt; Quarè.*

3 *Absque mendacio in iuramento vti posse verbis ambiguis, quæ ex sua significatione ambigua non sunt, docent quam plures Sapientissimi Doctores.*

4 *Testimonia sacræ Scripturæ ad id probandum referuntur.*

5 *Capitulum,* Humanæ aures, *declaratur.*

6 *Mendacium tantùm materialiter consistit in verbis externis: totum suum esse desumitur ex mente.*

7 *Ratio formalis mendacij non consistit in falsitate alterius menti impressa, sed est intendere, verbis negare eam ipsam veritatem, quam quis mente concipit.*

8 *Qui iure iurando verbis vtitur ambiguis, significat id, quod ipse vult, exprimens quod in mente habet.*

9 *Qui alta voce aliquid dicit, quod ita, vt sonat, est falsum, & continuans submissa voce additum, quo redditur verùm, non mentitur.*

10 *Ex conditione in mente retenta verus efficitur verborum sensus, quando verba non sunt ex se ambigua.*

11 *Mendacium non tantùm est, quando verbis exprimitur id, quod quis habet in mente, sed quando etiam factis ipsis.*

1 Non potest præposita quæstio determinari, nisi prius statuamus, an sit periurium vti in iuramentis verbis ambiguis, seu amphibologia? Id enim si liceret in vniuersum, profectò quoquè non video, cur etiam non in iudicio. Quamobrem duximus priùs id examinare, & determinare, tanquam id, à quo pendet quęstionis prioris determinatio.

Et quidem quamplures Doctores hac in re sentiunt, id carere mendacio, & consequenter, iusta existente causa, non esse illicitum, in iuramento vti verbis ambiguis, quoties verba, quæ vsurpantur, sunt ex significatione sua, & communi audientium vsu (saltem sapentum) ambigua, ac proinde vtrumque sensum recipientia.

2 Secùs quando talia non sunt, sed in sensum verum detorquentur ex solo aliquo addito mente iurantis concepto. Hoc enim dicunt semper esse mendacium, & consequenter periuriũ mortale in quouis euentu; vt si quis, vel solus, vel coram alijs, siue interrogatus, siue propria spõte, siue recreationis gratia, siue quocunque alio fine iuret, se non fecisse aliquid, quod reuera fecit: intra se intelligendo aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam diem, in qua fecit, vel quoduis aliud additum verum in mentę tantùm conceptum. Eorum fundamentum est, quòd nisi id sit mentiri, magnus aditus multis incommodis patefieret in hominum communi conuersatione. Tolleretur enim omnium sermonum, qui inter æquales habentur, certitudo: ac subinde omne commercium, vniuersaquè dolis paterent, si quando quis iuridicè non interrogatus absque mendacio vti possit verbis omnino contradicentibus significationi verborum, suo illis arbitratu affigẽdo sensum à proposito alienum. Nil enim tam falsum esse potest, quod non valeat omni liberari mendacio, si aliquo, quo verum reddatur, liceat nostro arbitratu addere. Itẽ quia mentitur, verba aliter accipiens, quam ea significent. Tandem, non consonat hoc menti: ac proinde erit formaliter mendacium. Ita sentiunt grauissimi Doctores *Caietanus* 2.2.*q.*99. *art.7. versic. ad hoc dicitur, Sotus de iustitia, & iure lib.5.q.6.art.2.concl.7. & lib.8.q.1. art.7. & de secreto tegendo membro 3.q.3. concl.1. in fine, Petrus de ledesma to.2. summæ tract.8. cap.24. post sextam concl. dub.2.d.3. & tract.11.c.3. dub.6. paulò ante fi. Lopez in 1.p. instruct.c.42. vers. item qui non, & seq. P. Azor. to.1. lib.11. instit. moral.c.4.q.15. Aragon.* 2.2.*q.*

2.2.q.69.art.2.in fi.& q.89. art.7. circa ſolutionem ad quartum in ſecunda concl. noſter Corduba in Summa q.65.& de ſecret.memb.3.q.3.& Alcozer ſum. c.15.verſ. Iurar con cautela.

3 Oppoſitum docent *Nauarrus in c. humanæ aures 22.q.5.item q.2.n.12. Valentia 2.2.diſp. 5.q.13. puncto 2.& 4.tomo in 3.p.diſp.7.q.13.puncto vltim. Salon.2.2.q.69.art.2.contr.11.in 4.ratione,& in ſolutione ad primum, & ad ſecundum Toletus lib. 4. Summæ c.21.n.9. Rodriq. in ordine iudiciario c.10.n. 4.& in to.1.ſummæ in 2.edition.c.191.nu.7. Filiuc. de officio Sacerdotis to.1.p.3.lib.3.cap.14. Suar.to.2. de Relig.lib.3.c.11.n.4. & 5. Leſſius de iuſt. & iur.c. 42.dub.9.n.48. Emmanuel Sà in Summa verbo, Iuramentum n.6.& P. Sanch.to.1.in oper.mor. lib.3.c.6. n.15.* quatenus aſſerunt, poſſe abſque mendacio ea vſurpari verba, etiamſi ex ſua ſignificatione non ſint ambigua, nec eum verum ex ſe ſenſum admittant, nec ex circumſtantijs occurrentibus ſed tantum verum ſenſum reddāt ex aliquo addito mente proferentis retento, quodcunque illud ſit.

4 Ducuntur in primis; quia hic loquendi modus in litteris ſacris ſæpe vſurpatur; Nam Ioãnis 7. *Chriſtus Dominus dixit: non aſcendam ad diem feſtum*, & tamen ſtatim aſcendit. Quæ tamen ratio ex addito in mente Chriſti retento vera fuit, nimirum non aſcendam manifeſtè: quem ſenſum ex ſe ea verba non faciebant. Et Tobiæ 5. *Angelus dixit: ex filijs Iſrael? Ego ſum Azarias Ananiæ Magni Filius.* Quæ verba ſunt vera iuxta eorum interpretationem retentam in Angeli mente, falſa autem ſecundùm propriam vocum ſignificationem. Et Geneſ. 27. *Iacob dixit Patri ſuo, ſe eſſe Eſau, & feciſſe quæ ei præceperat*; & nihilominus quamplures Doctores eum à mendacio vendicant propter ſenſum à Iacob intētum, prout *Perreyra* in hunc locum *diſp.* 5. annotauit cum multis alijs, quos ipſe citat, & ſequitur. Et Iudith Pharaoni multa affirmauit, quæ ſecundū verborum intellectum à mendacio minimè excuſari poſſunt, & tamē ſecundùm aliquem myſticum intellectum excuſantur, teſte *Diuo Thoma 2.2. q.110. art.3. ad tertium.*

5 Secundò oſtendi poteſt hæc ſententia ex Diuo Gregorio *lib.26. moral.c.5.* & refertur *in c. humanæ aures 22.q.5* ibi: *Humanæ aures verba noſtra talia iudicant, qualia foris ſonant: Diuina verò iudicia talia eſſe audiunt, qualia ex intimis proferuntur.* Igitur ſentit, verborum veritatem, aut falſitatem, dūtaxat non ex externis verbis ſpectanda, ſed ex proferentis intentione. Quod idem ſatis ſignificabat *D. Hylarius lib.4. de Trinitate c. 5.* & refertur *in c. intelligentia de verborum ſignificatione* ibi: *Intelligentia verborum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi;* quia non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubiectus.

6 Tertiò probatur, quia cùm mentiri ſit contra mentem ire; Verba externa merè materialiter ſe habent ad mendacij rationem, ac nil prorſus refert, ſiue vera, ſiue falſa in ſe ſint, ſed ſola proferentis mens attendenda eſt; & in deformitate verborum ad ipſam conſiſtit formalis ratio mendacij. Cùm igitur in hoc euentu non intendat mens aliud verbis aſſerere, aut negare, quàm ipſe concipit; verba non aduerſantur menti, ac proinde non erunt mendacium.

7 Confirmatur, quia ratio mendacij non conſiſtit in falſitate menti alterius impreſſa: aliàs vtēs etiam verbis ex ſe ambiguis mentiretur, quod Authores oppoſitæ ſententiæ non concederēt. Nec etiam conſiſtit in verborum vſurpatione, quæ ſecundùm communem loquendi vſum in tali propoſito eam non admittunt amphibologiam. Sed mendacium eſt intendere, verbis negare eam ipſam veritatem, quam quis mente concipit. Id autem in propoſito caſu non fit; ſed ſola diſparata quædam veritas aliā ſignificatur ſaltem inadęquatè per illa verba etiam ſi amphibologia ſit extraordinaria: eam enim eſſe ordinariam, vel extraordinariam per accidens ſe habet ad mendacij rationem, quæ in dicendo conſiſtit aliquid contra mentem.

8 Rursùs confirmatur; quia verba illa externa, quatenus proferuntur à iurante, non ſignificant quod alij percipiunt, ſed quod ipſe vult: quamuis non adæquatè id ſignificent, ſed inadequatè, vtpotè quæ nō ſignificant & exprimunt quidquid iurans in mente habet.

9 Quartò, quia ſi quis alta voce, ita vt perciperetur ab aſtātibus, diceret aliquid, quod ita, vt ſonat, eſſet falſum: & continuans ſubmiſſa voce ab alijs non perceptibili diceret additum, quo id redderetur verum; non mētiretur, cùm tota propoſitio ore prolata vera ſit, & ad veritatem, vel mendacium nil conferat eam totam, aut ſolam illius partem ab alijs percipi: igitur idem eſt, ſi additum ſola mente retineatur; cùm in vtroque euentu id, quod iurans plenè dicere tētat, verum ſit, & ſi ab audientibus aliud concipiatur.

10 Quintò, quia licet verbis ex ſe ambiguis vti, abſq; mendacio, quamuis iuxta expreſſam interrogationem, externamq; reſponſionem eum ſēſum verba non admittant, & expreſsè omnem amphibologiam excludant, concipiendo alium ſenſum mente; Cur ergò erit mēdacium vti verbis ex ſe non ambiguis, ſi ex conditione in mente retenta verum efficiant ſenſum?

11 Sextò tandem, quia mendacium non tantùm eſt, quando verbis exprimere quis intendit quod non habet in mente, ſed etiam quando factis ipſis, vt docet *D.Thom. 2.2.q.111. art.1.* atqui non mentitur qui aliquo facto; v.g. dirigendo greſſus verſus aliquam partem, ad quam ire non intendit, non vult ſignificare ſe animum illuc eundi habere, & ſi videntes id concipiant: ſed tantùm vult ſuum occultare animum aliò eundi, vt *Diu. Thomas* vult vbi ſuprà ad quartum. Similiter igitur non mentitur, qui verbis qualibuſcunq; non intendit aliquid ſignificare, quod non eſt, ſed occultare dumtaxat aliquam audientibus veritatem: intendendo dicere, quod eſt verum ſecundùm ſuum ſenſum.

CAPVT SECVNDVM.

Quonam pacto iurando liceat vti ambiguis verbis, mediam tenendo viam, ostendit Author.

SVMMARIVM.

1 *In iuramentis ambiguis non licet absolutè vti verbis, quæ verè ambigua, siue æquiuoca sunt.*

2 *In iuramentis non licet vti verbis ambiguis, quæ verè, & secundum se ambigua non sunt.*

3 *Iusta existente causa, nonnunquam licitum est in iuramentis vti verbis non solùm quæ ex sua natura sunt ambigua, verùm quoque quæ ex conditione, & addito in iurantis mente concepto censentur ambigua.*

4 *Non licet ad proximum fallendum in iuramentis vti æquiuocationibus, sed tantùm ad veritatem occultandam, quando non expedit esse reuelandam.*

5 *Causa iusta ad his vtendum amphybologicis verbis in iuramento existimari potest, quando est vtile ad salutem corporis, honores, res familiares tuendas, vel ad quemlibet virtutis actum.*

6 *Preces importunas ab amico factas esse sufficientem causam ad æquiuocationibus in iuramento vtendum, qui docent.*

7 *Nulla alia causa existente, præter importunas preces, non esse licitum in iuramentis amphybologiarum vsum, Author ostendit.*

8 *Iocosè amphybologicis iurare verbis esse mortiferum, quamplures docent Doctores.*

9 *Iocosè iurare verbis amphybologicis extra iudicium est solùm graue veniale.*

1 MEdiam inter has oppositas sententias tenēs viam, dico primò, non licere ambiguis in iuramentis (in vniuersum loquendo) vti verbis æquiuocis, amphibologicis, seu ambiguis, quæ vera æquiuoca, amphibologica, atque ambigua sunt. Hæc assertio est certa secundùm ambas allatas sententias.

2 Dico secundò, minus licere vti verbis ambiguis, quæ verè, & secundùm se ambigua non sunt, sed secundùm additum in mente conceptū. Hæc etiam assertio est de se euidens in omni opinione, & probari videtur rationibus pro prima sententia efformatis.

3 Dico tertiò, existente iusta, vel saltem honesta, seu rationabili causa, esse licitum in iuramentis vti non solùm verbis, quæ ex sua natura ambigua seu ęquiuoca, vel amphibologica sunt, sed etiam quæ ex conditione, seu addito in iurantis mente concepto censentur ambigua. Hæc assertio partim est pro prima, partim verò pro secunda opinione. Et quoad primam partem eam sustinent *Angelus in verbo iuramentum 4. initio, Sylu. verbo iuramentum 3. q. 2. vers. si verò his, Caietanus 2. 2. q. 99. art. 7. vers. ad hoc dicitur, Sotus de secreto membro 3. q. 3. in fi. Nauarr. in d. c. humanæ aures 22. q. 5. & in Summ. c. 12. n. 8. & 13. Sayr. in Claui Regia lib. 5. c. . n. 21. & lib. 12. c. 17. nu. 28. P. Suar. de relig. tom. 2. lib. 3. de iuram. c. 10. n. 10. & c. 11. n. 6. Lessius lib. 2. de iust. & iure c. 42. dub. 9. n. 46. & 48. Azor. tom. 1. lib. 11. instit. moral. c. 4. quæs. 15. reg. 4. Valent. 2. 2. disp. 5. q. 13. puncto 2. in solut. ad 2. Sanch. in oper. moral. lib. 3. c. 6. nu. 14. consentit Vasq. 1. 2. 2. q. 103. art. 4. disp. 82. c. 4. nu. 29. Filiarc. de officio Sacerdot. tom. 1. p. 2. lib. 3. c. 14. in princ.* & alij quamplures. Hæc assertio optimè probatur prioris sententiæ primo argumento. Declarari autem potest sic. Quamuis verba ad aliquem alienum sensum significandum in cōuersatione communi proferre non sit mendacium contra negatiuū non mentiendi præceptum; est tamen peccatū omissionis contra affirmatiuum virtutis veritatis dicendæ præceptum. Quod exigente ita ratione boni communis, & ciuilitatis obliget quemlibet à proximo interrogatum ad respondendum determinatam veritatem, de qua interrogatur, vel de qua ortus est sermo: nisi ex iusta causa interrogatus ius habeat ad eam veritatem interrogāti occultandam. Ob quam rationem *Angelus, Syluester*, & alij proximè allegati huiusmodi iuramenta æquiuoca absque necessitate dicta periuria vocant.

Quo verò ad secundam partem, eam docuere *Suarez, Sanchez, Vasquez*, aliique recentiores; & optimè rationibus pro secunda sententia adductis ostenditur. Dices, esse quæstionem de nomine. Respondeo cum *Sanchez* vbi suprà, esse Quæstionem de re valdè necessaria: quippe si his æquiuocationibus vti esset contra non mentiendi præceptum, nunquam id licere posset, veluti in nullo euentu mentiri licet: At cùm soli affirmatiuo veritatis explicandæ precepto opponatur, ex causa iusta potest id licere, quippe veritatem occultare in pluribus euentibus.

4 Aduerto tamen, quòd quoties iusta causa adest his vtendi æquiuocationibus, animus vtentis non debet esse ad proximum fallendum, sed ad veritatem occultandam, quam reuelare non expedit, vt benè cum *Syluestro verbo, iuramentum 3. q. 2. vers. licet autem*, annotauit *Pater Sanchez*: at & si animus esset fallendi, cùm iuramentum non sit falsum, (hic enim nil falsum significare illis verbis vult, sed vt alter decipiatur non intelligens sensum ab eo intentum) sola venialis culpa videtur; quia non est grauis inordinatio, nec iniuria prox. grauis infertur, vt pote qui ius à iuramento non habet: at re benè considerata, est mortale periurium; quia cùm persuadere intendat, ac fingat aliud, quàm in mente tenet, est mendacium, formalissimè loquendo, ac proinde periurium.

5 Quæres primò, quæ nam causa existimabitur iusta ad hoc, vt quis his amphibologijs licitè vti possit? Respondeo, causam iustam existimari posse, quoties id necessarium, aut vtile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, uel ad quemlibet alium uirtutis actum; ita ut ueritatis occultatio censeatur tunc expediens ac studiosa. Ita *Nauarr. in dicto c. humanæ aures 22. q. 5. in quæst. 1. ad finem, & in q. 2. nu. 10. & Sanchez vbi suprà.*

6 Quæres secundò, an preces importunæ ab amico factæ censendæ sint causa iusta ad his æquiuocationibus utendum? *Pat. Toletus lib. 4. sum-*

Summa cap.21.num.8. in fine, & Nauarr. in dicto cap humanæ aures q.3.num.20. Respondet affirmatiuè, quia alteri respondere non obligatus, nec obligatur respondere ad eius mētem: à quo enim remouetur genus, omnis quoque species
7 remouetur. Mihi verò venit dicendum, nimirum nulla alia causa existente; præter importunas præces, non esse licitum harum amphibologiarum vsum. Ducor, quia si aliàs non est iusta causa veritatis occultandæ, nullum ius ad id preces importunæ rogantis eam sibi detegi conferunt. Et ita videtur sentire *Syluester loco citato*. Vbi tunc licere vti æquiuocatione ait, quando priuatus deprecatiuè petit iuramentum, & animus iurantis est non fallendi, sed occultandæ veritatis, quam non expedit reuelare. Et tenet expressè *Valentia 2.2.disp.5 q.13. puncto 2. ad secundum* vbi ait, interrogatum à proximo teneri ratione boni communis, & ciuilitatis respondere determinatam veritatem, de qua interrogatur: nisi, attentis circumstantijs, peculiare ius ad eam veritatem interroganti occultandam habeat. Idē sentiunt *Suarez loco citato cap.10.num.10. & Sanchez vbi suprà num. 20.*

8 Quæres tertiò, an sit causa iusta iocus honestus his æquiuocationibus in iuramento vti? Respondeo, de hac re cōtrouersiam esse inter Doctores. Alij enim sentiunt, esse culpam lethalem Iocosè amphibologicis iurare verbis. Ita *Angelus verbo, iuramento in principio, Tabiena eodem verbo qu.3. num.14. Armilla ibidem num. 16. Nauarrus in dicto cap. humanæ aures in q 3.n.8.& in Summa cap.12.num.8.& 13. Cardinalis Toletus vbi suprà, Sayr. in Claui Regia lib.5.cap.4.nu.21. Lessius lib.2.de iustitia & iure cap.42. dub.9. nu.46. Filiarcus de officio Sacerdot.to.1 p.2.lib.3.cap.14. in princ. Lopez 1.p.instruct.c.42.vers. dolosè iurans,* & communiter ferè omnes Doctores, teste *Sanchez vbi suprà num.22.* eò quòd sit contra præcipuum iuramenti finem, qui est, determinatam testificari
9 veritatem. Nonnulli verò volunt, quando id non est in iudicio, iudice legitimè interrogante, vel in materia præiudiciali, solam esse venialem culpam: si dicentis intentio non sit, vt audiens fallatur. Ducuntur, quòd hoc non sit mendacium, vt paulò superiùs dicebamus: nec adsit iniustitia aliqua, quia nec iuramentum est in iudicio, nec in materia præiudiciali; quare huic iuramento sola deest discretio; eò quòd diuinum testimonium absque necessitate his amphibologicis immisceri non debet. Quoties verò iuramento sola deficit discretio, est veniale ita docet *P. Sanchez loc. vbi supra, Caietanus 2.2.q.89.art.7.col. penult.vers.ad hoc dicitur, Bonacin.de legib. disp.4.q. 1.puncto 12.num.13. Fillincius tom.2.tract.25.c.11. n.331. Diana p.2.tract.15.Miscel.resol.25.* consentit *Suarez loco, quo suprà cap.11.num.5.& 6.* quatenùs docet, esse graue peccatum absque necessitate vti in iuramentis æquiuocatione, loquens de vtraque: at non explicat, esse mortale, nisi quando iniustitia miscetur. Idem sentire videtur *Sotus de secreto membro 3. q.3. in fi.* inquiens, non esse culpam amphibologijs vti ludo, & ridiculis. Verùm iudico, esse intelligendum, quando absquè iuramento id fieret: tunc enim honestus ille ludus recreationis iusta causa exercitus honestam redderet æquiuocationis, & amphibologiæ vsū. Atsi iuramentum adesset, esset culpa manifesta, propter vanam, & indiscretam diuini nominis vsurpationem, at sola esset venialis, iuxta ea, quę superiùs Doctores allegati docent; secùs verò in iudicio, vt statim dicemus.

CAPVT TERTIVM.

Ex dictis in præcedenti capite breuiter iuxta veritatem soluitur Quæstio.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus in iudicio legitimo vtens æquiuocationibus, aut verbis ambiguis, peccat lethaliter, & hunc casum incurrit reseruatum.*

2 *Religiosus, qui legitimè non interrogatur, iurans amphibologicis verbis, non peccat lethaliter; quare.*

3 *Religiosus potest congruè in legitimo iudicio vti æquiuocationibus, quoties ob aliquam causam fateri veritatem non tenetur.*

4 *Pœnitens à confessario temerè interrogatus de complice peccati, potest iurare verbis amphibologicis.*

5 *Pœnitens interrogatus, an hoc, vel illud peccatum fassus sit, iurare potest, se confessum non esse: intelligendo ita, vt illi explicare teneatur.*

6 *Religiosus testis, quoties potest vti æquiuocatione ad se tuendum, si Iudex vrgeat, vt excludeat illam æquiuocationem, potest negare veritatem quomodo, declaratur.*

7 *An possit Religiosus iurare contra mentem iudicis, quando iniquè compellit eum iurare, se nulla æquiuocatione vti.*

1 EX duobus prioribus capitibus facili negotio determinari potest principalis Quæstio. Dico igitur primò, Religiosum in iudicio legitimo vtētē amphibologijs, æquiuocationibus, aut verbis ambiguis peccare lethaliter peccato hoc reseruato. Ita communiter Doctores, præsertim *Sotus de iustitia, & iure lib.8.quæst.1.art.7.ad quartum versic. quòd si rursus, & versic. hactenus de his, Filiarcus de officio Sacerdotis tom.1.par.2.lib.3. cap. 14 paulò post principium, Sanchez in oper. moral. lib. 3.cap.7 num.1. Lessius de iustitia, & iure lib.2.cap. 41.dub.9.num.46. Sayr. in claui Reg.lib.5. cap.4. nu. 25.* & est communis omnium Doctorum sententia, teste eodem *Sanchez*. Probatur, tum quia tenetur veritatem fateri iuxta mentem Iudicis interrogantis: Atqui amphibologicis vtens non respondet iuxta mētem interrogantis, dum ambiguis verbis sensum diuersum, quem iudex intendit, vsurpat; Igitur &c. tum quia cùm legitimè interrogetur, nulla adest iusta causa, qua liceat æquiuocis seu amphibologicis vti.

2 Dico secundò; Religiosum, si non interrogetur legitimè, seu in legitimo iudicio; ambiguis, æquiuocis, aut amphibologicis iurantem verbis

bis

bis non peccare lethaliter. Ita *Sanchez*, & alij communiter. Hæc conclusio deducitur ex dictis in præcedenti capite; quam verissimam censeo, non solùm si verbis ambiguis, quæ verè ambigua sunt, vtatur; verùm quoque si respondeat, se nescire, intelligendo intra mentem, ita dicere, quamuis id verè sciat, quæ vidit: dummodò vtatur verbis non ambiguis, cum addito in mente, iuxta ea, quæ in cap. 1 diximus pro secunda opinione. Probatur, quia cùm voces sint conceptuum signa, id verbum, nescio, recipit hunc sensum; *Nescio, vt tibi dicam*. Vt constat ex illo Marci 13. de die illa *Nemo scit, neque filius hominis*. Quod illustrat Augustinus in prologo super sextum psalmum, vt intelligatur, *ad dicendum*. Ita ferè omnes Doctores concedunt, & quamuis *Sotus lib. 3. de iust. & iur. q. 6. art. 1. conclus. 7. & de secreto membro 3. q. 3. concl. 4.* dubitet, an huic Religioso sic interrogato liceat dicere, non audiui, vel non vidi, intelligendo, *ad dicendum*: fatetur tamen licere dicere, non recordor. Quia, inquit, non vidi, & non audiui, non videntur implicare relationem ad dicendum, veluti implicat, nescio, & non recordor. Verùm ambigendum non est, his omnibus vti verbis licere, & eandem significationem habere. Ita *Nauarrus* communiter ab omnibus receptus *in cap. humanæ aures 22. quæst. 5. in q. 1. num. 9 & Sanch. vbi suprà*.

3 Dico tertiò, posse Religiosum licitè, & honestè in legitimo Iudicio prædictis vti æquiuocationibus, quotiescunque non tenetur ob aliquam causam ferre iuramentum. Ita *Pat. Sanchez vbi suprà nu. 24. & Ioannes à Trinit. de casib. reseruat. in expositione octaui casus*; vt quia notabile damnum ipsi sequetur; vel quia delictum, de quo interrogatur, nouit in confessione; aut si delictum sub secreto est ei patefactum consilij, vel auxilij petendi causa, ad animæ, aut corporis ipsius delinquentis salutem, & si de authore esset infamia, vel semiplena probatio; aut si author delicti non laborat infamia, nec timetur damnum infuturum, (vt si speratur emendãdus priuatis monitis) quando iudex procedit per viam inquisitionis: etiam si talis Religiosus cum alijs duobus, vel tribus sciat delictum: vel quando proceditur per viam accusationis, si talis Religiosus videt, rem probari non posse, eò quòd ipse solus, & accusator sciant: quia accusator non potest tunc accusare, nisi fortè id necessarium fuerit ad malum impediendum, prout quæstione sequenti abundè dicemus; vel si Religiosus talis cognouit ab his, qui fide digni non sunt, hoc enim perinde est, ac si nesciret. In his, & similibus cùm respõderi iudici interroganti non teneatur, licitum sicuti est negare, saltem cum addito in mente retento; ita à fortiori licitum erit vti æquiuocationibus.

4 Hinc inferò primò, pœnitentem à confessario temerè interrogatum de complice peccati posse iurare, vtendo æquiuocationibus prædictis.

5 Infero secundò, eundem penitentem rogatũ, an hoc, vel illud peccatum fassus sit, posse iurare, se confessum non esse, intelligendo ita, vt illi teneatur explicare. Ita *Sanch. Enriq. lib. 6 de pœnit. c. 19. n. 7. Valent. tom. 4. disp. 7. q. 13. puncto vlt. contra Sotum in 4. dist. 18. q. 4. art. 5. ad quartum vers. atque considerata*, dicentem, posse dicere, se non dixisse; at non posse dicere, se non dixisse in confessione, aut non falsum esse.

6 Dico quartò, quòd quotiescunq; licitum est ad se tuendum aliqua vti æquiuocatione, id quoque erit licitum & si interrogans vrgeat excludens illam æquiuocationem; v.g. Iniquus Iudex Religiosum testem interrogat, an sciat delictũ, siuè publicè, siuè occultè; potest prædictus Religiosus testis respõdere, se nec publicè, nec occultè scire: intelligendo ita, vt tenetur dicere; vt docet *Sotus* (& si hæsitanter) *de secreto membro 3. q. 3. post quartam conclusionẽ vers. sed hoc est, quod me dubium; Sanchez vbi suprà, Aragon. 2. 2. q. 70. art. 1.* idemq; docent de confessione qui iniqua interrogatione vrgetur, an sciat in confessione, & vt Deus. Dicunt, posse eum iurare, nec hoc modo scire: intelligendo intra mentem, vt teneatur dicere. Ita *Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 5. ad 4. Nauarr. in dicto cap. humanæ aures 22. q. 5. in q. 1. n. 7. P. Suar. ad 3. p. tom. 4 disp. 33. sect. 6. num. 7. Sanchez vbi suprà num. 45. Henriquez lib. 6. de pœnit. cap. 19. n. 7. Valentia tom. 4. disp. 7. q. 13. puncto vlt.* Idemq; docent de reo, qui rogatus de delicto secreto vrgetur, vt dicat; siuè fuerit publicè, siuè occultè, siuè ipse Iudex iuridicè interroget, siuè non: dicentes, posse ad hoc respondere, se non fecisse intelligẽdo, non vt tu iniquitate tua interrogas, sed vt teneris tanquam Iudex interrogare: *Bannes 2. 2. q. 69. art. 2. dub. penultimo, Salon ibidem contr. 11. vers. quòd si iudex*. Quorum omniũ ratio est quod & si ita interrogans excludat eo ipso omnem alium modum sciendi, & responsio ex se id significet; id tamen verum est ex formali iniqua interrogantis intentione, cui imputari debet repugnantia in ipsis verbis, & interrogatione; & alter suo vtitur iure, respondendo ad mentem legitimam, quæ in esse deberet.

7 Quibus addit *P. Sanchez*, & optimè, hac ratione ductus, quod quantumcunquè reduplicet iniquus iudex, vt iuret se nulla æquiuocatione vti, & absq; omni prorsus æquiuocatione intelligere, adhuc enim iurare posse: intelligendo, ita vt planè debeat loqui, & explicare; vel aliquid aliud mente concipiendo, quo verum id reddatur; quia cùm non teneatur ad formalem mentem interrogantis respondere, sed ad debitam; illa responsio iusta debitam eius mentem vera est. Quæ *P. Sanchez* Doctrina non solùm in se est vera, verùm etiam valdè memoriæ commendanda; eò quòd Regulares iudices, non vt iudices interrogant, sed partis inducuntur passione, & totis viribus extorquere volunt testes interrogando illud quod minimè possunt.

QVAE-

QVAESTIO QVARTA.

Liceat ne Reo prædictis vti æquiuocationibus in legitimo iudicio interrogatus?

CAPVT PRIMVM.

Ostenditur, Reum in iudicio legitimo veritatem negantem sub hoc peccato reseruato non comprehendi.

SVMMARIVM.

1 *Reus legitimè interrogatus, si veritatem negat, licèt mortiferè peccet, non incurrit hunc casum.*

2 *Reus non tenetur iudici respondere, quando crimen est semiplenè probatum.*

3 *Reus non incidit in casum reseruatum, quando Iudici interroganti non respondet, cùm crimen est plenè probatum.*

1 QVamuis Reus legitimè interrogatus sub lethali veritatem fateri teneatur, quando est conuictus, pro vt tradunt communiter Doctores; nihilominus si veritatem neget, non reseruatur hoc crimen; ratio est, quia quamuis Reus iuridicè interrogatus debeat iuxta Iudicis mentem respondere, veritatem aperiendo, illã q; celando mortaliter peccet; non est tamen eius peccatum reseruatum: quia in hoc casu solùm falsum testimonium testis, non verò falsa respõsio Rei reseruatur. Contra *Coriolanum p. 2. de casibus reseruatis casu 5.* opinantem, includi etiam sub littera Reum iuridicè interrogatum, si delictum negat, quamuis ob confessionem esset morte plectendus; Vndè, nisi veritatem in iudicio palàm confiteatur, non esse in foro animæ absoluendum.

2 Non solùm hoc existimo verũ, quando Reus a Iudice legitimè interrogatus, propter semiplenam probationem, vel indicia æquiualentia, negat crimen, quod commisit, eò quòd tunc non astringitur Iudici interroganti respondere; prout cum multis probat *Pater Diana tract. 15. Miscellan. resol. 27. 2. partis*; nam cùm crimen nõ est plenè probatum, potest Reus in causa capitis ad mortem euitandam celare veritatem minimè Superioris præcepto de ea dicenda obstante. Quæ quidem doctrina militat non solùm in causa mortis, sed etiam quando agitur de Triremiũ pœna, aut aliquo alio graui dedecore. Vt *Lessius, Nauarrus, Malderus,* & quamplures alij apud *Dianam* obseruant. Ratio esse potest, quia hominibus à natura inditum est, vt se defendant, & à mortis faucibus incolumẽ reddant vitam. Hinc leges oriũtur, quibus inuasorem liceat cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere, & aliena surripere, extrema existente famis necessitate ad id impellente. Item *ex leg. 4. ff. de testib.* nemo cogi potest ad contra parentes, & sanguine iunctos testificandum: atqui nemo cuiquam magis est sanguine coniunctus, quàm sibi ipsi: igitur. Insuper lex humana nunquam cum periculo mortis obligat, nisi aliud negotii magnitudo exigat: igitur non obligabit humanum præceptum; Nam vtriusque eadem est ratio cæteris paribus.

3 Verùm etiam quando crimen est plenè probatum, & ad veritatem consequenter fatendam tenetur, peccetquè mortaliter veritatem negãs, vt ostẽsum est suprà: nihilominus non est huiusmodi crimen reseruatum, nec Reus sub Decreto comprehenditur: tum quia si Summi Pontificis esset intentio eum sub littera comprehẽdere, esset vtiquè illum ad se prodẽdum cogere, quod non est credibile: tum quia valdè difficile est, hominem obligare ad suum crimen fatendum; maximè quando ex criminis negatione euadere potest mortẽ: tum quia in foro externo nunquam vidimus iudices Reum veritatem negantẽ, quando sufficienter est de crimine conuictus punire pœna periurij; igitur nec in foro conſciẽtiæ præsumendum est, velle Papam hac reseruationis pœna Reum proprium negantẽ crimen plectere: etenim certum est, peccatorum reseruationem esse quandam Ecclesiasticam pœnam; vt ex supradictis in prima, & secunda parte patet: tum tandem quia Reus, qui in iudicio in causa capitis, vel triremium ad tormenta fugiẽda fatetur crimen, quod non patrauit; vtiquè falsum iurans, lethaliter peccat, & tamen hoc falsum iuramentum non est reseruatum, prout ex *Nauarro, Toleto,* & alijs ostendit *Pater Coriolan. loco citato.* Cur igitur erit peccatum reseruatum, quando ad mortem euitandam Reus iurat, se crimẽ, de quo iuridicè interrogatur, non fecisse? igitur non comprehenditur Reus sub littera, sed solùm testis, quando tenetur dicere testimonium.

CAPVT SECVNDVM.

Quid sit ad Quæstionem respondendum, stabilitur.

SVMMARIVM.

1 *Reus à Iudice non legitimè interrogatus de proprio delicto, quod fecit, potest non solùm vti verbis ambiguis, verùm etiam non ambiguis, dicendo, se illud non fecisse: intelligendo intra se eo modo, quo iudex interrogat.*

2 *Reus, qui ob sui defensionem aliquem occidit, non solùm potest vti Iudici interroganti respondẽdo verbis ambiguis, verùm etiã absolutè negare veritatẽ.*

3 *Reus potest negare veritatem, & consequenter vti verbis ambiguis, quando ei non est testium notificata depositio.*

4 *Reus confessus de vno crimine si interrogatur de complicibus infamia minimè llborantibus, potest vti æquiuocationibus.*

5 *Reus extractus ab Ecclesia non tenetur iudici interroganti respondere, quare.*

6 *Reus potest vti æquiuocationibus, quando post legitimam appellationem interpositam interrogatur à Iudice.*

7 *Reus si à Iudice non legitimè interrogatus, vtitur æquiuocationibus, non peccat.*

Quam-

1 QVamquam in omni sententia certum sit, non posse Reum, quando iuridicè interrogatur, absque lethali culpa æquiuocationibus vti pro vt cum multis eleganter ostendit *Pater Sanchez in oper. moral. lib. 3. cap. 17. nu. 1.* Nonnulli nihilominus euenire possunt casus, in quibus Reo licebit absque labe peccati vti amphilogijs.

Primus est quando Reus non legitimè à Iudice interrogatur de proprio delicto, quod fecit. In quo casu non solùm potest vti verbis ambiguis, verùm etiam non ambiguis; dicendo, se non fecisse illud, intelligendo intra se eo modo, quo iudex interrogat, nempè vt subsit illi iudicio. Ita *Caietanus in opusculis tom. 1. tract. 31. septemdecim respons. in quinta responsione versic. ad primum, in fine Mayor in 4. dist. 15. q. 18 prima propositione in fine, Adrianus in 4. q. de sigillo confessionis §. ad argumenta principalia versic. ad secundum principale, Lessius de iustitia, & iure lib. 2. cap. 11. dub. 20 num. 110. & cap. 42. dub. 9. num. 47. Henriquez lib. 6. de pœnitentia cap. 19. nu. 7. in commento littera. O, Valentia 2. 2. disp. 3. q. 13. puncto 2. Azor. tom. 1. institut. moral. lib. 11. cap. 4. quæsito 5. Pater Suarez tom. 2. de Religione lib. 3. cap. 10. n. 2. Sanchez vbi suprà cap. 6. num. 26. Sayr. in Claui Regia lib. 5. cap. 4. num. 24. Bannes 2. 2 q. 69. art. 2. dub. penultimo, vbi Salon. contr. 11. Petrus de Ledesma tom. 2. Summæ tract. 8. cap. 24. post sextam conclus. dub. 2. Filiarcus de officio sacerdotis tom. 1. par. 2. lib. 3. cap. 14. Nauarrus pluribus in locis, præsertim in cap. humanæ aures 22. q. 5. in q. 1. nu 9. & in cap. inter verba 11. q. 3. & in Summa latina cap. 12. num. 28. & Pater Toletus,* & alij quamplures asserentes, posse reum dicere, se non fecisse: intelligendo intra se in alia die ab ea, in qua fecit. Immò & *Valentia* addit, & optimè, posse intelligere quodcumquè aliud additum sola mente conceptum, quo id reddatur verum. Et *Pater Sanchez* addit; Reo licebit respondere, se non occidisse Petrum: intelligendo alium eiusdem nominis, vel etiam eundem, & intelligendo antequàm nasceretur, quod probat *Salon. vbi suprà in solutione ad quintum.*

2 Secundus casus est, quando Reus ob sui defensionem aggressorem occidit, non solùm potest vti, Iudici interroganti respondendo, verbis ambiguis, seu amphibologicis, verùm etiam absolutè negare veritatem. *Ita Pater Diana 2. part. tract. 5. Miscell. resol. 66. in principio, & Pater Portel in addit. ad dub. regular. verbo iuramentum n. 16.* vbi sic ait: quotiescumque factum externum contra legem excusatur à peccato propter aliquam circumstantiam, potest rogatus iuridice de illo sub iuramento illud negare: intelligendo de Crimine criminoso, seù de opere, quod fuerit peccatum; vt si quis occidat hominem putatum feram, vel ob iustam sui defensionem, vel quodcumque opus fecerit ex ignorantia inuincibili, vel quod simile: Nam interrogatorium iudicis solùm tendit ad opus, quòd sit crimen, quale non fuit illud legitimè excusatum à culpa. Hactenus noster *Portel.*

3 Tertius casus est, quando testium depositio non est Reo notificata, quia tunc ei non constat, quod iuridicè, & legitimè interrogatur à iudice. Vndè sicut respondere non tenetur, ita potest quacumquè vti æquiuocatione, & Amphibologia. Ita *Ioseph Aldrete de Religiosa disciplina tuenda lib. 2. cap. 4. num. 7.* Vbi ita inquit: Exigitur, quod Reus nouerit, se iuridicè interrogari. Propter quam causam asserunt necessarium esse, quod testium depositio Reo notificetur, vt sciat ad obediendum se teneri. Ita *Soto, Nauarrus, Corduba, Salsedo, Toletus, Nauarra,* & alij. Hoc autem necessarium non esse, voluere nonnulli; vt *Lopez, Arenulus, Iulius Clarus, Gutierez,* & alij. In qua quæst. minimè necessarium putamus, quòd verius sit in stricta disputandi ratione, indagare: Cùm Reus tot pro se habet grauissimos Doctores; & si iudices consueuerint earum non admittere opinionem, id efficit, vt ita è contrario, & interrogati Rei delicta semper occultare non vereantur. Quapropter consultius est tutiorem eligere viam, eam nimirum, quæ plenè demonstrat, eos omninò teneri ad veritatem confitendam, propter testium depositionem ipsis notificatam, nec rei propter contrariam opinionem illi facientē veritatem occultent. Ita ille. Quam sententiam quoq; docent *Caietanus 2. 2. quæst. 69. art. 6.* & ibi *Aragon. Salon. 2. 2. tom. 1. quæst. 69. art. 2. conclusione 2. Lessius lib. 2. de iustitia, & iure cap. 31. dub. 3. num. 10. Sanchez in summa tom 1 lib. 3. cap. 7. num. 15. Miranda in ordine iudiciario tom. 2. quæst. 19. artic. 13. conclusione 1. Pater Diana vbi suprà resol. 91. versic. dicendum est igitur, Ioannes de la Cruz in direct. p. 1. pr. 8. art. 3. dub. 9. Segura de Areuolos in direct. Iudic. part. 2. cap. 14. n. 30.*

4 Quartus casus est, quando Reus conuictus, & confessus de vno crimine interrogatur de complicibus infamia minimè laborantibus: tunc ex eò quia respondere non tenetur vt docent *Ioseph à Sancta Maria in Tribunal. Regul. tract. 4. capit. 16. Ioannes de la Cruz in direct. conscientiæ p. 1. præl. 8. artic. 3. dub. 3. conclus. 3. Aldrette de disciplina tuenda lib. 1 cap. 11 num. 4. Tannerrus in 2. 2. disputat. 4. quæst. 4. dub. 4. num. 86. Pater Miranda in ordine Iudiciario tom. 2. quæst. 9. artic. 11 Malder. 2. 2. tract. 6. cap. 1. dub. 23. Ledesma in summa tom. 2. tract. 8. cap. 34. conclusione 5. Pater Diana tract. 5. Miscell. Resolut. 99. & noster Pater Villalobos in summa to. 1. tract. 14. diff. 10. n. 2.* propterea (vt suprà dictum est), veluti non tenetur respondere seu reuelare complices, ita à fortiori licitum erit ei vti verbis ambiguis, etiam si ambigua non sint cum addito in mente retento, seu amphibologijs.

5 Quintus casus est, quando Reus extractus est ab Ecclesia, quia tunc iudex non habet ius interrogandi, & procedendi. Ita *Sotus de secreto membro 2. quæst. 7. post tertiam conclusionem versiculo at verò, Sanchez lib. 3. in oper. moral. tom. 1. capit. 6. num. 27.* etiam si Reus fuerit Religiosus; Nam de huiusmodi Reis sermonem facimus;

mus; Etenim Regulares ad Ecclesiam confugientes immunitate gaudent Ecclesiastica, vt asserunt *Salgadus de protect. Regia tom. 2. p. 2. num. 115. Diaz in pract. criminal. cap. 123. in fine, Cenedo in quæstionum Canon. quæst. 42. Petrus Gambacurta lib. 4. cap. 11. num. 10. Pater Diana latè tract. 1. de immunit. Eccles. resol. 25. & alij quamplures apud ipsum resolut. 24.* quamquam ipse inconstans postquàm nostram hanc sententiam probabilem existimauerit, contrariam esse tenendam putat, ex Consuetudine à Summis Pontificibus. Sed de approbatione Pontificum non constat authenticè, neq; vlla ratione probatur talis consuetudo. Nam nunquam vidimus per Regularem extractum ab Ecclesia, etiam sui Ordinis, esse ad Sacram Eminentissimorum Cardinalium Congregationem appellatum, & de hac re ab ea aliquando iudicatum. Neque certè existimamus, per Religiosum sic extractum fuisse vnquam ad Summum Romanum appellatum Pontificem, deque iniusta extractione in Ecclesiarum fauorem contra Superiores latas sententias.

6 Sextus casus est, quando Iudicis iurisdictio per debitam interpositam appellationem est suspensa; quia tunc cùm non sit iudex legitimè, Reum interrogare non potest, ac proinde Reo licebit non respondere, seu æquiuocationibus vti. Idem dicito, quando iudex interrogans est excommunicatus denunciatus, vel notorius clerici percussor, quia in his casibus est eius iurisdictio suspensa. Ita noster *Rodriquez de ordin. iud. cap. 10. n. 4. Sanchez in oper. moral. lib. 3. cap. 6. n. 27. & communiter Doctores in tract. de censuris.*

7 Septimus casus est, in quo potest Reus legitimè in iudicio vti amphibologijs, quando Iudex interrogans non est legitimus interrogati iudex, aut in hoc casu peculiari, quia non est legitimum iudicium: atque ita potest per æquiuocationem licitam ei occultari veritas. Ita *Syluester verbo, accusatio quæsito 13. Sotus de secreto membro 2. q. 2. post tertiam conclusionem, Nauarrus in summ. cap. 12. num. 8. Sayrus in Claui Regia lib. 5. cap. 4. nu. 24. Rodriquez, & Sanchez locis citatis*, & his, & similibus casibus licitum erit Reo æquiuocationibus Iudici interroganti occultare veritatem, absque eo, quòd comprehendatur sub littera, cùm minimè peccet lethaliter.

QVAESTIO QVINTA.

Vtrum Religiosus mortaliter peccet peccato hoc reseruato, quando sub iuramento interrogatus de aliquo delicto, quòd scit; at quia agnouit ob aliquam causam non teneri ad testandum, illud negat, nulla tamen interna apposita restrictione, vt à periurio liberetur.

CAPVT VNICVM.

Author breuiter quæstionem resoluit.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui non tenetur veritatem in iudicio fateri si à Iudice interrogatus, nulla apposita in interiori conditione, negat veritatem, comprehenditur sub hoc casu reseruato, iuxta aliquorum opinionem.*

2 *Talis Religiosus non incurrit casum hunc reseruatum. Quare.*

3 *Veritas iuramenti, & veritas testimonij ad inuicem distinguuntur.*

4 *Religiosus, qui existimat se teneri ad testificandum, & reuelandum alteri Religiosi adulterium, seu sacrilegium, quod in veritate celare tenebatur, si in iudicio tacet, & veritatem non fatetur, peccat lethaliter, non tamen incurrit casum reseruatum.*

1 Hic casus est valdè curiosus, & in praxi accidere potest; nam si Religiosus quispiam, Petrus, v. g. aut Franciscus vidit alium Religiosum adulterare, & interrogatus iuridicè à suo Superiore sub iuramento de huiusmodi adulterio, absolutè, & sine vlla interiori respondeat restrictione, se illud nescire; ex eo quia existimat, cùm ipse solus tale sciat adulterium, vel ob aliquam aliam causam ex supradictis, non teneri ad testandum; inquiritur nunc, an dictus Religiosus peccatum commiserit reseruatum, absolutè iurando, se nescire alterum Religiosum adulterasse? Ratio dubitandi esse potest, quia deficiente interna restrictione, videtur huiusmodi Religiosus falsum iurasse; nam absolutè negauit quod verè, & realiter sciebat: atqui iuramentum falsum in iudicio factum est reseruatum in hoc quinto casu; igitur.

2 Nihilominus hoc minimè obstante, dicendum est, huiusmodi iuramentum non fore reseruatum; quia licèt absolutè, & nulla apposita restrictione, talis Religiosus sub iuramento affirmauit, se alterius Religiosi nescire adulterium; tamen non fuit periurus: nam se non teneri agnoscens ad testandum secundùm mentem interrogantis iudicis, virtualiter & implicitè internam apposuit restrictionem, quamuis eam non expresserit: qua apposita, falsum non iurauit, sed verum. Iurauit enim, scilicet ad reuelandum & manifestandum id, quod non poterat in conscientia reuelare, & ad quod reuelandam non tenebatur. His cum nostro *Patre Fratre Ioanne à Trinitate in expositione casuum in nostro Minorico Ordine reseruatorum in casu octauo* connecto, quòd licèt responsio talis Religiosi omni careret restrictione tàm expressa, quàm virtuali, & ob id eius iuramentum videri posset falsum; Nihilominus non esset comprehendendum sub hoc casu, quia testimonium non fuit falsum, sed verum, & consequenter verum iurauit, non falsum, secundùm id, quod tenebatur testificari, & respondere.

3 Pro cuius intellectu aduerto cum dicto *Ioanne à Trinitate*, quod in dicti Religiosi responsione duo consideratione digna veniunt ponderanda,

da, nimirum veritatem iuramenti, & veritatem testimonij: quæ duo secundùm se distinguuntur ad inuicem, & separari possunt. Qua distinctione supposita, dico, quòd quamuis Petrus falsum contra veritatem iuramento debitam iuraret, & ob id peccaret mortaliter; Nihilominus in reseruatione huius casus non incidit; quia hìc non reseruatur iuramentum falsum in iudicio legitimo factum: atqui quando Iudex interrogat testem de delicto omninò occulto, de quo non tenetur testis iurare, neque veritatem reuelare, non est legitimum iudicium, eo quòd non potest tunc iudex, nisi in vniuersum rogare, non autem de delicto illo in indiuiduo, seu speciali; Igitur cùm iudicium tale non censeatur legitimum, nõ erit reseruatum huiusmodi peccatum. Dixi suprà, & consequenter verum iurauit, quatenus testimonium, quod testatus fuerat, non erat falsum, saltem materialiter, quia non fuerat factum contra veritatem verè testificationi debitam. Etenim testificatus est id, quod in conscientia testificari tenebatur, atque ideò huiusmodi testimonium non videtur falsum, quatenus cadit sub iuramento: hoc est, iuramentum cadens suprà talem testificationem non esse falsum; quia testimonium (pro vt supponimus) non est falsum, neque contra veritatem testificationi debitam.

4 Ex quibus infero, quòd si Religiosus huiusmodi existimans se teneri ad testificandum, & reuelandum alterius Religiosi adulterium, seu sacrilegium, tamen in rei veritate illud celare tenebatur, prædictum Religiosi sacrilegij crimen in iudicio sub iuramento interrogatus taceret, & negaret, peccaret lethaliter, & non comprehendi sub hoc peccato reseruato, quia ex eo peccaret mortaliter, quia operatus est contra conscientiam erroneam, non testificando qualiter existimabat debere testificari: tamen eius peccatum non comprehenditur sub reseruatione litteræ, quia in re testimonium non fuit falsum, neque contra veritatem testificationi debitam, eò quòd in rei veritate testatus est id, quod secundùm iustitiam, & æquitatem tenebatur: & consequenter iuramentum cadens suprà talem testificationem non censendum videtur falsum.

QVÆSTIO SEXTA.

Comprehenditurnè Religiosus sub hoc casu, quandò Iudici interroganti per viam accusationis procedenti per æquiuocationem celat veritatem?

CAPVT VNICVM,

Stabilitur, quid sit reuera sentiendum.

SVMMARIVM.

1 *Iudex Secularis per viam accusationis procedens, quomodo procedere tenetur.*

2 *Religiosus ab accusatore productus hunc casum incurrit, si interrogatus amphibologicis respondendo vtitur verbis.*

3 *Religiosus ab accusatore productus, qui scit delictum alterius Religiosi accusati, tenetur respondere iudici interroganti, quando ipsemet dumtaxat scit delictum, iuxta aliquos Doctores.*

4 *Religiosus in prædicto casu non tenetur fateri veritatem: indeq; vti potest, cùm interrogatur, æquiuocis verbis.*

1 IN omni sententia certum est, quòd Iudex per viam accusationis procedit iuridicè, quando adest accusator offerens se rem probaturum, & testes producit: huiusmodi testes iuridicè interrogari censentur, atque adeò veritatem dicere tenentur; eo ipso enim quòd adest accusator producens testes, & in iudicio crimen probare offerens, tenetur iudex, cùm iusticiæ sit custos, ad accusatoris instantiam ius prosequi accusatoris, testes interrogando, quos meritò suspicari potest rem scire; siuè accusator ille fraternam correptionem accusati præmiserit, siuè non: quia, accusatione existente, sicut iudex iuridice interrogat; ita testis illi aperire tenetur veritatem. Id quod certum est, quando accusator ille plures producit testes, quibus rem illam in iudicio se probaturum esse dicit.

2 Vndè infertur, quòd Religiosus cùm ab accusatore producitur in accusationis libello, absque eo, quòd sub hoc casu comprehendatur, iudici interroganti non potest veritatem celare, atque adeò nec vlla vti æquiuocatione, seu amphibologia, sed iuxta Iudicis mentem interrogantis respondere tenetur. Ratio desumitur ex paulò superiùs dictis: nam in iudicio legitimo veritatem fateri tenetur: iudex autem per viam accusationis procedens, quando adest accusator se rem probaturum offerens, procedit iuridicè iuxta legitimum iudicium; Igitur testis astringitur veritatem fateri.

3 Maior autem difficultas est, an quando iudex per viam accusationis procedit, existente accusatore, & solùm vnus Religiosus sit, qui crimen nouit, & ille in iudicio productus sit rogatus à Iudice, crimen fateri teneatur?

Ad hanc difficultatem respondent affirmatiuè *Hostiensis de testib. cogend. num. 4. speculator §. de testium compuls. Sotus lib. 3. de iustitia & iure q. 7 art. 1. ad primum, Salon. 2. 2. q. 70. art. 1. controu. 1. in principio, Valentia tom. 3. disp. 5. quæst. 14. puncto 1. in fine, Aragon. 2. 2. quæst. 70. art. 1. in fine ad secundum Sayr. in Claui Regia lib. 12. capit. 20. num. sexto versiculo quorum opinio mihi etiam videtur verior.* Hanc sententiam ita veram existimauit *Hostiens.* vbi suprà, vt oppositam temerariam existimauerit, sed certè absque vllo fundamento.

4 Dico igitur, Religiosum in hoc casu non esse obligatum fateri veritatem: quapropter si æquiuocatione, cùm rogatur à Iudice, vtatur, seù verbis, quæ ex sua natura ambigua non

non sunt, cum addito in mente concepto, non peccare, neque sub littera comprehendi. Ita colligo ex *Diuo Thoma* 2. 2. *quæst.* 70. *artic.* 1. in corpore asserente, tunc iuridicè testem interrogari, quando vel de manifestis, vel de his, de quibus infamia processit interrogatur. Quam sententiam assecutus est *Bannes ibidem dub.* 4. *ad quartum Sylvester verbo, testis quæsito* 8. *versic.* 1. *Nauarrus in cap. inter verba* 11. *quæst.* 3. *concl. sexta corolario* 64. *num.* 708. *& sequentibus, & omnes Diui Thomæ discipuli dicta quæst.* 70. Ratio principalis est, quam tetigit *D. Thomas*, quia ad hoc vt testis crimen fateri teneatur, necessariò requiritur, vt præcedat vel infamia, vel saltem semiplena probatio, vel inditia æquiualentia contra Reum: Atqui quando vnus Religiosus dumtaxat alterius nouit crimen Religiosi non adest nec semiplena probatio, nec infamia, nec inditia esse possunt, vt suppono; Igitur cùm à Iudice rogatur, veritatem fateri non tenetur. Vide circa hanc materiam *Moderniores Thomistas* 2. 2. *q.* 70. *art.* 1. & certè tunc nec iudicium legitimum nec Iudex iuridice rogat vt ex supradictis manifestè apparet.

QVAESTIO SEPTIMA.

Vtrum, quando Iudex Regularis procedit per inquisitionem generalem, rogando generaliter de Crimine; quis illud commiserit, ex eo, quòd notorium & manifestum est; ignoratur autem dicti delicti author, & vnus dumtaxat Religiosus scit talis delicti Authorem, si ille rogatur à Iudice in illa generali inquisitione, teneatur Reum manifestare; & non manifestando, an sit periurus, & in hunc quintum casum comprehensus?

CAPVT VNICVM.

Quid ad quæstionem sit respondendum, breuiter Author iuxta veriorem sententiam respondet.

SVMMARIVM.

1 *Crimen, de quo Iudex per viam generalis inquisitionis procedens, interrogatur, duplex.*

2 *Iudex Regularis procedens per viam inquisitionis generalis, si crimen est contra bonum commune, vel notabiliter lædens tertiam personam, tenetur Religiosus interrogatus reum prodere.*

3 *Iudex sub excommunicatione præcipiens sibi reuelandum crimen, quod contra bonum commune tendit, tenetur Religiosus talis criminis conscius reum reuelare.*

4 *Non potest iudex Regularis inquirere de crimine occulto in particulari.*

5 *Religiosus, qui Authorem delicti non prodit, cum fuerit interrogatus in indicio, peccat lethaliter; non tamen incurrit casum reseruatum. Quare.*

6 *Religiosus, qui dumtaxat scit ipse aliquod delictum occultum, quod non est contra bonum commune, vel iam præteritum, non tenetur reum talis criminis reuelare.*

7 *Non tenetur Religiosus reuelare Reum criminis occulti Prælato præcipienti sub pœna excommunicationis.*

8 *Ad hoc, vt Religiosus reuelare teneatur Iudici interroganti per viam specialis inquisitionis, requiritur, quòd præcedat infamia tam delicti, quàm personæ.*

1 PRo dicendorum intellectu aliqua priùs sunt breuiter notanda. Primùm, quòd crimen aliquod esse potest contra bonum commune Religionis, vel contra aliquam priuatam personam tantùm. Secundum, vel crimen partim est commissum, & partim pendens in futurum, seu (vt alij loquuntur) adhuc est in fieri, vel expectatur, vt fiat; vel est omnino transactum, & commissum; v. g. crimen contra bonum commune Religionis esse potest machinatio contra Superiorem Generalem, quod comparatur crimini læsæ Maiestatis, vt colligitur ex extrauaganti ad reprimendum. Item crimen hæresis, grande sacrilegium, quod Religionem veheementer perturbat, aut quid simile. Crimen contra priuatam personam est, si quis aliquem occidere tentat innocentem, quæ crimina, vel sunt in fieri, vel iam facta sunt. Tertium, quod inquisitio, qua iudex procedere potest, est duplex, generalis, & specialis.

2 His notatis, dico primo; quòd quando Iudex Regularis per viam inquisitionis generalis procedit, si crimen, de quo inquirit, sit in damnum commune Religionis, aut notabiliter tertiam lædit personam, & adhuc est in fieri, vel expectatur, vt fiat; Religiosus, qui scit talis criminis authorem, quamuis ipsemet solus authorem sciat, tenetur Reum prodere. Moueor, eò quòd vnusquisque lege charitatis etiam à Iudice non rogatus tenetur in hoc casu accusare, vel denunciare Reum, vt malum publicum, vel priuatum euitetur: igitur à fortiori à Iudice rogatus, cui incumbit cura boni communis, innocentisquè defensio, Reum in particulari prodere tenetur.

3 Hoc etiam locum habere existimamus, quando Iudex Regularis sub excommunicationis pœna præciperet, vt quicunq; patrati criminis sciret authorem, illum prodere & reuelare teneretur. Ratio est, quia præceptum non solùm est iustũ; verùm quoq; cùm ad bonum publicum tuendũ, & ad tertij innocentiam defendam ordinetur, obligat. Vndè rogatus, Authorem delicti reuelare astringitur. Ita *Sayrus in sua Claui Regia lib.* 12. *cap.* 20. *num.* 8.

4 Verũ tamen est, quòd non potest iudex in hoc casu inquirere in particulari de tali, vel tali Religioso; v. g. de Petro, vel Ioanne: etiã si sciat vt persona particularis, quòd ille Reus sit Petrus, vel Ioannes; quia Petrus cũ accusatus non sit, vel denunciatus, aut infamatus de tali crimine, nõ potest (vt suprà ostensũ est) iuridicè interrogare, sed solũ rogare potest testem in cõmuni, an sciat ali-

quem in particulari, qui paret in Conuentu insidias, aut intendat occidere innocentem, & tenetur testis, etiam si solus nouit delinquentem, illum prodere.

5 Hinc inferò, quòd si talis Religiosus nollet delicti authorem iudici interroganti reuelare, peccaret quidem lethaliter, præcepto non parẽdo; aut falsum iurando; Non tamen esset peccatum in hoc casu quinto reseruatum: Ratio est, quia non iurat falsum in legitimo iudicio; quia ad legitimum iudicium constituendum requiritur, (vt suprà dicebamus cum *Diuo Thoma, Syluestro*, & alijs) vt Reus sit diffamatus, vel præcesserit semiplena probatio, aut inditia æquiualentia: quando autem iudex per viam generalis inquisitionis procedit, nulla adest infamia, nec semiplena probatio, vt de se certum est; Igitur non potest esse iudicium legitimum: & sic testis rogatus si veritatem occultat, in casum non incidit reseruatum.

6 Dico secundò, quòd quando Crimen non est contra bonum commune Religionis, seu nõ est contra Personam Superioris Generalis, nec in futurum pendens, sed transactum: vt V. G. constat de corpore delicti, sed nescitur Reus, ita vt inquisitio iudicis sit generalis ex parte personæ, specialis verò ex parte delicti; quamquam iudex ex vi sui muneris generaliter inquirere possit, non tamẽ tenetur Religiosus, si ipse dumtaxat sciat delinquentem, eum in hoc casu prodere. Ducor, quia cùm iudex inquirat generaliter, eo ipso videtur interrogare eos, qui authores delicti sciunt, quando plures, & ad minimum duo sciunt, quibus conuinci possit Reus ad confitendum delictum, & non quando vnus tantùm nouit. quòd Reus ad torturam exponi potest: vt eleganter *Sayrus in Claui Regia lib. 12. cap. 10* paulò ante finem ostendit.

7 Sed quæres; an, si iudex Regularis in generali inquisitione præcipiat sub pena excommunicationis, vt quicunq; Reum talis criminis scit, prodat, seu reuelet, talis Religiosus, qui solus authorem delicti nouit, tali præcepto obedire teneatur, itaut sit astrictus illi reum, seu Authorem delicti reuelare? *Sayrus in sua Claui Regia c. 20. num. 9.* probabiliter existimat teneri. Verùm non est recedendum à Sententia *Diui Thomæ, Bannes, Syluestri, Nauarræ, & aliorum*, quos suprà citauimus, & secuti sumus. Ita etiam sentit P. *Ioannes à Trinitate in exposit. octaui casus in nostro Minorico ordine reseruati*.

8 Dico tertiò: ad hoc, vt Iudex Regularis iuridicè, & legitimè per viam inquisitionis specialis procedat, & Religiosus sic rogatus respondere teneatur, requiri necessariò vt præcedat tàm delicti, quàm personæ in particulari infamia. Ita *Doctores communiter in cap. inquisitionis de accusationibus*, vbi expressè statuitur, non esse procedendum contra aliquem via inquisitionis specialis, etiam si duo, vel tres testes iurati affirment eius aliquod crimen, de quo nulla laborat infamia. Ratio textualis esse potest, quia ius humanum, quantum fieri potest, prouidere vult bono communi cum minima iactura boni famę personarum priuatarum, quæ non parum læditur hoc ipso, quod de aliquo in particulari apud alios fiat inquisitio: quantùmuis posteà talis non probaretur Reus esse. Quamobrem expectare voluit, donec fama eius, de illo crimine inquirendo, aliundè perdita esset, antequàm de eo testes inquirat, & interroget. Sed aduerte, quòd in vniuersum hæc conclusio non est adeò vera, quin aliquas limitationes, & exceptiones non patiatur, saltem in certis quibusdam casibus, in quibus læditur tota communitas: puta in criminibus hæresis, læsæ Maiestatis, falsæ monetæ, & huiusmodi, vt eleganter annotauere *Syluester verbo, inquisitio 1. quæsito 4. Sotus lib. 5. de iustitia quæst. 6. artic. 5. concl. 5. & de tegendo secreto q. 6. membro 2. Salon 2. 2. q. 69. art. 2. contra 6. Aragon. & Bannes ibidem, Nauarrus in manual. cap. 18. num. 38. & in cap. inter verba 11. q. 3. concl. 5. Corolario 49. n. 5079. Valen. tom. 3. disp. 5. q. 14. puncto 1. Sayr. loco citato, & alij quamplures.*

CASVS SEXTVS.

Procuratio, auxilium, seu Consilium ad Abortum faciendum, post animatum fœtum, etiam effectu non secuto.

DISPVTATIO OCTAVA

De Religiosis quomodolibet Abortum post animatum fœtum procurantibus.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum Religiosus, qui procurauit, consuluit, aut auxilium præbuit ad abortum faciendum aliquibus subiaceat pęnis?

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Abortus; & aliæ particulæ huius sexti casus expenduntur.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Abortus quid sit, declaratur.*
2 *Fetus quando dicitur animatus.*
3 *Expenduntur illa verba Textus, nimirum*, etiam effectu non secuto.
4 *Alia verba Textus, nimirum*, ad Abortum faciendum, *quomodo veniunt intelligenda.*
5 *Auxilium, & consilium quid importãt in hoc casu.*

1 ABortus est, cùm partus nondum maturus eijcitur: Nam ideo dicitur abortus, quia non tempestiuè ortus. Fœtus verò immaturus eijcitur, vel postquàm est animatus, vel cùm nõ dum anima, & vita est præditus. Si primum, tunc cædes est hominis; pro vt infrà docebimus latè: si secundum, licèt non sit cędes hominis, impeditur tamen vita hominis. Quod impedimentum in iure Cæsareo hominis cœdi æquiparatur: fieri autem dicitur, quando post animatũ fœtum, iuxta litteræ rigorem, in ventre matris aliqua via procuratur, siuè potione, siuè baculo, siuè alio modo fiat abortus. Quod peccatum est grauissimum, vt rectè annotauerunt Doctores, præsertim *Syluester verbo, Abortus numer.1. Azorius tom.2. institut. moral. lib.2. cap.26. quæsito tertio*.

2 Circa hunc casum, vt alias expendamus particulas, notare oportet in primis, verbum illud, *post animatum fœtum*, fœtus autem censetur animatus in Masculis post quadraginta dies: nam tunc anima corpori infunditur, & tunc fœtus dicitur anima, vitaquè præditus: & in fœminis post octuaginta dies. Vndè hic non agitur de qualibet animatione pro casu reseruato, sed de infusione dumtaxat animæ rationalis: nam quãuis quando fœtus est compos vitæ vegetatiuæ, & sensitiuæ, dicatur in rigore Philosophiæ animatus, tamen moraliter loquendo, quantum ad intelligentiam litteræ spectat, non dicitur verè animatus. Quamobrem si quis procuret abortum, quando non est vitæ rationali tradditus, peccat mortaliter, non tamen in casum hunc incidit reseruatum, licèt alias incurrat pœnas, vt infrà dicemus: sed benè quando fœtus est animatus.

3 Secundò. Veniunt illa verba ponderanda, nimirum, *etiam effectu non secuto*: ex quibus infertur, tunc dici in casu nostro opus consummatum, quando mulier acceperit id, ob quod sequi poterat abortus, quamuis posteà ille non fuerit secutus. Vndè qui mulierem grauidam hac intentione percusserit, quæ percussio ex se talis fuerit, vt abortum ex ea sequi potuerit; sub hoc casu comprehenditur, etiam si effectus non sequatur. Idem dicito de onere, potione, vel alio modo & via, quibus abortus procurari potest.

4 Tertiò notanda sunt alia verba; *ad abortum faciendum*, quæ intelligenda sunt, etiam si illum ad bonum finem procurauerit, scilicèt ad præseruandam mulierem à morte, de qua re in proprio quæsito infrà latè faciemus sermonem.

5 Quartò sunt aduertenda illa alia; *auxilium, seu consilium*, ex quibus patet, quòd non solùm ille, qui abortum procurat, verùm & qui auxilium quocumquè modo præbet; siuè circa potionem conficiendam; siuè circa potationem ipsius potionis; siuè persuadeat mulierem, & ipsam adiuuet ad tale facinus; siuè etiam ad hoc præstet consilium: nam semper lethiferè peccat, & in hunc incidit casum reseruatum. Vndè religiosus, qui dat aliquas receptulas, ad hoc, vt fęmina fętum eijciat, etiam si effectus non sequatur, sub hoc comprehenditur casu.

CAPVT SECVNDVM.

Constitutio Sixti Quinti contra abortum procurantes, cum Gregorij decimi quarti modificatione adducitur, atque declaratur.

SVMMARIVM.

1 *Sixti Quinti Constitutionis nonnulla adducuntur.*
2 *In quibus modificauit Sixti Quinti Constitutionem Gregorius XIV.*
3 *Aliqua pro Sixti Quinti Constitutionis intellectu statuuntur.*

1 POrrò multis de causis abortum nonnulli faciendum curant: aliquando, vt suam expleãt libidinem: aliquando, quia fętum abhorrent: aliquando, vt partus cęletur ne admissum Scelus prodatur: aliquando etiam medicamentis coniuges redduntur steriles, ne sobolis pro creatione pauperiores fiant. Contra quos Sum. Rom. Pontifex Sixtus Quintus in sua Constitutione, quæ incipit: *Effrænatam*, nonnullas statuit pœnas. In primis, omnes tàm viros, quàm fęminas cuiuscunque status, gradus, conditionis, & ordinis, etiam Clericos Sæculares, vel cuiusuis ordinis Regularis, cuiuscunque dignitatis, & pręheminentiæ Ecclesiasticæ, vel mundanæ; qui imposterùm per se, aut interpositas personas fętus immaturi tàm animati, quàm etiam inanimati formati, vel informis eiectionem procurauerint percussionibus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus, laboribusquè mulieri pregnanti impositis, ac alijs etiam incognitis, vel maximè exquisitis rationibus, ita vt re ipsa abortus inde sequutus fuerit, ac etiam prægnantes ipsas mulieres, quæ scienter præmissa fecerint, pęnas tàm diuino, quàm humano iure, ac tam per canonicas sanctiones, vel Apostolicas Constitutiones, quàm Ciuilia iura aduersùs eos homicidas, qui homicidium voluntarium actu, vel re ipsa patrauerint, impositas eò ipso incurrant, statuimus: easquè pęnas, leges, & constitutiones ad causas . . . . extendimus: Clericos omni priuilegio Clericali, officijs, dignitatibus, & beneficijs, Ecclesiasticis ipso facto priuamus, & in futurum inhabiles ad ea suscipienda decernimus, &c.

2 Hanc autem Constitutionem Gregorius XIV.

alia edita, quæ incipit: *Sedes Apostolica*, in duobus temperauit: dicens primò, quòd quilibet Sacerdos ab ordinario approbatus pro confessore ad hoc specialiter deputatus possit absoluere a peccato abortus, & ab excommunicatione ibi imposita: siuè crimen hoc fuerit ante Sixti V. Constitutionem, siuè post illam Gregorianam patratum. Secundò decernit Pontifex, quòd si fętus non fuit animatus, vel si dumtaxat sit poculum, vel remedium datum ad non concipiendum, vel sterilitatem causandam; tunc non incurruntur pęnæ statutæ à Sixto, sed solùm tunc Regulariter delictum per ius commune Canonicum, vel Concilium Tridentinum. Tertiò ait Gregorius, quòd Sixti Quinti Constitutio quo ad alia in ipso contenta in suo robore, & vigore maneat.

3 Sed circa Sixti Quinti constitutionem aduerto, quòd dictus Romanus Pontifex multa decreuit in illa. Primò, vt quouis modo procurans abortum incurreret omnes pęnas, quæ per leges Ciuiles, & Canonicas imponuntur homicidæ: siuè abortus esset fętus animati, siuè inanimati. Secundò, si essent Clerici, vltrà prædictas pęnas, priuati forent ipso facto omni officio, beneficio, & dignitate Ecclesiasticis obtentis: & inhabiles manerent ad prædicta omnia in futurum obtinenda. Si verò essent Sæculares, inhabiles ad ordines Sacros redderentur. Tertiò, easdem pœnas extendit ad omnes procurantes, vel consulentes quouismodo, vt fęminæ alicui daretur potio, vel remedium quod vis ad sterilitatem, vel ad non concipiendum. Quartò cui vis iudici sæculari, vel ecclesiastico committit, vt possit causam præuenire, & contra prædictos procedere prædictas infligendo pœnas. Quintò omnibus prædictis imponit pęnam excommunicationis, a qua per nullum priuilegium, etiam Regularibus concessum, neq; virtute iubilæi possit quis absoluere. Et vltimo statuit, quòd cùm prædictis in irregularitate inde contracta nemo valeat dispensare virtute cuiusuis priuilegij, etiam si crimen occultum sit, neq; in foro conscientiæ.

Verùm quia quo ad hoc tertiùm videtur restricta, seu temperata constitutio, nimirum, vt non incurrant pęnas, quas extendit ad omnes procurantes, vel consilium dantes quouis modo, vt fęminę alicui daretur potio, vel remedium quod vis ad sterilitatem, vel non concipiendum, nisi in pęnas à iure canonico aliàs statutas, ac determinatas: inde duximus exponere Textum in cap. si quis de homicidio.

CAPVT TERTIVM.

Exponitur Textus in Capitulo, si aliquis libidinosè de homicidio voluntario.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui venenum præbet mulieri prægnanti, vt fœtum eijciat, si non fuerit animatus, non efficitur irregularis.*

2 *Sterilitas, seu abortio fętus inanimati dupliciter fieri potest.*

3 *Religiosus, qui animati fœtus medio venenoso veneficio procurat abortum, seu hominis, aut feminæ sterilitatem, est pęna capitis puniendus.*

4 *Sensus verus Textus cap.* si aliquis libidinosè, *adducitur.*

5 *Religiosus, qui abortum fętus inanimati, viri que, aut feminę procurauit sterilitatem medijs naturalibus, non est reus mortis.*

6 *Si ex remedijs naturalibus datis ad abortum procurandum feminæ sequatur mors, qui præbuit remedia pęna capitis est plectendus.*

7 *Religiosus, qui fętus inanimati abortum procurat, non est irregularis, neque excommunicationem incurrit.*

8 *Religiosus, qui feminæ præbet remedia naturalia, ne concipiat, non incurrit pęnas dicti capituli,* si quis libidinosè.

1 Contra eos, qui causa explendæ libidinis, vel odij meditatione homini aut mulieri quocunque modo dederint remedia naturalia, vel etiam ope Dœmonis confecta, vt generare non possint, aut concipere; pęnas contra homicidas latas statuit, atque excommunicauit Alexander Tertius in dicto Capitulo, si aliquis de homicidio voluntario. Huius tamen capitis decretum magis declaratur in capitulo, sicut ex litterarum de homicidio: vbi rogatus an Monachus, cuius opera quædam mulier partu abegerat, irregularitatem contraxerit? Respondit, si fętus nondũ viuebat irregularẽ non esse, ac proindè sacris operari posse; si viuebat fętus, eũ ab Altaris ministerio abstinere oportere. Vndè 32. q. 2. *in c.* quod verò apertè dicitur; si fętus in vtero matris animam non dum habebat, mulier, quæ partum abiecit suum, aut is, qui abortum infert, homicidij pęna Canonica non tenetur: quoniam qui non dum viuit, nec moritur, nec occiditur: si verò animam habebat, homicidium admittitur, ac proindè iura Canonica homicidij pęna contrahitur. Quæ inter se pugnare videntur; Nam Capitulum, si aliquis, statuere videtur pęnam contra homicidas latas aduersus eos, qui non animati fętus procurant abortus: allata autem iura oppositum declarant. Pro quorum intellectu,

2 Aduertendum est, quòd fœtus animati abortus, aut viri, seu mulieri sterilitas duobus modis procurari potest, primo modo causis naturalibus, hoc est naturalibus medicamentis, aut alijs eiusdem generis, modis, & vijs; vt colligitur ex *Doctoribus in cap. aliquando 12. quæst. 2. & ex Diuo Thoma, & alijs in 4 sentent. distinct. 31. q. 1. art. 2. Sprenger in Malleo par. 1. q. 8. Anania de natura Dæmonum lib. 4. Petro Garsia ad Galenum de locis affectis disp. 84.* posteriori modo, maleficio, seu virtute Dœmonis; Nam quidquid fieri contingit naturalibus causis, fieri etiam potest virtute Dęmonis ex pacto, vt probãt Theologi, præsertim *Henriq. lib. 12. c. 7. Soto, Victoria, Ledesma, Sanch. & alij apud Torrebl. de iure spirit. lib. 12. c. 13. n. 7.*

Hoc

3 Hoc supposito, dico; eum, qui inanimati fetus medio venenoso venefico, hoc est ope Dęmonis procurat abortum, seu hominis, aut fęminæ sterilitatem puniri, tàm in iure Canonico, quàm Ciuili, pœna homicidij. Ita colligitur ex extrauaganti Sixti V. *Conditor Cœli, & Terræ, & Doctores in leg. si quis aliquid, §. abortionis, ff. de pœnis probant itidem.* Sixtus Quintus in maleficijs mortis pœnam extendit in sua constitutione ibi, qui veneni potionibus, ac maleficijs sterilitatem inducunt; aut ne concipiant, nec pariant, maleficis medicamentis impediunt; maleficos, dixit Dominus ad Moysen, non patiaris viuere. In quo à Gregorio XIV. nihil innouatum est; eò quòd illam Constitutionem redegerit ad terminos iuris communis, cùm ex eo iure malefici, quomodocunq; suam exerceant artem naturali morte multantur, *leg. Nemo 6. leg. multi 7. de malefic. & Mathemat. leg. quicunque 9. eodem titulo*; Igitur, &c.

4 Ex quo patet intellectus Textus, si aliquis; Nam ibi Summus Pontifex excommunicat, determinatq; pęna homicidij esse puniendos eos, qui sortilegijs, aut maleficijs sterilitatem inducunt, tàm respectu viri, quàm fęminæ, vel abortum procurant inanimatum.

5 Insuper dico: si abortus fœtus inanimati, seu viri, aut fęminæ sterilitas vijs, ac medijs naturalibus procuretur; non esse Reos mortis, nec excommunicatos, neque irregulares, nec pœnis in Sixti Quinti Constitutione subiacere eos, qui prædictum abortum, & sterilitatem procurant huiusmodi. Ita sentiunt *Antonius Gomez variar. 3. cap. 3. num. 7. Molina de iust. & iur. tract. 3. disp. 27. num. 7. Iulius Clarus §. finali q. 69. Garranza de legit. partit. cap. 16. §. 1. n. 46.* & ita intelliguntur Textus Capituli, sicut ex litterarum de homicidio, & c. *quod verum*, & alia iura suprà citata.

6 Sed aduertè, allatam doctrinam esse intelligendam, si mors non sequatur eius, cui præstita fuit medicina, seu aliquod aliud naturale remedium; nam si mors sequatur, pęna mortis est infligenda tàm petenti, quàm consulenti, conficienti, aut præbenti; *leg. si quis aliquid §. Abortionis de pęnis*, vbi communiter Doctores: *Antonius Gomez, Molina, Iulius Clarus locis citatis, Augustin. Barbosa de officio, & potestate Episc. alleg. 51. n. 142. Martin. del Rio lib. 5. Magicar. sess. 16. Stephanus Gratianus disceptat. forens. cap. 72. n. 17. & alij quamplures.*

7 Ex qua doctrina infero primò, quòd hodie procuraris, vel consulens fętus inanimati abortum baculo, onere, vel aliquo alio naturali modo, neque excommunicationem incurrit, neque irregularitatem; quia ius commune tales pęnas huic crimini non inflixit: immò nec pęnam homicidii, vt aduertit post *Patrem Azor. tom. 2. lib. 2. cap. 76. quæsito 3. vers. iure canonico Pater Portel in dub. regul. verbo, abortus n. 3.*

8 Secundò, neque prædictas pęnas incurrit dans remedium, ne fœmina concipiat, vel vt sterilis fiat; quia ius commune illas non imponit, nisi quando medio Dœmoniaco id procuratur. Idem dicito de eo, qui animo impediendi conceptum prolis extra vas seminaret, vel coiret alio modo, quia ius commune hoc non plectit illis pœnis: vt eleganter annotauit *Sayrus de censuris lib. 3. c. 35. n. 27. Portel vbi suprà, & alij.*

CAPVT QVARTVM.

Quæstioni satisfit breuiter.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus procurans abortum fętus adhuc non animati subiacet pęnis statutis in leg.* si quis aliquid, *§. quia abortionis, ff. de pęnis.*

2 *Pęna in lege ciuili statuta potest Religiosis applicari, quando, & quomodo.*

3 *Religiosus, qui abortum procurauit post fętus animationem, multis pęnis subiacet, & quæ illæ sint.*

4 *Religiosus, qui procurauit abortum animatum, effectu secuto, potest hodie à suis Superioribus tradi Brachio sæculari.*

5 *An Religiosus, qui medicamentum præbuit fęminæ, dum fętus erat animatus, sed quia mulier vomitauit illud, non fecit abortum, sit puniendus prædictis pęnis?*

6 *Religiosus subiacet pęnis in Sixti Quinti Constitutione contentis, qui auxilium, aut consilium ad abortum faciendum dedit.*

7 *Religiosus, qui mulieri prægnanti præbuit potionem quandam, nesciens illam esse grauidam, & absque intentione procurandi abortum; si sequitur, non incurrit prædictas pęnas, nec casum hunc reseruatum.*

1 EX his non obscurè ad quæstionem responderi potest primò, Religiosum abortū procurantem fœtus adhuc non animati subiacere pœnis in *lege, si quis aliquid, §. quia Abortionis, ff. de pœnis.* Moueor ad sic asserendum, quia in *cap. si aliquis de homicidio volumtario*, statuitur pęna contra sic abortum procurantem, & iuxta *Glossam ibi in verbo, homicida*, non est pęna illa Canonica, sed iuris Ciuilis: cùm autem illa pęna inclusa in iure Canonico videatur, iure optimo censenda est Canonica; Igitur tali pęna puniri potest Religiosus, qui ad Abortum faciendum inanimati fętus, vel ad inducendam sterilitatem homini, vel fęminæ, naturalia tribuit medicamenta, vel quauis alia naturali via id præstitit.

2 Dices; pęna à iure Ciuili inflicta non potest Religiosis applicari; nam ibi statuitur; si nobilis sit huiusmodi sceleris author, bonorum parte amissa, relegatur: Si verò ignobilis damnatur in metallum. Respondeo, applicari posse cum proportione; vel alia extraordinaria pęna pro qualitate personarum, doli, & damni illati, crimini inferenda est; vt tradunt *Glossa, & Doctores in leg. Diuus ff. de extraordin. crimin. & in cap. sicut ex litterar. de homicidio Alberic. in leg. qui in vtero de statu hom. n. 4. Couarr. lib. 2. var. cap. 20. num. 10. & in*

& in clementina, si furiosus p.2.§.3. à n.1. Petrus Gregor. in Synth. Iuris lib.7. cap.1. n.11. & lib.36. cap.15. n.17. & 18. & lib.38. cap.3. n.34. & lib.14. de Republica cap. primo, Petrus Erodius lib.8. rerum Iudic. cap.5. Farinac. de homicidio quæst.122. p.6. à n.134. Muta decis.79. nu.15. Menoch. de arbitrar. casu 357. Pater Sanchez lib.9. de Matrimon. disp.20. n.9. cum alijs multis.

3 Secundò, multis subiacere pœnis Religiosum, qui postquàm fętus est anima rationali præditus, procurauit abortum, etiam post Gregorij decimi quarti Constitutionem illam Sixti Quinti temperantis. Primò; incidit in excommunicationem, quamquam non reseruatam Summo Romano Pontifici. Secundò; incurrit in irregularitatem ex homicidio ortam voluntario: *Nauarr. in Summ. cap.27. n.223. & in cap. si quis de pęnitentia dist.1. Syluester in summa verbo, abortus num.2. Azor. lib.2. instit. moral. cap.26. quæsito 3. Campanil. rubric.11. cap.23. 24. & 25.* & omnes Doctores vno ore fatentur. Tertiò; incurrit in pęnam priuationis officiorum ordinis, manetq; imposterùm ad omnia ordinis officia obtinenda inhabilis: quia has omnes pęnas imponit Sixtus Quintus. Et Gregorius Decimusquartus dixit, dictam Sixti Quinti Constitutionem in suo robore manere quo ad alia: & circa has pęnas priuationis, & inhabilitationis nihil innouauit prædictus Gregorius. Sic *Rodriquez in addit. ad Summ. tom.3. cap.13. n.4. Portel. in dub. Regular. verbo, Abortus nu.8. Stephanus quaranta apud Rodriq. vbi suprà.* Idquè ex iure Canonico colligitur, quo varijs pęnis mulctatur poculum abortionis propinans, quando fętus est anima rationali præditus, *cap. si aliquis, cap. sicut ex litterarum de homicidio, cap. aliquando, cap. quod verò, cap. Moysis 32. q. 2. cap. Consuluisti 2. q.5. concilium Merdens. sub Ioanne 2. §.2. Constantinop. 6. can.9. Moguntinum sub Leone Quarto cap.21. Vuormagiens. sub Adriano 2. cap.35.*

4 Quartò, incurrit in pęnam capitis. Vndè Religiosus, qui procurauit abortum animatum, effectu secuto, & probato delicto, potest hodie puniri à suis Superioribus vsq; ad traditionem brachio sæculari, vt patet ex ipsa Sixti Quinti Constitutione; quia Gregorius circa hæc nihil innouauit. Ita tenent *Rodriquez tom.2. qq. Regularium q.33. art.4. in fine, Portel vbi suprà n.9. Couarr. lib.2. variar. cap.20. n.10. Iulius Clarus q.68. §. finali n.2. Antonius Gomez tom.3. var. cap.3. n.32. Cenedo ad decretal. collet.32. Menoch. de arbitrar. causa 357. Gratian. disceptat. forens. cap.72. num.17. Farinac. in praxi q.122. num.91. & seqq. Aloys. Riccius part.3. collect.590.*

5 Sed quæres; an Religiosus, qui poculum præbuit, dum fętus erat animatus, sed abortus non fuit secutus, quia adhibitis vomitorijs, vel alijs medicamentis, poculum ad abortiendum ordinatum suum non habuit effectum, sit puniendus pęna capitis? Ratio dubitandi est, quia per eum non stetit, quominus non sequeretur abortus.

Respondeo affirmatiuè, quia in delictis voluntas expectatur, non exitus; *leg. interest ff. ad l. Iul. de adult. leg.2. ff. de condit. instit. leg. si. ff. ad l. Cornel. de Sycar. leg. fraud. ff. de Regul. iur.* & communiter Doctores de hac re scribentes.

6 Idem dicendum est de Religioso, qui consilium, aut auxilium dederit ad abortum faciendũ: vt patet ex verbis eiusdem Sixti Quinti Constitutionis ibi; vel consilium præstiterint. Ita Doctores paulò antea allegati.

7 Item quæres; an Religiosus, qui alicui mulieri dedit potionem quandam, nesciens illam esse grauidam, absque intentione abortum procurandi, propterquam postea illa adiecit fętum animatum, in supradictas pęnas incurrat? Respõdeo negatiuè, & eò magis si medicamentum ex sua natura non fuerat talis conditionis; nam ad illas pęnas incurrendas nõ solùm requiritur animus ad abortum procurandum, verùm etiam quòd medicamentum, seu potio ad id ordinetur: his minimè concurrentibus, excusandus est, & eò quam maximè, quia ignorantia impeccabilis interuenit. Quinimmò addo, quòd non incidit in peccatum hoc reseruatum, quia (vt bene *Pater Coriolanus* super hunc casum annotauit) copulatiuè simul omnia debent concurrere: scilicet, quòd mulier verè sit grauida, quòd fętus sit animatus anima rationali, quòd detur medicamentum, & quòd detur tali fine, & intentione: alioquin in casum hunc non incidit reseruatum.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum Religiosus, qui animati fętus Abortum procurauit, possit à quocunque absolui confessario ab excommunicatione, qua ob tale crimen est innodatus?

CAPVT VNICVM.

Quid sit sentiendum.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui abortum fetus animati procurauit, effectu secuto, est excommunicatus.*
2 *Ab hac censura, post Gregorij XIV. modificationem, potest absolui à quolibet presbytero: Et quomodo.*
3 *Religiosus, qui talem incurrit censuram, ad hoc, vt absolui possit, necesse est, vt à suo Prouinciali Superiore sit confessor approbatus expresè pro tali censura absoluenda.*
4 *Ex vi priuilegiorum non possunt Regulares absoluere Religiosum, qui propter abortum incurrit censuram.*
5 *Homicidium voluntarium iure communi est Episcopis reseruatum.*
6 *Clericus potest absolui ab hac censura à Regulari virtute priuilegiorum, secundùm Portel.*
7 *Decretum Clementis Octaui, & aliæ Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium declarationes super negotijs Episcoporum, & Regularium*

non

non habent vim in Hispania, quatenus prohibent, ne Regulares absoluant à casibus Episcopis reseruatis.

8 *Regularium Confessores non posse hodie absoluere pœnitentes à casibus Episcopis reseruatis, qui docent.*

9 *Qui absoluunt à casibus Episcopis, seu Sedi Apostolicæ reseruatis, sunt hodiè excommunicati ipso iure.*

10 *Religiosi in Regno Siciliæ, Sardiniæ, Corsicæ, & in Hispania existentes, est probabile, quòd possunt à casibus Episcopis reseruatis absoluere.*

11 *Veriùs, & probabiliùs est, hodie non posse regulares, etiam in Hispania, Sardinia, & Sicilia absoluere à Casibus Sedi Apostolicæ, & Episcopis reseruatis.*

12 *Casus Episcopis reseruati sunt in triplici differentia.*

13 *Regulares vbicunq; existentes non possunt a casibus Episcopis per statuta Synodalia per ipsosmet reseruatis absoluere.*

14 *Regulares virtute suorum priuilegiorum possunt à casibus Episcopis iure cōmuni reseruatis absoluere.*

15 *Regulares possunt iure suorum priuilegiorum clericum sæcularem abortum post fœtus animationem procurantē à censura Episcopo reseruata absoluere.*

16 *Regulares non possunt clericum abortum procurantem absoluere, si Episcopus sibi hoc crimen reseruauit.*

1 CErtum est ac cōstans, Religiosum abortum fœtus animati procurantem, effectu secuto, esse excommunicatum; Nam Gregorius XIV. in sua Constitutione moderatoria, ait, quod ab excommunicatione ibi incursa absoluat Sacerdos; vt suprà dictum est. Vndè manifestè supponit excommunicationem impositam taliter facienti manere, licèt Summo non sit Pontifici reseruata. Quod autem modò vertitur in dubium est, an quilibet Sacerdos ex approbatis ab ordinario possit ab hac censura Reum absoluere? Ratio dubitandi est, quia Gregorius XIV. quo ad excommunicationem contra personas in constitutione Sixti Quinti expressas latam, tā
2 quæ post constitutionem Sixti Quinti deliquerunt, quàm quæ in posterùm deliquerint, statuit, quòd quilibet presbyter tam sæcularis, quā cuiusuis ordinis Regularis ad Christi Fidelium Confessiones audiendas per loci ordinarium approbatus absoluere possit. Addit nihilominus; si fuerit ad hoc approbatus, (nimirum, ad absoluendum à tali excommunicatione contracta ex abortu) plenam, & liberam in foro conscientiæ tantùm absoluendi habeat facultatem eandem prorsus, quam idem Sixtus prædecessor sibi, & suis reseruauit Successoribus, ex quibus videtur, quod non quilibet Sacerdos ex approbatis ab ordinario hanc habeat absoluendi facultatem.

3 Vndè breuiter respondeo; ad hoc, vt Religiosus, qui in talem incidit censuram possit ab hac absolui, necesse est, vt confessor sit specialiter deputatus à suo Prouinciali Superiore cum expressa facultate absoluendi ab ipsa; sicut opus est, vt deputetur ad dispensandum cum coniugatis pro petendo debito, quando voto, vel coitu incæstuoso impediuntur. Moueor, quia vt diximus paulò superiùs, Gregorius XIV. vltrà Confessoris approbationem specialem, requirit sui Superioris destinationem,

4 Neque aliquid valet, si dicas, posse Regularem Confessarium id optimè facere per priuilegia, per quæ potest absoluere Sæculares à censuris Papæ reseruatis; ergo à fortiori possunt, & Religiosos. Non valet certè, tum quia quo ad hoc omnia priuilegia Regularibus concessa sunt à Sixto Quinto derogata; tum quia modificatio illa Gregorij XIV. quo ad censuram hanc est cum limitatione sociata, nimirùm vt sit specialiter confessor ad illam absoluendam à suo ordinario deputatus; qua propter ex vi priuilegiorum nullus Regularis à suo non deputato Superiore habet absoluendi illam facultatem.

5 Sed quæres; potest ne confessor Regularis absoluere Clericum ab hac censura, virtute priuilegiorum Regularibus concessorum, lata ob factum abortum post animatum fœtum? Ratio dubitandi est, quia abortus hoc modo factus est iam homicidium, vt suprà allegata iura statuunt; & homidium iure communi est Episcopis reseruatum; ex Decreto autem Clementis Octaui videtur esse interdictum specialiter regularibus absoluere ab Episcopis reseruatis.

6 Posse, respondit *Portel in dub. Regular. verbo, casus reseruati, n. 6. citans Rodriq. tom. 1. qq. Regular. q. 61. art. 2. & in addit. ad Summ. tom. 3. cap. 12. concl. 1. Suarez tom. 4. ad tertiam partem disp. 30. sect. 2. ad finem*, sed immeritò; Nam ibi doctissimus Pater de hac re post Decretum Clementis mentionem vllam facit. Ducitur, quia Decretum Clementis Octaui, nec non duæ Sacræ
7 Eminentissimorum Cardinalium Congregationis super negotijs Episcoporum, & Regularium, quas referunt *Miranda tom. 1. sui Manualis q. 46. art. 2. & Finell. de casibus reseruatis cap. 6. n. 6.* declarationes, quibus rigorosè confessoribus Regularibus absoluere à casibus Episcopis reseruatis, seù in Bulla Cœnæ Domini contentis quibuscunque, ac etiam extra Bullam, Sedi Apostolicæ reseruatis, sub pœna excommunicationis interdicitur, priuilegijs quibuscunque à dicta Sede Apostolica Regularibus concessis non obstantibus, sunt dumtaxat pro Italia factæ. Quamobrem in Hispania non obligant; etenim in priori declaratione sic dicitur: *Sacerdotibus tam Sæcularibus* &c. *per vniuersam Italiam extra vrbem degentibus*: *verba* autem restrictiua strictè intelligi debent, vt *Rodriq. loco citato latè ostendit*. Idem sustinent *Frater Ioannes à Cruce in sua Epitom. priuileg. Vega p. 1. verbo, casus reseruati casu 1. & casu 15. & multi alij Doctissimi viri Hispani, quos sub tacito nomine citat, & sequitur idem Portel. verbo, confessor erga sæculares num. 22.*

8 Sed probabilius tenet *P. Miranda vbi suprà*, non posse Regularium confessores hodie virtute suorum priuilegiorum absoluere à casibus Episcopis reseruatis ex dicto Decreto Clementis,

tis, necnon alijs Sacræ Congregationis Cardinalium, quibus priuilegia Regularium quo ad hoc reuocantur. Vndè supponere videtur doctissimus iste Pater, prædictā reuocationem pro tota valere Ecclesia, passim enim in illo articulo, & alijs, affirmat, Regulares hodiè absoluere non posse à prędictis casibus. Quam sententiam sustinent *Moderniores, præsertim Marolus in suis disp. tom.1.disp.1.cap.2.diff.14.n.575.Megala in 1.p.lib. 1.cap.13.n.10. Horatius Gambacurta de casibus reseruatis cap.3. Pater Diana tract.3. Miscell.parte 2. resolut.30. in fine, Bonacin. Aloysſ. à Cruce, & alij quamplures.*

9 Verùm, vt quid ipse senserim in hac difficultate, aperiam, supponere aliqua oportet; primò, quòd hodie quicunque Regularis, siuè sæcularis, quià casibus Episcopis reseruatis, seu Sedi Apostolicæ, tam, qui in Bulla Cœnæ Domini continentur, quàm alijs quibuscunque, etiam extra illam contentis, absoluere præsumit, ipso facto excommunicationem incurrit, & illius absolutio est Pontifici reseruata, non obstantibus quibuscunque priuilegijs: vt patet ex decreto Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium super negotijs Episcoporum, & Regularium edito die 9. mensis Ianuarij 1601. & ex illius declaratione edita die 26. Nouembris 1602.

10 Secundò, quòd licèt ex tenore dictorum decretorum colligi possit, huiusmodi prohibitionem non obligare Regulares confessores in Hispania existentes, & in Regno Siciliæ, Sardiniæ, & Corsicæ, pro vt probant *Gambacurta vbi suprà num.8. & Pater Diana dicta resol. & resol.13.p.3. tract.2.de dub.regular. versic.tandem nota*, vbi ita sentire testatur quamplures Doctissimos viros Illustrissimæ Religionis Societatis Iesu; Nihilominus oppositum esse sentiendum, constanter

11 affirmo. Ducor, quia Sacra Eminentissimorum Congregatio Cardinalium sub die 18. Nouembris 1628. ex præcepto Sanctissimi Domini Vrbani Octaui derogat priuilegijs Regularium absoluendi à casibus Episcopis reseruatis, etiam si extarent extra Italiam. Vndè opinio *Portel*, & aliorum ante huiusmodi Decretum & si probabilis existimari potuit, nunc est omnino improbabilis, ne dicam, temeraria.

12 Tertiò, casus Episcopis reseruatos in triplici esse differentia; quidam enim sunt ipsis reseruati per statuta Episcoporum, de quibus nihil dicere possumus, quia pendent ex facto, & in varijs Diœcesibus sunt varia iuxta exigentiam, & necessitatem vniuscuiusque Episcopatus: Quidam per consuetudinem, & quia consuetudo est varia, varij quoque sunt casus reseruati: quidam verò sunt reseruati iure communi, & ita solent quinque, vel sex casus numerari iure communi reseruati Episcopis in Extrauagant.super Cathedram de Sepulturis. Inter hos casus iure Episcopis reseruatos enumeratur homicidium voluntarium; vt obseruat *Syluester verbo, casus quæsito 4. Angelus eodem verbo, Nauarr. in cap. Nuper de sentent. excommunic. num. 262.*

13 His suppositis, respondeo ad difficultatem, nō posse confessores Regulares (vbicunque existāt), absoluere pęnitentes à casibus Episcopis reseruatis primò, & secundò modo: Quia eis prædictis decretis, & declarationibus id facere interdicitur.

14 Posse, Respondeo secundò, virtute suorum priuilegiorum Regulares absoluere à casibus iure communi Episcopis reseruatis. Ita *Suar. lib. 9. cap.11. de sacrament. pęnit.administract. tom.4. de Religion.n.14. & Pater Diana dicto tract.2. de dub. Regular.Resol.13. vbi sic habet*: Nota quarto, non ligari excommunicatione in dicto Decreto contenta Confessarios absoluentes à casibus Episcopo reseruatis à Iure. Ex quo infertur, Regulares, qui anteà habebant priuilegium absoluendi ab omnibus casibus, & censuris etiam Papæ reseruatis, posse, non obstante dicto Decreto, nunc vigore dictorum priuilegiorum absoluere à casibus à Iure Episcopo reseruatis, sicut anteà poterant; & posse etiam absoluere à casibus papalibus occultis; quia huiusmodi casus post Concilium Tridentinum sunt Episcopales, vt notat *Sanchez in Summa tom.1.lib.4.cap.54.nu.17.* cui nouissimè addendus est *Marolus citatus disp. 1.cap.2. diff.11.num.540. vbi etiam n 138.* notat, & rectè, ad incurrendam dictam excommunicationem in supradicto Decreto contra confessarios latam non sufficere ignorantiam etiam crassam, siuè iuris, siuè facti; quia fertur tantùm contra præsumentes absoluere: quod verbum denotat, requiri scientiam in absoluente, vt plerique tradunt Doctores. Hactenus *Pater Diana*, & benè.

15 Ex quibus omnibus patet, posse virtute suorum priuilegiorum Regularem Confessarium absoluere clericum sæcularem abortum fœtus animati procurantem à peccato homicidij, quāquam iure communi Episcopo reseruato. Dixi notanter, iure communi reseruato; quia si per Episcoporum statuta, vel consuetudine, aut alio titulo esset abortus post animatum fętum

16 Episcopo reseruatus, non posset Regularis confessarius à tali grauissimo crimine virtute suorum priuilegiorum absoluere, quia hoc est ei interdictum per dicta decreta.

Consultò quoque dixi, Clericum Sæcularem; quia si pęnitens delinquens persona sit Religiosa, videndum est an in suo ordine homicidium voluntarium sit casus reseruatus; quòd si ita fuerit, tunc confessor Regularis non potest ab abortu Religiosum absoluere, nisi habuerit specialem à suo Superiori facultatem; hoc autem intellige non solùm in ratione abortus, verùm quoque in ratione homicidij; Nam in decimo casu in Clementis Octaui Decreto contento reseruatur homicidium voluntarium, vt ibi videbimus.

QVAE-

QVAESTIO TERTIA.

An Religiosus, qui mulieri pregnanti præbuit medicamentum, eo fine, vt fętum animatum eijciat; si dubitet de fætus animatione, censendus sit irregularis? Et an Superior super hac irregularitate possit cum illo dispensare?

CAPVT VNICVM.

Ostenso, quòd in dubio se exhibere debet irregularem; refertur nonnullorum opinio asserentium, posse super talem irregularitatem Superiores Regulares dispensare: & Author, quid sit tenendum, respondet.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus præbens abortui causam, si dubitat, an fętus sit animatus, efficitur irregularis.*

2 *Religiosus dans abortui causam sub hoc casu comprehenditur reseruato.*

3 *Regularium Superiores posse super irregularitate ex abortu contracta cum subdito dispensare, qui tenent.*

4 *Prælatos Regulares dispensare hodie cum suis subditis in irregularitate ex abortu animato, effectu secuto, non posse, docet Author.*

5 *Confirmatio priuilegiorum nostri Ordinis à Clemente Octauo facta est in forma communi, & non ex certa scientia.*

6 *Pater Laurentius Portel improbatur, quatenus docet, Religiosum irregularitate innodatum occultè esse dispensatum ex vi absolutionis, & dispensationis, quam in visitatione præbent in vniuersum Prælati.*

7 *Religiosus, qui approbauit abortum suo nomine factum, non incurrit irregularitatem, nec pęnas in Constitutione Sixti Quinti latas, si anteà non iusserit, nec consuluerit dictum abortum.*

8 *Cur approbans clerici percussionem suo nomine factam censuram incurrit, non verò approbans abortum suo nomine factum, postquàm factum est?*

9 *Religiosus, qui approbat abortum antequàm fieret, effectu secuto, incurrit pęnas Sixti Quinti, & hunc casum reseruatum.*

10 *Religiosus pęnas Sixti V. incurrit, & hunc casum reseruatum, qui tempore, quo nondum fętus erat anima rationali præditus, persuasit fęminæ abortum: ista verò dilatans, medicinam adhibuit post fętus animationem, & abortum eiecit.*

11 *Religiosus, qui dedit consilium vel medicamentum, vt fieret animati fetus abortus, quo applicato, si effectus non est secutus, licèt irregularitatem non incurrat, incurrit tamen hunc casum.*

1 RELigiosum prębẽtem abortui causam, cùm dubium est, an fętus sit animatus, esse irregularem, tradunt quamplures Doctores, quia dubium est, an sit verè homicida: Ita *Syluester in verbo, Abortus in fine, Ledesma tract. de irregular. Filiarcus de officio Sacerdotis tom 1. p. 1. li. 4. cap. 11. notabili 1. Rodriquez tom. 1. Summæ in 2. editione c. 175. n. 4. Portel in dub. Regul. verbo, abortus in addit. n. 1. P. Sanchez lib. 1. cap. 10. n. 43. in opere moral. & alij Moderniores communiter*, atqui in dubio facti homicidij quisque irregularis censendus est: igitur. Verùm hæc doctrina est intelligenda quoad priuationem suscipiendi ordines, ac in illis ministrandi, quàm intrinsecè includit irregularitas: secus verò quo ad alias pęnas, quæ à Iudice imponi solent pro irregularitate contracta, qualis est priuatio beneficiorum, & omnes aliæ in Bulla Sixti Quinti contentæ. Quòd pęna ordinaria statuta delicto certo non sit ponenda delicto dubio sed extraordinaria pro dubij qualitate, statuunt *Ioannes Andreas in cap. sicut, el 2. n. 3. de homicidio*, & ibi *Abbas n. 7. Cardinalis n. final. Anch. n. final. Anan. nu. 7. Marianus Socinus senior cap. ad audientiam q. 36. nu. 217. eodem titulo, Nauarrus in Summa latina, & Hispana cap. 27. n. 223. Syluester vbi suprà, Rodriquez loco citato n. 39. Vazquez 1. 2. q. 19. art. 6. disp. 66. cap. 1. n. 5. Pater Suarez tom. 5. ad tertiam partem disp. 40. sess. 6. n. 6. in principio, & n. 10. ad finem, Sayrus in Claui Regia lib. 1. cap. 13. n. 24. Salas 1. 2. q. 21. tract. 8. disp. vnica sect. 19. n. 196. Sanchez, & Portel locis citatis.* Idem docuere *Bonacin. Reginald. Filiucius, & alij Moderniores communiter.*

2 Hinc à fortiori patet, hunc Religiosum esse sub hoc casu comprehensum, nam non dubitatur, an peccatum ab eo patratum sit reseruatum, sed, an fętus sit animatus, cuius abortus fuit causa; ac subinde non potest absolui ab hoc crimine, nisi ab eo, quià suo Superiore habet facultatem.

3 Tota igitur difficultas est, an possint hodie Regulares Prælati cum subdito in irregularitate contracta ex abortu animato, secuto effectu, dispensare? *Pater Portel* loco vbi suprà affirmatiuè respondit; Sic *Villalobos in Sum. tom. 2. tract. 12. difficultate 14. num. 6. & Hieronymus Rodriquez in compendio qq. Regularium resol. 4. num. 6.* si irregularitas fuerit occulta. Ducitur, eò quòd ex vi Priuilegiorum Superiores Regularium possunt cũ suis subditis dispensare in irregularitate orta ex homicidio voluntario, quando est omnino occulta: vt habetur in compendio mendicantium *verbo, dispensatio §. 24. vbi Corduba annot. ad eundem §. Rodriquez tom. 1. qq. Regular. q. 24. art. 12. Miranda tom. 2. q. 8. art. 10. concl. 2.* Igitur etiam possunt in ista orta ex voluntario abortu animato, ad quod ostendendum ex *Sanchez* contra *Rodriquez* adducit nonnullas rationes, quæ nullius sunt roboris.

4 Dico igitur, non posse Prælatos Regulares dispensare hodie cum suis subditis in irregularitate contracta ex abortu animato, effectu secuto. Ita *Rodriquez, vbi suprà Pater Diana part. 4. tract. 2. de irregular. resol. 39. versic. sed aliqui in fine*, ibi; sed his non obstantibus. Ratio est, quia si Superiores Regulares, etiam conuentuales, dispensare possunt in irregularitate ex homicidio voluntario occulto omnino; hoc est, quia ad hoc habent

habent à Sede Apostolica specialia priuilegia: & hæc sunt per Constitutionem Sixti Quinti quantum adhoc reuocata. Etenim Summus Pontifex in dicta sua Constitutione expresse decernit, non posse dispensari à Prælatis Regularibus per sua priuilegia in irregularitate orta ex voluntario abortu: & Gregorius XIV. nihil circa hanc irregularitatem temperauit; sed quo ad illam reliquit dictam Sixti V. Constitutionem in suo robore; igitur.

5 Neque aliquid obstat id, quòd respondit *P. Portel supra num. 10.* Priuilegia Regularium minimum esse in suo robore etiam quo ad hanc irregularitatem; eò quòd Clemens Octauus confirmauit priuilegia minorum ex certa scientia: Confirmatio autem ex certa scientia reualidat priuilegia etiam reuocata ab antecessoribus: Non obstat certè, quia confirmatio priuilegiorum ordinis Minorum à Clemente Octauo facta est in forma communi, & non ex certa scientia, vt latè ostendimus *disput. 3. pro iuris Pontificij defensione q. 2. cap. 1. 2. & 3.* ac proinde non habet vim innouandi, neq; reualidandi priuilegia, quatenus à Sixto Quinto fuerunt reuocata quoad hanc irregularitatem.

6 Vnde infero, falsum esse quod asserit *Portel* vbi suprà. Religiosum huiusmodi irregularitate innodatum occultè esse dispensatum quotiescunque in cap. visitationis, vel Prouinciali, Prælatus generaliter omnes absoluit Religiosos, cùm dicit; Absoluo vos ab omni censura: & dispenso vobiscum in omni irregularitate, & habilito vos ad omnia; si fuerit talis Religiosus præsens. Non enim manet absolutus, neque ad officia, & dignitates ordinis habilis: quia (vt dictum est) priuilegia, quibus omnium ordinum Prælatis talis conceditur facultas, sunt specialiter, & in indiuiduo reuocata per Sixti Quinti Constitutionem.

7 Si quæres; an Religiosus, qui approbauit, seu ratum habuit abortum suo nomine factum, etiam si ante non iusserit, nec consuluerit, sed approbauit postea iam factum, incurrat in irregularitatem, ceterasque pœnas in Sixti V. constitutione positas? Respondeo, non incurrere; quia iste non fuit homicida, cùm ad mortem iam illatam non sit cooperatus.

8 Sed obijcies? qui approbat Clerici percussionem, vel occisionem suo nomine factam, etiam si postquàm est facta, approbaret, incurrit in excommunicationem, & cœteras pęnas, quæ apponuntur à Iure approbanti percussionem suo nomine in clerico factam; igitur eodem modo, Religiosus, qui ratum habuit suo nomine factum, etiam si post quàm factum est, approbauit, excommunicationem, irregularitatem, ceterasquè pęnas in Sixti constitutione positas incurret.

Respondeò, negando consequentiam; Non enim est par ratio: Nam iura statuunt excommunicationis pœnam contra approbantem clerici percussionem suo nomine factam, ob Clericatus excellentiam, & dignitatem; non verò ponuntur in iure approbantis percussionem hominis ordinarij iam factam suo nomine: Approbatio autem abortus suo nomine facta est approbatio homicidij hominis ordinarij, ac subinde non est par ratio.

9 Dixi notanter, *si approbauit abortum factum suo nomine iam factum*; quia si abortum approbaret antequàm fieret, dicens v. g. paranti abortum; *benè facis, gratum quid mihi facies*; secuto abortu, pœnas Sixti Quinti incurrit: quia iam concurrit ad fętus animati occisionem, & consequenter sub hoc sexto casu reseruato comprehenditur.

10 Rursùs quis percontari potest; an Religiosus, qui mulieri dixit, vt causaret abortum, vel illum procuraret, & hoc illi dixit tempore, quo nondum fœtus erat anima rationali præditus; intendens, vt aborīretur ante animatum fętum: femina verò dilatans, adhibuit Medicinam post fętus animationem, & abortum eiecit; incurrat in irregularitatem, ceterasque pęnas à Sixto V. in sua constitutione statutas? Respondeo affirmatiuè, quia iam suo consilio, vel mandato causauit abortum: debuerat quippè suum consilium, vel mandatum explicare, vel efficaciter reuocare, ne fieret abortus post fętus animationem. Ita colligitur ex *cap. vltimo de homicidio in 6.* & ibi Doctores communiter. Hinc infertur, huiusmodi Religiosum esse Reum peccati homicidij: quod crimen dupliciter est reseruatum: primò in hoc sexto casu, & in alio decimo, si in Religione fuerit reseruatum.

11 Rursùs inferò, Religiosum, qui dedit consilium, vel medicamentum, vt fieret fœtus animati abortus, etiam si remedium applicatum fuerit, si tamen effectus non est subsequutus, esse comprehensum sub hoc casu, licèt irregularitatem non incurrat; neque alias pœnas in dicta Constitutione Sixti Quinti statutas; quia verba legis sunt accipienda cum effectu sequuto, quem legislator intendit punire; vt ait *Nauarrus lib. 5. consilior. cons. 16.* & prætereà conatus solus ad culpam non meretur pęnam ordinariam legis, effectu non sequuto; vt communiter tenent Doctores. Hoc autem intellige, si aliàs non fuerit talis effectus ab aliquo naturali remedio, vel remedium applicatum non fuerit naturale, sed supernaturale; nam tunc (vt supra ostendimus) eadem pœna debet puniri; ac si esset effectus subsequutus.

QVAESTIO QVARTA.

An Religiosus procurans abortum ad bonum finem, V. G. ad euitandum periculum vitæ, aut infamiæ alicuius puellæ pregnantis, incurrat in hunc casum; fiatque irregularis, & pęnis in Sixti Quinti Constitutione latis subiaceat.

CA-

CAPVT PRIMVM.

Refertur, & reijcitur Prima sententia affirmatiua.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus procurans abortum ante fętus animationem ad bonum finem, ad euitandum nimirum periculum vitæ, aut infamiæ alicuius nobilis puellæ, non incurrit hunc casum reseruatum, neque irregularitatem, secundum nonnullos Doctores.*

2 *Fœtus ante animationem non reputatur homo, sed matris viscerum pars.*

3 *Procurare abortum, etiam ante fœtus animationem, seu fœminæ, aut viri sterilitatem, est grauissimum scelus.*

4 *Non nasci hominem, vel natum ita operari, vt viuere nequeat, paria sunt.*

1 NOnnulli, quos sub tacito nomine citant *P. Azor. tom. 2. instit. moral. lib. 2. cap. 26. quæsito 4. & Zanardus in direct. confess. par. 1. de sacramento matrimon. cap. 4. quæst. 17.* docent, ad euitandam infamiam fęminæ, & aliorum offensionem, licere aliquando vti remedio, ne fętus concipiatur, seu procurare abortum ante fętus animationē. Hoc autem tunc licere aiunt, quando probabiliter creditur magna oritura infamia, aut aliorum magna offensio: vt potè ne monialis fęmina post nefarium & sacrilegum concubitum concipiat, vel fętum non dum maturum eijciat; aut ne puella illustri, honestouè genere nata in domo parentum grauida fiat, aut si iam grauida eijciat fętum inanimatum. Ducuntur ad hoc asserendum vnico fundamento, quod nimirum fętus nondum sit animatus; ergo ob ignominiam, & dedecus euitandum, fas est sterilitatis remedium adhibere; tum quia nemini fit iniuria; Nam fę-
2 tus in vtero existens non dum vita compos non reputatur homo, sed pars viscerum matris, pro vt statuitur in *leg. 1. §. ex hoc rescripto ff. de ventre inspiciendo, leg. 2. ff. de mortuo inferendo, lege, cùm inter veteres, Codice de fideicom. libert.* vbi Doctores; Igitur nec parentibus, nec Reipublicæ aliqua infertus iniuria. ac proinde ex nullo capite videtur hoc non licere.

3 Verùm hæc sententia est falsissima, illamque iure optimo impugnat *Pater Sanchez lib. 9. de Matrimonio disp. 20. nu. 9.*; Etenim in primis nulli dubium est, hoc procurare (vt eleganter aduertit *Azorius* vbi suprà) esse grauissimum peccatum, igitur nunquam sterilitas procurari potest. Consequentia, & antecedens patet; quia in iure grauissimis pęnis procurantes sterilitatem, aut fętus abortionem puniuntur: vt tradunt *Glossa, & Doctores in cap. si aliquis de homicidio, Hieronym. Campanil. rubric. 11. cap. 23. num. 2. Molin. de iustitia & iure tract. 3. disput. 27. num. 3. Barbosa de officio, & potestate Episcop. allegat. 31. numer. 142.* atqui nunquam iura Canonica absque culpa quemquam consueuere tàm grauissimis pęnis punire: Item nunquam vidimus in foro externo à Iudicibus abortum hoc modo causantes excusari; igitur signum euidens est, huiusmodi peccare lethaliter; ac proinde nunquam licere huiusmodi sterilitatis adhibere remedia. Tum quia impedire cursum, & ordinem est graue crimen; igitur. Tum quia fit maximè Reipublicæ iniuria, sicuti hominem occidere: At-
4 qui paria sunt non nasci, vel natum ita operari, vt viuere non possit, *leg. final. Codic. de institution. & substitut. & doctè noster Marius Giurba de consuetud. Messan. cap. 10 Glossa 1. num. 4.* ostendit, & *Menochius lib. 3. Arbitrar. cas. 284.* igitur sicut hominem vita priuare est grauis fieri iniuria communitati, parentibusquè; ita impedire, vt homo non nascatur: ac subinde graue peccatum committeret Religiosus, qui sic sterilitatem fęminæ, aut abortum ante fętus animationem procuraret. Tum tandem, quia (vt inquit *Apostolus ad Romanos 3.*) non sunt facienda mala; vt eueniant bona: & fęmina sibi imputet, quæ spōte sua, & voluntate peccauit.

CAPVT SECVNDVM.

Sententia negatiua verior præponitur.

SVMMARIVM.

1 *Ad euitandum periculum vitæ, aut infamiæ alicuius pregnantis fęminæ cuiusuis gradus, & conditionis illa fuerit, non licet procurare abortum.*

2 *Pro salute matris licet Abortum procurare, antequàm fętus animetur, iuxta nonnullos grauissimos Doctores.*

3 *Indirectè pro salute matris potest Abortus procurari.*

4 *Mulieri prægnanti post fętus animationem, etiam si periculosè laboret, non licet sanguinis emissionem applicare. Quare.*

5 *Mulier prægnans si videt Taurum inuadentem licitè fugere potest, etiam si sciat inde abortum sequuturum.*

1 VErior igitur sententia, à qua nemini licet recedere, est, nunquam licere abortum procurare, ad euitandum vitæ, infamiæquè alicuius prægnantis fœminæ, cuiusuis gradus, & conditionis illa fuerit, periculum. Ita docent *Sanchez de Matrimonio vbi suprà, Pater Azor. & Zanardus locis citatis, Tannerus 2. 2. disp. 4. quæst. 8. dub. 4. num. 58. Sylvius ibid. quæst. 64. artic. 7.* Quæritur quartò, *conclusione 3. Finelius tract. de casib. reseruatis parte 2. casu 5. verbo, Abortus §. 1. num. 3. Filiucius tom. 2. tract. 29. cap. 6. num. 130. Pater Diana 2. parte tract. 5. Miscell. resol. 11. vers. sed illum impugnat in fine* ibi; sed an hæc opinio sit probabilis, iudicent viri docti; mihi enim omnino non placet; *Bellochius in praxi Theolog. moral. p. 2. q. 8. n. 78. Sanctus Antoninus 3. p. cap. 2. §. 2. Nauarrus in manual. cap. 27. nu. 62. Corduba in Summa q. 163. in fine, Vazquez de restitut. cap. 2. §. 1. nu. 28. vers. si verò fętus non sit animatus, Basilius Pontius de matrimonio lib. 10. cap. 13. n. 6. Couarr. in Clementina, si furiosus, de homicidio p. 2. §. 3. & Franciscus Torreblanca de iure spirituali lib. 12. cap. 16. nu. 44.*

Hæc sententia ijsdem rationibus ostenditur, quibus allatam impugnauimus, & certè ex nulla causa licet abortum procurare, cùm actus illum procurandi sit contra naturam, licèt non sit homicidium: veluti non licèt semen directè fundere, ex quacunque interueniente causa, etiam sanitatis, quia vtriusque est contra generationis naturam.

2 Dices; quòd quando aliud non suppetit remedium pro salute infirmę matris, potest quis licitè abortum procurare, si fœtus non dum est animatus; ergo etiam potest quis licitè procurare abortum ad euitandum vitæ periculum, aut infamiam alicuius pregnantis mulieris, quando fętus non est animatus. Antecedens admittunt quamplures Doctores, præsertim *Armilla verb. abortus n. 2. Corduba in Summa q. 173. dicto 4. Margarita confessorum 5. præcepto §. liberare alium, Henriquez lib. 11. de matrimonio cap. 16. n. 8. Graff. 1. p. decis. lib. 2. cap. 83. n. 24. Palatius in 4. dist. 31. disp. 2. in fine, Sà Verbo, homicidium in principio, Sanch. vbi suprà, Homobon. tract. de casib. reseruat. part. 3. cap. 4. Aragon. Sayr. Lessius, & Reginaldus, apud Layman. in Theolog. Moral. lib. 3. sect. 5. tract. 3. part. 3. cap. 4. num* 4.

3 Respondeo negando consequentiam, simul & antecedens; nam in illo casu licet procurare abortum indirectè, prout petit antecedens. Ita *Basilius Pontius, Vazquez locis citatis, & Nauarrus lib. 2. de restit. diff. 2. de indirectè occidente n. 132. in noua edit,* vbi testatur de communi: & ibi multis rationibus id ostendit, quæ videri possunt.

4 Contra: mulier prægnans post fętus animationem periculosè laborans, vt nullum aliud remedium sit, nisi sanguinis emissio; potest emittere sanguinem, licèt inde fętus mors sequatur; Igitur. Respondeo cum *Vazq. vbi suprà*, non licere emittere sanguinem, vt saluetur prægnans, si inde mors fętus sequutura speretur. Ita *Basilius Pontius vbi suprà*.

5 Dices: si prægnans videt Taurum inuadentem licitè fugere potest, etiam si sciat inde abortum sequuturum; nam stultum esset dicere, quòd non potest fugere; & tamen ex remedio, quod vitæ matris prodest, fœtus moritur: Igitur idem videtur dicendum in vtroque casu. Respondeo cum *Vazquez vbi suprà*, disparem esse rationem; quoniam matris fuga natura sua fit in vtriusq; protectionem, & non tantùm vnius, sed æquè vtriusque. Vndè parum refert, quòd inde mors sequatur fętus: at verò sanguinis emissio non potest in casu nostro dici, quòd sit remediũ natura sua fętus, quod intendat ipsum saluare; immò mortem acceleraret, aut saltem eam sua causa inferret. Vndè non est æqua ratio. Idem dicendum est de Medicamentis, quæ ex natura sua minimè saluare possunt fętum; vt quamplures Doctores affirmant, quando fętus est animatus. Et hæc sufficiant pro sexto casu.

SEPTIMVS CASVS.

Falsificatio manus, aut sigilli officialium Monasterij, aut Conuentus.

DISPVTATIO NONA.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum sub nomine officialium Monasterij comprehendantur Generales, atque Prouinciales.

CAPVT VNICVM.

Resoluitur Quæstio affirmatiuè: & nonnullæ aliæ quæstiunculæ, quæ in hoc casu tractari possunt, resoluuntur.

SVMMARIVM.

1 *Sub voce officialium non solùm Prælatus ipse comprehenditur, verum etiam Vicarius, Subprior, Minister, Procurator, & huiusmodi, qui sub Prælato conuentus habent aliquam personarum, aut bonorum administrationem.*

2 *Religiosus, qui malo animo aliquorum prædictorum manum, aut sigillum falsificat, hunc incurrit casum reseruatum.*

3 *Religiosus, qui non malo animo sigillum prædictorum falsificat, non incurrit hunc casum reseruatum.*

4 *Religiosus falsificans manum, aut sigillum alicuius Prælati, si ex ea nullum sequitur damnum, non incurrit hunc casum; quare.*

5 *Religiosus, qui proprium alicuius Prælati falsificat sigillum, quo vtitur non vt Prælatus, sed vt priuata persona, non incurrit hunc casum reseruatum.*

6 *Religiosus, qui falsificat sigillum alicuius Superioris non sui proprij muneris, quod non habet speciale, sed commune, & eiusdem figuræ cum alijs, non incurrit hunc casum; quare.*

7 *Religiosus fabricans Superioris sigillum, si eo non vtitur, non incurrit hunc casum, licèt grauiter peccet.*

8 *Religiosus, qui falsificat manum alicuius Monasterij Officialis in re ad Monasterium, siue munus Prælationis non spectante, non incurrit hunc casum reseruatum; contra Suarez.*

9 *Religiosum, qui in litteris, quas patentes vocant, aliquam dictionem addit, vel minuit, hunc casum incur-*

incurrere, quando verborum mutatur sensus; affirmant nonnulli.

10 *Talem Religiosum non incurrere casum reseruatum, probat Author.*

1 SVb illa voce, *officialium Monasterij, seu Conuentus*, comprehendi Prælatum ipsum, & omnes, qui sub illo habent aliquam personarum administrationem, aut bonorum Conuentus; vt sunt Vicarius, Subprior, Minister, Procurator, & si qui sunt alij similes, quocunque vocentur nomine; docent *Pater Suarez tom. 4. de Religione lib. 2. cap. 18. numer. 8. Coriolanus de casib reseruatis 2. parte casu 7. & Pater Ioannes à Trinitate in expositione casuum in nostro ordine reseruatorum, casu 11.* & à fortiori dicimus comprehendi Prouincialem, Generalem, Procuratorem Generalem, Commissarium Generalem in nostro ordine Minorico in curia Romana existentem, iuxta Pontificis mentem; quia eò falsificatio grauior esset, & magis perniciosa Religioni. Rursùs, quia quilibet eorum commodè dici potest officialis Monasterij, vel Conuentus: nam licèt magis propriè appelletur totius Prouinciæ, vel Religionis: tamen ibi à fortiori singuli Conuentus includuntur: quæ extensio maximè habet locum in his, quæ sunt Prælato fauorabilia, & quæ pertinent ad reuerentiam, & fidelitatem eius debitam officio, quale est hoc, de quo agimus. Ita *Pater Suarez* vbi suprà.

2 Quando ergò Religiosus manum aliquorũ prędictorũ, aut sigillum falsificat ad malũ finẽ mortiferè peccat, & hunc casum incurrit reseruatũ.

3 Vndè infertur, quòd si aliquis Religiosus sigillo Superioris vteretur nõ malo animo, sed vt suę litterę ad manus illius, ad quẽ mittuntur securiùs peruenirent, non incurreret casũ hunc reseruatũ, quia non fit malo animo, neq; peruersa volũtate.

4 Quæres primò; an Religiosus falsificans manum, aut sigillum alicuius Prælati, ex qua nulli sequatur damnum, incidat in hunc casum reseruatum? Respondeo negatiuè; nam quando nullum ex tali falsicatione sequitur damnum, nempe quia Religiosus noluit tali falsa vti scriptura, seu sigillo, sed combussit, aut lacerauit; videtur non peccare mortiferè, & consequenter non incidit in casum reseruatum: vt colligitur ex *Butrio in cap. penultimo num. 3. de Crimine falso*, & alijs, vbi asserunt, quod sola litterarum falsificatio sine vsu, non obligat quemquam ad pęnam falsi: & scripturæ falsificatio, qua non probat, neque falsi pęnam inducit; igitur neque incidit in casum reseruatum.

5 Quæres secundò; an Religiosus falsificans sigillum proprium alicuius prælati, quo vtitur non quatenus Prælatus, sed quatenus priuata persona, incurrat hunc casum reseruatum. Respondeo negatiuè, quia non falsificat sigillum officialis Monasterij, sed sigillum priuatæ personæ. Vndè obiter hìc notat *Pater Suarez*, vbi suprà, Summum Pontificem supponere in hoc casu, & tacitè Religionis vsum approbare, quòd eius officiales propria habeant sigilla distincta ab ijs, quibus priuati Religiosi vti possunt; non enim cuiuscunque sigilli falsificatio, sed propria talis muneris reseruata est. Vndè infertur, quòd licèt priuatus Religiosus proprio aliquando vtatur sigillo, & alius illud falsificet, non incurret in hunc casum reseruatum.

6 Quæres tertiò; quando alicuius Monasterij Superior, seu officialis non habet sui muneris speciale sigillum, sed eiusdem figuræ cum alijs, vel priuatum quodcunque illud sit; an Religiosus illud falsificans in hunc casum incurrat? Respondeo negatiuè; quia falsificatio ex hoc capite non est reseruata, eò quòd non est sigillum officialis vt sic, neque habet Religionis authoritatem, cùm non sit Monasterij sigillum: secùs verò, si eius manum falsificet; quia tunc erit casus reseruatus: ideò dixi, ex hoc capite.

7 Quæres quartò; an fabricare sigillum Religionis simile, vel officialium eius occultè & furtiuè, sit falsificare sigillum, si per illud nulla falsa scriptura consignetur. Respondeo cum *Patre Suarez* loco citato, sicut manum falsificare est cum nomine alterius subscribere, eius imitando subscriptionem, quæ illius non est; ita sigillum propriè falsificare est consignare similem scripturam sigillo alieno. Quod fieri potest dupliciter; scilicet, vel subfurando proprium, & verum sigillum, & consignando; vel fabricando aliud sigillum simile, & illo vtendo. Quamquam igitur hæc sigilli furtiua fabricatio sit graue peccatum; nihilominus non videtur esse propria falsificatio, donec falsæ litteræ illi consignentur: & ideò non videtur esse peccatum reseruatum, etiam si hac fabricetur intentione, donec ad prædictum vsum, & effectum perueniat: sicut etiam Prælati sigillum furari ea praua intentione, si ad effectum sigillandi non perueniatur, non erit peccatum reseruatum, si ad effectum Religiosus illud furans non perueniat.

8 Quæres quintò; si scriptura, quæ falsò manu, aut sigillo officialis consignatur, ad officium, nec ad rem Monasterij pertineat, sed sit familiaris Epistola, falsò V. G. alteri attributa, an Religiosus sic falsificans scripturam incidat in hunc casum reseruatum? Ratio dubitandi est, quia illa non est falsificatio signi, seu sigilli officialis vt sic: videtur autem hæc reseruatio intelligenda respectu Officialis formaliter, quia non respicitur persona eius, sed munus. Et quamuis hoc probabiliter sustineri potest, nihilominus *Pater Suarez* in oppositam inclinat sententiam; Quia huiusmodi actio est simpliciter contra fidelitatem tali personæ ratione sui muneris debitam, estquè iniuriosa non solùm personæ, verùm etiam officio, quo fungitur. Quæ *Suarez* sententia & si probabili nitatur fundamento, mihi verò probabiliùs videtur dicendum iuxta priorem. Ratio est quia stamus in materia odiosa, odia autem sunt restringenda: Cum autem reserue-

seruetur falsificatio manus, aut sigilli officialium Monasterij, aut Conuentus, & huiusmodi non sit falsificatio manus, aut sigilli officialis vt sic, vt petit ratio dubitandi: Igitur non est extendenda ad actionem, quatenus tendit indirectè ad personam officialis Monasterij, aut Conuentus ratione sui muneris.

9 Quæres sextò; an incidat in reseruationem huius casus Religiosus, qui in litteris, quas patentes vocant, vel in alijs Prælatorum scriptis aliquam dictionem addit, vel minuit? Affirmatiuè respondent nonnulli, quando per additionem, vel minutionem vnius dictionis; immò vnius litteræ, & punctationis duntaxat mutatur verborum sensus: secùs verò, si per additionem, vel minutionem sensus non mutetur, sed integer sicut anteà perseueret. Et quamquam nullo nitantur fundamento, nihilominus probari potest; eò quòd tunc videtur manum, & sigillum indirectè falsificare; Etenim Superior nunquam consignaret, vel subscriberet tales litteras, ita si videret falsificatas. Sed probabiliùs respondeo, ipsum non incurrere casum reseruatum hunc; eò quòd Pontifex præcisè sigillum, & manum, seu subscriptionem formaliter Superiorum falsificantem hunc casum incurrere asseuerat: Atqui Religiosus, qui in litteris aliquid addit, vel minuit, formaliter non falsificat manum, aut Superioris sigillum; Igitur ex hoc capite non incurrit casum hunc reseruatum. *Dixi ex hoc capite;* quia si peccatum falsificationis in vniuersum esset reseruatum in aliqua Religione, iuxta formam Decreti Clementis Octaui, incideret in casum reseruatum Religiosus, qui ita minueret, vel adderet.

CASVS OCTAVVS.

Furtum de rebus Monasterij, seu Conuentus, in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.

DISPVTATIO DECIMA

De quantitate necessaria ad constituendum furti peccatum, ad hoc vt sit reseruatum.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum quantitas constituens proprietatis peccatum sufficiat ad constituendum peccati furtum, vt reseruatum censeatur in hoc octauo casu reseruato?

CAPVT PRIMVM.

Omnes sententiæ, quæ quantitatem necessariam ad furtum constituendum, ad hoc vt sit mortale peccatum assignant, referuntur.

SVMMARIVM.

1 *Furtum quid sit definitur.*
2 *Religiosus, qui occultè alicuius alterius Religiosi ingreditur Cellam, & aliquam rem ad illius vsum destinatam aufert, animo illam iterùm restituendi, non peccat peccato furti.*
3 *Qui occultè aufert ab alio rem, quam iniustè retinet, vt eam illi restituat, ad quem pertinet, non committit furtum.*
4 *Religiosus, qui occultè ex cella alterius abstrahit scripta Geomantiæ, Pyromantiæ, & alia huius generis, vt Prælato consignet, vel comburat, non peccat peccato furti.*
5 *Qui habet rem locatam ad certum vsum, vel ad certum tempus, & ea inuito domino ad alium vtitur vsum, vel per longum tempus, committit furtum.*
6 *Creditor, qui vtitur pignore, & depositarius re depositata, inuito Domino, furtum committit.*
7 *Accipere rem propriam, vel iure debitam non est furtum.*
8 *Quid intelligitur in textu per illa verba,* de rebus Monasterij?
9 *Rapina specie distinguitur à furto.*
10 *Religiosus, qui è Monasterio aliquam rem accepit, credendo, Prælatum, si ad esset, id permissurum, non committit furtum.*
11 *Religiosus committit furtum, qui aliquam rem è Monasterio accipit, dubitans, an Prælatus id permitteret, si adesset.*
12 *Quantitas ad constituendum furtum lethiferum secundùm Nauarrum, est dimidium Iulij, aut Realis, seu tareni.*
13 *Vnum argenteum esse materiam sufficientem peccati mortalis asserit Couarruuias.*
14 *Duorum argenteorum esse materiam sufficientem ad furtum lethiferum, ex nostratibus nonnulli docent Doctores.*
15 *Accipere tres argenteos etiã à diuitibus est mortiferum furtum, iuxta Gregorij de Valẽtia opinionem.*
16 *Ad constituendum furtum lethiferum, quatuor auferre argenteos satis esse, volunt Sãchez, Alphonsus de Vega, & alij.*
17 *Auferre tantam quantitatem pecuniæ, quæ in vnoquoque loco satis est ad conducendas operas vnius diei fossoris terræ, sufficere ad constituendum furtum lethale, docet Molina.*
18 *Auferre tres argenteos, omni alio damno extrinseco*

co excluso, esse notabilem materiam constituentem furtum lethale, tenent Sayrus, & alij.

19 *Duos argenteos auferre esse materiam notabilem furtum lethiferum constituentem, sustinent Rodriquez, & alij.*

20 *Auferre centum argenteos, vel aureos absolutè non esse quantitatem notabilem ad furtum constituendum, qui falsò doceant.*

21 *Bonacina quid inter has extremas sententias dimidiando senserit.*

1 PRo huius octaui Casus reseruati, seu reseruabilis intellectu, nec non aliorum, quæ in tota disputatione hac à nobis veniunt dicēdà, necessariò furti diffinitionem duximus præmittendam. Multas furto solent Doctores accommodare diffinitiones: inter quas vna magis placet plurium Doctorum calculis comprobata, prout notant *Petrus à Nauarro lib. 3. de restitut. cap 1. num. 20. Reginaldus lib. 23. cap. 1. quæst. 1. num. 3.* Nempe, est vsurpatio dolosa rei alienę inuito Domino: siue acceptio iniusta rei alienę, absque vi quidem, sed sine Domini consensu. Dicitur primò, *Acceptio*, per quam reijcitur, Tum rei alienæ contrectatio, absque animo illam sibi accipiendi, aut vtendi, & inuito Domino; Vt quando quis eam tantùm per iocum occultat, vel eā accipit vt à latronibus præseruet. Tùm etiam iniusta dandi illatio per incendium, & eiusmodi alia, quæ vti non sunt acceptiones propriè, ita nec sunt propriè furta: idemq; est, quando quis alterius domum, vel sata combussit, non dicitur illa furatus esse. Tum iniusta retentio rei debitæ, quæ non est acceptio, sed mora iniusta reddendi alteri illud, quod ad ipsum spectat. Tùm demū cogitatio, seu voluntas furti faciendi, vt si quis furti faciendi causa domum alicuius, vel cubiculum fuerit ingressus, sed nihil accipit, non dicitur fur; quia voluntas faciendi furtum non est furtū facere; vt aduertunt *Azorius lib. 3. p. 3. to. 3. c. 11. & Coriolanus 2. par.* super hunc casum.

2 Hinc infero, Religiosum, qui occultè alicuius alterius Religiosi cellam ingreditur, & aliquam rem ad illius vsum destinatam, animo iterùm illam restituendi aufert, non peccare ex hoc capite peccato furti, quia non est acceptio; sed iniusta mora (vt dictum est) alteri reddendi quod ad ipsum spectat. dixi, ex hoc capite, quia posset ex alia ratione mortiferè peccare.

Dicitur secundò, *Iniusta*, per quam particulā à ratione furti ea acceptio rei alienæ excluditur, quæ fit Domino illius iniustè, seu contra rectam rationem inuito; vt accidit, cùm quis alienum accipit ad præstandum id, quod Dominus præstare tenetur, vel ad euitandum id, quòd ille tenetur euitare. Vndè qui occultè aufert ab alio

3 rem, quam iniustè retinet, vt eam illi restituat, ad quem pertinet, non committit furtum; vt nec ille, qui hæreticorum libros comburit occultè detractos ei, cui illis vti non permittitur, aut qui gladium aufert ei, qui alioqui aliquem est inter-

4 fecturus. Vndè infero, Religiosum, qui occultè ex Cella alterius abstrahit scripta Geomantiæ, Pyromantiæ, & alia eiusmodi, vt Prælato consignet, vel comburat, vel pecuniam, quam furatus est, non committere furtum, nec consequenter in hunc incidere casum.

5 Dicitur tertiò, *rei alienæ*, circà quam particulam duo veniunt obseruanda; alterum, nomine Rei in ea comprehendi non modò alienū, quod quis sibi vsurpat illud integrè, lucri faciendi gratia, sed etiam quod tantùm gratis illo vtendi, aut illum possidendi, inuito Domino. Vndè infertur primò, quòd si quis habeat rem locatam ad certum vsum, vel ad certum tempus, & ea vtatur ad alium vsum, vel per longum tempus, inuito Domino, furtum committit ea contrectatione.

6 Secundò infertur, quod si creditor vtatur pignore, aut Depositarius re deposita inuito Domino, furtum committit. Tertiò infertur, quòd si quis alterum, ipso inuito, priuet possessione rei, quam obtinet, etiam si is non sit eiusdē Dominus; (vt si quis de Creditoris potestate pignus auferat, aut rem locatam de locatoris potestate, aut depositatam de potestate Depositarij, aut Custodis) furtum committit; vt colligitur ex *lege Creditoris, ff. de furtis*: nomine enim *rei alienæ*, non solùm ea veniunt, quorum quis habet Dominium; sed etiam ea, quorum habet custodiam, vel vsum fructum, vel quæ accipit in depositum, vel in pignus. Quæ sunt valdè notanda, & deseruient quam maximè ad determinandam secundam huius disputationis quæstionem.

7 Alterum est, per eam rationem furti excludi rei propria acceptionem, vel quæ putatur propria, vel iure esse deberet propria: Nam ea non est furtum, iuxta *leg. si is, qui rem, ff. de furtis*. Ita *Reginaldus loco suprà citato, & Molina de iust. & iur. tract. 2. disp. 181. num. 7.*

8 Atque hinc aduerto pro intelligentia illius particulæ huius octaui Casus *de rebus Monasterij*, quòd per rem Summistæ, & iuris periti volunt esse intelligēdas res mobiles, & corporales; quia in rebus immobilibus furtum non committitur: nam contrectari est de vno loco ad alium moueri, vt habetur in *lege possideri, §. si rem apud te, ff. de acquir. possess.*: res autem immobiles de vno loco in alium moueri nequeunt, ac proinde non potest esse acceptio in his, & consequenter neque furtum.

9 Quartò dicitur, *Absque vi*, vt excludatur rapina, quæ cætera posita in diffinitione habet quidem communia cum furto, sed est species ab eo disiuncta, ratione violentiæ, per quam perficitur, vt docent *Sanctus Thomas 2. 2. q. 66. art. 4.* & ibi *Caietanus, & cęteri eius discipuli, Sotus lib. 5. de iust. & iure q. 3. art. 2. Reginaldus lib. 23. q. 1. num. 8.* & alij communiter.

Quintò denique dicitur; sine *Consensu Domini*, vt excludatur acceptio rei alienæ per consanguineum, vel amicum veri Domini facta sub illius ratihabitione; item acceptio vsuraria, aliaque quæcunque ex contractu illicito libero: quia cū absolutè fiat de contrahentium consensu, cen-

seri non debet furtum propriè, etiam si in ea aliquid inuoluntarij interueniat, ex quo rationem iniuriæ habens inducit obligationem restitutionis. Huius generis sunt supergressiones, & circumuentiones, quas quidem aliquid inuoluntarij habere constat: Propterea quòd damnū patiens in eis ideò patitur, quia ignoret iniustitiam, vel si cognoscit, cōsentit necessitate pressus, aut metu, aliauè ratione compulsus.

10 Ex quibus infero, Religiosum, qui rem aliquā è Monasterio accipit, credēdo, Prælatum, si adesset, id permissurum; si quidem iusta subsit causa credendi; non peccare, & consequenter non comprehendi sub hoc casu reseruato. Secùs verò, si vel nulla talis causa subsit, vel tantùm in-
11 certa: Cùm in dubio præsumendus sit Prælatus inuitus, nec consentire; (cùm nemo censeatur velle, sua esse prædæ exposita) etiam si videns rem suam auferri, non contradicat; eò quòd timeat subditi indignationem, vel aliquid aliud huius generis. In hac doctrina conueniunt omnes Doctores, qui etiam vno ore affirmant, esse furtum ex genere suo mortiferum. Ita Sanctus *Thomas 2.2. quæst. 66. art. 6. Caietanus, & Bañes ibidem, Petrus de Aragon. & Michael Salon. eadem q. Angelus verbo, furtum §. 34. Syluester eodem verbo, quæsito 3. Tabiena verbo, furtum vers. 14. Medin. Cod. de rebus restituendis q. 4. dub. 2. Sotus lib. 5. de iustit. & iure q. 3. art 3. Nauarrus in Manual. cap. 17. num. 2. vers. 3. Valentia tom. 3. disp. 5. q. 5. puncto 5. Petrus Nauarrus lib. 3. de restit. cap. 3. n. 23. Sayrus in Claui Regia lib. 11. cap. 15. n. 1. Azor. Reginaldus, Filiuc. Ioan. à Trinitat.* & omnes Doctores scribentes super septimum Decalogi præceptum.

12 Dissentio autem est, & varietas Opinionum in assignanda quantitate ad constituendum peccatum mortale requisita. Qua in re nobis placuit, vt quod intendimus faciliùs determinare possimus, hìc omnium Doctorum referre placita. Est igitur prima sententia *Nauarri loco cit. n. 4.* existimantis, dimidium iulij, argentei, realis, aut tareni esse quantitatem notabilem, quæ furtum constituat lethale. Secunda est *Patris Corduba in Sum. quæst. 109. & Salon. 2.2. tom. 1. q. 66. art. 6. contron. 1.* asserentium absolutè & in vniuersum vnū argenteum esse materiā sufficientē peccati mor-
13 talis; quam sententiam assequutus fuit aliquando *Couarruias*, teste *Turriano 2.2. tom. 2. disp. 33. dub. 2. n. 17.* Tertia est *Bartholomæi Medin. in 1.2.*
14 *quæst. 88. art. 8. Coriolani super huuc casum, Sorbi in addit. ad compendium, Patris Ioannis à Trinitate in expositione casuū in nostro ordine reseruat. cas. 6. n. 1.* & aliorum, qui voluere, non esse furtum lethiferum, nisi ad duorum argenteorum summam
15 ascendat. Quarta est *Gregorij de Valentia tom. 3. disp. 5. quæst. 10. puncto 16. Rebel. 1 par. lib. 3. q. 15. sect. 2. num. 21.* qui absolutè dicunt, accipere tres argenteos etiam à diuitibus esse crimen morta-
16 le. Quinta est *Sanchez in opere morali to. 2. lib. 7. cap. 20. n. 3. & Alphonsi de Vega in Summa tom. 1. cas. 12. cap. 129.* qui putant, furtum esse lethiferum, quoties auferuntur quatuor reales, seu ar-
17 gentei. Sexta est *Ludouici Molina de iustit. & iure tom. 3. disp. 685.* qui docet, tantum pecuniæ valorem, qui in vnoquoque loco satis est ad conducendas operas vnius diei fossoris terræ satis videri ad materiam sufficientem ad furtum lethale respectu eorum, qui non sunt valdè diui-
18 tes. Septima est *Bartholomæi à sancto Fausto in speculo Confessorum disput. 2. quæst. 18. n. 16.* & *Sayr. in sua Claui Regia* vbi suprà, qui putant, quod, secluso omni alio damno extrinseco, trium argenteorum summa, etiam si à ditissimis auferatur, esset materia notabilis constituens furtum lethale: & in ordine ad personas mediocres, quæ non sunt pauperes, vel valdè diuites, quantitas duorum argenteorum in ordine verò ad pauperem, qui mendicando viuit, vnus argenteus.

19 Octaua est nostri *Patris Rodriquez tom. 5. Sum. in noua addit. cap. 118. num. 27. & 29.* absolutè asserentis, illam esse notabilem quantitatem, quæ excedit duos aureos. Quam sententiam *Angelus verbo, Furtum n. 34. Syluester eodem verbo quæst. 2. nu. 5.* sequi videntur in ordine ad diuites, & *Sotus lib. 5. de iust. & iure quæst. 3. art. 3. ad 3.* in hanc quoque venit sententiam: prout volunt *Turrianus, Bartholomæus à sancto Fausto locis citatis, Petrus de Aragon. 2.2. quæst. 66. art. 6. & Lessius lib. 2. cap. 12. dub. 6. num. 26.*

20 Nona sententia est illorum, quorum meminit *Petrus Nauarrus n. 33. vbi suprà, & Petrus de Aragon. loc. cit.* docentium, nec centum argenteorum numerum, nec etiam centum aureorū quantitatem esse absolutè dicendam materiam peccati mortalis ex natura rei, & ex obiecto, nisi quando ex tali furto quis graue aliud damnum pateretur: Ita *Bannes 2.2. q. 66. art. 6* vbi inquit, filium furantem à Patre prædiuite quinquaginta aureos non peccare mortiferè: & tamen si seruus ab eodem vnum auferat aureum, eum peccare mortaliter; quia respectu filij non est valdè rationabiliter inuitus pater, benè tamen respectu famuli; & similiter aliquis si priuatus Regis, cui dispensatio multorum millium aureorum committitur, accipiat sibi centum, aut ducentos, non est, ait, peccatum mortale; quia re ipsa inuitus non censetur rationabiliter in ordine ad talem Ministrum.

21 Inter has tam extremas sententias decimo loco intermediat *Bonacina de contract. disp. 2. qu. 8. puncto 1. num. 7.* quem sequitur *Diana tract. 17. & 3. Miscellan. Resol. 57. par. 2.* vbi ait, quatuor esse personarum genera, in ordine ad quas venit consideranda grauitas, & leuitas furti. Primò aliæ sunt personæ Illustres, quæ splendidè alunt familiam; Secundo aliæ, quæ ex suis viuunt redditibus, quales sunt Diuites communes; Tertiò, quæ se suo sustentauit artificio, & opera; Quartò aliæ, quæ mendicando viuunt. Respectu, inquit, personarum primi generis nummus aureus, vt minimus, est notabilis materia, & sufficiens ad peccatum lethiferum; Respectu personarum secundi generis quatuor Regales circiter, plus, minusuè; Respectu personarum tertij generis,

generis duo Regales, seu tareni; & tandem respectu personarum quarti generis vnus Regalis erit grauis materia. Pro hac sententia citari possunt *P. Suarez tom. 2. de Religione lib. 8. cap. 6. n. 8. Reginald. tom. 2. lib. 23. cap. 1. q. 4. n. 19. Petrus Nauarr. vbi suprà cap. 1. n. 39. Azor. to. 3. par. 3. lib. 5. cap. 13. quæsito 2. & Pater Diana loco, vbi suprà*, quatenus hanc vltimam opinionem probabiliorem omnium existimat. Quid autem ipse senserim in hac Doctorum controuersia, suprà in casu quarto explicauit, & infrà fusiùs dicam.

CAPVT SECVNDVM.

Authoris sententia declaratur, & stabilitur.

SVMMARIVM.

1 *Quantitas ad furtum mortiferum petita, iuxta cōmunem DD. opinionem, est quattuor, aut quinq; argenteorum in vniuersum.*

2 *Ad furtum lethiferum constituendum respectu Religiosorum quatuor, aut quinq; argentei non sunt satis, quare.*

3 *Religiosi in vniuersum, quatenus Religionis corpus constituunt, sunt eiusdem bonorum Domini.*

4 *Omnium Religionum Monasteria sunt carnalibus parentibus quoad quantitatem ad furtum filiorum petitam æquiparanda: suntque in quadruplici differentia.*

5 *Peccatum proprietariæ detentionis, & peccatum furti reseruatum, in quo discriminantur quoad quantitatem.*

6 *Quantitas in materia furti duobus modis consideratur.*

7 *Religiosus potest committere peccatum reseruatum in genere furti, absque peccaminosa proprietate, & è contra.*

8 *Furti malitia consurgit ex damno illato proximis, ac proinde quandoque maior, quandoque minor quantitas constituit illud mortale. Secus in peccato proprietatis.*

9 *Religiosus, qui quatuor aureos è Monasterio valdè diuite inuito Prælato sibi vsurpat, committit peccatum proprietariæ detentionis cōtra votum paupertatis reseruatum, non tamen peccatum lethale furti.*

10 *Religiosus Ordinis Minorum, qui clàm rem valoris duorum argenteorum è Conuentu surriperet, committeret peccatum reseruatum in genere furti, non autem peccatum proprietariæ detentionis.*

11 *Religiosus Ordinis Minorum cur peccat in genere furti auferens è conuentu rem valoris duorum argenteorum, inuito Prælato?*

12 *Notabilis quantitas in furto non oritur ex ipsamet quantitate, sed ex relatione ad personam, contra quam fit; declaratur.*

13 *Quantitas, quæ constituit peccatum mortiferum proprietariæ detentionis contra votum paupertatis non satis est ad constituendum lethale furtum reseruatum.*

14 *Religiosus de rebus Monasterij illustris, & valdè diuitis aliquid surripiens valoris, & quantitatis decem, aut duodecim aureorum, non peccat mortiferè in genere furti, Quare.*

15 *Religiosus, qui de rebus Monasterij, quod nō est valdè diues, duos, aut ad summum tres aureos furatur, non peccat mortaliter in genere furti.*

16 *Religiosus, qui è Monasterio, in quo fratres viuunt eleemosynis, aliquid duodecim argenteorum valoris sibi vsurpat, peccat lethaliter, & incurrit casum reseruatum.*

17 *Religiosus Ordinis Minorum, qui de rebus Conuentus aliquid furatur, quod sit valoris, & quantitatis duorum argenteorum, peccat lethiferè peccato furti reseruato.*

1 ANtèquam veram nostram statuamus sententiam, quam plura sunt priùs præmittenda in hac materia valdè notanda, & scitu digna. Et Primò obseruandum est; quòd licèt ad furtum constituendum lethiferum quantitas quatuor argenteorum, aut quinque sufficere possit, vt hodie in his Hyspaniarum prouincijs cōmunior fert sententia; teste *Sāchez lib. 7. in oper. morali cap. 10. n. 3.* & nos super Quartum Casum *disput. 6. q. 3. cap. 2.* probauimus; & nouissimè affirmat *Franciscus Luengo à sancto Bernardino super Regulam cap. 7. controu. 2. sect. 2. num. 31.*; Nihilominus respectu Religiosorum non satis est: nam ad hoc, vt furtum committatur lethiferum, maior requiritur in Religiosis quantitas, eò quòd quantitas hæc venit pensanda iuxta quantitatem
2 petitam ad furtum filiorum. Quia Prælati non sunt credendi magis inuiti quoad rem clàm acceptam à Religiosis; quàm parentes carnales quoad filios suos, cùm non minus, sed magis suos debeant diligere subditos: & ita non sunt censendi inuiti quoad rem acceptam eiusdem quantitatis, in qua Patres carnales non videntur inuiti; eò quòd Religiosi in vniuersum, quatenus Religionis corpus constituunt, Religionis bonorum sunt Domini, & vnusquisque vt pars illius corporis cēsetur etiam bonorum Religio-
3 nis Dominus: singulariter tamen tentus, prout præscinditur, & consideratur vt singularis Religiosus, ad ea habet saltem ius, vt à Monasterio alatur veluti filij ex parentum bonis. Ita docuere *Pater Suarez to. 3. de Religion. lib. 8. cap. 11. n. 41. Rebell. tract. de iust. par. 1. lib. 3. quæst. 15. sect. 3. n. 22.* & Carissimus noster *Fr. Martinus à Sancto Ioseph super nostram Regulam in 6. casu reseru. n. 6.*
4 Secundò obseruandum est: Monasteria Religiosorum esse æquiparanda quoad hanc quantitatem ad furtum filiorum petitam Carnalibus parentibus; qui in quadruplici differentia esse possunt. Primò; filiorum parentes alij sunt Illustres, qui splendidè suam propriam alunt familiam, seu sunt valdè diuites. Secundò; alij sunt, qui viuunt ex suis proprijs bonis seu redditibus, vt sunt viri nobiles, qui communiter diuites in Republica opinantur. Tertiò; qui suo se sustentant labore, & artificio. Quartò; qui miserrimè, & laboriosè viuunt, & quasi mendicando. Ita quoque sunt consideranda Religiosorum Monaste-

nasteria, seu Conuentus; nam quædam sūt, quæ diuitijs valdè pollent, vt ferè sūt Monachorum, & Patrum Illustrissimæ Iesuitarum Religionis, & nōnullorum aliorum Regularium Monasteria, nec non Clericorum Regularium. Alia sunt diuites, alia verò sunt, quæ viuunt proprijs redditibus, sed isti non sufficiunt ad Religiosos alendos: Vndè necesse est, vt spiritualibus operibus incumbant. Alia tandem sunt, quæ mendicitate dumtaxat viuunt, vt sunt Monasteria nostri Ordinis Seraphici Patris nostri Sancti Francisci, præsertim Reformatorum, siue Discalceatorum, ac Patruum Capuccinorum. Et sic proportionanda est quantitas iuxta Monasteriorum facultates, & diuitias prout infrà dicemus.

5 Tertiò obseruandum est, quòd aliud est, cōmittere peccatum proprietariæ detentionis; aliud, peccatum furti reseruatum: nam ad hoc, vt Religiosus proprietarius sit censendus, satis est, vt apud se absque Superioris licentia rem teneat tantæ quantitatis, & valoris, quæ sufficere possit ad quantitatem constituentem furtū lethiferum in Sæcularibus absolutum, & non respectiuum, vt ex supradictis colligi potest. Nam
6 quantitas in materia furti duobus contingit modis considerari; vno modo absolutè, & secūdùm se; alio modo respectiuè, idest comparatione facta ad indigentiam, & necessitatem personæ, à qua res per furtum aufertur; sic enim potest esse interdum peccatū mortale in quantitate secundùm se minima, ob nocumentū graue, quod inde potest in altero redundare. Sicut enim illa Mulier, quæ in Euangelio duo minuta obtulit, magnā eleemosynam fecisse dicta est, eò quòd ex sibi necessarijs obtulit; ita auferre ab aliquo duo minuta sibi valdè necessaria potest esse peccatum mortale.

7 Quapropter cùm dicimus, eam quantitatem exigi, & sufficere ad mortalem proprietatem, quæ sat est ad furtum mortale in sæcularibus; intelligi debet de materia sufficienti ex se ad furtum, seclusis personæ, aduersus quam committitur, circumstantijs. V.G. furari acum à Sartore quandoque lethale est, non quidem in se, sed ratione lucri cessantis operum Sartoris; Et ab homine paupere multò minorem quantitatem, quàm à Diuite; & respectu Principis maior exigitur quantitas: at acus furtum, aut rei paruæ à paupere, quod commissum à Religioso esset in genere furti peccatū mortale, in genere proprietatis contra votum admissæ non esset mortale: & sic reseruato proprietatis peccato non censeretur hoc reseruatum. Et è contra in genere furti exempli gratia esset veniale à Rege furari decē, aut viginti aureos, & in genere pec-
8 cati proprietatis esset mortale: quippe furti malitia consurgit ex damno illato proximis, ac proinde quandoq; maior, quandoque minor quantitas constituit illud mortale. At peccatum proprietatis solam proprietatis voti transgressionem respicit; quia inuito Superiore Religiosus sibi aliquid appropriat: Et ideò nec augetur, neç minuitur quantitas hæc petita ad mortale ex magno, aut paruo damno illato, cùm in vtróque euentu æquè actus Dominij exerceatur, appropriando sibi aliquid absque Superioris licentia. Quamobrem existimamus exigi, & sufficere eā quantitatem, quam communiter (seclusis ijs personæ circumstantijs) ad mortiferum satis esse, quam dicta *disput. 6. quæst. 3. cap. 2.* diximus,
9 esse quatuor argenteorum. Hinc Religiosus, qui quatuor aureos è Monasterio valdè diuite sibi vsurpat, Prælato inuito, committeret vtique peccatum proprietariæ detentionis contra votū paupertatis reseruatum, non tamen peccatum lethale furti, Et è contra Religiosus nostri Ordinis Minorum, præsertim Reformatus, Discalcea-
10 tus, Capuccinus, qui clàm rem duorum argenteorum è Conuentu surriperet, peccatum quidem reseruatum furti patraret, non autem peccatum proprietariæ detentionis; quod dico aduersus *P. Fratrem Ioannem à Trinitate, Martinum à Sancto Ioseph, Siquenzam*, & nōnullos alios: quāquam possint excusari, eò quòd exponunt casus in nostro Minorico Ordine reseruatos, in quibus statuitur, quod vt peccatum furti censeatur reseruatum, oportet, vt in eā quantitate fiat, vt sit rei notabilis; res autem notabilis non potest esse duorum iuliorum, seu argēteorum. At nos, qui iuxta Clementis Octaui Decretum exponimus casus reseruatos, aut reseruabiles, ita asserimus, quia in littera statuitur, quòd furtum ad hoc, vt reseruetur, in ea quantitate fieri debet, quæ sit peccatum mortale: hoc autem ratione duorum argenteorum in vniuersum licèt non
11 possit lethiferum constituere furtum; nihilominus relatione ad pauperrima nostri Ordinis Monasteria habita, censetur grauis, veluti censetur grauis respectu patris, qui pauperrimè, & mendicando viuit, quando à filio duorum argenteorum aufertur quantitas; prout infrà dicemus.

12 Tandem quartò obseruandum est ad meliorem eorum, quæ paulò superiùs docuimus, intelligentiam, quòd nulla potest esse notabilis quantitas in furto, nisi in ordine ad personā, contra quam fit. Ducor, quoniam furtum notabile necessariò, vt sit mortiferum, (vt docent *Pater Vazquez in opusc. de restitut. cap. 5. n. 31. & Sanchez lib. 7. in oper. moral. tom. 2. cap. 20. num. 8.*) dicere debet notabilem iniuriam proximo; Igitur notabile damnum: aliàs iniustitia non est mortalis; Igitur quantitas furti sumenda est respectu ad personam, ratione cuius dicenda est notabilis, quia damnum, & ruinam magnam infert rei familiari, vel quia rationabiliter de illa quantitate sit notabiliter inuitus Dominus, quia defectus illius quantitatis notabilis est illi, licèt præmagnanimitate ille parui faciat iacturam illam.

13 His igitur notatis, dico primò; quantitatem, quæ constituit peccatum mortiferum proprietariæ detentionis contra paupertatis votum, non sufficere ad constituendum lethale furtum reseruatum. Hæc assertio patet ex tertio, & quarto notabili; etenim non attenditur illa quantitas ratio-

ratione damni illati proximo, seu iniuriæ, aut iniustitiæ factæ Prælato ratione rei ablatæ; sed ratione detentionis contra Superioris volũtatem, quæ nequit augeri, aut minui, quatenus exigitur ad mortale, ex magno, aut paruo damno illato, cùm in vtroque euentu æquè actus Dominij exerceatur, sibi aliquid, renuente Prælato, appropriando, vt dictum est.

14 Dico secundò, Religiosum de rebus Monasterij Illustris, & valdè diuitis aliquid surripientẽ valoris, & quantitas decem, aut duodecim aureorum non peccare mortiferè peccato furti. Hæc assertio patet ex dictis: ostendi autem potest sic; quia filius alicuius viri illustris, & valdè diuitis surripiens à Patre duodecim aureos, non censetur inuito patre auferre, aut illi magnum damnum, aut iniuriam sequi; igitur non peccat lethaliter: at qui Religiosus respectu talis Monasterij existimatur filius; igitur ex eò quòd Prælatus non dicitur inuitus, neque magnum, & notabile damnum ex tali rei acceptione infertur Monasterio, non peccabit lethaliter ex hoc capite. Dixi, *Ex hoc Capite*, quia peccabit contra præceptũ paupertatis, & fortassè contra iustitiã.

15 Dico Tertiò, Religiosum, qui de rebus Monasterij secundi generis duos, aut ad summum tres aureos furatur, non peccare lethaliter peccato in genere furti. Hæc assertio patet ex dictis, & ostenditur eadem ratione, qua supradicta secunda conclusio.

16 Dico quartò, Religiosum, qui sibi vsurpat de rebus Monasterij tertij generis aliquid quantitatis duodecim argenteorum, peccare mortiferè peccato furti, & cõprehendi sub hoc casu octauo reseruato. Ratio est, quia attentis dicti Monasterij circumstantijs, magnum infert damnũ, & notabilem iniuriam, quia quantitas illa existimatur magna; vt de se patet.

17 Dico quintò, Fratres, Religiososq; Minores obseruantes, Reformatos, Discalceatos, & Capuccinos de rebus Conuentus aliquid furantes, quod sit valoris, & quantitatis duorum argẽteorum, mortiferè peccare in genere furti peccato hoc reseruato. Moueor, quia Conuentus nostri Ordinis æquiparantur parentibus ex mendicitate viuentibus: atqui filius, qui surripit à Patre, qui ex mendicitate viuit, duorum argenteorum quantitatem, magna ei facit iniuriam, & damnũ graue ipsi infert; igitur ita quoque Religiosi nostri Ordinis. Ita censent *Sorbus in additio ad compendium, & Pater Coriolanus 2.par.casu 8.versic.vt autem Religiosus*. Quamquam *Vazquez vbi suprà*, putet, non peccare peccato in genere furti mortali, sed contra iustitiam.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum Religiosus, qui de rebus Monasterij valdè diuitis aliqua sibi surripuit, quæ non accedunt ad notabilem quantitatem, deinde furatus est alia, quæ quantitatem notabilem constituunt, peccet peccato lethali in genere furti reseruato?

CAPVT PRIMVM.

Declaratur Titulus Quæstionis: referturq; opinio negans cum suis fundamentis.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui inuito Prælato paulatim aufert de rebus Monasterij valdè diuitis rem minimi valoris, & paruæ quantitatis, cum intentione in futurum alia eiusdem generis auferendi, peccat lethiferè toties, quoties furatur.*

2 *Religiosus, qui rem paruæ quantitatis aufert è Monasterio diuite, non habens intentionem amplius furandi, si multoties furatus fuerit, illæ acceptiones non sunt mortiferæ; tenetur nihilominus ad restitutionem, quando ad quantitatem peruenit notabilem.*

3 *Religiosus aliquid vsurpans, qui non habet animum amplius furandi, nec ad præcedentia furta, quæ commiserat, aduertit, non peccat lethaliter in vltima acceptione, quæ constituit quantitatem ad furtum mortiferum petitam.*

4 *Ex peccatis venialibus quantumcunque multiplicatis non consurgit vnum mortale.*

1 SVpponendum est pro tituli huius Quæstionis declaratione, quantitatẽ constituentem peccatum mortale furti respectu Monasterij valdè diuitis esse duodecim aureorum. Quærimus; an peccet lethaliter ratione iniustæ acceptionis religiosus, qui per rerum minimarum furtum ab eodem Monasterio repetitum accedit ad quantitatem notabilem? V.G. hodie duo aurea furatus est, absque intentione amplius furandi: postea decem furatus est, quo furto accessit ad quantitatem requisitam ad furtum lethiferum; dubitatur, an hoc vltimum furtum sit mortale reseruatum?

Qua in re illud in primis certum est, singulas acceptiones esse quidem mortales, si adsit animus multiplicandi furta vsque ad notabilem quantitatem; quippe ex praua intentione, quæ mortalis est. Dixi, *ex praua intentione*; quia in genere furti cùm damnum notabile Monasterio non inferat, tales acceptiones singulæ, non constituunt notabilem quantitatem ad furtum lethiferum constituendum.

2 Quòd si in singulis furtis nõ adsit animus amplius furandi, illæ acceptiones non sunt mortiferæ: affirmant nihilominus Doctores statim citandi, teneri sub mortali restituere, quando ad notabilem peruenit quantitatem; atque ita peccare mortaliter, totam illam non restituendo quantitatem, vel non habendo animum restituendi, cùm opportunitas fuerit, eo modo, quo Religiosus potest; nimirum quando non habet vndè necessaria à Monasterio recipiat.

3 Hinc cum Doctoribus in secundo Capitulo huius quæstionis citandis infero, eam vltimam acceptionem non esse peccatum lethale, quando Religiosus vsurpans animum amplius furandi non habebat, nec ad furta præcedentia, quæ com-

commiserat, aduertit, sed illorum immemor casum hunc vltimum admisit; quia tunc videtur se habere ad præterita sua minimorum furta, sicut quando multi furantur minima ex aliena vinea singuli ignari aliorum furtorũ: in quo euentu constans est, nullum lethaliter peccare: atcùm meminerit se notabilem quantitatem vsurpasse, sub mortali tenebitur restituere; eò quòd cessat ignorantia à mortali culpa liberans.

4 Intellectus igitur quæstionis est, quando Religiosus præteritorum memor furtorum rei minimè furatur quoque rem paruam, qua nouit compleri notabilem quantitatem; an peccet lethaliter dum id vltimum rei paruæ furtum perpetrat, quamuis nunquam in furtis illis minimis animum habuerit amplius furandi? Qua in re duplex est sententia prima docet, non esse mortale. Ita *Lessius de iust. & iure cap. 2. dub. 8. à nu. 45. Andreas de Vega lib. 14. in Tridentinum cap. 11. Iacobus de Graffijs 1. par. decision. lib. 3. cap. 5. nu. 51. & lib. 2. cap. 93. n. 18. Carbon. de restitut. quæst. 2. & Nauarr. lib. 3. consilior. tit. de regular. cons. 75. n. 27. & in secũdo titulo de statu Monachor. consil. 3. n. 27.* mouentur in primis, quia obiectum vltimi furti non est tota summa ad lethale petita, illa enim vltima acceptio sola est totum obiectum hic, & nunc, reliqua verò iam præterierunt. illa summa igitur cùm non sufficiat per se ad mortale, vltimum furtum profectò non erit lethiferum. Deinde, quia ex peccatis venialibus quantumcunque multiplicatis non consurgit vnum mortale, vt vno ore docent Doctores; Igitur cum ea omnia furta præcedẽtia sint venialia, ex illorum multiplicatione non potest culpa lethalis cõsurgere. Tertiò demum, quia in pœnalibus, & odiosis non fit summatũ coaceruatio, vt multa modica vnum efficiant ad pœnam sufficiens, vt asserunt *Iason in lege si idem, cum eodem, ff. de iurisd. omn. iud. num. 3. & 4. Decius ibid. n. 1. & 16. Claudius num. 1. & 2. & Farinac. cons. 178. n. 3. vol. 1.* atqui constituere culpam lethalem est quid odiosum; igitur.

CAPVT SECVNDVM.

Sententia affirmatiua verior præponitur.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus mortaliter peccat in illa vltima acceptione quantumuis rei minimæ, qua aduertit ad notabilem furti peruenire quantitatem, iuxta Authoris sententiam.*

2 *Illa vltima acceptio rei minimæ cõstituit damnum notabile Monasterio illatum; retinere, & actu vsurpare rem alienam est idem peccatum.*

3 *Vltima rei alienæ acceptio paruæ quantitatis, quatenus supponit præcedentia furti minima, coalescit cum præcedentibus, ita, vt ex ea oritur quantitas rei notabilis ad furtum lethiferum cõstituendum, ex damno illato Monasterio.*

4 *Statuitur discrimen inter furta leuia, & peccata venialia. Ex primis cur sequtur mortale, non verò ex posterioribus.*

5 *Quomodo sit intelligendum Axioma Iuristarum, nimirum, quod in pœnalibus, & odiosis non fit coaceruatio, vt multa modica vnum efficiant ad pœnam sufficiens.*

6 *Religiosus peccat mortaliter, qui aliud minimum furtum post completam notabilem quantitatem admittit.*

1 PRobabiliùs, & veriùs docent Doctores secũdæ sententiæ, peccare mortaliter Religiosum in illa vltima acceptione quantumuis rei minimæ, qua aduertitur ad notabilem furti peruenire quantitatem. Ita *Vazquez 1. 2. disp. 146. cap. 2. num. 5. Zumel ibid. art. 4. dub. penult. vers. sed obijciet aliquis, Valentia 2. 2. disp. 8. q. 10. puncto 5. ad finem, Rebellus tract. de iust. par. 1. lib. 3. q. 15. sect. 3. n. 30. Sanchez lib. 7. cap. 21. in opere morali tom. 2. Pater Corduba in Summa q. 10. puncto 2. Emanuel Rodriquez tom. 1. Summæ 2. aditionis cap. 150. n. 8. Metina codic. de restit. q. 10. §. occurrit hic casus, vers. ad secundũ casum, Sayr. in Claui Regia libro 9. c. 15. n. 22. Bartholom. à Medina par. 2. q. 88. art. 4. ad finẽ ad tertiam, Salon. 2. 2. q. 66. art. 6. controu. 3. conclus. vnica, Aragon. ibid. art. 6. vers. cæterum, Petrus de Ledesma tom. 2. summæ tract. 8. cap. 21. diff. 2. circa quantitatem ad furtum mortale requisitam, Sotus lib. 5. de iust. & iur. q. 3. art. 3. vers. sed aliud, Couarruu. lib. 1. variar. cap. 3. n. 12. & Mercado lib. 3. de contract. c. 4. Lopez, Nauarrus*, & alij communiter.

2 Probatur hæc sententia primò; quoniam, ea vltima posita acceptione, ponitur notabile Monasterij damnum; &, ea ablata, cessat: at qui Religiosus sciens ex actu suo leui Monasterij damnum subsequi notabile, mortiferè peccat eum actum faciendo; Igitur eo vltimo furto peccat lethaliter peccato furti reseruato.

Secundò; quia retinere, & actu vsurpare idem peccatum est; igitur si retinere est mortale, vt Doctores contrariæ sententiæ fatentur, erit eandem culpam vsurpare. Et confirmatur, quòd ideò retinere sit mortiferum; quia ea parua summa cum præcedentibus coniuncta rei notabilis efficit retentionem; Igitur similiter erit mortalis ea vsurpatio. Tertiò tandem, quia paruæ quãtitates in materia furti in vnam coalescunt, posita aduertentia, & intentione, vt probant *Vazquez 1. 2. q. 88. art. 4. disp. 146. cap. 2. n. 3. & 4. Sanchez in oper. moral. tom. 1. lib. 1. cap. 4. n. 9. & 10.* & alij cõmuniter Doctores: Igitur ex illa vltima acceptione, habita relatione ad præcedentia, coalescit quantitas ad furtum mortiferum constituendam petita.

3 Neque argumenta aduersariorũ conuincunt: Nam ad primum respondeo, distinguendo antecedens. Illa enim vltima acceptio paruæ quantitatis sola, quatenus est totum obiectum hic, & nunc furti, potest considerari dupliciter, vel per se, & solitariè sumpta, vel quatenus supponit præcedentia furta minima. Primo modo considerata, concedo antecedens, sed nego consequentiam. Secundo modo, nego antecedens, & cõsequentiam; quia illa vltima acceptione sup-

posita

posita cum aduertentia ad præcedentia, coalescit notabilis quantitas inferens Monasterio cõsiderabile damnum; ac proinde mortifera in genere furti, ac reseruata.

4 Ad secundum negatur paritas; nam ex pluribus venialibus non conflari vnum peccatum mortale, fatemur. Sed ex hoc nõ sequitur, quòd illud vltimum furtum non sit mortale, quando Religiosus aduertit leuia priora furta; quia, his suppositis, tũc infert Monasterio notabile damnum; nam præcedentia ita coniunguntur vltimæ acceptioni, vt coalescat vnum notabile furtum; prout tertia probat nostra ratio.

5 Ad vltimum respondet *Sanchez loco citato*, nõ obstare eam doctrinam, quam tradunt Iuristæ, cum sit tantùm vera quo ad pœnam ordinariam in foro externo imponendam furto, quod leuius hoc modo furando reddatur, quamobrem minori pœna dignum sit.

6 Sed quæres; quid si post id minimum furtum complens notabilem quantitatem, aliud minimum furtum huiusmodi Religiosus admittat? Respondeo, peccare mortaliter, eò quòd notabile damnum præcedens velit maius efficere. Ita *Rebellus vbi suprà n.* 38. quem sequitur *Pater Sanchez loco vbi suprà.*

QVAESTIO TERTIA.

Vtrum Religiosus furans aliquid notabile ad vsum alterius Religiosi particularis concessum, peccet lethaliter, & in hunc casum reseruatum incurrat, ? & quid si à Superiore illud tale furetur?

CAPVT VNICVM.

Quid senserint aliqui Moderniores, Author refert: & statuit quid reuera sit sentiendum.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui ex alterius Religiosi Cella aliquid furatur, non incurrit peccatum reseruatum furti: iuxta Dianam, & alios.*

2 *Veriùs, & probabiliùs Religiosum aliquid surripiẽtem ex Cella particularis Religiosi in ea quantitate, quæ mortiferum furtum constituit, peccare lethaliter, & hunc incurrere casum reseruatum, docet Suarez.*

3 *Religiosus, qui pecuniam Prouincialis, vel eius res vsurpat, mortiferè peccat in genere furti, & comprehenditur sub hoc casu reseruato.*

4 *Religiosus strictioris obseruantiæ, Discalceatorum, seu Capuccinorum, qui fraudulenter ex Cella alicuius alterius Religiosi femoralia, sudariola, breuiarium, & imagines curiosas aufert, hunc incurrit casum reseruatum.*

5 *Religiosus, qui ab aliquo alio Religioso scripta, in quibus multum vigilando desudauit, surripit, peccat lethaliter, & hunc casum incurrit reseruatum.*

6 *Religiosus, qui noctu contra Superioris præceptum descendit in hortum, & colligit ex arboribus fructus, illos pedibus calcando, vel in sterquilinium, vel in latrinas proijciendo, eò quòd indignè fert, Prælatum interdixisse, ne vllus Religiosus colligat ex horti arboribus fructus; peccat multipliciter, & incurrit hunc casum reseruatum.*

7 *Religiosus nostri Ordinis, qui extra Ordinem ex rebus, quibus Conuentus in Communi, aut fratres in particulari vtuntur, aliquid notabilis quantitatis donat, peccat lethiferè in genere furti, & hunc incurrit casum reseruatum.*

8 *Religiosus, qui abstulit rem quantitatis notabilis è Monasterio, inuito Prælato, an sit absoluendus, prius quàm ablata Monasterio restituat? & quid facere debeat in hoc casu Confessarius?*

9 *Religiosus, qui aliquam reliquiam à Sacristia, vel Altari vsurpauit, animo in alium transferendi Cõuentum, incurrit hunc casum reseruatum, & censendus est sacrilegus.*

1 PArtem negantem docet *Pater Diana part.* 1. *tract.* 6. *de paupert. Religiosa Resol.* 44. *citans Petrum de Ledesma in addit. ad summ. tom.* 2. *cap.* 4. *dub.* 12. *folio* 118. *& Hieronym. de Cenedo tractat. de paupert. religiosa dub.* 19. *n.* 22. vbi sic (inquit) asserit: *El Prelado no puede reseruar el hurto en materia graue de las cosas, que pertenecen ala celda de otro particolar, porque aunque es verdad, que el Señorio de estas cosas està enel Monasterio, però no se llaman cosas de el Conuento derechamente;* sic ille. Hactenus Pater Diana, qui ad id asserendum hac ducitur ratione; quia Clemens Octauus Religionum Superioribus furti reseruationem faciendam de rebus Monasterij, seu Cõuentus tantùm indulsit; igitur;

2 Veriùs tamen putat *Pater Suarez tom.* 4. *de Religione lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 9. vbi sic habet, Pars affirmans dicitur fuisse ab ipso Pontifice declarata, in qua nulla mihi dubitatio esse potest: quia quòd res sit applicata ad vsum vnius Fratris, non tollit quin (absolutè loquendo) sit Monasterij, vel Conuentus: quin potius licèt priuatus Religiosus habeat vsum eius cum facultate donandi illam etiam extra Religionem; nihilominus furari illam erit reseruata culpa, si mortalis sit: quia quando illa res non est consumpta, vel alienata extra Religionem, semper est Monasterij quo ad proprietatem, & dominium, vel quoad principalem administrationem, & dispensationem: (vt Monasteria comprehendamus, quæ dominium in commune non habent) & hoc satis est, vt comprehendatur sub verbis Pontificis in omni proprietate. Hactenus Suar. Et ideò hanc sentẽtiam sustinet *Coriolanus tract. de casib. reseruatis p.* 2. *dub.* 1. *n.* 13. *& Sorbus in addit. ad compendium.* Idem sentiunt *Frater Martinus à Sancto Ioseph super Regulam super sextum Reseruatum casum in nostro Minorico ordine, & Frater Ioannes à Trinitate ibidem n.* 8. Ratio est, quia ablatio rei quantum ad vsum est verè, & in rigore furtum. Immò hoc solum furta respiciunt; nam latro, qui pallium furatur, tantùm intendit à vero Domino vsum pallij auferre, & illum sibi applicare: atqui Religiosus, qui à fratre particulari aliquam rem vsurpat, eam quantum ad vsum ab illo aufert; Igitur verè furtum

tum committit: at hoc furtum est de rebus ad Monasterium, seu Conuentum pertinentibus quo ad dominium, & quo ad vsum; igitur qui ex cella particulari alicuius Religiosi aliquid vsurpat, furatur rem Monasterij perse, & directè; ac sub inde sub hoc casu comprehenditur.

3 Quid verò sit dicendum, si res non sit alicuius Monasterij particularis, vt solet esse (exempli gratia) pecunia, qua vtitur Prouincialis, vel res aliæ similes? Respondeo, Religiosum, qui pecuniam Prouincialis, vel eius res vsurpat, peccare mortiferè in genere furti, & esse comprehensum sub hoc casu. Ita *Pater Suarez* loco citato in fine; quia sub illo singulari, *Monasterij, vel Conuentus*, à fortiori comprehenditur plurare, Conuentuum, vel Monasteriorum: bona autem Prouinciæ, vt sic, sunt omnium Monasteriorum simul; Cùm igitur pecuniæ, vel res, quas habet Prouincialis ad proprium vsum, sint Prouinciæ, erunt consequenter vnius cuiusq; Conuentus; Igitur furari illa à Prouinciali est furtum committere de rebus Monasterij.

4 Hinc infero, Religiosum strictioris obseruantiæ, discalceatorum, seu Capuccinorum, qui fraudulenter ex cella alicuius alterius Religiosi femoralia, sudariola, breuiarium, imagines curiosas, vel quid simile auferret, in hunc incurrere casum reseruatum. Vndè aduertant nostri Confessarij, quòd non possunt illi absolutionis præstare beneficium, nisi restituant; nam non solùm acceptio rei alienæ interdicitur, sed etiam illius vsus; vt optimè annotauit *Pater Ioannes à Trinitate* super hunc casum, & omnes ferè nostri Ordinis expositores Regulæ.

5 Idem dicendum est de religioso, qui surriperet ab aliquo alio Religioso scripta, in quibus ille multum vigilando desudauit; Nam tunc illud indicatur furtum magnum, ratione damni illati, (vt colligitur ex Doctoribus citatis, præsertim *Vazquez, & Sanchez*,) & insuper ratione æstimationis. Etenim (vt inquit *Angelus in lege 1. Cod. vndè vi*) res quandoquè plus vni, quam alteri extimatur, propter aliquam peculiarem causam. Quod venit intelligendum (vt super hunc casum annotauit *Coriolan.*) non solùm quando Religiosus scripta auferret, vt illis contra Domini voluntatem vteretur, verùm & quando malo fine id faceret; nimirum, vt combureret, aut in foueam proijceret, vel in sterquilinium. Et eò magis hoc, quia in tali casu non solùm interuenit furtum, verum & contemptus rerum sacrarum, contra quos posset idem inquiri, quid sentiat de fide. Ita *Pater Coriolan.* vbi suprà, & benè.

6 Quod constantissimè tenendum esse puto, de Religioso, qui contra Superioris præceptum fraudulenter descendit noctu inhortum, colligitque ex arboribus fructus, illos pedibus calcando, vel in sterquilinium, aut in latrinas proijciendo, eò quòd indignè fert, quòd Prælatus interdixerit, seu præceperit, ne vllus Religiosus colligat ex horti arboribus fructus, ad effectum, vt extra ordinem non dentur. Nam tunc multa crimina valdè atrocia committit: primò, furtum notabile; Nam infert Conuentui, seu Monasterio damnum notabile, præsertim in nostro ordine, vt ex supradictis patet, & consequenter sub hoc casu comprehenditur: Secundò, peccatum graue contra obedientiæ præceptum: tertio peccatum odij, & contemptus formalis præcepti Sacrosanctæ Obedientiæ. Quapropter absque vlla hæsitatione assero, hunc Religiosum tanquam suspectum de fide posse interrogari; quid de Religionis votis sentiat. Etenim contemptus formalis obedientiæ nō solùm est peccatum lethale, pro vt communiter affirmant Doctores, præsertim *Alphonsus de Castro lib. 1. de potist. legis pœnalis cap. 5. documento 9. Adrianus quodlibeth. 6. art. 2. Driedo lib. 1. de libert. Christiana cap. 12. propos. 5. Bartholomæus Medina 1. 2. q. 96. art. 4. dub. 1. Regula 5. Gregor. de Valentia to. 2. disp. 7. q. 5. puncto 6. ante finem, Cardinalis Toletus tract. de septem peccatis mortalib. c. 9. Nauarr. in Manual. cap. 23. n. 42. Sayr. in Claui Regia lib. 3. cap. 7. nu. 16. & ipse late pro iuris Pontif. defens. disp. 6. q. 4. cap. 2.* Verùm etiam est speciale hæresis peccatum; vt tradit *Paramus de origine inquisit. lib. 3. q. 10 à n. 58. per totum*. Hinc valdè moneo nostros Confessores, vt oculatè & diligenter se gerant in his, & similibus criminibus; nam faciliter non debent absolutionis beneficium præstare: eò quam maximè si aliqua suspicio ex negatione absolutionis non oriatur contra pœnitentem, vel aliquod scandalum extrinsecum.

7 Insuper inferò, Religiosum nostri Ordinis, qui extra ordinem ex rebus, quibus conuentus in communi, aut fratres in particulari vtuntur, aliquid donat, quod sit notabilis quantitatis, (pro vt suprà determinauimus) esse peccati in genere furti reum, & sub hoc casu comprehensum. Ita *Pater Ioannes à Trinitate vbi suprà*; quia omnes donationes huiusmodi, quos fiunt inuitis Conuentuum Superioribus, sunt furtiuæ, & sub hoc casu comprehensæ. Ratio est; quia qui inuito Domino aliquam rem alteri donat, propriè dicitur eam furari: at illicita extra ordinem, & ex rebus, quibus conuentus, aut fratres particulares vtuntur, est donatio contra Sedis Apostolicæ voluntatem: (cuius dominium omnium rerum, quibus vtitur noster ordo in communi, & in particulari, est; vt constat ex Summorum Pontificum Nicolai Tertij, & Clementis Quinti super nostram Regulam declarationibus) Igitur Religiosus illicitè donans res nostri ordinis extra ipsum ordinem, verè furatur, ac per consequens illicita; si res, quæ donatur, sit tanti valoris, & quantitatis ad furtum mortiferum petitæ: & consequenter omnes tales donationes illicitæ sunt reseruatæ.

8 Neque Religiosus talis est absoluendus, nisi priùs ablata Monasterio restituat. Verùm quia hoc sua non caret difficultate, dico, quòd omnibus benè perspectis, & attentis, debet Confessarius illos astringere, vt pro illo anno, vel si opus fuerit, pro aliquibus, è conuentu non recipiant vestimenta, ad damna illata compensanda:

pensanda: pro vt in simili docuerunt scribentes super Bullam Clementis Octaui de largitione munerum.

9 Sed quæres; an Religiosus, qui aliquam reliquiam à sacristia, vel altari vsurpauit, etiam animo in alium transferendi Conuentum; hunc casum incurrat reseruatum? Respondeo, non solũ committere peccatum furti in hoc casu reseruatum, verùm etiam sacrilegium; eò quòd abstulit sacrum de sacro, vt colligitur *c. si quis 17. q. 4.* Ita *Syluester verbo, Reliquia, quæsito 2. & P. Coriolan.* vbi suprà. Idem dicendum est de qualibet alia re, quæ ex sacristia aufertur, & in vsum propriũ Religiosus conuertit, vel alteri alicui detur.

Item quæres; an talis Religiosus incurrat excommunicationem, quando furatur reliquias, vel aliquam rem sacram? Respondeo negatiuè, nisi cum furto simul Ecclesiæ, vel Sacristiæ fregerit portas, vel armaria, aut fenestras. Ita colligitur ex *cap. conquestus de sententia excomm. & cap. Pastoralis §. verùm de appellationibus*, & docent *Panormit. in c. ex litteris de furti D. Antoninus 3. p. tit. 14. Caietanus in summa, Syluester verbo, furtum nu. 7.* & alij. De qua re videndus est *Rodriq. tom. 2. qq. Regular. q. 38. art. 1. sub tit. qua pęna sint puniendi Religiosi fures*.

QVAESTIO QVARTA.

Vtrum Religiosus hunc casum incurrat reseruatum, qui pietatis intuitu aliquid de rebus Monasterij, seu conuentus furatur, quod constituat furtum lethiferum, vt nimirum inde faciat eleemosynam?

CAPVT VNICVM.

Ostenditur, esse peccatum reseruatum; & quid in nostro Minorico Ordine sit sentiendum.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus mortiferè peccat, qui pietatis intuitu aliquid, inuito Prælato, è Monasterio surripit, & hunc incurrit casum reseruatum.*

2 *Religiosus Ordinis Minorum, qui inuito Prælato aufert à communitate habitum, mantellum, seu coopertorium, & illud dat pauperibus, peccat mortiferè in genere furti, & hunc incurrit casum reseruatum.*

3 *Frater Ordinis Minorum, in quo casu potest excusari à peccato, si aliquid dat pauperibus, inuito Prelato.*

1 Rem aliquam è Monasterio furari, quæ quãtitatem notabilem ad furtum petitam attingat, iuxta superiùs declarata, ad effectum eleemosynam faciendi, est peccatum mortiferum in genere furti sub hoc casu comprehensum. Vndè Religiosus, qui pietatis intuitu de rebus Monasterij aliquid furatur, hunc incurrit reseruatum casum. Ducor, quia in *cap. non est putanda 14. q. 5. & cap. si fortè eadem causa, & quæst. statuitur*, quòd etiam si parentibus totum tribuatur, quòd abstulerit, non minuit peccatum: nam ex alieno largiri est species furti; vt habetur in *lege, si pignore, ff. deputatis*: nisi ex alio capite excusetur. Etenim, necessitate pauperis extrema interueniente, potest vtique id fieri à Religioso legitimè: *c. si quis de furtis*. Et ideò hanc sententiam sustinet *Coriolanus* super hunc casum, & *Graffius* statim citandus.

2 A fortiori idem dicendum est de Religioso ordinis nostri Minorum, qui inuito Prælato aufert à communitate (vt vulgò dicitur, vbi seruantur habitus, tunicæ, mantella, femoralia, & nonnulla alia ad Religiosorum vsum necessaria) habitum, mantellum, pallium, seu coopertorium, vel aliquid aliud id simile, vt illud pauperibus tribuat; quia certè peccatum in genere furti committit in hoc casu reseruatum.

3 Posset autem excusari Minorita Religiosus, si id efficiat per excessum charitatis, & ille, cui datur, fuerit in extrema necessitate; Nam de talibus, & similibus casibus in vita Sanctissimi nostri Patris Seraphici Francisci, & sociorum eius quamplura habemus exempla, qui etiam aliquando habitum, quem deferebant, pauperibus tribuebant; pro vt legitur de nostro Patre Sancto Francisco, & Beato Iunipero eius socio.

CASVS NONVS.

Lapsus Carnis voluntarius opere consummatus.

DISPVTATIO VNDECIMA.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum omnis carnis lapsus comprehendatur sub hoc casu?

CAPVT VNICVM.

Huius noni casus exponitur, atque dilucidatur verus intellectus: & quid sit sentiendum iuxta Authoris sententiam, aperitur.

SVMMARIVM.

1 *Lapsus Carnis voluntarius in rigore quid importat?*

2 *Tactus impudici & inhonesti, quocunq; modo fiant, non dicuntur lapsus carnis.*

3 *Ex nostris Constitutionibus ostenditur, tactus inhonestos, & impudicos non esse comprehensos sub nomine lapsus carnis.*

4 *Quid sit intelligendum per illa verba in Textu,* opere consummatus.

5 *Tactus impudicus, si in sua fornicationis specie ad consummationem non peruenit, non est reseruatus.*

6 *Non omne carnis peccatum mortiferum comprehenditur sub hoc casu.*

7 *Copula Carnalis ad hoc, vt sit reseruata, opus est, vt sit voluntaria, & mortaliter culpabilis.*

8 *Religiosus non comprehenditur sub hoc casu, si dormiens, aut ebrius coiret.*

9 *Pollutio voluntaria quocunque modo habita non est reseruata in hoc casu.*

10 *In nostris Reformatis Prouincijs in Regno Siciliæ pollutio voluntaria non est reseruata iuxta Decretum Clementis Octaui: nisi denuò pro ipsis Reformatis reseruetur de consensu capituli.*

11 *Copula extorta per vim, & metum non est reseruata in hoc casu.*

12 *Religiosus, qui per vim, & metum habuit copulam cum muliere, etiam si metus fuerit cadens in constantem virum, hunc incurrit casum reseruatum.*

1 VT vera huius casus habeatur intelligentia, aduertendum est, *quòd lapsus carnis voluntarius*, pro vt in littera continetur (iuxta communem & vsitatum loquendi modum) non quodcumque carnis peccatum, & inhonestum importat, seu significat; sed copulæ carnis peccatum, dumtaxat: siue copula sit naturalis, siue sodomitica, siue bestialis. Ita sentiunt charissimi nostri *Fratres Ioannes à Trinitate in exposit. tertij casus in nostro Minorico ordine reseruati, & ibidem Frater Martinus à Sancto Ioseph*, nouissimè verò *Franciscus Luengo à Sancto Bernardino c. 7. super Regulam contr. 20. sect. 3. n. 12.* Ducor, quia secundùm Dialecticorum regulas Analogum per se sumptum pro famosiori stat significato; atqui famosius significatum huius vocis, *lapsus carnis*, est carnalis copula; Igitur hæc dũtaxat sub hac voce lapsus carnis comprehenditur. Confirmatur primò,
2 quia actus inhonesti, seu impudici, siue fiant cũ secunda persona, siue secum facti, quamquam peccata sint carnis, à nemine lapsus carnis appellantur, sed dumtaxat actus inhonesti, impudici, aut turpes, vel aliquo alio vocabulo inuol-
3 uente nomen tactus. Confirmatur secundò ex nostris Generalibus Constitutionibus de casibus reseruatis, vbi primò lapsus carnis reseruatur, deinde in alio casu speciatim reseruantur tactus impudici, & inhonesti quomodocunque facti, inter quos (iuxta *Cordubam, Mirandam, Ortiz, Ximenez, Ioannem à Trinitate, Martinum à Sancto Ioseph*, & nonnullos alios) pollutio voluntaria numeratur; igitur ex quo alio in casu hæc peccata reseruantur, signum euidens est, sapientissimos, ac Innumeros Patres in nostram venire sententiam, vt existiment, sub nomine lapsus carnis solùm comprehendi carnalem copulam.

4 Insuper illa verba, *opere consummatus*; duobus modis intelligi possunt; primò, vt sint posita ad excludendum lapsum per consensum internum, vel morosam delectationem; ita vt solùm significetur oportere, vt tale peccatum in opus externum progrediatur, & in illo consummetur, quatenus peccatum mortale est. Alius sensus est, vt peccatum sit consummatum in sua specie. Prior sensus est valdè rigorosus, & à veritate alienus; nam iuxta illum omnia peccata externa habentia malitiam moralem ex ipsamet materia, & actione exteriori continerentur sub hac reseruatione sic declarata. Et sic tactus impudici, quia ad vltimam consummationem non perueniunt, quamquam ad illa ordinentur, essent comprehensi sub hoc casu, cuius oppositum paulò superiùs demonstrauimus. Consultò dixi; *ex ipsamet materia, & actione exteriori*; quia si materia exterior sit leuis, quamuis ex intentione prauitatis fiat actio exterior, peccatum mortale, non erit reseruatum ex vi horum verborum; quia reuera (vt *Pater Suarez* aduertit loco infra citando) non est opere consummatum.

5 Alius sensus igitur est verior, iuxta quem tactus impudicus, si non perueniat ad consummationem, in sua specie fornicationis non erit reseruatus, quia non est opere consummatus. Moneo hic notanter, quòd hæc verba, *opere consummatus*, in littera seu relatiua ad precedentia, nimirum, *lapsus carnis*, & ita sunt iuxta intellectum præcedentium accipienda atque intelligenda; vt sensus sit, quòd tunc lapsus carnis sit lethaliter peccatum reseruatum, quando interuenit copula perfecta in illa specie, in qua fit.

6 His ergo habitis, dico primò; non omne Carnis peccatum mortiferum esse sub hoc casu comprehensum, sed copulam dumtaxat cum quocunque habita. Ita sentiunt *Ioannes à Trinitate, & Frater Martinus à Sancto Ioseph* locis citatis. Hæc assertio patet ex primò, & secundò notabili.

7 Dico secundò, quòd copula carnalis ad hoc, vt censeatur reseruata, necesse est, vt sit voluntaria, & mortaliter culpabilis; quòd si non fuerit mortaliter culpabilis ob libertatis defectum, non erit reseruata. Vndè infero, quòd si Religio-
8 sus ebrius, aut dormiens coiret, [vt accidit Loth cum duabus Filiabus suis] nesciens se talem coitum, aut carnalem copulam in ebrietate, seu somno habiturum, sicut in hoc euentu non peccaret lethaliter, coeundo; ita nec copula reseruata esset. Secùs verò si ante ebrietatem, aut somnum, per copulã præuideret, aut experimẽto sciret, quòd somno, aut vino sopitus coiturus esset:

tunc

tunc copula, cùm sit in causa volita, dicitur moraliter culpabilis, atque ideò reseruata censenda est. Ita *Pater Portel in expositione noni casus,& Ioannes à Trinit. vbi suprà.*

9 Tertiò dico; Pollutionem voluntariam quocunque modò habitam non esse reseruatam in hoc nono casu. Ita *Aureolus*, *Fr. Ioannes à Trinitate; Martinus à Sancto Ioseph*, & ferè omnes nostræ Regulæ expositores super hunc casum. Ratio est, quòd licèt sit peccatum carnis opere consumatum, non est carnalis copula: nisi fuerit aliàs reseruata, prout est in nostris totius Ordinis Generalibus Constitutionibus reseruata, & infrà dicemus.

10 Vndè in nostris Reformatis Prouincijs Regni Siciliæ si in aliquo Capitulo Prouinciali iuxta formam & modum Clementis Octaui Constitutionis non fuerit reseruata; vel in generalibus Constitutionibus nouiter pro ipsis Reformatis editis (quæ ad nostras adhuc non peruenerunt manus, quia hæc cum scriberemus, Hispaniæ commorabamur) non est voluntaria pollutio quocunque modo procurata reseruata. Contra *Suarez tom.4. de Religion.lib.2. cap.18. n.12.& Coriolan. super hunc casum.*

11 Sed quæres; an copula, quæ fit per metum, etiam si metus fuerit cadens in constantem virum, censeatur reseruata, & sub hoc casu comprehensa? v.g. si alicui Religioso promitteret, aut affirmaret quædam mulier, nisi cum illa coiret, se vociferaturam, & eum occidere iussuram: si tunc Religiosum ob metum mortis illius libidini obtemperaret, an lethiferè peccaret, & eius peccatum esset reseruatum?

Ad hanc dubitationem respondent quāplures, huiusmodi Religiosum non peccare lethaliter, quando copula rei præcisa, seu per violentiā fuit extorta, si voluntatis consensus non interuenit. Id colligunt ex facto Beatæ Luciæ cum Tyranno Paschasio dicentis, quòd si inuitam iuberet duci ad lupanar, & ibi violari castitatem eius, duplicaretur ad Coronam. Idem videtur etiam docere *Angelicus Doctor 2.2. quæst. 64. artic. 5. ad tertium.*

12 Meliùs, atque veriùs respondent alij, asserentes, quòd licèt in fœmina hoc posset habere locum, non verò in masculis, & præsertim Religiosis. Vndè fœmina si per vim præcisam cogeretur ad talem actū, dummodò ipsa interius non consentiret, non peccaret mortiferè, etiam si aliquam pateretur naturalem delectationem. Hoc ostendit exemplum de Beata Lucia.

Secùs verò in viro, & maximè Religioso. Ratio est, quia vir in coitu agit; & absque consensu agens non agit: in consensu autem peccatum consistit, vt docent communiter Doctores omnes. Et profectò, natura talis actionis benè considerata, impossibile est, vt Religiosus talem habendo copulam, non habeat illā voluntariè non solùm in obliquo, verùm etiam & directè: quare in hoc euentu peccaret Religiosus mortaliter, & copula esset reseruata in hoc casu. Cōtingere autem potest, vt talis copula sit omnino inuoluntaria, & tunc absq; peccato mortali, quamuis peccatum interueniret veniale: tunc enim certum est, non esse reseruatam, nec reseruabilem, cùm nullum peccatum veniale sit talis naturæ, vt suprà 2. *par.* latè probauimus. Quomodo autem hoc fieri possit, non est præsentis speculationis: solùm assero, non esse impossibile; vt si Religiosus per vim captus fœmina iuberet eius ligari manus, & pedes, & deinde suprà ipsū ad viri modum accubaret; certè cum natura suū produceret effectum absq; nulla corporis motione, sequeretur perfecta copula, & Religiosus posset non habere consensum; eò quòd tunc censeretur in tali euentu passiuè se habere, licèt naturaliter illa actio sit actiua.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum lapsus carnis voluntarius opere consummatus sit reseruatus, quando non fuerit perfectè consummatus cum seminis emissione?

CAPVT VNICVM.

Declaratur titulus Quæstionis, & refertur, quid Authores nostri temporis senserint: & Author secundùm propriam sententiam resoluit Quæstionem.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus hunc casum incurrit reseruatum, qui habens copulam cum muliere, malitiosè se disiunxit ab illa, & extra vas seminauit.*

2 *Religiosum, qui imperfectam habuit copulam cum muliere, hunc casum non incurrere reseruatum, ostendit Author.*

1 Sensus, quem quæstionis petit titulus, est; An Religiosus, qui copulam imperfectam habuit cum muliere, comprehendatur sub hoc casu reseruato? hoc est; Religiosus quidam cubans cū aliqua muliere deuenit ad actum propinquum operis explendi, & cum sentiret se de proximo semen emissurum, se disiunxit à muliere, & extra femineum seminauit vas; an scilicet incurrat in hunc reseruatum casum? Affirmatiuè respōdent *Pater Coriolanus* super hunc casum reseruatum, citans *Graffium, & Pater noster Ioannes à Trinitate* in expositione tertij casus reseruati in nostro Minorico Ordine statim in principio. Citari potest *Iulius Clarus in sua praxi, §. de Simonia in fine, & Pater Suarez tom.4. de Religione, lib.2. c.18. num.*12. vbi sic habet: solùm aduerto, quoties peccatum peruenit ad pollutionem, esse in omni rigore opere consummatum, & consequenter sub illa reseruatione comprehendi; quia illud peccatum habet propriam speciem, in qua consummatur, iuxta doctrinam Diui *Thomæ secunda secundæ, quæst.* 154. *artic. vndecimo*; & hoc satis est, vt sit reseruatum, quamuis non perueniatur ad consummationem illius actus, quem fortassè peccans intendebat, vel in

quem natura sua actus impudici ordinabantur, copulam scilicet carnalem. Hactenus Suarez. Ex quibus verbis sentire videtur, non solùm copulam imperfectam, de qua nunc agimus, verùm etiam & quamlibet pollutionem ex actibus impudicis prouenientem. Vndè si animo libidinoso ad mulierem accederet Religiosus, & illius tangẽs manum incurreret in pollutionem, existimat eum hunc casum incurrere. Sed certè doctissimus Pater hac vice se fefellit; etenim tam ipse, quàm citati Authores nullo nituntur fundamento, quod ipse legerim.

2 Veriùs igitur dicendum, atque tenendum est, huiusmodi Religiosum non comprehendi sub hoc casu. Ita colligo ex *Bonacina de matrim. q. 4. puncto 11. n. 2. Finellio de casibus reseru. casu 9. n. 6. Cappeauill. cap. 25. quæst. 2. Graffio tom. 1. lib. 5. conclus. 3. n. 20. de adulterijs, Homobon. de casib. reseruatis par. 2. cap. 4. sect. 5. & in examin. Eccles. p. 1. tract. 7. cap. 38. q. 118. Pater Diana par. 2. tract. 17. & 3. Miscell. Resol. 63. versic. Hinc rectè deducitur.* Ratio est, quia Summus Pontifex largitur Superioribus facultatem reseruãdi lapsum carnis voluntarium opere consummatum, non verò attentatum; atqui quando intra vas non seminatur, sed extra, est peccatum illius speciei, in qua committitur attentatum, sed non consummatũ; igitur Religiosus, qui ita peccauit, non comprehenditur sub hoc casu. Minor huius syllogismi ostenditur ex communiori Doctorum sententia in peccato sodomiæ; vbi asserunt, quòd quando semen intra vas non immittitur, non dicitur sodomia consummata, quia quando lex aliquod prohibet delictum, intelligitur de delicto consummato. Ita *Rodriqu. in summa par. 1. cap. 280. Floronus de casib. reseruat. par. 2. casu 7. num. 8. & 9. Sayr. de censur. lib. 6. cap. 12. n. 13. Azorius par. 3. lib. 3. cap. 9. quæst 4. Filliuc. tom. 1. tract. 17. cap. 7. num. 127. & Pater Suarez de censur. disp. 31. sect. 4. num. 21.* Vnde inquit *P. Sanchez lib. 10. de matrim. disp. 4. num. 13.* quòd quando semen intra vas naturale, vel præposterum non immittitur, non est concubitus consummatus, sed attentatus: Atqui copulam, quam reseruabilem Superioribus proponit Pontifex, debet esse operè consumata in sua specie; Igitur ex quo semen non est intra vas immissum, non erit opera consummata; & ideò non reseruata in hoc casu.

QVAESTIO TERTIA.

Vtrum Copula sodomitica imperfecta in hoc casu censeatur comprehensa?

CAPVT VNICVM.

Ex doctrina præcedentis Capitis Author quæstionem resoluit negatiuè.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui cum alio Religioso cubans in lecto habuit rem sodomiticam cum illo imperfectam, non incurrit hunc casum reseruatum.*

2 *Patiens Religiosus incurrit hunc casum reseruatum. Quare.*

1 IN primo Capite primæ quæstionis huius disputationis, sub hoc casu comprehendi copulam sodomiticam, docuimus. Quærimus modò, vtrum idem asserendum sit de ista, ac de illa naturali, prout suprà determinauimus? Ad quam difficultatem breuiter respondeo; Religiosum, qui cum alio Religioso cubans in lecto, vel alicubi, deueniens ad actum proximum explendi operis, & cùm se de proximo sentit semẽ emissurum, extrahit se à patiente, & extra vas seminat, non incurrere casum hunc reseruatũ. Ita in terminis docent *Bonacina, Finellius, Cappeauilla, Graffius, Homobonus locis citatis*; vbi asserit, tunc sodomiam esse Episcopo reseruatam, quando delictum est consummatum & perfectũ; quod accidit, quando seminatio facta est in vase præpostero; vel etiam (ex multorum sententia) si membrum ex partibus pudendis extrahatur, & extra vas semen effundatur. Hæc Homobonus. Quæ quidem verba (inquit Pater Diana) sunt valdè notanda, licèt aliqui contrarium sentiant: nam in tali casu sodomia non est consummata, sed attentata; Igitur non est casus reseruatus, sicut etiam non erit casus reseruatus, si membrũ intra vas ponatur per multum temporis spatiũ, incipiendo, & prosequendo actum sodomiticũ, sed semen non effundatur. Hæc *Pater Diana loco vbi suprà*. Quamobrem iuxta horum sententiã, ad incurrendum hunc casum reseruatũ necesse est, vt copula sit perfecta, hoc est consummata in illa specie, in qua fit; consumatur autem, si semen intra vas effundatur, sin aliter non erit propriè lapsus carnis voluntarius opere consumatus, & per consequens nec casus reseruatus.

Sed quæres; an patiens incurrat etiam hunc casum? Ratio dubitandi est; quia in littera tantũ comprehendi videntur agentes, non verò patientes, præsertim in copula sodomitica. Ita *Iacobus de Graff. in pract. casuum reseruat. lib. 1. cap. 11. num. 7. 8 & 26.* Respondeo nihilominus, sub hoc comprehendi etiam Religiosum in hoc crimine patientem; eò quòd tale peccatum in vtroque est eiusdem speciei; vt *Alphonsus de Leone in tract. de offic. & potest. confess. par. 1. relect. 9. num 216. & 208. probat.* Idem sentit *Coriolanus de casibus reseruatis super hunc casum, Bonacina tract. de matrim. quæst. 4. puncto 11. num. 2. Finellius tract. de casibus reseruatis casu 9. num. 5.* & alij. Hoc autem ita intelligendum esse existimo, quando sodomia ex parte agentis est consummata; nam non est cur ex parte patientis sit reseruata, & non ex parte agentis.

DISPV-

DISPVTATIO DVODECIMA.

APPENDIX.

De pœnis contra Religiosos sodomiam exercentes.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum contra Religiosos, qui nefandum scelus sodomiæ exercent, sint in iure aliquæ pœnæ statutæ?

CAPVT PRIMVM.

Referuntur iura, & Extrauagantes Summorum Pontificum aduersus hos Religiosos.

SVMMARIVM.

1 *Refertur prima Constitutio Pij Quinti contra Clericos, & Religiosos sodomiæ vitium exercentes.*

2 *Alia eiusdem Pij Quinti Constitutio adducitur.*

1 COntra Clericos, & Religiosos vltrà dispositiones in Concilio Lateranensi sub Alexãdro Tertio relatas in cap. clerici, de excessibus Prælatorum, adsunt Constitutiones Pij V. pœnas in illis contentas aggrauantes, quarum prima est sub datum Romæ Kalendis Aprilis 1566. & incipit; cùm primum: in qua in §. *si quis crimen*, sic habetur: *si quis crimen nefandum contra naturam, propter quod ira Dei venit in filios diffidentiæ, perpetrauerit; Curiæ Sæculari puniendus tradatur: & si Clericus fuerit, omnibus ordinibus degradatus simili pęna subijciatur.*

2 Altera verò constitutio de clericorum priuatione propter incontinentiam, & eorum traditione brachio sæculari, est eiusdem Pij V. Romæ publicata die 3. Septembris, quæ incipit; *horrendum illud scelus, quo pollutæ, fœdatæquè Ciuitates tremendo Dei iudicio conflagrarunt, acerbissimum nobis dolorem intulit, grauiterquè animum nostrum commouit, vt ad illud, quantum fieri potest, comprimendum studia nostra conferamus. Sanè Lateranensi Concilio dignoscitur constitutum; vt quicumque clerici illa incontinentia, quæ contra naturam est, propter quam ira Dei venit in filios diffidentiæ, deprehẽsi fuerint laborare, à Clero deijciantur, vel ad agendum in Monasterijs pęnitentiam detrudantur. Verùm ne tanti flagitij contagium impunitis, spe, quæ maxima peccandi illecebra est, confidentius inualescat; Clericos huius nefarij criminis reos grauiùs vlciscendos deliberauimus: vt qui animæ interitum non horrescunt, hos certè deterreat Ciuilium legum vindex gladius sæcularis. Itaque quod nos iam in ipso Pontificatus nostri principio edere decreuimus, plenius nunc fortiusque prosequi intendentes, omnes, & quoscumque clericos sæculares, & Regulares cuiuscumque gradus, & dignitatis tam dirum nefas exercentes omni priuilegio Clericali, omnique officio, dignitate, & beneficio Ecclesiastico præsentis Canonis authoritate priuamus. Ità quod per iudicem Ecclesiasticum degradati potestati statim sæculari tradantur, qui de eis illud idem capiat supplicium, quod in laicos hoc in exitio deuolutos legitimus reperitur sanctionibus constitutũ.*

CAPVT SECVNDVM.

Sunt ne huiusmodi constitutiones Pij V. vsu receptæ? & an in conscientia obligent, examinatur.

SVMMARIVM.

1 *Constitutiones Pij Quinti contra Religiosos, & Clericos Sodomitas non esse vsu receptas, qui docent.*

2 *Omnes Religiosi cuiuscunque gradus, & conditionis sint, vitium exercentes Sodomiæ esse priuatos omni priuilegio Clericali, & quocunque officio, dignitate, beneficio Ecclesiastico, ac esse degradandos per iudicem Ecclesiasticum, vt igni comburantur.*

3 *Quibus pęnis plectuntur in nostro Minorico Ordine Religiosi Sodomiæ vitium exercentes.*

1 NOn esse vsu receptas, docent quamplures Doctores præsertim *Bellochius in praxi de casibus reseruatis p.2.q.1.art.221. Auila de censuris par.7.disp.4.dub.5. conclus.7. in fine, Henriquez in Summa lib.14.cap.5.n.1. consentit Pater Suarez de censuris disp.31. sect.4.num.22. Filiucius de casibus reseruatis part.2. cap.7.§.1. num.8.* Vbi testatur, quendam ex Societate Iesu testatum fuisse, Cardinalem Sabellium Romani Pontificis Vicariũ consultum respondidisse, hanc bullam non esse vsu receptam, *Iacobus de Graffijs in suis decis. part.1. lib.2. cap.90. nu.4. & 5.* & in hanc sententiam inclinat *Pater Diana parte 2. tract.173. Miscel. resol. 61.*

2 Atqui his minimè obstantibus; dico, omnes Religiosos cuiuscunq; gradus, & conditionis extiterint, eiusmodi Sodomiæ vitium exercentes esse priuatos omni priuilegio clericali, & quocunq; officio, dignitate, beneficio Ecclesiastico, & per Ecclesiasticum iudicem degradandos, vtq; igne comburantur, statim tradendos esse sæculari potestati. Ita sentiunt *Nauarrus in Manuali cap.27. num.249. Pater Coriolanus de casibus reseruatis 2. part. super hunc casum, & Pater Miranda tom.1. sui Manualis quæst.52. art.2. concl. 4. vbi testatur de communi.* In hanc partem etiam inclinat *Gambacurta de casibus reseruat. casu 2.n.4.* Hanc nostram assertionem præallegati Authores ostendunt, solùm verba Pij V. in prædictis constitutionibus referendo; atque adeo sentiũt, has

has constitutiones esse vsu receptas, & in foro conscientiæ obligare. Hoc idem existimo sentire *Patrem Dianam allegata Resol. in fine*, dum inquit; sed quia fieri potest, vt alicubi sit recepta, ideò quæritur. Etenim si huius sensus non fuisset doctissimus Pater iste, difficultates præsentes tangentes materiam exactè non examinaret, & eleganter resolueret, pro vt resoluit.

3 In nostro Minorico ordine adsunt in constitutionibus generalibus pœnæ contra Religiosos huiusmodi execrandum scelus perpetrantes; nam *cap. 6. de correptione delinq. §. de pœnis contra castitatis transgressores in Toletanis* sic habetur: si quispiam Religiosus (quod Deus auertat) nefandum crimen perpetrauerit, nudus omnino cum solis femoralibus coram tota cōmunitate egrediatur manibus ligatis, & grauiter flagelletur cum Psalmo, *Miserere mei Deus*, & leuiusculis flammis igneis hinc inde circumpositis quodammodo comburatur, & ad perpetuos carceres irreuocabiliter damnetur: vbi in pane, & aqua tribus saltem diebus in hebdomada ieiunet, & vitam suam in dolore, & amaritudine animæ suæ defleat. Si verò iterùm de eodem vitio nefando fuerit conuictus, habitu imperpetuum spoliatus ad Triremes ad decennium damnetur. Tamen si nefandi criminis patrator repertus fuerit actum nefandum bis, aut ter commisisse, quādo pro modo accusatur; vt incorrigibilis puniatur. Hactenus constitutio Toletana. Idem statuitur in cōstitutionibus generalibus pro nostra Familia Vallisolet. *§. de pœnis*. Verba harum constitutionum hic adduximus, quia maximè ad sequentem determinandam quæstionē deseruiūt.

QVAESTIO SECVNDA.

An ad prædictas incurrendas pœnas satis sit, vt Religiosus semel tantùm committat crimen sodomiticum?

CAPVT PRIMVM.

Refertur sententia negatiua cum suis fundamentis.

SVMMARIVM.

1 *Religiosum non incurrere pœnas in Constitutionibus Pij V. contentas qui bis, aut ter crimen sodomiticum perpetrauit, docent Suarez, & quamplures alij Doctores.*

1 AD hoc, vt Religiosus prędictas pęnas incurrat, non satis est, vt semel, bis, aut ter crimē sodomiticū admittat, sed necesse est, vt frequēti vsu tale execrandum crimen perpetrauerit. Ita docent quamplures Doctores, præsertim *Nauar. in Manual. c.27.n.250. P. Suar. de censuris disp.31. sect.4.n.21. in fine*, vbi sic habet: Deinde non satis est ad contrahendam ipso facto illam pęnam semel, aut iterùm vitium illud committere, sed oporteret habere frequenter vsum, aut consuetudinem eius. *Azorius p.3.lib.3.c.29.n.2. Auila de censur. p.7.disp.4.concl.7. Filiuc.tom.1. tract.17. c.7.n.127. Sayr.de censur.lib.7.c.12.n.23. Madius in tract.de sacris ordinib.c.22.n.9. Graff.p.1. decis.lib.2. c.90.n.12. Rodriq.in summ p.1.c.208.n.2. & tom.1. qq.Regular. q.30.art.19. Zenard in direct. theolog.p.2. præcept.9.c.9. Belloch.in praxi de casib.reseruat.p.2.q.1.nu.217. Homobon.de casib.reseruatis p.2.c.4. sect.5. Finellius de casib. reser.casu 9.n.6. Genuens.in praxi Archiep.c.97.n.1. P.Diana 2.p.tract.17.3. Miscell.resol.65. & Pater Portel in dub. regular. verbo, pęna n.6.* & communiter (vt inquit *Pater Diana*) Doctores. Ducuntur, quia Summus Pontifex in Bulla has pęnas in Clericos, & Religiosos infligit vitium Sodomiæ exercentes: atqui in iure intelliguntur hi, qui aliquid faciunt frequenti vsu, & continuato; veluti non arbitratur artifex, seu mercator ille, qui semel, aut iterùm ita exercet, vt opinione vulgi pro tali habeatur. Argumento *leg. sciendum §. illud ff. de edil. edit. ita Barth. in proem. Digestorum n.10. & Panormitanus c.1. de iudicijs*, vbi inquit, artificem, seu mercatorem non dici eum, qui semel, aut iterum artem aliquam, siue mercatoriam exercet; sed eum, qui toties, vt vulgi opinione pro tali habeatur: sicut etiam error, & ambiguus non dicitur quis pro vno, vel altero actu, *leg. quis sit fugitiuus §. errorē ff. de eodem titulo, & leg. fi. ff. de abig.*; ergo non satis est, vt vna, vel altera vice Religiosus crimen committat Sodomiæ, sed operæ pretium est, vt illud vsu continuato exerceat.

CAPVT SECVNDVM.

Præponitur affirmatiua sententia.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui vnica, vel ad summum altera vice crimen sodomiæ perpetrauerit in pęnas incurrit à Pio V. latas contra Sodomitas.*

2 *Pęnæ contra Religiosos vitium Sodomiæ exercentes sunt in duplici differentia.*

3 *Ad incurrendas excommunicationem, suspēsionem, & irregularitatem in Sixti V. Constitutionibus cōtentas non satis est, vt Religiosus vna, aut altera vice vitium sodomiæ committat.*

4 *Ad incurrendas pęnas, quæ temporalitatem aliquo modo important in foro externo, satis est, vt Religiosus vnica tantùm vice sodomiæ crimē cōmittat.*

5 *In nefando sodomiæ crimine affectus, & conatus eadem pęna punitur, ac principale scelus.*

6 *Ex nostris Generalibus Constitutionibus, quę dilucidè declarantur, colligitur verus intellectus extrauagantis Pij Quinti.*

7 *Summi Rom. Pontifices nunquam verborum rigidā & exactam solent obseruare proprietatem.*

8 *Patientes non incurrere pęnas Extrauagantis Pij V; docent quamplures Doctores; Et quare.*

9 *Peccatum agentis, & patientis, cùm sit eiusdem speciei, sub eisdem pęnis tàm agens, quàm patiens cōprehenditur; iuxta Authoris sententiam.*

10 *Regularium Superiores non possunt interrogare patientem aduersus agentem, si non fuerit agens vehementer inditiatus.*

Verùm

1 VErùm ex opposito docent alij, Religiosum, qui vnica, vel ad summum altera vice delictum Sodomiæ perpetrauerit, in prædictas incurrere pęnas. Ita sentiunt *P. Miranda loco suprà citato, Ledesma in Summa p. 2. tract. 27. c. 15. concl. 4. Aldrette in disciplina Religiosa lib. 2. cap. 15. §. 5. nu. 8. ex Iuris peritis, Aceuedo lib. 8. recopil. l. 1. tit. 21. n. 22. & 23. Ioannes de Vela de pęnis delict. cap. 33. Ceuallos in tract. de cognit. per viam violentiæ p. 2. q. 87. num. 4. Salzedo in addit. ad pract. crimin. Bernardi Diaz c. 8. littera C. Et Flauius Cherubinus in compendio Bullæ Constit. 72 Pij V, Scol. 2. Citari possunt Couarr. in Clem. si Furiosus de homicid. p. 1. n. 6. Farinac. p. 4. q. 148. Menoch. loco statim citando n. 23. Turrecrem. c. nec eam n. 3. 75. q. 2. & alij quamplures apud Alsald. de Iuris p. 4 tit. 5. c. 2.*

2 Vt autem nostra sententia melius percipiatur, aduerto, quòd pęnæ contra Religiosos Sodomiæ vitium exercentes in duplici sunt differẽtia. Quædam enim sunt purè spirituales, vt est excommunicatio, suspensio, & irregularitas, nã (vt eleganter noster *Miranda* aduertit) his pęnis in iure subiacent Religiosi hoc vitium perpetrãtes. Aliæ sunt temporales, (vt ita dicam) vt est priuatio Clericalis priuilegij, officij, ac dignitatis, nec non priuatio Ecclesiastici Beneficij; item degradatio, & traditio potestati sæculari, ad effectum, vt igni ad comburendum tradantur.

3 Ad incurrendas pœnas primi generis in foro conscientiæ, ad hoc, vt quis exhibeat se excommunicatum, irregularem, ac dignitate, officioue priuatum, non satis est, vt vna, ac altera vice vitiũ exercendæ Sodomiæ committat, sed necesse est, vt saltem ex malo habitu continuet vsum per nonnullas vices arbitrio boni viri iudicandum, eũ exercere vitium nefandum: & in hoc sensu puto veram primam sententiam.

4 Quo ad verò secundi generis pœnas satis est, vt vnica vice Religiosus tale committat crimen. Ducor, quia iuxta leges Imperiales, & Seculares, pro vnico dumtaxat actu qui eiusmodi crimen commisit pœna capitali mulctatur, seu potius igne comburitur: igitur à paritate eodem modo sunt intelligẽdæ Pij V. Constitutiones, quatenus decernunt, Religiosos, seu Clericos, qui huiusmodi vitium exercent, Brachio sæculari esse tradendos. Quin verò secundùm multorum Doctorum sententiam, in hoc casu, & similibus, ob
5 sceleris atrocitatem, etiam affectus, & conatus eadem pęna punitur, qua & principale crimen: vt tenet *Glossa in l. 1. §. hæc autem verbo putamus ff. quisque Iuris, Felinus in c. 1. & 2. de officio delegati, Couarr. in clementina, si furiosus*, & quamplures alij Doctores.

6 Sensus iste, quem puto verissimum, colligitur ex suprà positis constitutionibus nostri ordinis, quarum verba sunt valdè notanda: & primò illud, *perpetrauerit*, quod vnicum dumtaxat actũ significat, propter quem iubetur huiusmodi Religiosus illo cęremoniali modo comburi, & ad perpetuos carceres irreuocabiliter damnari, quod est idem verbum in prima Pij V. Constitutione positum ibi; qui tale crimen perpetrauerit, propter vnicum actum dumtaxat: Inde infero, quòd ad incurrendas prædictas pęnas temporales in foro exteriori sufficit vnicum tantum actum completum in genere peccati Sodomiæ. Et *verbo, si verò iterum*, quod aliud denuntiat actum, & quod præcipit, vt in eo casu habitu imperpetuum spolietur, & ad Triremes ad decennium damnetur. Et insuper, *quòd si prædicti nefandi criminis patrator (quando à Principio accusatur) repertus fuerit, & eiusmodi actum nefandum bis, aut ter commisisse, vt incorrigibilis puniatur.* Ex quibus verbis colligo, doctissimos, innumerosq; Patres sentire, Religiosum, bis, aut ter hoc crimẽ committentem exercere sodomię vitium. Vndè sensus sumitur verborum Pj V. vt sit, Clericum, aut Religiosum bis, ter, aut quater patrantem eiusmodi vitium, dici illud exercere, ac proinde incurrere prædictas pęnas, saltẽ in foro exteriori.

His igitur suppositis, potest formari ratio sic. Ideò laici capitali pęna, & igne puniuntur; quòd Iura non desiderant huius criminis frequentiam, sed satis est, vt in vno deprehendãtur actu; Igitur cur in Clericis, & Religiosis hoc non sufficit?

Insuper Pontifex licèt in Bulla vtatur illo verbo, *exercentes*, tamen in Canonicis Decretis Põtifices Summi tam rigidam atque exactam verborum non solent obseruare proprietatem. Et Pius V. in Extrauaganti confirmat aliam editam
7 primo sui Pontificatus anno, in qua non verbo, *exercentes*, sed, *perpetrantes*, vtitur: Igitur euidens signum est, quod verbum, *exercentes*, pro verbo, *perpetrantes*, vsurpare voluit. Ex quibus omnibus collige nostræ sententiæ probabilitatem, atque veritatem.

8 Sed quæres; an prædictæ Bullæ pęnas incurrant etiam patientes? Respondeo, duas de hac re esse sententias. Prima docet, quòd patientes cùm verè sodomitæ non sint, non sunt sub pęnis in dictis Extrauagantibus contentis comprehẽsi. Quod verò non sint censendi verè, & in rigore sodomitæ; eò probant huius sententiæ Doctores, quia *Diuus Paulus 1. Corinth. c. 6.* ponit inter sodomitas, & molles discrimen ibi: *Nequè adulteri, nequè molles, nequè masculorum concubitores Regnum Dei possidebunt.* Moles enim, inquiunt *Angelicus Doctor p. 2. q. 138. art. 1. ad 1. & Caietan. in Summa, verbo, mollities, in fine*, eos dici, qui patientes sunt cum alijs, vel qui voluntariam peragunt pollutionem: Concubitores verò masculorum appellant in hoc crimine agentes; igitur patientes non sunt in rigore Sodomitæ, ac subinde pęnis contra sodomitas statutis minimè subiacent. Insuper hoc idem ostendunt tum ex diuersitate pœnæ, tum ex sceleris grauitate. Adest quippe magna differentia inter agentem, & patientem: nam maius peccatum est agentis, quã patientis, vt notauit *Diuus Antoninus in Summa p. 3 tit. 17. c. 17. §. 4.* & in foro exteriori maior pęna imponitur agenti, quàm patienti. Verùm hæc
9 sententia quamquam speculatiuè probabilis sit, & defendi possit; in praxi tamen est falsa; tum quia

quia peccatum agentis,& patientis sunt ejusdem speciei, vt doctè probāt *Alphonsus de Leone tract. de officio,& potest.confessarij p.1.recolet.9.n.216.& 218.Filiucius tom.2.tract.3.c.7.n.131.& alij*: Igitur respectu pęnarum contra huiusmodi vitium Sodomiæ exercentes impositarum sunt eodem modo cōsiderandi; ac proinde sicut actiuè exercentes pęnas dictæ Extrauagantis incurrunt, ita & patientes. Sic sustinent *Aloysius Riccius in praxi tom.3.resol.57.n.7.Floronus in tract. de casib. reser.p.2.casu 7.§.1.n.6. Coriolanus de casibus reseruatis p.2. casu 9.* & certè incurrunt; quia tàm Religiosus agens, quàm patiens verè dicitur sodomiam perpetrare. Vndè iura pęnas infligentia contra sodomitas tàm in agente, quàm in patiēte loquuntur: *l.cùm vir de Adult.§.1. in Authent.* vt non luxurientur contra naturam; & in praxi eadem pęna puniuntur, & plectuntur agentes, & patientes: Quando tamen patientes sunt ætatis, quàm iura petunt ad infligendam mortem. Maxima quidem ratione; nam id, quod relatiuorum dispositum est in vno, censetur dispositum in alio ex illis.

10 Hinc infero, non posse Superiores Regulares ad Religiosum patientem interrogandum procedere aduersus agentem, quando non est saltē vehementer inditiatus; eò quòd maximam illi inferunt iniuriam, & peccant contra iustitiam. Etenim cùm Reus sit eiusdem sceleris,non possunt,nisi iuris ordine seruato,ad similem interrogationem faciendam procedere. Hæc scribo, quia multoties hoc in praxi obseruari vidi.

QVAESTIO TERTIA.

An Religiosus, qui habuit rem cum muliere in vase præpostero, censendus sit ita Sodomita, vt prædictas Bullæ Pij V. nec non Iuris communis pęnas incurrat?

CAPVT PRIMVM.

Quid negatiuè senserint Doctores Theologi, refertur.

SVMMARIVM.

1 *Religiosum huius extrauagantis pęnas non incurrere, qui fęminam in præpostero vase cognouit.*

1 AZorius p.3. lib.3.c.19. quæsito 3.Tannerus 2.2. disp.3.q.3.puncto 6.n.149.Valentia to.3.disp. 9.q.3.puncto 3.Henriquez lib.11.c.17.n.6. in Glossa litt.A,& B.Filliucius to.1.tract.3.c.8. n. 5. Syluius in D.Thom.2.2.c.15.art.12 Bonacin.in tract.de matrimonio q.4.puncto 11.propos.1.Floronus de casibus reseru.p.2.casu 7.§.1.n.9 Cappeavilla de casib.reser. c.15.quæsito 2. Zanardus in direct.p.2.præcepto 6.c. 10.Ioannes dela Cruz iudirect.consc.p.1. præcept.7. art.7.dub.8.concl.1.Ledesma p.2.tract.27.c.15.cōc. 1 T.Diana p.2. tract.17.3. Miscell.resol.62.vers. ex his apparet,* & alij statim citandi docent, Religiosum non incurrere huius extrauagantis pęnas, si fęminam in præpostero vase cognoscat.Ducuntur; quia sodomia est peccatum contra sexum, & debitum instrumentum, atqui quando Religiosus præposterè cognoscit mulierem,si debitū non seruat ius, seruat sexum; igitur propriè non committit sodomiæ crimen; & ideò probabilem post *Diuum Thomam 2.2.q.154. art.11.& Caieta.* existimauere hanc sententiam *Barbosa in collect. tom.2.lib.5.tit.32.c.4.n.3.& Diana vbi suprà vers. at mihi contraria sententia.*

CAPVT SECVNDVM.

Sententia affirmatiua sequenda omnino comprobatur ab Authore.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui cum fęmina in vase præpostero habuit rem, incurrit pęnas Extrauagantis Pij V.*

2 *Maritus, qui cum propria vxore in vase præpostero habuit copulam, pęnis contra sodomitas in iure inflictis mulctatur.*

3 *Fęminam habere rem cum fęmina, certum est, esse sodomiæ peccatum.*

4 *Religiosus pęnas extrauagantis Pij Quinti non incurrit, qui perfectam Sodomiticam copulam non habuit.*

1 OPinio in præcedenti capite allata, quamquā tot nobiles & Illustres habeat Patronos, nihilominus mihi non probatur; eò quòd nullum apud eos inuenio robustum fundamentum.Melius igitur, & veriùs sentiunt Authores statim citandi; asserentes, ad constituendam propriè dictam sodomiam,quòd requiritur commixtio viri siuè cum viro, siuè cum fęmina in ea corporis parte, perquam quod intrat (vt scriptura loquitur Matthęi 15.) in os, vadens in ventrem, in secessum emittitur; Igitur vsus præposteri vasis, vel sit viri, vel fęminæ, constituit formalissimæ sodomiæ crimen. Vndè Religiosus,qui cum fęmine in vase præpostero rem habuit, cùm verè sodomita dicatur, pęnas dictæ extrauagantis Pij V. incurrit. Ita sentiunt *Sayrus de censuris lib.7.c. 12.nu.23.Reginaldus tom.1.lib.21.c.3. sect.4.nu.49. Grassius de beneficijs tom.2.p.11.c.10.§.2.num.207. Prosper de Augustin.in addit.ad Summam,Quarant.a verbo, Sodomia,& Aloysius Riccius in praxi par.3. resol.60.nu.4. & p.1. resol.302.n.2.& in collectan. decis.p.5. collect. 1877.* Hæc assertio probari potest, quia ad incurrendas dictæ extrauagantis Pij V.pęnas nihil aliud requiritur,nisi quod Religiosus verè vitium sodomiæ exerceat: atqui fęmina abutens, in eius præpostero vase seminando, verè & formalissimè dicitur Sodomita; Igitur Religiosus,qui in obsceno vase quando rem habuit cum fęmina, emittens in vase præpostero semen, est verè Sodomita:ergo prædictas incurrit pęnas. Consequentiæ sunt notæ. Minorem præterquam quòd constanter docuere *Reginaldus,vbi suprà.Homobonus in examine Ecclesi.part.1. tract.7.c.28. q.114. Lessius lib.4.de iust. & iure c.3. dub.13.n.90.Llamas in Sum.p.3.c.8.§.21.Couarr.in* Epitome

epitome, in 4.p.2.c.7.§.5.n.7. vbi hoc probat ex *c. omnes causationes, & c. vsus 27.q.7.* vbi quamplures alios citat Canonistas, *Menochius lib. 2. de arbitrar. centuria 3. casu 268. n.5.* vbi nonnullos alios citat Doctores; Possunt etiam pro hac sententia citari *Iacobus de Graffijs in praxi lib. 1. c. 11. num. 2. Gambacurta de casibus reseruatis casu 2. n. 3. & Homobonus de casibus reseruatis p. 2. casu 5. sect. 5.* quatenus asserunt, concubitum cum fęmina contra naturam esse includendum in casu reseruato sodomiæ, probo; quia maritus, qui cū propria vxo-
2 re in vase prohibito habuit copulam, pęnis contra sodomitas in iure inflictis mulctatur; igitur tum iuxta communem Iuristarum sensum, tum iuxta Ciuiles leges, censetur esse peccatum, & crimen verè sodomiæ abuti fęmina in præpostero vase. Item quid infert fęmineus sexus, quando fęmina eodem modo abutitur, sicut abutitur vir alio viro? quòd si aliquid esset discrimen excusans, seu (vt rectius loquar) constituēs sodomiæ peccatum ortum ex abusu fęminæ in alia luxuriæ specie distinctum à sodomia; deberent vtique Doctores primæ sententiæ assignarę: quod certè nullum vnquam assignabunt. Insuper in *cap. Adulterij 32. q. 7.* decernitur, esse peccatum Sodomiæ, quando maritus, non seruato loco naturali, cum muliere peccat; ibi; quòd si contra naturam execrabiliter fit in meretrice, sed multò execrabilius in vxore: tantùm enim valet ordinatio creatoris, & ordo creaturæ, vt in rebus ad vtendum concessis, cùm modus exceditur, longè tolerabilius fit, quàm in eis, quæ non concessa sunt. Ex quibus verbis colligitur, peccare vitio sodomiæ maritū, qui, nō seruato loco naturali, rem habuit cū propria vxore.
3 Tandem esse peccatum sodomiæ, fęminā habere rem cum fęmina; Igitur ratio Sodomiæ formalis desumenda est ex abusu naturalis concubitus: at qui rem cum fęmina in præpostero vase habet, execrabiliter abutitur naturali concubitu; igitur. Huius discursus antecedens probant communiter Doctores, præsertim *Sayrus in sua Claui Regia lib. 7. cap. 5. numer. 18. Bosius tract. crimin. titul. de Stupro detestabili in masculis num. 3. vers. Item Sanctum Augustinum Menoch. de arbitr. Iudic. lib. 2. centur. 3. casu 206. Franciscus Ansaldus de Iurisd. p. 4. tit. 5. c. 1. n. 5. & habetur in l. fedissimum 20. Cod. ad leg. Iul. de adult. Soccin. sen. in c. Episc. n. 1. Petrus Cabel. in resolut. crimin. tom. 1. cas. 16. n. 24.*
4 Sed quæres; an Religiosus incurrat in pęnas supradictæ Extrauagantis, quando non habuit perfectam Sodomiæ copulam? Respondeo negatiuè. Ita sentiunt *Suarez de Censuris disp. 31. sect. 4. n. 21. Reginaldus vbi suprà, Filiuc. tom. 1. tract. 17. c. 7. n. 127. Pat. Azor. p. 3. lib. 3. c. 19. quæsito 4. Rodriq. in summa p. 1. c. 208. Campanil. in direct. Iuris Can. rub. 11. c. 22. n. 14. Sayrus de censuris li. 6. c. 12. n. 23. Floronus de casib. reser. p. 2. casu 7. n. 8. & 9. Finellius de casib. reser. casu 9. n. 6. P. Diana vbi suprà resol. 63. & Coriolan. de casib. reser. apud ipsum.* Ratio est, quia quando lex prohibet aliquod delictum, intelligit de delicto consummato: at quando semen non immittitur intra vas, non dicitur sodomia consūmata, ergo. Mayor ostenditur authoritate Capituli, Hæc autem, *dist. 5. de pęnit. & ex leg. 1. § hęc verba ff quòd quisque iuris.* Minor probatur ex cōmuni Doctorum sententia non esse, asserente, perfectè sodomiam, quando vir cum viro rē habet, non seminans intra vas. Ita *Sanch. de matr. to. 3. lib. 10. disp. 4. n. 13.* & alij quamplures.

QVAESTIO QVARTA.

Vtrum Religiosus incurrat pęnas dictæ Extrauagantis, si bestialitatis crimen commiserit, & quid cum Dæmone, quando in assumpto corpore fit ei subcubus.

CAPVT VNICVM.

Bestialitatis copulam esse reseruatam, ostenditur: parsq; affirmatiua probatur.

SVMMARIVM.

1 *Peccatum bestialitatis est scelus omnium eorum, quæ contra naturam fiunt, grauissimum.*
2 *Quàm abbominabile sit coram Deo bestialitatis peccatum.*
3 *Religiosus non incurrit pęnas extrauagantis, qui scelus bestialitatis committit, iuxta sententiam Barbosæ, & aliorum.*
4 *Religiosus, qui bestialitatis vitium exercet, non euadit pęnas in Pij Quinti extrauagante inflictas contra Clericos, & Religiosos vitium Sodomiæ exercentes.*
5 *Lex, de casu ad casum vt extendatur, sufficit paritas rationis.*
6 *Crimen bestialitatis similitudinariè, & ratione finis, dici potest optimè sodomiæ scelus.*
7 *Ad incurrendas prædictas pęnas requiritur Iudicis sententia.*
8 *Ad hoc, vt Religiosus incurrat pęnas spirituales, & alias, quæ ad sui executionem iudicis sententiam non requirūt, satis est, vt delictum perpetrauerint.*
9 *Religiosus, qui carnalem copulam cum Dæmone habuit, peccat bestialitatis peccato, & hunc incurrit casum reseruatum.*

1 SVb lapsu carnis voluntario opere consumatò bestialitatis copulam esse comprehensam, satis in 1. c. 1. q. *disp. 11.* ostensum est, & meritò; etenim huiusmodi scelus est omnium eorum, quæ contra naturam fiunt, grauissimum: vt sacra eloquia testantur. Nam Genes. 27. dicitur de Ioseph, quod accusauit fratres apud patrem suum de crimine pessimo; de peccato bestialitatis, quo inuo-
2 luti erant filij Iacob, intelligit *Glossa.* Estquè hoc crimen coram Domino abhominabile nimis: nā sub pęna mortis fuit à Deo prohibitum, vt patet Leuit. c. 18. *Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo. Mulier non succubet iumento, nec miscebitur ei; quia scelus est.* Et c. 20. poena mortis punitur ibi; *Qui cum iumento, & pecore coierit, morte moriatur, pecus quoque occidite. Mulier, quæ succubuerit cuilibet iumento, simul interficietur cum eo, sanguis eorum sit super eos.* Iuxta verò leges ciuiles

les eadem pęna punitur: nam pręcipitur, vt huius criminis reus vnà cũ Bestia ipsa igne exuratur, in detestationem & horrorem tã nefandi delicti.

3 Et quamquam *Barbosa in suis collectaneis to. 2. lib. 5. tit. 31. c. 4. n. 1. Garzias de beneficijs tom. 2. p. 11. c. 10. §. 2. Bannes 2. 2. q. 64. art. 8. & P. Diana 2. p. tract. 17. & 3. Miscell. resol. 66* existiment, Religiosum crimen bestialitatis exercẽtem huius extrauagantis pęnas nõ incurrere; quia bestialitas propriè non est sodomia, contra quam fuit edita hęc extrauag. & lex pęnalis nequit extendi ad casum non expressum, etiam si in illo eadem inueniatur ratio, & maximè in foro conscientiæ; vt eleganter ostendunt *P. Miranda in tract. de monialibus 1. tom. sui Manualis q. 2. art. 10. concl. 1. Sanch. de Matrim. tom. 3. lib. 10. dispu. 4. n. 3. Henriq. in Sum. lib. 7. c. 30. n. 4. in Glossa litt. C. Castrus de l. pęnal. lib. 6. c. 3. nu. 5. & c. 4. nu. 1.* & plures alij.

4 Nihilominus dico, Religiosum, qui bestialitatis vitium exercet, non euadere pęnas in Pij V. Extrauagant. contra Clericos & Religiosos Sodomiæ vitium exercentes inflictas. Ita tenent *Rodriq. in Summ. tom. 1. c. 208. n. 2. Ledesma in Sum. tom. 2. tract. 2. c. 11. conclus. 4. Vega in Summa to. 2. c. 102. casu 2. Homob. in exam. ecclesi. p. 2. tract. 11. c. 12. n. 26. Riccius in praxi tom. 3. resol. 59. Roland. à Valle volum. 1. consil. 7. nu. 2. Campanil. in diuer. iur. can. rub. 11. c. 22. n. 28. Narbona in 3. par. recompilat. lib. 4. tit. 1. leg. 20. Glossa 8. n. 13. Belloch. de casib. reser. p. 2. q. 2. n. 39.* & quamplures alij. Mouentur, quia lex pœnalis ex identitate rationis extenditur de casu ad casum; vt communiter docent Iuristæ, atque Canonistæ, pro vt eleganter *P. Suar. lib. 6. de legib. c. 3. n. 16.* & nos *in tract. de iuris Pontificij defens. disp. 1. q. 2. c. 3. nu. 48.* atqui eadem est ratio in vtroque crimine; igitur.

5 Insuper *Panormitanus in c. insulis de Regulis iuris n. 2. & in cap. ex tenore qui sunt filij, Molina lib. 1. de primogenitis cap. 5. n. 7. Couarr. in cap. Alma mater 2. p. §. 4. num. 7. versic. secundo, Angelus verbo, lex n. 6. Syluester eodem verbo q. 18.* & alij, quos allegauimus vbi suprà *num. 19.* affirmant, ad legem quamcunque extendendam de casu ad casum sufficere paritatem rationis; igitur.

6 Neque ratio prioris sententię obstat; Nam bestialitatis crimen, quamquam formaliter non sit verè sodomia, ratione tamen finis, & similitudinariè, non repugnat, vt dici possit talis, & cùm scelus sodomia sit atrocius, & grauius, quocunque modo, & formalitate consideretur, dicendũ est, mentem legislatoris eam fuisse, vt sub sua constitutione vellet quoq; bestialitatis exercentes vitium comprehendere: ac proindè non solũ identitas rationis sat est ad extendendam prædictam constitutionem; verùm etiam & paritas rationis. *Paulus gril. de pęnis omnifor. quotid. q. 8. nu. 1. Rolland. à Valle in causa Antonij Brunelli n. 1. vol. 1. Iulius Clarus in pract. crim. verb. cum animali Bruto. Farin. p. 4. q. 148. de crim. Sodo. nu. 46. & 47. Menoch. vbi sup. n. 31. & 32. Nicol. Boer. decis. 116. n. 4. versic. etiam Leuid. Ansald. loc. cit.*

7 Quæri hìc autem solet, an sit iudicis sententia expectanda, ad hoc, vt Religiosus hæc scelera perpetrans incurrat prædictæ Bullæ penas in foro conscientiæ? *Pater Suarez tom. 5. ad tertiam p. disp. 31. sect. 4. nu. 22. Sanchez de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 46. nu. 28. Auila de censuris p. 7. disput. 4. dub. 7. conclus. 7. Henriq. lib. 14. cap. 5. n. 1. in Gloss. litt. F. Filliuc. tom. 1. tract. 17. num. 127. Azor. par. 3. lib. 3. instit. Moral. cap. 19. q. 5. Rodriq. tom. 1. Summ. 2. editione c. 21. n. 2. Vega 2. tom. Summæ cap. 102. casu 2. Graff. 1. p. decisionum lib. 2. c. 90. n. 5. & seqq. Bonacin. de matr. q. 4. puncto 11. n. 2. Finellius de casib. reseru. casu 9. n. 6. Floron de casib. reser. p. 2. casu 7. §. 1. n. 8. & P. Diana vbi sup. resol. 67.* & alij, quos ipsemet citat, & sequitur, respondent affirmatiuè. *Nauarr. verò in manual. c. 27.* substinet, incurrere ante iudicis sententiam, eò quòd in ea constitutione dicitur; *Præsentis Canonis auctoritate priuamus*: quòd verbum cùm sit temporis præsentis continere videtur latam sententiam.

8 At mihi videtur esse dicendum, pęnas spirituales, & alias, quę ad sui executionem iudicis sentẽtiã non requirunt, incurrere Religiosum, qui huiusmodi scelera committit, nulla expectata iudicis declaratione. Ita sentire videntur *Vasq. in 1. 2. disp. 168. c. 2. n. 12. Salas de leg. disp. 15. sect. 2. n. 29. Suar. de legib. lib. 5. c. 9. v. 5. Becanus in sum. Theol. p. 2. tract. 3. c. 7. q. 3. concl. 1. n. 3. Villalobos in sum. to. 1. tract. 2. dub. 25. dub. 4.* vbi testatur de communi. Alias verò, quæ necessariò expetunt iudicis sententiam, ante eius euentum non incurrit. Sed de hac re alibi.

9 Si autem Religiosus quamcunque carnalem copulam cum Dœmone habuerit, quando in assumpto corpore fit incubus, vel subcubus, siuè assumat corpus bestiæ, siuè viri, siuè fęminæ, siuè alterius rei, peccat peccato bestialitatis reseruato. Ita *Caiet. 2. 2. q. 154. art. 2. dub. 3. Sayr. in claui Regia lib. 8. c. 5. n. 19. Cappeauilla de casib. reser. casu 15. q. 1.* & alij quamplures. Ducor, quia quantum ex parte concubitus semper est eadem formalis ratio, siuè idem motiuum, scilicet venerea delectatio cum re, quæ in rei veritate diuersæ est speciei ab homine, quamuis alio respectu concubitus cum Dęmone differat à bestialitate specie nimirum ratione superstitionis illius; ad quam spectat cum Dęmone societas: est enim in tali concubitu directa cum Dœmone Societas, prout allegati Doctores affirmant: ac proinde potiori iure dicimus, pęnas dictæ extrauagantis prædictum Religiosum incurrere. An verò possit is absolui à Superiore, in quantum videtur huiusmodi crimen ad Dominos spectare Inquisitores; Vide quæ diximus suprà disputatione vltima secundæ partis; Nam ex his, quæ ibi monuimus, facile erit hunc casum determinare.

DISPV-

DISPVTATIO XIII.

APPENDIX.

De tactibus impudicis, ac inhonestis.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum omnium Ordinum Superiores, ex quo lapsus carnis voluntarius opere consumatus est reseruatus, possint sibi, nullo habito Prouincialis Capituli consensu, reseruare voluntariam pollutionem, aliosquè actus impudicos?

CAPVT VNICVM.

Resoluitur difficultas præposita; & declaratur, quid sit tactus impudicus, & enormis; & in quo enormitas consistit.

SVMMARIVM.

1 *Superiores Regulares non possunt sibi reseruare tactus impudicos, absq; Capituli Prouincialis consẽsu.*
2 *Tactus impudicos posse Superiores Regulares sibi reseruare, sustinet Tamburinus.*
3 *Tamburinus reprobatur.*
4 *Quid requiritur, vt Superiores de consensu Capituli Prouincialis, tactus impudicos, & enormes sibi reseruent?*
5 *Tactus illi sunt censendi impudici, & enormes, qui fiunt in verendis, vel non longè ab eis, super nudam carnem, aut solùm coopertam linteo, si sint peccaminosi; iuxta aliquos Doctores.*
6 *Non esse tactus enormes, neque reseruatos omnes illos, qui fiunt à genibus vsque ad cingulum, nec tactus mamillarum, etiam si lasciuo animo fiant, qui docent.*
7 *In tactibus impudicis duas distinguunt alij formalitates; & quæ illæ sint.*
8 *Impudicitia respectu tactus respicit partem, & locum corporis, enormitas verò prauam, & iniquam intentionem.*
9 *Pudicitia non est circa solam intentionem, sed circa partes pudendas exteriores.*
10 *Tactus impudicus ille censendus est, qui fit tangendo partes verendas; enormis verò, si tali tactui ad iungatur praua intentio ad finem venereum.*
11 *Tactus aliquando potest esse impudicus, & non enormis, & consequenter non reseruatus.*
12 *Religiosus, qui mulieris brachia tangit etiam praua intentione, non incurrit casum reseruatum.*
13 *Religiosus, qui verenda mulieris tangit super vestimenta, licèt mortaliter peccet, si malo animo, & intentione id faciat; non incurrit tamen casum reseruatum.*
14 *Religiosus, qui se ipsum, aut alium virum tangit in verendis super vestimenta turpi, & lasciua intentione, incidit in casum reseruatum; & quare.*
15 *Religiosus, qui vestitus super vestitum incumbit, aliquem fedum motum immiscendo, quibus solent homines vti in venereis actibus, committit peccatum reseruatum in hoc genere.*

1 EX quo lapsus Carnis voluntarius opere cõsummatus est ordinũ Superioribus reseruatus, vel reseruabilis, quatenus vnusquisq; eorũ sibi propria authoritate potest reseruare; nõ possũt absq; Prouincialis capituli cõsensu reseruare voluntariam pollutionem, actusquè impudicos enormes; quia non comprehenduntur sub illis vocibus, nimirum, lapsus carnis. De actibus impudicis expressè, & in terminis ita esse sentiendum, docuerunt *Pater Alphonsus de Leone de off. conf. tom. 2. recolect. 11. nu. 132. & Pater Diana p. 3 tract. 2. de dub. regul. Resolut. 118.* Quo verò ad pollutionem idipsum expresse sentiunt *Ioannes à Trinitate de casib. reseruat. casu 3. & ibidem Martin. à Sancto Ioseph, & Frater Franciscus Luengo à Sancto Bernardino super capitulum septimum Regulæ nostræ controu. 20. sect. 1. n. 22.* Scio *Tamburinum de iure Abbat. tom. 2. disput 13. q. 2. num. 3.* oppositum asserere. Inquit enim: Aliquando in eadem
2 supradictorum casuum decisione potest etiam Superior sibi alios casus reseruare, vt exempli gratia, in materia lapsus carnis potest sibi reseruare tactus impudicos, oscula, litterulas, munuscula, &c. Ita *Hieronimus Sorbo in addit. ad compendium priuileg. verbo, absolutio;* affirmans, hoc à Clemente Octauo sibi declaratum fuisse. Ha-
3 ctenus ille. Verùm hæc sententia non est admittenda; nam in primis per lapsum carnis solũ copula carnalis perfecta intelligitur, vt suprà cũ de Trinitate, à Sancto Ioseph, & alij docuimus, at neque voluntaria pollutio, neque actus impudici, & enormes sub carnis lapsu comprehendi possunt; Igitur ex hoc capite absque capituli Generalis, aut Prouincialis consensu nequeunt reseruari quidquid in oppositum dicat *Pater Suarez.* Neque nobis constat de Clementis Octaui responsione facta Patri Hieronymo à Sorbo; cùm enim authenticè constare non possit, eius testimonio non est præstanda fides.

Et quoniam aliquando ex consensu Capituli Prouincialis sibi reseruare solent actus impudicos, & enormes, & consequenter voluntariam pollutionem quocunque modo procuratam tanquam in actibus impudicis inhibitam. Ideò opere pretium est declarare, quid sit tactus impudicus, & in quo consistat enormitas.

4 Tactus huiusmodi, vt reseruabiles sint, duo debent in se includere; primò, vt tactus impudici, ac inhonesti sint; Secundò, vt sint enormes, siuè cum secunda persona; siuè secũ fiant. Ex quo colligitur, quòd nõ omnis tactus impudicus

dicus est reseruatus, sed ille solus, qui materiam impudicitiæ habet, & enormitatem; vtrumque enim, & impudicitiam, & enormitatem debet includere. In quo verò consistat enormitas, Doctores, quos ipse viderim, non conueniunt. Nam nonnulli considerandam esse putant in eodem actu intrinsecè, hoc est ex ratione intrinseca actus, ratione obiecti, à quo specificatur, & non penès aliquam circumstãtiam ipsi actui extrinsecam: vt v. g. ratione loci sacri, aut ratione scandali, ita vt si tactus inhonestus, & impudicus, in quantum talis tactus est, non includit intrinsecè enormitatem, non est reseruatus, quamquam ex alio capite, hoc est ratione alicuius circumstantiæ, culpa sit valdè grauis. Vt v. g. osculum ex sua natura, & intrinseca formali ratione ipsius non reseruatur, quia non est tactus enormis; igitur nec ratione alicuius extrinsecæ circumstantiæ; nimirum, quia commissum est in loco Sacro, aut fuit publicum, & scandalosum, reseruatum censetur. Quod sic ostendunt. In osculo scandaloso v.g. duo considerantur; scandalum, videlicet, & impudicitia. at scandalum nullibi reseruatur, & similiter nec reseruatur osculũ præcisè; ergo nec osculum scandalosum reseruatur.

5 Quod si instes, huiusmodi osculum reseruari propter culpæ grauitatem, quæ ratione scandali illi superadditur: Respondent, quod hæc grauitas est in osculo in ratione casus extrinseca: & ideò osculum non est iudicandum reseruatum: requiritur igitur, aiunt, vt grauitas, seu enormitas sit tactui intrinseca, idest, quòd tactus inquantum talis sit enormis non verò ratione scandali, vel alterius circumstantiæ habentis se extrinsecè ad tactum; igitur enormitas desumitur respectu obiecti in quod tendit tactus; Et enim ex obiecto sibi intrinsecam desumit specificationem. Vndè inferunt, tactus illos esse impudicos & enormes, qui fiunt in verendis, vel non longè ab eis, super nudam carnem, aut solum coopertam linteo, dummodò huiusmodi tactus sint peccaminosi mortiferè, aliàs non essent reseruati; vt si fiant iocosè, aut ratione medicinæ, vel munditię, vel alia simili: quamquam ex huiusmodi tactibus delectatio, aut motus carnis suboriatur, (inuoluntariè tamen) pro vt Authores communiter affirmant, præsertim *Lessius de iustitia, & iure lib. 4. c. 3. dub. 8. n. 60. & Sanch. de matrim. lib. 9. disp. 45. & 46. Bonacin. Filiucius*, & quamplures alij.

6 Hinc inferunt, non esse tactus enormes, nec consequenter reseruatos omnes illos, qui fiunt à genibus vsque ad cingulum, nec tactus mamillarum, etiam si turpi, & lasciuo animo fiant: quia licèt huiusmodi tactus valdè ad delectationem prouocent carnalem, tamen plurimum distant ab enormitate in verendis reperta. Et signum huius est, quòd mamillæ fœmineæ discoopertæ in aliquibus locis portantur, in omnibus verò teguntur verenda. Quo fundamento etiam affirmant, oscula, & amplexus non comprehendi sub tactibus reseruatis; quia non habent enormitatẽ, quæ requiritur ad reseruationem. Ita sustinent *Ioannes à Trinitate super hunc casum, Frater Martinus à Sancto Ioseph ibidem*: consentitq; *P. Coriolanus 2. p. de casib. reser. casu* 9. & nouissimè *Frater Franciscus Luengo à Sancto Bernardino* vbi suprà.

7 Distinguunt alij in tactu pudicitiam ab enormitate, & tanquam duas formalitates distinctas (vt ita dicam) considerant; etenim impudicitia ad turpem intentionem ordinant, enormitatem verò desumunt respectu illius corporis partis, quæ ita tangitur, vt nullo modo possit videri, & ita casus reseruatus erit, quando quis ex praua intẽtione tãgit aliquam corporis partem, quæ communiter cooperitur. Vndè feminæ tangere mamillas, aut genua, siue brachia ex praua intentione, erit tactus impudicus, & enormis, & consequenter reseruatus.

5 Tertij à primis parum discedentes vtuntur distinctione, ita vt sentiant, quòd impudicitia respectu tactus respiciat partem, & locum corporis; enormitas verò prauam, & iniquam intentionem, ita vt enormitas, vt sit intrinseca tactui, non solùm ab obiecto requirit specificationem, verũ etiam à voluntate; quatenus ordinat talis corporis partis tactum ad prauum finem, seu ad veneream delectationem; quòd ex *D. Thom. 2. 2. q. 151. art. 4.* in corpore desumunt, Vbi ait; *Pudicitia à pudore dicitur, in quo verecundia significatur*; & ideò *oportet, quòd pudicitia propriè sit circa illa, de quibus homines maximè verecundantur: maximè autem verecundantur homines de tactibus venereis.* Et paulò inferiùs: *& ideò pudicitia attenditur propriè circa venerea, & præcipuè circa signa venereorum, sicut sunt aspectus impudici, oscula, tactus; & quia hæc magis solent deprehendi; ideò pudicitia magis respicit huiusmodi exteriora signa*: hæc Sanctus Thomas.

9 Ex qua doctrina colligunt, quòd pudicitia nõ est circa intentionem solùm, sed præcipuè circa partes pudẽdas exteriores, vel circa signa venereo-
10 rum. Vndè tactus impudicus ille erit qui fit tangendo partes verendas: & enormis erit, si tali tactui adiungatur praua intentio in ordine ad finẽ venereum; nam vtrumque requiritur, vt casus sit reseruatus; nimirum, quòd interueniat tactus, & pars impudica corporis, super quam fit tactus, & intentio, seu praua voluntas ordinans talem tactum respectu finis.

11 In hac igitur sententia separabilis est impudicitia ab enormitate, atque adeò contingere potest, vt tactus sit impudicus, & non enormis, vt si quis tangat alicuius verenda non praua intentiõne; erit quidem huiusmodi tactus impudicus, sed non enormis; qua propter nec reseruatus: erit tamen reseruatus, si tactui enormitas addatur, vt si tangat libidinosè.

12 Hæc sententia sic illustrata mihi valdè placet, quia ex ea multa vbi tactus impudici, & enormes obseruantur, & de Religiosorum conscientia multa tolluntur scrupula. Vndè infero, Religiosum, qui mulieris bracchia tangit, etiam praua intentione, (quandoquidem esse potest huiusmodi tactus, ratione intentionis, enormis, tamen non impudicus; quia ad hoc requiritur, vt sit

vt sit circa venerea, & circa partem, & locum corporis, quem verecundantur homines, & mulieres discooperire) non incurrere casum reseruatum. Idem dicitò, si quis libidinosè mulieris tangeret faciem, aut deoscularetur, aut amplexus fuerit, eum non incurrere casum hunc reseruatum. Ratio est, quia vtrumq; coniungi debet, vt tactus impudicus censeatur reseruatus.

13 Infero secundò, quòd si tactus fiant in verendis super alia vestimenta, quæ immediatè non tangunt mulieris carnem, quamuis graues sint, & ad constituendum peccatum mortale sufficere possint, non sunt tamen reseruati, ob tactam rationem, & eò maximè, quia (iuxta priorem sententiam, quam probabilem etiam existimamus) illa carent enormitate, quam reseruatio exposcit. Ratio est, quia (rigorosè loquendo) pudicitia in ordine ad tactum immediatam respicit obiecti attingentiam: atqui quando tactus ad vestimenta, quæ tangunt partes verendas terminantur, non attingunt immediatè impudicitiæ obiectum; Igitur.

14 Infero ex inde tertiò, quòd si Religiosus se ipsum, aut alium virum tangat, tactus in verendis super vestimenta turpi, ac lasciua intentione facti censendi sunt reseruati. Ita *Ioannes à Trinitate* vbi suprà. Et quamquam ipse nullam tradat rationem, existimo tamen, quòd ex eo est, non solùm propter veneream delectationem, quæ in viris sequitur ex talibus tactibus; verum etiam propter immediatum periculum pollutionis. Idem etiam dicendum est, quando Religiosus

15 vestitus super vestitam incumbit, aliquem fędũ motum immiscendo; ex ijs, quibus solent homines vti in veneris actibus; committere eum peccatum reseruatum in hoc genere. Vel si quis ipse solus motibus libidinosis, & obscęnis ita turpiter moueatur, ac si verè & realiter coiret; quamuis manibus verenda non tangat, incurrit in hunc casum reseruatum.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum tactus impudici, & enormes ex materiei paruitate excusari, à reseruatione possint?

CAPVT VNICVM.

Respectu horum tactuum potest dari paruitas materiæ, cuius ratione excusentur à reseruatione, & à culpa lethali.

SVMMARIVM.

1 *In tactibus venereis non datur paruitas materiæ.*

2 *In tactibus impudicis, si separatur enormitas ab impudicitia, potest optimè dari paruitas materiei, iuxta Authoris opinionem.*

3 *Tactus enormes, & impudici semper sunt peccata lethalia.*

4 *Tactus impudici quando excusentur à peccato, & à reseruatione.*

5 *Tactus impudici, qui ex leuitate animi, & breuiter ita fiunt, vt non habeatur magnæ commotionis periculum, non sunt peccata mortifera, nec reseruata.*

6 *Religiosus, qui super vestem tangeret verenda nulla maiori intenta delectatione, quàm sit illa, quę percipitur ex tactu immediato, non incurrit casum hunc reseruatum, nec mortaliter peccat.*

7 *Religiosi, qui ioci causa inter natandum inter se pudenda, aut nates leuiter tangunt, non incurrunt hũc casum reseruatum.*

8 *Religiosus non incurrit hunc casum reseruatum, qui simpliciter tantùm alterius tangeret pudenda in transitu.*

9 *Religiosus, qui inter natandum, ex leuitate animi motus alterius verenda tangit, aut nates, si se commoueri ad libidinem agnoscit, & non desistit, hunc casum incurrit reseruatum.*

1 Licèt verissimum sit (rigorosè loquendo,) & in vniuersum in rebus venereis dari nõ posse materiei paruitatem, vt doctè & eleganter probant *Rebellus de iustitia parte 2. lib. 3. quæst. 19. tota sect. 3.* cuius rationes, hanc sequens sententiam *Sanchez tom. 2. in oper. moral. lib. 5. cap. 6. num. 12.* mutans priorem sententiam, quam *lib. 9. de matrimonio disp. 46. num. 927. & 40.* tenuerat, latè refert, *Basilius Pontius de matrimonio lib. 10. cap. 16. §. 2. num. 8. Lessius lib. 4. de iustitia cap. 3. dub. 15. num. 109. Tannerus in parte 2. disput. 4. quæst. 8. dub. 6. num. 109. Paul. Castr. in oper. moral. tom. 1. tract. 2. disp. 2. puncto 19. §. 2. num. 4. & Pater Diana part. 3. tract. 5. Miscell. resolut. prima vbi affirmat*; Patrum Societatis Iesu esse communiorem opi-

2 nionem. Nihilominus si à tactibus impudicis separetur enormitas, censeo, posse dari materiei paruitatem, & talem, vt excusentur à reseruatione, cùm non sint mortiferi. Ita videtur docere *Villalob. in summa tom. 2. tract. 40. dub. 9. num. 8.* vbi sic ait; *tambien se ha de aduertir, que se puede hallar en esto pecado paruidad de materia, como en otros, quales son los tocamientos leues, como dela mano, de vna muger; y del pie, con torcerle los dedos, ò pesarle el pie, como dicen Nauarro, y Caetano: non obstante, que algunos no admiten aqui paruedad de materia.* Ita ille.

3 Dixi notanter suprà, si separetur enormitas; etenim in omni Doctorum sententia, quando in his tactibus adest enormitas, eo modo, quo suprà declarauimus, semper est mortale; vt immediatè alterius viri, aut fœminæ tangere verenda; quia id de se valdè prouocat luxuriam, & commouet sensualitatem. Idem dicendum est de tactibus, quibus Religiosus immediatè propria tangeret verenda. Vndè excusabuntur omnes prædicti tactus à mortali, & consequenter à reseruatione, si non fiant praua intentione, ex qua attenditur

4 enormitas. Vndè *Didacus Granado prima secundæ Diui Thomæ controuersia 6. tract. 4. disput. 7. num. 5. & 6.* affirmat, hos tactus, quando ex leuitate animi ita breuiter fiunt, vt non habeatur magnæ commotionis periculum, non esse peccata

5 mortifera; eodem modo (inquit) excusatur à mor-

à mortali Religiosus, qui super vestem tangeret verēda, nulla maiori intenta delectatione, quàm sit illa, quæ prouenit ex tactu immediato. Idem
6 docet de tactibus, qui leuiter sēsualitatem commouent, vt est tangere digitum, vel manum fœminæ: similiter brutorum partes contingere obscenas: nam isti non videntur communiter lethiferi, atque adeò ex his patet, quomodò in his, & similibus tactibus impudici potest dari paruitas materiæ, tam ex parte obiecti, & finis, quàm ex parte intentionis, seu voluntatis tendentiæ, quatenus eiusmodi actus ad finem prauum non ordinat.

7 Hinc infero, quando Religiosi ioci causa inter natandum inter se pudenda, vel leuiter tangunt nates, eos non peccare lethaliter; quia deficit enormitas in tactu, ex quo deficit libidinosus animus, nec tanta versatur indecentia & inhonestas ac inter personas diuersi sexus; & eò maximè cū fiant absque praua intentione ex sola animi leuitate, & per breuissimum temporis spatium. Ita *Sanchez de matrim. tom. 3. lib. 9. disp. 46. nu. 10. Granado vbi suprà, consentit Filiucius tom. 2. tract. 30.*
8 *cap. 9. num. 200.* quatenus asserit, non esse simpliciter damnandum eum, qui simpliciter tantùm tactu secretiores alterius partis in transitu tangeret. Idem videtur docere *Syluius in 2. 2. Diui Th. q. 154. art. 4. concl. 3.* vbi ita inquit, quamuis si vir viri aut fœminæ partes inhonestas tangat ob delectationem, mortale peccatum sit; si tamen ex leuitate faceret, vel ioco, absque vllo periculo delectationis, aut motus carnalis; verisimile esse, quòd solùm peccaret venialiter, opinatur Sanchez; quòd putamus admitti posse, si valdè leuiter, & quasi per transeundum hoc faceret. Hæc ille.

9 Secùs verò si inter natandum ex leuitate animi motus Religiosus alterius verenda, aut nates tangeret; ex quo tactu se commoueri, & ad libidinem prouocari cognosceret, si non desisteret, & ab his tactibus se abstraheret, peccaret lethaliter, & in casum incideret reseruatum. Quòd peccaret lethaliter, probare videntur Doctores allegati, & præsertim *Syluius* loco, quo suprà, vbi sic ait; non autem si omnino deliberatè, quia talis leuitas, & iocus deliberatus est, & nimis turpis, & periculosus. Et ideò hanc sententiam sustinet *Pater Diana p. 3. tract. 5. Miscell. Resol. 89. vers. sed aliquibus magis* placet sententia Francisci Syluij. Hæc dicta sufficiant, quo ad tactus impudicos, & enormes: sequitur, vt difficultates circa pollutionem voluntariam, quod in supradictis tactibus includitur reseruata (vt aduertunt *Ioannes à Trinitate, Frater Martinus à Sancto Ioseph, Seguenza, Frater Franciscus Luengo à Sancto Bernardino, Corduba, Ortiz, & Miranda* super hunc casum) dissoluamus.

QVAESTIO TERTIA.

Vtrum Pollutio voluntaria ex vehementi proueniens imaginatione sit reseruata?

CAPVT VNICVM.

Esse peccatum lethale, non verò reseruatum, ostenditur: nec non aliæ difficultates ad hanc materiam pertinentes examinantur, & diluuntur.

SVMMARIVM.

1 *Pollutionem ex vehementi voluntaria imaginatione proueniente esse mortiferam, ac reseruatam docet Suarez cum alijs.*

2 *Pollutionem voluntariam ex sola prouenientem imaginatione, non esse reseruatam, docet Author.*

3 *Tactus impudici, & enormes ex sua natura non sunt reseruati neq; sub lapsu carnis comprehensi, si alias non reseruentur de consensu capituli.*

4 *Religiosus ad hoc, vt hunc casum incurrat reseruatum, non satis est, quòd in lecto aliqua actione libidinosa, aut motu corporis externo procuret pollutionem,*

5 *Religiosus hunc casum non incurrit reseruatum, qui verenda à lanugine mundans patitur pollutionem, si præter intentionem sequatur.*

6 *Religiosus, qui dormiens in pollutionem incidit non incurrit hunc casum reseruatum, quando priùs cum aliquo habuit tactus, oscula, seu amplexus impudicos.*

7 *Religiosus hunc casum incurrit reseruatum, qui in somnis patitur pollutionem, quæ in somnis incepit, sed deinde in vigilia aliquo corporis motu illam perficit.*

8 *Religiosus non tenetur reprimere pollutionem, quæ cœpit in somnis,*

9 *Complacentiam de pollutione in somnis cœpta, ob sanitatem, esse mortiferam, censent quam plures Doctores: alij non esse peccaminosam volunt. Neutra verò sententia placet Authori.*

1 Esse peccatum mortale pollutionem prouenientem ex vehementi, & voluntaria imaginatione, quando quis turpia morosè cogitat, voluntariè ex tali cogitatione sumens delectationem veneream; Nemo vnquam inter Catholicos dubitauit. Quod autem vertitur in controuersiam est, an huiusmodi pollutio sit reseruata? *Pater Suarez apud Gregorium Kiene in tract. de casib. reseruat. parte 3. cap. 6. num. 6.* & alij ipsum sequentes apud *Coriolanum* loco statim citando volunt, esse reseruatam; Quia est lapsus carnis, scilicet, quia voluntariè turpia homo cogitat, & opere consummat; nimirum eò quòd opere consummatur, cùm ex tali cogitatione iam ipsemet homo polluitur.

2 Nihilominus veriùs dico, huiusmodi pollutionem minimè esse reseruatam, nec sub hoc casu nono comprehensam. Ita *Coriolan. 2. p. de casib. reseruat. casu 9. dub. 1. Gregorius Kiene vbi suprà,*

Pater

Pater Diana p.4. tract.4. Miscell. Resol.61. Ducor, quia ad casus reseruationem duo requiruntur. Primum, actio externa in sua specie consummata: Secundum; eadem actio requiritur respectu mediorum, ita vt procuretur non tantùm per internam delectationem tanquam adæquatam causam, sed potissimum per externam operationem, v.g. per libidinosum contactum: atqui in casu nostro, si Religiosus cogitando turpia, & se polluendo peccatum committat mortiferum; non tamen in casum incidit reseruatũ: tum quia talis pollutio habet originem, & est causata à cogitatione vehementi interna, tum quia quemadmodum ille Religiosus casum non incurrit reseruatum, qui tangit personam quantumcunque libidinosè, exercendo varios impudicitiæ actus, absque seminis profusione, aut copula, quamuis mortiferè peccet peccato ex alio capite reseruato; ita quoque qui sine tactu proprij corporis, aut alio instrumento ob veneream turpitudinem mentalem polluitur; nisi perueniatur ad consummationem illius actus impudici, quem peccans intendit, vel in quem natura sua ordinatur, id est copulam carnalem.

3 Notanter dixi, *ex hoc capite*: quia tactus impudici quantumuis enormes ex sua natura non cẽsentur reseruati, sub hoc nono casu, si aliàs à Superioribus (vt dictum est) ex Prouincialis, aut Generalis Capituli consensu non reseruentur.

4 Insuper secundò consultò dixi, *ita quoque qui sine tactu proprij corporis, aut alio instrumento*; ad denotandum, quòd Religiosus ad hoc, vt in casum pollutionis reseruatum incurrat, non est necesse, vt sua manu procuret pollutionem, tangẽdo, & contrectando virilia; sed satis est, quòd in lecto aliqua actione libidinosa, aut motu corporis externo procuret pollutionem; nam tunc ad casum reseruatum omnia habet requisita.

5 Quæres primò, an Religiosus, qui verenda à lanugine mundans, ne pruritum, aut fętorem patiatur, incidit in pollutionem, comprehendatur sub hoc casu reseruato? Respondeo, quod si ex tali actione præter intentionem eius sequatur pollutio, secluso consentiendi periculo, nõ peccat lethaliter. Ita *Reginaldus to.2. lib.22.c.3.nu.40. Sancius in selectis disput.21.num.33. & Pater Diana 3.q.tract.5. Miscell. resol.85.in fi.* & alij apud ipsũ.

6 Quæres secundò; an Religiosus, qui cum alio deuenit ad oscula, ad tactus, seu amplexus impudicos, siuè in propria, siuè in aliena persona, in lecto posteà dormiens in pollutionem incidit, etiam si cum hoc proposito ad cubandum iuerit, incurrat casum hunc reseruatum? Respondeo negatiuè, quia quamuis peccet lethaliter, talis pollutio non est procurata, & consummata in vigilijs, sed in somnis: neque actio externa, quæ necessariò requiritur ad casum reseruatum, concurrit. Ita *Coriolanus vbi suprà*, & alij, præsertim *Sancius in selectis disp.21.n.12. & n.18.in fine, Pater Diana p.2. tract.17. & 3. Miscell. resol. vlt. & 3. p. tract.5. resol.22.*

7 Quæres tertio; an Religiosus in hunc casum incidat reseruatum, quando in somnis patitur pollutionem, quæ in somnis incepit, se deinde in vigilia aliquo corporis motu illam perfecit? Respondeo peccare lethaliter, esseque sub hac comprehẽsum reseruatione. Ratio est, quia tunc illa pollutio est voluntaria corporis instrumento procurata: quod satis est ad reseruationem incurrendam. Intelligendum est tamen, quando talis Religiosus est in perfecta vigilia, quòd si sit semidormiens, non censetur in perfecta libertate, & sic excusabitur à peccato lethali, & consequenter à reseruatione.

8 Quæres quartò; an Religiosus in tali casu teneatur talem reprimere pollutionem, ita vt si nõ reprimat, saltem peccet lethaliter? Respondeo, non teneri. Ita *Sà verbo, luxuria, n.10. Filiucius tom. 2. tract.30. cap.8.n.147. Ioannes dela Cruz in direct. p.1. præcepto 6. art.8. dub.10. concl.2. Pater Diana 3. par. tract.5. Miscell. resol.21. & Facundez, quatenus præcepto 3. lib.3. cap.6.n.11.* hanc nostram resolutionem existimat probabilem. Ratio esse potest, quia dicta pollutio absque peccato, & inuoluntaria cępit in somnis; effusio verò illius in vigilia est inculpabilis causæ naturalis effectus; Igitur nulla erit tali Religioso illam reprimendi obligatio: si tamen non adsit consensus, vel delectatio carnalis, seu complacentia voluntaria de illa; quia tunc lethaliter peccaret, quamquam illud peccatum non esset reseruatum.

9 Quid tandem sit dicendum de complacentia, quam quis habere posset de supradicta pollutione in somnis cœpta, quando ob sanitatem lætatur; patet ex Doctoribus de hac re tractantibus. Nam alij affirmant, esse lethale, vt sunt *Sotus in 4. sentent. dist.17. art.7. Medina in 2. par. q.74. art.6. Sumel ibid. art.8. disp.4. dub.4. Ledesma, Lopez, Angles, Rodriquez, & alij* apud citatos Authores. Alij autem volunt, nullum esse peccatum; nec forte veniale: *vt Tannerus 2.2. disp.4. q.7. dub.7. n.144. Villalobos in Summa tom.2. tract.40. Ioan. Sancius in selectis disp.21.n.35. Pater Sanchez in Summa to. 1. lib.1. cap.2. nu.18. Vazquez p.2. disp.155.c.1. n.2. Diana tract.5. Miscell. p.3. Resol.21.* & alij quamplures. Mihi verò (absolutè loquendo) neutra sententia placet: potest autem hæc vltima securè amplecti, si iuxta *Nauarri* sententiam limitetur; vt intelligatur, quando talis complacentia, seu desiderium sit circa sanitatem dumtaxat, non sit ita intensa, vt probabiliter credi possit, id fore pollutionis futuræ causam. Moneo tamen, quòd si talis complacentia sit ob delectationem carnalem vel admixta, tunc censenda est lethifera. Idem cum proportione dico de desiderio, quando nimirum pollutio in somnis desideratur ob bonum aliquem finem, scilicet ad sedandas carnis tentationes, vel corporis sanitatem. Vide de hac re *Sanchez vbi suprà à n.18. vsque ad 21.*

QVAESTIO QVARTA.

Vtrum Religiosus, qui libidinosè aspicit fœminam, vt ex inde sequatur pollutio, incurrat, tali aspectu, casum reseruatum?

CAPVT VNICVM.

Resoluitur breuiter quæstio: & nonnulla alia dubia, quæ circa prædictam materiam accidere possunt, diluuntur.

SVMMARIVM.

1 *Peccat mortiferè Religiosus, non incurrit tamen casum reseruatum, qui studiosè aspicit fœminæ pulchritudinem ad hoc, vt pollutionem patiatur.*

2 *Religiosus, qui indirectè ex aspectu fœminæ patitur pollutionem, non peccat lethiferè; quomodo.*

3 *Religiosus, qui in pollutionem incidit ex aspectu fœminæ, & praua affectione, peccat lethiferè. Quare. Sed non incidit in casum reseruatum.*

4 *Religiosus, qui bestiarum coitum, seu verenda turpiter commota aspicit, non peccat lethaliter, iuxta sententiam aliquorum.*

5 *Religiosus, qui attentè aspicit bestiarum coitum, ex quo cognoscit, se maxime commoueri ad libidinem, si curiosè aspiciat, peccat lethaliter.*

6 *Religiosus, qui breuiter, & per transeundum aspicit bestiarum coitū, & verenda, non peccat lethaliter.*

7 *Religiosus lethaliter peccat, qui studiosè, absque necessitate, hominum concubitum aspicit.*

8 *Religiosus nudam aspiciens fœminam peccat lethaliter; quare.*

9 *Religiosus non peccat lethaliter, si patitur pollutionem, quando aliqua mulier deuotionis causa illius tangit, vel osculatur manum.*

10 *Confessarius, qui fœmineas excipit confessiones expertus pollui, non peccat excipiendo illas, si tamen consensus non adsit periculum.*

11 *Confessarius non peccat lethaliter, si ob vanam gloriam excipit fœminarum confessiones, si probabile consensus in pollutionis delectationem periculum non subsit.*

1 PEccat mortiferè Religiosus, qui fœminæ pulchritudinem studiosè aspicit; id est, ita contemplatur libidinosè, vt patiatur pollutionem. Ratio est, quia talis pollutio voluntariè procuratur, non est tamen reseruata.

2 Verùm si aspectus libidinosus in fœminam directus, ex quo apta est sequi pollutio, præscindatur à studio; aliter est respondendum. Et primò dico, si aspectus aliqua quidem libidine quasi inaduertenter à pulchritudine faciei, aut muliebris formæ, aut personæ superbè conuestitæ informatus proueniat, non esse mortiferum, etiā si exinde sequatur pollutio. Ratio esse potest; tum quia huiusmodi aspectus de se leuiter tantùm libidinem prouocet; tum quia huiusmodi aspectus non fuit ratione inaduertentiæ formaliter intentus; Vndè neq; pollutio ex inde sequuta, tum quia huiusmodi aspectus quodammodo est inuoluntarius, eò quòd ratione talis inaduertentiæ censendus est furtiuus, vt quotidiè ex inopinato alicuius mulieris elegantis formæ accidere solet.

3 Secundò, quando in grauem tentationem, & inde in pollutionem prolabitur, nec dum culpam reseruatam committit, si studiosè, & ex praua affectione, & intentione ad libidinē concitaretur ob aspectum corporis externi, vt suprà dictum est; quia ad hoc, vt pollutio voluntaria ex tali aspectu sequuta sit reseruata, oportet, vt opere externo procuretur: oculus autem impudicus in aspectum fœminæ terminatus non potest esse opus externum, à quo propinquè lapsus carnis dicatur prouenire, adeò vt illa pollutio opere externo censeatur consummata.

4 Sed quæres, an liceat coitum bestiarum, seu verenda turpiter commota aspicere? *Iacobus Granado ad secundam Diui Thomæ partem controu. 6. tract. 4. disp. 7. num.* 3. respondet, non esse lethale peccatum; eò quòd leuiter commouet. Sed hæc sententia minimè mihi probatur; etenim quamplures homines ex bestiarum coitus aspectu concitantur, & prouocantur ad libidinem, &

5 quamplures in libidinem prolabuntur. Vndè dico, quòd si Religiosus ex tali aspectu expertus fuerit se maximè commoueri, si attentè aspiciat, peccare lethiferè, etiam si pollutionem non patiatur; quia probabili periculo se exponit ad peccatum lethale.

6 Consulto dixi, *si attentè aspiciat*; nam si breuiter, & per transeundum talem aspiciat coitum, non erit lethale peccatum; eò quòd ex breuitatis spatio non potest ita commoueri, vt sufficiat ad lethalem culpam.

7 Item à fortiori dico de Religioso, qui absque necessitate studiosè hominum concubitum licitum, vel illicitum aspicit. Ita *Granado vbi suprà, & Pater Diana loco citato*. Ratio est, quia talis aspectus nimium commouet sensualitatem, & est periculo nimis obnoxius, & facili negotio in pollutionem deuenire potest.

8 Quæres primò; an liceat aspicere alterius sexus personā nudam? Respondeo, non licere absque culpa lethali, si ex proposito, & absque necessitate id fiat. *Ita Didac. Granado vbi suprà?* Vndè formalissimè infertur, Religiosum aspiciētem fœminam nudam peccare lethaliter, etiam si pollutionem non patiatur, quamquam in casum non incidat reseruatum.

9 Quæres secundò; an Religiosus lethaliter peccet peccato reseruato, quando aliqua mulier deuotionis causa illius tangit manum deosculando, incidit in pollutionem? Respondeo, non peccare, neque venialiter, si nullus adsit consensus. Ita *Villalobos in Summa tom. 2. tract. 40. diff. 16. n. 5. Filiucius tom. 2. tract.* 30. *cap.* 8. *num.* 150. *Bonacin. de Matrimonio quæst. 4. puncto* 10. *num.* 8. *& Sanchez tom. 3. de matrim. disp* 45. *de debito coniugali num.* 8. Hoc ita verum existimo, etiamsi Religiosus ille inde præuideat se pollutionem passurum; eò quòd pollutio præter intentionem subsequuta ex tactu licito, & in eo præuisa, quando tactus ille

ille non potest euitari;non est lethifera.Ita *Sanch.* loco quo suprà, vbi sic ait: secundò deducitur, pollutionem præter intentionem subsecutam ex tactu licito, & in eo præuisam, quando tactus ille est necessarius, & cessat consensus periculi, carere omni culpa; vt ex amplexu iuxta patriæ consuetudinem, quo euitato in notam inurbanitatis incideret. Sequuntur *Sanchez* allegati Authores, cui adhæret toti viribus *Diana part.* 3. *tract.* 5. *Miscell. resol.* 22.

10 Hinc infero duo; Confessarium, qui fœmineas excipit confessiones; expertum pollui non peccare excipiendo confessiones, si absit consensus periculum. Ita *Sancius in selectis disp.* 21. *num.* 12.

11 *& sequenti*. Secundò, non peccare confessarium, si ob vanam gloriam fœmineas excipiat confessiones; si probabile consensus in pollutionis delectationem periculum non subsit. Ita *Sanchez loco citato nu.* 5. *& 6. Caietan. Tabiena, Nauarr. Margarita confessor. Graffius, Lopez, Sà*, & alij locis statim citandis. Ratio est, quia audire confessiones non est causa per se talis pollutionis, sed per accidens; igitur illam non tenetur vitare ob solā pollutionem, quæ voluntaria illi non est, nec in se, cùm illam non velit,nec in causa, cùm illa sit per accidens; Igitur. Quòd verò illam non tenetur vitare, communiter docent Doctores, præsertim *Diuus Thom.* 2.2. *Caietanus tom.* 1. *opusc. tract.* 22. *de pollut. ex audientia confessionum q. vnic. art.* 1. *&* 2 *Mettina p.* 2. *q.* 74. *art.* 6. *dub. speciale, quod de hac re mouet, Sumel* 1.2. *q.* 74. *art.* 8. *disp.* 4. *ante dubium primum, Vazquez ibidem disp.* 115. *Valentia* 2.2. *disp.* 9. *q.* 3. *puncto* 3. *§. cùm autem causa, Sanchez vbi suprà num.* 1. *Summistæ* omnes, præsertim *Diuus Antonin.* 2. *p. tit.* 6. *c.* 5. *§. quantum ad causam vers. secunda causa, Tabiena verbo, cogitatio, q.* 6. *n.* 7. *Armilla verbo, pollutio, nu.* 1. *Nauarrus in Summa c.* 18. *n.* 6. *Lopez in* 1. *p. instruct. c.* 73. *§. penultimo, Rodriquez tom.* 1. *Summa cap.* 211. *n.* 1. *Graff. in* 1. *p. dec. verbo, luxuria, vers. pollutio voluntaria, Vega* 2. *tom. Summæ cap,* 67. *casu* 1. *Diana*, & alij. Secùs verò si probabile consensus in pollutionis delectationem subsit periculum: tunc enim quantumuis causa licita sit, est ab ea abstinendum sub culpa lethali. Ita Doctores allegati; quia amans periculum, peribit in illo, Ecclesiastici 3. Tunc autem id periculum contingit, quando Religiosus expertus est, se in simili occasione ferè semper in culpam mortalem labi. Ita *Caietanus, in Summa verbo, periculum, Armilla eodem verbo n. vnico, Cordub. in Summ. q.* 4. *versic. lo segundo, Rodriquez tom.* 1. *Summæ cap.* 49. *cap.* 2. *Sanchez* vbi suprà, & alij quamplures apud ipsum. Hæc annotare consultò hìc voluimus ad pacandas nonnullorum nostrorum fratrum conscientias, quos vidi valdè scrupulosè fœminarum excipere confessiones; eò quòd sæpe in pollutionem labuntur. Nam cum consensus periculum non subsit,non solùm non peccant, verùm etiam aduertere debent, quòd merentur, cum id ipsis maximè displiceat; tum ratione obedientiæ; tum ratione operis.

DISPVTATIO XIV.

APPENDIX.

De sollicitatione ad veneream copulam.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum omnis sollicitatio sit reseruata?

Solent nostri Ordinis Superiores, præsertim in nostris Prouincijs Reformatis in Regno Siciliæ existentibus ex consensu Capituli Prouincialis aliquando sibi reseruare sollicitationem ex certa scientia ad peccatum carnis. Necessarium duximus, hic obiter etiam hūc casum explanare; & eò quam maximè, quia in totius nostri Ordinis Constitutionibus est reseruata; quam reseruationem etiam inuenimus in Constitutionibus Prouincialibus Patrum Discalceatorum Prouinciæ Sancti Ioseph, & Sancti Pauli, necnon aliarum Prouinciarum Portugalliæ.

CAPVT PRIMVM.

Explanatur, quid sit sollicitatio; & quid requiratur ad hoc vt sit reseruata.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit sollicitatio.*
2 *Sollicitatio debet esse, ad hoc, vt sit reseruata, ex certa scientia.*
3 *Religiosus, qui absque animo & voluntate sollicitandi profert verba ex sua natura sollicitatiua, si fœmina realiter & cum effectu sollicitetur, non incurrit hunc casum reseruatum: dummodò non adsit aduertentia.*
4 *Religiosus, qui absque animo sollicitandi inaduertenter fœminæ aliqua dicit verba, quibus inducitur ad præstandum consensum, & de facto præstat, peccat lethaliter, sed non incurrit casum reseruatū; quare.*
5 *Per peccatum carnis intelligitur copula carnalis, scilicet naturalis, seu sodomitica.*
6 *Ad incurrendum hunc casum reseruatum non requiritur, vt copula carnalis sequatur, sed satis est, quòd Religiosus habeat animum fœminam sollicitandi.*
7 *Religiosus ad hoc, vt incurrat casum reseruatum,*

opus est, vt fœmina cognoscat animum, & voluntatem prauam Religiosi sollicitantis.

8 *Religiosus non incurrit hunc casum reseruatum, qui animo sollicitandi feminæ munuscula præbet, si tamen suam voluntatem ei non manifestat.*

1 CAsus igitur reseruandus Superiori Prouinciali sic solet proponi. *Sollicitatio ex certa scientia ad peccatum carnis*: qui casus à nobis in præsenti capite per partes venit dilucidandus. Et in primis, *Sollicitatio* idem est, quod *Inductio*, *Prouocatio*, seu *allectatio*, quomodocunque fiat, siuè verbis ex sua natura allicientibus, seu prouocantibus, siuè precibus, siuè minis, siuè strepitibus, siuè signis, quæ libidinosum animum indicant, siuè donis, siuè pollicitationibus, seu promissis; ad hunc casum hæc omnia pertinent. Ita ex multis obseruat *Ioannes à Trinitate in expositione casuum in nostro ordine reseruatorum casu 5. n. 1. Frater Martinus à Sancto Ioseph super septimum Regulæ capitulum tract. de casib. reseruat. in communi. cap. 17. casu 4. & Frater Franciscus Luengo à Sancto Bernardino* nouissimè *c. 7. super Regulam contr. 20. sect. 2. n. 26.* & alij.

2 Præterea, *ex certa scientia*, ad exprimendum, & notandum, quòd sollicitatio vt sit reseruata, debet fieri ex animo & intentione sollicitandi ad culpam (vt dicemus) veneream. Vndè infertur,
3 quòd si Religiosus absque animo & voluntate aliqua verba proferret, quæ ex sua natura essent sollicitatiua, si realiter & cum effectu fęmina ex illis sollicitaretur, hũc casum non incideret; quia talis sollicitatio non esset ex certa scientia, sed præter intentionem & animum eam sollicitandi. Quod intelligo dum non adest aduertentia; nam si aliquo modo aduerteret verba à se prolata, consideraretque istorum naturam atque entitatem esse alliciendi, seu prouocandi personam, cui proferuntur; vtique peccaret mortiferè, & esset sub hac reseruatione comprehensus. Sed
4 quæres; si nulla adsit aduertentia, & animus non esset sollicitandi, an peccabit Religiosus, quando fęmina ex eius verbis realiter fuit sollicitata, & præstitit consensum? Respondeo affirmatiuè, nam tenebatur aduertere, & considerare verba, vtrum essent talis naturæ, quæ libidinosum proferentis animum ostenderent, & personam, cum qua loquebatur, an esset proclinis & prona ad præstandum consensum libidinosæ voluntati proferentis correspondentem. Etenim ex vi propriæ professionis, habitusque Religiosi tenentur omnes & quicunque Regulares in fęminarum conuersationibus prudenter, honestè, & religiosè se gerere, præsertim in collocutionibus; quòd si aliter se gerant, & inde sequatur scandalum, aut sollicitatio, ipsis imputabitur ad peccatum. Ita colligo ex Ioanne à Trinitate vbi suprà, quo in loco inquit, non esse sollicitationem reseruatam; quia defuit (vt supponimus) animus & intentio sollicitandi, nec sic inducens agnouit alia verba per iocum dicta ad peccatum carnis prouocare; Igitur si agnouit, vt cognoscere debebat, & illa protulit, certè in culpam incidit, & fortassè reseruatam. Dico, fortassè; nam si formaliter intentio non habuit concursum, seu influentiam, certè excusabitur à reseruatione.

5 Denique per peccatum carnis copula tantummodò Carnalis est intelligenda, pro vt suprà in expositione nostri casus in decreto Clementis Octaui contenti exposuimus; ea nimirum, quæ est naturalis, aut Sodomitica. Hinc autem reprehendendus est *Pater Ioannes à Trinitate*, qui existimauit sub istis verbis esse comprehendendam copulam bestialem, quasi bestia esset sollicitationis capax. Solùm igitur sollicitatio ad copulam carnalem naturalem, vel contra naturam in hoc casu comprehenditur. Pari ratione reprehendendi sunt, qui putant, sollicitationem, qua quis seipsum prouocat, vt ad pollutionem veniat, esse reseruatam: & certè reprehendendi sunt, cùm hoc absque fundamēto asserant: quia sollicitatio propriè, & in rigore, verbi attenta proprietate, importat aliam personam ad sui voluntatē libidinosam prouocare, quatenus ad carnis peccatum ordinatur, vel ad aliquid aliud allicere, quod sollicitans intendit: vt infrà quæst. vltima latè ex scriptura sacra declarabimus. Est igitur sollicitatio (in quantum ad præsens attinet) allicere, & prouocare aliquam personam, tentando ad copulam carnalem perficiendam.

6 Tandem aduerto, quòd ad incurrendum hũc casum reseruatum non oportet, vt cum effectu sequatur copula carnalis, sed satis est, quòd Religiosus procurauerit animo sollicitandi feminæ consensum ad secum peccandum. Ita & benè *Ioannes à Trinitate vbi suprà, frater Martinus à Sancto Ioseph loco citato nu. 10.*

7 Quæri autem solet hic, an, vt sollicitatio sit reseruata, requiratur, quòd femina sollicitata seipsam sollicitari ad peccatum carnis cognoscat; an vero solùm sufficiat quæuis sollicitatio, & procuratio copulæ carnalis, etiam si à persona sollicitata ignoretur? Respondeo, oportere ad hoc, vt sollicitatio sit reseruata, vt praua intentio sollicitantis feminæ sollicitatæ innotescat siuè directè, siuè indirectè. Ita *Ioannes à Trinitate, Martinus à Sancto Ioseph, & Franciscus Luengo à Sancto Bernardino locis citatis.* Ratio esse potest, eò quòd sollicitatio non est perfecta, & cōpleta: cùm fœmina non fuerit sollicitata, quamquam praua intentio concurrerit. Nam ad hoc, vt sollicitatio vt sic suum habeter effectum, opus fuerat, vt à femina perciperetur.

8 Vndè infero, quòd si Religiosus aliquis alicui mulieri munuscula aliqua donaret eo fine, & intentione, (interiùs tamen mente concepta, & nullatenus feminæ patefacta) vt hisce muneribus ipsa deuicta, posteà cùm Religiosus ille prauum suum finem, & intentum, manifestaret, copulæ carnali consentiret; casum non incurrit reseruatum vsque quo suam ei explicet voluntatem.

CA-

CAPVT SECVNDVM.

Statuitur, quid sit quæstioni respondendum.

SVMMARIVM.

1 *Non omnis sollicitatio est reseruata.*

2 *Sollicitatio duplex, perfecta, & imperfecta: & quæ illæ sint.*

3 *Sollicitatio imperfecta nunquam est reseruata: Perfecta verò semper.*

4 *Religiosus, qui feminæ leuiter tangit manum, aut pedem, aut dicit verba leuia, vel aliquod signum, vel opus leue facit amoris lasciui indicatiuum, hunc casum non incurrit reseruatum, si verba non sunt sufficientia ad persuadendum, nec lethiferè peccaminosa.*

5 *Religiosus, qui inconsideratè ex animi leuitate aliqua profert verba, quæ ex sua natura sint indicatiua amoris lasciui ad fœminam sollicitandam, non incurrit hunc casum reseruatum. Quare.*

6 *Religiosus hunc casum non incurrit reseruatum, qui feminam curiosè aspicit, ita vt ipsa existimet, animo libidinoso ab eo respici, & sollicitari.*

1 EX dictis Superiori capite non obscurè patet, quid præpositæ difficultati sit respondendum. Dico igitur, non omnem sollicitationem esse in hoc casu reseruatam. Hæc assertio patet ex dictis, & meliusex dicendis infrà patebit; nam in primis hic reseruatur perfecta sollicitatio; Igitur omnis materialis, & imperfecta non erit reseruata.

2 Pro huius rationis intellectu moneo, duplicem esse sollicitudinem; vnam materialem, & imperfectam; alteram verò perfectam, & formalem. Prior est, quando Religiosus, sua non patefacta intentione, aliquam mulierem sollicitare intendit, non quidem expressè; sed tacitè: vt fieri solet muneribus, & promissis, quibus femina non cognoscit illa sibi data ad malum finem, sed benè, & honestè, amicitiæ gratia, vt solent feminæ, quæ erga nostrum ordinem maximam habent deuotionem, & amorem; cuius ratione omnia, quæ à fratribus fiunt cum illis, in bonam partem semper accipiunt, ea existimantes esse bona, sancta, & ex recta intentione facta; hæc sollicitatio dicitur materialis, & imperfecta. Posterior est formalis, & perfecta; & est, quando femina in prauatæ intentionis Religiosi solicitantis venit notitiam; vel quando Religiosus suam prauam manifestat intentionem. Pri-
3 ma nunquam est reseruata, secunda semper. Quo notato, iterùm probo intentum, quoniam sollicitatio ad carnis peccatum ex eo reseruatur, quia est incitamentum, prouocatio, & occasio grauissimi criminis, qualis est lapsus carnis opere consumatus, & ob alia quoque crimina, quę in hisce imbibuntur sollicitationibus: atqui quādo fœmina sollicitata nullam habet deprauati animi sollicitantis notitiam, illa sollicitatio ignorata non potest profectò esse incitamentum, prouocatio, aut occasio huius sceleris; igitur huiusmodi sollicitatio non comprehenditur sub hac reseruatione, sed solùm illa, quæ est formalis, & perfecta, quæ nimirum à sollicitante manifestatur, & sollicitatæ innotescit.

4 Hinc inferò, Religiosum, qui feminæ leuiter tangit manum, aut pedem, aut dicit verba leuia, vel aliquod signum, vel opus leue facit indicatiuum amoris lasciui; quæ verba ad iudicium prudentis viri non sunt peccatum lethiferum, nec sufficientia ad persuadendum; non incurrit hunc casum; quia illa sollicitatio est imperfecta, & quasi materialis, vt latiùs ostendam quęstione vltima huius disputationis.

5 Et insuper infero, non incurrere hunc casum reseruatum Religiosum, qui inconsideratè ex animi leuitate aliqua verba profert, quamuis ex sua natura sint indicatiua amoris lasciui ad feminam sollicitandam. Ducor, quia huiusmodi sollicitatio est imperfecta, ob defectum prauæ intentionis; nam inaduertentia tollit intentionē, quæ necessariò requiritur, (vt præcedenti capitulo dicebamus) ad hoc, vt sollicitatio sit perfecta, quamquam mulier verè intendat, se esse sollicitatam. Vtrum verò Religiosus huiusmodi peccauerit, iam suprà responsum est.

6 Quæres; an Religiosus, qui curiosè, & attentè feminę aspicit venustatem & pulchritudinem, eius ductus elegantia, si talis femina existimet, libidinoso animo se respici à Religioso; an sit censendus talis aspectus sollicitatio reseruata? Respondeo, si Religiosus sola curiositate ductus, vel mulieris duntaxat pulchritudine, aspiciat studiosè talem feminam, non esse censendum sollicitantem, & consequenter sub hoc casu nō comprehendi, etiam si habeat intentionem ex tali visu seu aspectu capiendi carnalem delectationē quæ sola exhibitione capi potest, quatenus sensus sumere potest ex obiecto visibili: secùs verò si aspectus taliter sit libidinosus, vt mulier cognoscat se sollicitatam, & Religiosus quoque eum habeat animum; tunc constans est, peccare lethaliter, & sub hoc casu comprehensi.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum Religiosus, qui alicui Religioso precibus, aut minis persuadet, vt sibi pudenda tangat, eo fine, vt cum illo habere possit pollutionem, in hunc incidat casum reseruatum?

CAPVT VNICVM.

Sollicitare ad turpes actus, seu tactus extra perfectam copulam carnalem, non esse sub hoc casu comprehensum, ostenditur.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus quocunque modo sollicitans feminam, vt sibi tangat pudenda, ad hoc, vt polluatur, non incurrit casum reseruatum, quamquam ex multis aliis capitibus peccet mortiferè, & in aliam incurrat reseruationem.*

2 *Pol-*

2 *Pollutio voluntaria, tactus impudici & enormes, & oscula libidinosa non comprehenduntur sub casu reseruato nono Clementis octaui.*

1 Religiosum, qui verbis, donis, pollicitationibus, minis, aut alio quouis modo procurauerit, vt aliquis Religiosus iuuenis, aut fęmina sibi tangat pudenda, ad hoc, vt habeat cum illa pollutionem, quamquam mortiferè ex multis capitibus peccet, hunc casum tamen reseruatum non incurrere, sētio cum *Ioanne à Trinitate, Frācisco Luengo à Sancto Bernardino, & Fratre Martino*
2 *à Sancto Ioseph* locis citatis. Hæc assertio patet ex dictis: & probatur, quia sollicitatio ad hoc, vt sit reseruata, requiritur, vt sit inductio, seu prouocatio, quæ ordinatur ad copulam carnalē siuè naturalem, siuè sodomiticam: At quando quis aliquam sollicitat personam ad actus, seu tactus impudicos, & enormes ea intentione, vt cum illa polluatur, licèt peccet lethaliter peccato aliàs reseruato, non tamen sollicitatio ad ipsos tactus impudicos, & enormes est reseruata, quia nec pollutio, quam intendit, nec tactus, neq; oscula sunt lapsus carnis, neque peccata carnis: (in eo sensu loquimur, quo suprà declarauimus) hoc est, non sunt copula carnalis, ad quam ordinatur sollicitatio, vt sit reseruata; igitur. Et confirmatur, quia pollutio voluntaria cum secunda habita persona, quocunque modo procurata, est reseruata quatenus imbibita in tactibus impudicis, & non vt comprehensa sub lapsu carnis; Igitur sollicitatio facta alicui personæ ad hoc, vt Religiosus cum illa polluatur, non est reseruata sub hoc casu, in quo solùm procuratio ad habendam copulam carnalem reseruatur.

QVAESTIO TERTIA.

Vtrum Religiosus, qui fęminam, aut iuuenem nomine alterius sollicitat, hunc casum incurrat?

CAPVT VNICVM.

Quid quidam nostræ Regulæ nouus expositor senserit, refertur: & Author respondet iuxta propriam sententiam.

SVMMARIVM.

1 *Religiosum, qui fęminam, aut iuuenem ad peccandum cum alio sollicitat, peccare lethaliter, & sub hoc casu comprehendi, tenent quamplures ex nostratibus.*

2 *Iuxta Authoris sententiam, Religiosus sollicitans iuuenem, aut fęminam ad peccandum carnaliter cum alio, non comprehenditur sub hoc casu.*

3 *Religiosus sollicitans per se, aut interpositam personam, hunc casum incurrit reseruatum, iuxta aliorum placita.*

1 QVidam nouus expositor nostræ Regulæ super septimum eiusdem Regulæ capitulum de casibus reseruatis, in particulari *cap. 17. nu. 9.* sustinet, Religiosum, qui iuuenem, aut fœminam ad copulam carnalem habendam cum alio sollicitat, peccare lethaliter, & comprehendi sub hoc casu reseruato. Ducitur, quia casus iste in vniuersum, & absolutè, absque vlla limitatione loquitur; & ideò, absque limitatione est intelligendus: ita vt comprehendat omnē, & quemcunque Religiosum sollicitantem, siue sollicitet pro se, siue pro alio. Ducitur, quia decisio textus est clara, & nullam admittit limitationem, & in claris non est locus coniecturis *leg.*
& *continuus §. cum ita ff. de verbor. obligatione, Glossa consuetudinem in leg. pediculis 32. §. argenteo de auro, & argento legato*; Igitur non est recedendum à verbis legis, & ab eius proprio intellectu *cap. in his de priuileg. c. si Ciuitas de sent. excommunic. in 6.* Item statutorum verba debent propriè intelligi *leg. 3. §. hæc verba*, vbi *Bartolus de negotijs gestis*, & verba debent intelligi cum effectu *l. 1. §. hæc verba ff. de iuri, u. &. omn. iudic.*; Igitur cùm verba casus sint clara, non est recedendum ab eis: & ita comprehendendi sunt Religiosi ad peccata carnis sollicitantis. Cùm autem Religiosus fœminam, aut iuuenem alliciens, vt voluntati alterius consentiat, verè sollicitet: comprehenditur certè sub hoc casu.

2 Verùm hæc sententia mihi minimè probatur. Vndè dico, Religiosum huiusmodi mortiferè peccare, non tamen esse comprehensum sub hac reseruatione. Ducor, quia anima, & sensus legis est occurrere malis, quæ in dies oriuntur, ob scandala, quæ patrantur à Religiosis in his sollicitationibus, & obuiare ne Religiosus incitet aliquam personam ad secum peccandum. Nam verbum, sollicitare, importat, seu supponit preces, & postulationes prærequisitas eiusdē ad fęminam, vt sibi consentiat ad copulam: atqui quando Religiosus alteri persuadet pro altero, vt isti præstet consensum ad peccandum, nō porrigit preces, & supplicationes ad secum copulandum; igitur non comprehenditur sub hoc peccato reseruato. Confirmatur, nam Doctores
3 omnes hunc casum exponentes asserunt, sollicitantem per se, vel interpositam personam incurrere in hunc casum; igitur intellectus verus huius legis est comprehendere Religiosum, qui intendit habere copulam cum fęmina, quam sollicitare facit; ergo non comprehēditur Religiosus ille, qui eam fęminam inducit ad peccandū cum alio. Item in odijs sunt verba legis restringenda, quantum fieri potest, quando expressè illa non comprehendit casum: atqui lex reseruans hunc casum est odiosa; igitur restringēda est ita, vt solùm de Religioso pro se fęminam, aut iuuenem sollicitante intelligatur. Neque iura allegata pro nouo isto expositore aliquid iuuant; etenim falsum est, intellectum legis esse ita clarum & manifestum, vt sibi persuadere conatur: est enim valdè æquiuocus; vt intuenti patet.

QVAE-

QVAESTIO QVARTA.

Vtrum Religiosus, qui fœminam, aut iuuenem ad copulam sollicitat carnalem tertia persona mediante, comprehendatur in hoc casu reseruato?

CAPVT PRIMVM.

Infertur prima sententia.

SVMMARIVM.

1 *Religiosum, qui medio lenocinio fœminam, aut iuuenem ad copulam carnalem sollicitat, incurrere hunc casum reseruatum, tenent quamplures Doctores.*

1 IOannes *à Trinitate, Martinus à Sancto Ioseph, Corduba,* & quamplures alij nostræ Regulæ Expositores, nouissimè verò *Fr. Franciscus Luengo à Sancto Bernardino locis citatis* existimant, Religiosum, qui media alia persona fęminam, aut iuuenem ad copulam sollicitat carnalem; incurrere hunc casum reseruatum. Fundamentorum, quibus duci possunt, nullum vidi. Probari autem potest horum sententia primò, quia (vt habetur *in cap. qui per alium de Regul. iuris in 6.*) Qui per alium facit, per se ipsum facere videtur, *& in l. manumissiones, ff. de Regulis iuris, & leg. si amicis, ff. de adult.* dicitur facere, qui iubet aliquid facere; igitur Religiosus, qui per alium fęminam, aut iuuenem ad copulam sollicitat carnalem, censendus est ac si ipse immediatè sollicitaret. Item in hoc casu comprehenditur is, qui sollicitat tam immediatè, quam mediatè; ergo Religiosus, qui media alia persona, seu lenocinio fęminam, aut iuuenem sollicitat, sub hoc casu comprehenditur. Pro hac sententia citari potest *Riccius in praxi 3. par. Resol. 60. num. 2. & Homobon. de examin. Eccles. par. 2. tract. 11. cap. 12. quæst. 26. resol. 4.* quatenus docent, mandantem confessarium, vt pro se sollicitet pęnitentem, esse denunciandum, & incurrere in pęnas extrauagantis Gregorij XV. contra confessarios sollicitantes in confessione determinatas.

CAPVT SECVNDVM.

Prædicta sententia reijcitur; & negatiua Doctoris opinio vt probabilior statuitur.

SVMMARIVM.

1 *Impugnantur Authores ex proprijs eorum principijs affirmantes, Religiosum hunc casum incurrere reseruatum. qui medio lenone sollicitat fœminam, aut iuuenem ad copulam carnalem.*

2 *Religiosus sic sollicitans non incurrit casum reseruatum: quare.*

3 *Quomodo intelligitur Axioma Iuristarum, nimirum,* qui per alium facit, per se ipsum facere videtur.

4 *Iura, quæ asserunt, quòd videtur facere, qui aliquid iubet facere, loquuntur metaphoricè, & per quandam Analogiam.*

1 ALlatam sententiam vllo modo opinamu esse admittendam, ex eiusdem autem noui Expositoris principijs reijci faciliter potest; etenim docet ibidem num. 10. verba legis pęnalis esse formaliter accipienda, neque extendenda: prout notat *Barthol. in leg. si quis in graui, §. si quis Tab: §. ad Senatum, Felin. in cap. cum olim de officio Delegati, & clariùs habetur in lege, quidquid astringendæ de verb. oblig. verbo, quidquid abstringendæ,* ex Theol. *Sanchez de Matrim. tom. 3. lib. 10. disp. 4. num. 3. Henriquez in Summa lib. 7. cap. 30. num. 4. in Glossa litt. C. Castr. de legib. lib. 6. cap. 3. num. 5. & cap. 4. num. 1. Pater Miranda in Manual. Prælator. tract. de Monial. quæst. 2. art. 10. concl. 1. & Pater Diana id latè probans 2. par. tract. 17. & 3. Miscel. Resol. 66. vers. Probatur hæc opinio, & 1. part. tract. 4. resol. 22.* At qui peccatorum reseruatio est quædam lex pęnalis, vt aduersarius fatetur vbi supra his verbis; *Y como dixe arriba en otra ocasion, la reseruacion de casos es pena; y quando no està clara su decision se hà de interpetrar estrechamẽte;* & tradiderunt *Naldus in Summa cas. num. 3. Cappeauilla de casib. reseruat. cap. 6. q. 1. Pater Coriolanus de casib. reseruat. 1. part. sect. 1. art. 5. vers. 3. notandum est, Homobon. 1. par. de casib. reseruat. cap. 2. Bonacin. de matrim. disp. 4. puncto 11. num. 5. & de Sacram. disp. 5. quæst. 7. puncto 5. §. 3. nu. 1. Reginaldus tom. 1. cap. 11. sect. 1. nu. 127.* & constanter *Pater Diana vbi suprà*, ibi; Vndè apparet, me rectè olim consuluisse, in casibus reseruatis (vt pote pęnalibus) strictā debere fieri interpretationem; igitur non est extendenda, neque latè interpretanda: cùm igitur sollicitatio ex certa scientia ad peccatum carnis reseruetur, non est intelligenda de mandante, vt statim probabimus, sed de Religioso, qui pro se, & immediatè aliquam personam ad copulam carnalem prouocat, & allicit.

2 Atque hinc dico, Religiosum, qui media alia tertia persona fęminam, aut iuuenem ad copulam prouocat carnalem, non esse sub hac comprehensum reseruatione. Moueor, quoniam lex, quę pęnam statuit contra aliquid facientem, non includit mandantem: hinc non incurrit excommunicationem latam contra aliquid facientem, si quis mandauit facere: vt tradunt *Tabięna verbo, excommunicatio, 5. casu 49. §. 5. Nauarr. in Manual. cap. 27. num. 1. Angelus verbo, excommunicatio 8. num. 1. Pater Suarez tom. 5. ad tertiam partem disp. 4. sect. 3. num. 5. in fine*, vbi nonnullos citat, & alij communiter DD. in materia de censuris. Vndè si excommunicatio feratur in eum, qui occidit, vel furatur, non ligat mandantem furari, & occidere: vt notauit *Reginald. tom. 1. lib. 9. cap. 12. num. 214. & Pater Diana vbi suprà:* Atqui hæc reseruatio est contra eum, vel eos, qui sollicitant fęminam ad carnalem copulam; igitur non includit mandantem. Confirmatur, quia quando lex vult punire, non solùm facientem, verùm etiam mandantem, id explicat; vt colligitur ex *cap. mulieres de sententia excommunicat.* vbi extenditur ad mandantem excommunicatio, quæ in

cap.

cap. *Si quis suadente Diabolo*, erat tantùm lata contra Clericum percutientem; Igitur ex quò lex reseruationis non explicat, non est extendenda ad mandantem.

3 Restat, vt soluamus argumenta istius noui expositoris; nam in primis Respondeo, Regulam illam Iuris, nimirum, qui per alium facit, per se ipsum facere videtur, esse intelligendam quo ad culpam, non quo ad pœnam, & non realiter, sed fictione iuris. Vndè licèt huiusmodi Religiosus mortaliter peccet mandans, feminam, aut iuuenem sollicitari, non tamen reseruationis incurrit pœnam. Ita colligo ex *Auila de censuris part. 2. cap. 5. disp. 3. dub. 2. in fine, Bonacina de legib. disp. 3. quæst. 7. puncto 4. num. 12. & alijs*.

4 Ad alia iura, quæ asserunt, quòd videtur facere, qui aliquid iubet facere. Respondeo, loqui metaphoricè: nam is, qui per alium facit, non verè, sed fictè facit: vt docuit *Barthol. in leg. sed si vnius, §. 1. ff. de iniurijs*. Cùm igitur casus iste directè contra sollicitantes sit, eius verba non sunt extendenda ad Religiosum mandantem.

QVAESTIO QVINTA.

Vtrum Religiosus laudans fœminam ex pulchritudine, & venustate, censendus sit eiusdem fœminæ sollicitator, incidatque in huius casus reseruationem?

CAPVT PRIMVM.

Quid Pater Diana nouissimè senserit, refertur.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus laudans fæminæ pulchritudinem, eam sollicitat.*

1 Pater Diana *par. 1. tract. 4. de denunciation. resol. 21. vers. sed contrarium, & par. 4. tract. 5. de confessarijs sollicitantib. resol. 18.* vbi pro se citat *Auenam de confess. sollic. quæst. 7. num. 13. Sanctarell. de hæresi cap. 44. num. 9. Barbos. de off. Parroch. c. 19. num. 49. & Bonacin. in tract. var. disp. 6. punc. 3. n. 3.* existimat, Confessarium, qui laudat pœnitētem ex pulchritudine, & venustate, verè illam sollicitare, ac subinde Dominis Inquisitoribus esse denunciandum. A fortiori assereret, Religiosum fœminam sollicitantem reseruationem hanc incurrere; nullum tamen fundamentum adducit; qua propter eius sententiam nō esse tenendam, etiam in terminis illis, in quibus difficultatem resoluit, existimo.

CAPVT SECVNDVM.

Allata sententia impugnatur; præponunturq; aliqua notabilia hac in re valdè necessaria.

SVMMARIVM.

1 *Verba legis pœnalis sunt rigorosè accipienda iuxta verborum propriam significationem, nec sunt extendenda ad aliū casum, etiā ex identitate rationis.*

2 *Sollicitatio mulieri facta, ad hoc, vt sub lege comprehēdatur, requirit fieri verbis ex natura propria ita persuadibilibus, vt fœmina deprehendere possit, se sollicitari.*

3 *Sollicitare fœminam propriè & in rigore est, mulieris honestæ animum blanditijs, premio, seu promissis inducere ad turpia.*

4 *Sollicitator ille dicitur, qui totis viribus operam dat matronæ labefactare pudicitiam.*

5 *Ad id adducuntur, & expenduntur sacræ scripturæ testimonia.*

6 *Declarantur verba Constitutionis Pauli V. & Gregorij XV.*

7 *Fœminæ laudare pulchritudinem est actus in se indifferens.*

8 *Sub Constitutionibus Clementis Octaui, Pauli Quinti, & Gregorij Decimiquinti contra Confessarios in confessione fœminas sollicitantes illi dumtaxat cōprehenduntur, qui alliciunt, tentant, & procurant ad se fœminarum, quarum audiunt confessiones, trahere corda.*

9 *Laudare fœminæ pulchritudinem, cùm expressis verbis in dictis Constitutionibus non contineatur, non est censendum esse sollicitationem. Quare.*

1 Vt allata Dianæ sententia euidenter impugnetur, priùs aliqua notabilia veniunt præponenda. Notandum est primò, verba legis pœnalis rigorosè esse accipienda, iuxta verborum propriam significationem, nec extendenda ad alium casum esse, etiam ex identitate rationis; idque probare *Dianam* pluribus in locis, præsertim *par. 1. tract. 4. de denunciationib. Resol. 22. & 23. vers. Adde illud, & 2. par. tract. 17. & 3. Miscell. resol. 66. per totam*, vt habetur *in cap. statum de electione, & in leg. cùm quidam, ff. de liberis, & posthum. leg. si quis in grauis, §. si quis tabe, ad Senatum, & in l. quidquid astringendæ, ff. de verbor. oblig. ibi*; quidquid astringendæ obligationis est id, nisi palàm verbis exprimatur, omissum intelligendum est, & docent communiter Doctores, iuxta *Patrem Dianam*, præcipuè *Barbosa de officio, & potestate Episcopi par. 3. allegat. 101. num. 32 Alphonsus de Castro de lege pœnali cap. 7. docum. 3. Sanchez de Matrim. tom. 3. lib. 10. disp. 4. n. 3. Pater Miranda in Manual. Prælat. tract. de Monialib. quæst. 2. art. 10. conclus. 1. Henriq. in summa cap. 30. n. 4. Garzia de beneficijs tom. 2. par. 11. cap. 10. §. 2. num. 36. Martin. à Sancto Ioseph super Regulam de casib. reseru. cap. 17. casu 4. num. 10.* vbi citat *Bartol. in l. si quis*, & alij apud *Patrem Suarez de legib. lib. 7. cap. 16*

2 Notandum est secundò; sollicitationem mulieri factam, vt sub lege comprehendatur, verbis fieri oportet ex natura propria ita persuadibilibus, vt fœmina deprehendere possit, se sollicitari, & in animi sollicitatoris libidinosi venire notitiam; aliàs si sollicitator suam non explicet intentionem, quamuis eius deprauatum intelligamus animum, & fœmina se non esse sollicitatam cognoscat, quæcunque verba ad hunc finem proferat, non est sollicitator censendus, ita vt pœnas contra sollicitantem statutas incurrat. Ita sentiunt

sentiunt *Ioannes à Trinitate de casibus reseruatis casu* 5. *Martinus à Sancto Ioseph vbi suprà num.*10. & nouissimè *Franciscus Luengo à Sancto Bernardino super capitul. septimo nostræ Regul. controu.* 20. *sect.*1.*num.*22.

3 Verùm, vt hoc meliùs percipiatur, notandum est Tertiò, sollicitationem ad turpia (propriè & rigorosè, iuxta Verbi significationem) esse mulieris honestæ animum ad se blanditijs, premio, seu promissis trahere, seu ducere. Ita colligitur ex *Tullio oratione pro Plan. & oratione pro Murena & Pis.lib.*1.*Isto*: Vndè feminæ sollicitator (iuxta doctrinam Pauli de extraord. crimin) dicitur ille, qui totis viribus operam dat Matronę labe-

4 factare pudicitiam. Constans autem est, quòd dare operam idem est, ac omnibus modis eius animum ad se allicere, verbis nimirum persuasionibus, muneribus, promissis, & huiusmodi.

5 Quod in primis ostendi potest haud obscurè sacræ Scripturæ testimonio; Nam secundo Regum cap. 15. sic habetur: *Et manè consurgens Absalon, stabat iuxta introitum portæ in via, & omnem virum, qui habebat negotium vt veniret ad Regis iudicium, vocabat Absalon ad se, & dicebat: De qua Ciuitate es tu? Qui respondens aiebat: ex vna Tribus Israel ego sum seruus tuus. Respondebatq; ei Absalon: Videntur mihi sermones tui iusti, & boni, sed non est qui te audiat constitutus à Rege. Quis me constituat iudicem super terram, vt, ad me veniant omnes, qui habent negotium, & iuxtà iudicem? sed & cùm accederet ad eum homo, vt salutaret illum, extendebat manum, & apprehendens osculabatur eum. Faciebatq; hoc omni Israel, venienti ad iudicium, vt audiretur à Rege, & sollicitabat corda virorum Israel.* Quibus in verbis obseruandum est, quòd vbi nostra vulgata editio habet, *sollicitabat*, in hebræo habetur, *vaieganneb*, hoc est furatus est, seu furabatur corda virorum Israel; quia per tales fictiones falsas iniustè attrahebat ad se corda hominum, vt sic ei iungerentur contra patrem suum. Ex quibus patet, quòd, *sollicitare*, est ad se trahere blanditijs corda hominum, qui sic sollicitantur. Vndè *Diuus Ambrosius lib.* 2. *officior. cap.* 22. *sollicitabat*, idest (inquit) *sermonibus deliniebat singulos*. Conuertit in se corda hominum, dum blanditiæ intimorum tangunt viscera sensuum. Quæ *Ambrosij* verba planè nostrum indicant sensum, dum sollicitationem iuxta propriā vocabuli significationem includere asserit, primo sermones, qui ex sua natura demulcent atque deliniunt, secundò blanditias, quæ commouent realiter animum illum ad se trahendo.

Rursùs vbi in nostra vulgata legitur; *& sollicitabat corda virorum Israel*; alij vertunt, *sic sollicitabat*. Dictio enim illa, *sic*, relationem ad superiora dicit, ita vt sensus sit; sollicitabat corda virorum Israel verbis, dicendo; *de qua Ciuitate es tu? etc. videntur mihi sermones tui boni & iusti, sed non est qui te audiat constitutus à Rege. Quis me constituat iudicem super terram etc. & operibus*, ibi; *Sed cùm accederet homo ad eum, vt salutaret illum, extendebat manum, & apprehendens osculabatur eū; faciebatq; hoc omni Israel venienti etc.* Ex quibus verbis apertissimè colligitur, sollicitationem esse, alterius animum ad se allicere verbis, blanditijs, ac operibus: vt sequēti numero dicemus.

6 Secundò idem ostendo ex contextu extrauagantis Clementis Octaui, Pauli V. & Gregorij XV. ibi; *Mulieres videlicet pęnitentes ad actus inhonestos, dum earum audiunt Confessiones, alliciendo, tentando, & prouocando: seu allicere, & prouocare tentando, & prouocando.* Allicerę quippe est, aliquem Blanditijs trahere ad aliquid faciendū, vel non faciendum. Vndè Cicero vbi suprà, *allicere voluntates alienas, & retinere paratas. Et pro Muręna* ait Cato; *negat, verum esse beneuolentiam cibum allicere*; & Pis. vbi suprà; *Aulus vnius premio multorum allicuit animos*. Aliud verbum est, *procurando*, procurare siquidem est, studiosè aliquem inducere; iuxta Apuleium. Vndè hæc verba (vt eleganter aduertit noster *Portel in dub. Regular. verbo, sollicitare fęminas*) supponunt preces & postulationes, quæ ad animum fœminæ trahendum per se requiruntur. Et certè id non obscurè demonstrant eadem Summorum Pontificum verba, dum reduplicatiuè bis ea mutuat, nimirum, *alliciendo, tentando, & procurando, seu prouocando.* Etenim tētare, procurare, & prouocare, seu allicere, & prouocare tentando, & procurando, quid enim aliud indicant, nisi apertè & clarissimè demonstrare, aliam non haberę intentionem, nisi vt percipiatur, quòd ille confessor sit sollicitator censendus, qui omni conatu, hoc est precibus, muneribus, blanditijs, alijsque modis animum fœminarum, quarum confessiones recipiunt, ad illicita trahere & allicere?

7 Tandem notandum est; laudare fœminę pulchritudinem esse actum de se indifferentem, ac proinde in genere, nec bonum, nec malum; potest esse autem malus vel respectu finis, vel ex voluntate ordinante illum ad obiectum inconueniens vt apprehensum sibi vtile, seu delectabile; vt, si quis laudaret fęminam ad eius captandam beneuolentiam, vt nimirum ab ea amaretur, vt ex hoc possit faciliùs ad id peruenire, quod intendit, carnalem scilicet copulam; vtique esset tunc lethifera culpa, sed non reseruata; eò quòd animum, seu prauam intentionem per verba laudatoria non explicauit. Secùs verò, si mulieris intendit beneuolentiam aliquo honesto fine, v. g. vt talis fęmina promptiori animo præstet Religioso ea, quibus indiget, vel aliquo alio simili iusto vel honesto fine in se, vel etiam indifferenti, vel qui in se non sit malus, etiam si ratione status Religiosi non sit ita conueniens ac decens. Moneo tamen, posse Religiosum aliquando fęminæ laudare pulchritudinem cum aliquo addito, siue circumstantia, quæ laudandi actum vitiet; & tunc videtur, quòd talis laudatio (vt ita dicam) sit peccaminosa, & quatenus fęminam allicit, seu illius animum trahit ad se, censenda est sollicitatio formalis; v.g. si aliquod oculis signum adhiberet, vel brachia in Crucis formam, vel manum astringendo, vel aliquid simile, quo

mulier

mulier sollicitatoris animum deprehenderet, de hoc laudandi modo non agimus. Dumtaxat hìc tractamus de Religioso, qui simpliciter fęminæ laudat pulchritudinem, nullis alijs additis verbis, modis, actionibus, siue signis, etiam si praua Religiosi interueniat intentio.

8 His igitur notatis; sic *Patris Dianæ*, & aliorum impugno sententiam. Verba legis pęnalis non sunt accipiēda vltrà verborum rigorosam significationem: atqui in Constitutione, tam Clemētis Octaui, & Pauli V. quam Gregorij XV. contra Confessarios in confessione fęminas sollicitantes illi dumtaxat comprehenduntur, qui alliciunt, tentant, & procurant ad se feminarum, quarum confessiones excipiunt, trahere corda: qui autem simpliciter laudat fęminæ pulchritudinem, nullo alio addito, non allicit, seu tentat, aut procurat ad se illarum trahere animum; igitur non censendus est sollicitator. Totus iste discursus patet ex dictis.

9 Secundò; lex, eiusque decisio est valdè obscura quantum ad hoc; igitur non est extendenda ad hūc casum, ex eodem *Patre Diana*, & alijs; nam *ex lege, quidquid astringēdæ, de verbor. obligat.* quando casus in lege palàm verbis non exprimitur, omissus est intelligendus: sed laudare fęminæ pulchritudinem expressis verbis ibi non continetur; igitur intelligendum est esse omissum.

Confirmatur; Nam peto, quid est allicere, & prouocare, tentando, & procurando, nisi totis viribus, vijs, modis, quibus homines communiter vtuntur, quando fęminæ honestæ pudicitiam labefactare intendunt? atqui Religiosus fęminæ laudans pulchritudinem dūtaxat non vtitur modis, vijs, qui necessario perquiruntur ad fęminæ sollicitationem; igitur non est fęminæ pulchritudinis laudatio sollicitatio. Hæc consequentia patet ex dictis; nam sollicitare est totis viribus operam dare ad matronæ honestæ labefactandam pudicitiam, quæ in sola laude inueniri non possunt.

Confirmatur; quia quando femina nō potest deuenire in notitiam libidinosi sollicitatoris animi, non dicitur sollicitari: atqui sola pulchritudinis ac venustatis laudatio non est talis naturæ solitariè sumpta, vt fęmina laudata deprehendere prauum laudantis animum possit; igitur non censetur sollicitata, & per cōsequens nec commendans eius pulchritudinem sollicitator. Tandem, si indirectè, seu in obliquo laudans fęminæ pulchritudinem comprehenditur, sub pęnis in prædictorum Pontificum Constitutionibus statutis, vt *Pater Diana*, & alij ab eo citati volunt, Respondeant quæso, quonam pacto legem pęnalem extendunt de casu ad casum, si lex loquitur tantùm contra eos, qui formaliter per se, & directè sollicitant, & non de his, qui indirectè, vt prædictis *resolutionibus* 22. & 23. *resoluit Diana*? Nisi sibi contradicant, nullam possunt assignare rationem, vt intuenti patet.

CAPVT TERTIVM.

Negatiua sententia statuitur.

SVMMARIVM.

1 *Religiosum fœminæ laudantem pulchritudinem non esse sub hoc casu comprehensum, ostendit Author.*

2 *Confessarius, qui in actu confessionis mulieris laudat pulchritudinem, atque venustatem, non est comprehensus sub pęnis contra confessores sollicitantes in confessione.*

3 *Fęmina laudare pulchritudinem de se non ordinatur ad finem inhonestum.*

4 *Confessor in actu confessionis laudans fęminæ pulchritudinem non est denunciandus: Quare.*

5 *In actibus libidinosis dari potest paruitas materiæ.*

6 *Confessor, qui mulieri sibi dicenti in actu confessionis; Pater, ego vos diligo, vrbanitatis causa respōdet; ego vos quoque, non est denunciandus: Quare.*

7 *Si fęmina deprauata intentione talia verba diceret confessario, & ipse responderet, vrbanitatis causa, vt suprà; non incurreret pęnas Constitutionis Gregorij XV.*

8 *Religiosus, qui praua intentione fęminæ laudat pulchritudinem, nullo modo ei suum libidinosum animum manifestans, non incurrit casum reseruatum, quamquam mortiferè peccet.*

1 Existimo igitur, Religiosum fœminæ laudantem pulchritudinem non esse sub hoc casu comprehensum. Ita sentire videntur *Ioannes à Trinitate, Franciscus Luengo à Sancto Bernardino, Martinus à Sancto Ioseph locis citatis, Antonius de Sousa in aphor. Inquis. lib. 1. cap. 34. num. 1. & opusc. confess. sollicit. tract. 1. cap. num. 10. Freita in nouissima editione de confess. sollicit. quæst. 7. nu. 44. & 45.* consentit *Pater Diana* sibi contrarius, quatenus *resol. illa 21. in fine*, oppositam sententiam, quam tenet, solùm probabiliorē vocat. Hæc assertio ex paulò superiùs dictis patet. Rursùs ostendi potest; quia laudare fęminæ pulchritudinem eodē modo se habet, ac actus laudandi prudentiam, honestatem, verecundiam, & alias animi eiusdem fęminæ dotes; atqui ille, qui has laudat, non censetur fęminā sollicitare; igitur. Hæc ille.

2 Item, tum quia huiusmodi actus de se est indifferens; igitur non est inhonestus, neque ad inhonestum finem de se ordinatus; tum quia non de se peccatum.

Atque hinc deduco, Confessarium, qui in actu confessionis mulieris laudat pulchritudinē, atque venustatem, non esse comprehensum sub pęnis contra confessores sollicitantes in confessione; etiam post extrauagant. Gregorij XV. Ita *Freita vbi suprà.* Ducor Inprimis, quia probabile esse existimant aduersarij, Confessarium fęminæ in actu confessionis laudantem venustatem, & pulchritudinem non esse denunciandum, nec pęnis Constitutionum Pontificum Clementis Octaui, & Pauli V. esse subiectum: igitur nec pęnis subest in Gregorij XV. Constitutione latis contra sollicitantes in confessione. Probatur conse-

consequentia; quoniam si esset talis Confessor illis subiectus pœnis, hoc quammaximè esset, quia mulieris laudans pulchritudinem haberet in confessione cum pœnitente sermones inhonestos atque illicitos Confessarius: atqui laudare fœminæ pulchritudinem non est actus illicitus de se, neque inhonestus; igitur ex quo laudat & commendat pęnitentis venustatem, non comprehenditur sub Bulla Gregorij XV. pœnis. Minor ex eo conuincitur, quia huiusmodi laudatio est actus indifferens, vt ostensum est. Ergò &c.

3 His connecto, quòd si fœminæ laudare pulchritudinem in actu confessionis esset illicitum, solùm censeretur illicitum ratione indecentiæ, seu inconuenientiæ, non verò in se, quia non est ordinatus ad finem inhonestum: atqui in opinione *Dianæ tract.4.1.partis resol.20.& 4.par.tract.5. de confessarijs sollicitantibus, & aliorum, quos ipse ibi citat*, & sequitur, per sermones illicitos in Bulla Gregorij solùm intelliguntur actus illiciti in eadem materia carnali, quatenus ad finem ordinantur prauum in illo genere; fęminæ verò laudare pulchritudinem nō est de se ordinatum ad finem inhonestum, vt docet *Sousa vbi suprà*; Igitur non est licitum in illo genere, quo prohibet Summus Pontifex in confessionis loco sermones fieri illicitos & inhonestos, atque adeò non esse fęminæ laudare pulchritudinem sub illis comprehensum verbis.

4 Esto nihilominus, quòd fęminæ laudare pulchritudinem sub illis Gregorij Cōstitutionis verbis comprehendatur, nimirum *inhonestos & illicitos sermones*; euidēter sequitur in primis, quòd talis commendatio, seu laudatio nō est allicere, seu sollicitare fœminam ad turpia. Secundò sequitur, quòd ex paruitate materiei, quæ dari optimè potest ex his actibus non esset denunciandus talis Confessor, vt optimè docet noster *Portel in dub. Regular. verbo, sollicitare fęminas num.4.* vbi inquit, habebit hìc locum ad excusandum paruitas materiæ. Vndè si cōfessor dicat fęminæ verba leuia, vel aliud signum, vel opus leue faciat indicatiuum amoris lasciui, quæ verba ad iudicium prudentis viri non sunt peccatum mortale, nec sufficientia ad persuadendum; credo, quòd talis Confessor non sit accusandus. Est enim communis opinio, materiā leuem & paruam excusari in omnibus delictis, saltem à pęna Ecclesiastica; & suprà diximus in simili circa percussionem Clerici interiùs malam mortaliter, & exteriùs tantùm venialem, ob paruitatem operis. Hæc ille.

5 Quòd verò in his actibus dari potest paruitas materiæ, præter quàm quòd Auctor iste testatur de communi, docent *Zanard. in direct. confess. par.1. de sacram. matrim. cap.41. q.28. Salas in par. 2. disp.6. sect.3 1. num.149. Villalob. in summa to.2. tract.40. dub.9. num.8. vbi citat Nauarr. & Caietan. Freita in addit. ad tract. de confess. sollicit. q.7. n.33.* & alij quamplures, quos suprà citauimus. Et licèt ibi in rebus venereis dari non posse materiei paruitatem dicebamus; in tactibus tamē, & verbis posse nihilominus talem paruitatem materiei dari, ex quampluribus Doctoribus, præsertim *Diana & Granado*, ostensum est.

6 Hinc deduco, quòd si Cōfessarius mulieri sibi dicenti in actu confessionis: Pater, ego vos prosequor amore; vrbanitatis causa responderet: Ego vos quoque; non esset denunciandus, neq; in pęnis Decreti Greg. XV. esset subiectus. Moueor primò, quia motus Cōfessor vrbanitate, vel animi leuitate, vel inaduertētia, vt accidere solet; non dicitur fęminam sollicitare. Secundò, quia materiei paruitas excusat, vt suprà dictū est. Tertiò, quia non adest animus prauus, (vt supponimus) dū Cōfessor his verbis fęminę correspōdet.

7 Quæres; si fęmina deprauata intentione sub diceret Confessori prædicta verba, & Confessor responderet vt suprà, incideret ne in pęnas Constitutionis Greg. XV? Respondeo negatiuè; quia fęmina iam seipsam sollicitauit: & ita verba confessoris non sunt sollicitatiua. Summus Pontifex autē constituit pęnas contra sollicitantes in confessione, Confessor autem non sollicitat, neque verba, quibus respondet, de se sunt inhonesta, eò quòd potest fęmina diligi amore, quo Deus precipit diligere proximum; Igitur. Item Confessor potest in tali casu fęminæ animū non deprehendere libidinosum, sed iudicare se esse amatum ab ea amore honesto ac sācto, vt amari solēt Patres spirituales: ac proinde eius responsio nullo modo est inhonesta ac illicita. Et ideò hanc sententiam docuerunt, etiam si Confessarius cōsentiret fęminæ sollicitationi, *Sanctarell. in tract. de hæresi c.46. n.2. Ioan. Sanc. in select. disp.11. nu.25. & 26. Peyrin. in Priuil. minim. to.2. Cōstit.4. Greg. XV. §.3. n.10. Homobon. de exam Eccles. to.2. tract.11 c.12. q.26. Bonac. tract. variar. disp.6. punct.3. n.17. Portel. in Addit. ad dub. Regul. ver. sollicitare fęminas n.10. Roder. Acuna in tract. de confess. sollic. q.11. per tot.* vbi testatur, ita sapientissimū doctissimumq; *Suarez* respondisse, & *Pater Diana* sibi contrarius; nā *trac.4. de denunciat. par.1. resol.11.* putat hanc opinionem esse probabilem, & tutam: *Quarta parte deinde resol.42. tract. de confess. sollic. cum Facundez* oppositum sentire videtur.

8 Dico secundò; Religiosum, qui praua intentione fęminæ laudat pulchritudinē, nullo modo ei suum libidinosum animum manifestans, licèt mortiferè peccet, non tamen casum hunc incurrit reseruatum. Hæc assertio patet ex dictis, in 2. *cap. notab.2.* eamq; docuerunt *Ioan. à Trin. Martin. à S. Ioseph*, & nouissimè *Fr. Frācisc. Luengo à S. Bernard. loc. cit.* Ratio est, quia huiusmodi sollicitatio, datu casu, quòd esset sollicitatio, (quod negamus) esset tātùm materialis, & imperfecta Item ad hoc, vt sollicitatio reseruata censeatur; oportet, quòd fęmina in cognitionē animi libidinosi deueniat sollicitātis: atqui dum Religiosus illius laudat pulchritudinem, suam prauam intentionem non manifestat; igitur non esset talis fęminæ commendatio reseruata, neque imbibita sub nomine sollicitationis. Et hæc pauca sufficiant pro hoc casu.

CASVS DECIMVS.

Occiſio, aut vulneratio, ſeu grauis percuſſio cuiuſcunq; perſonæ.

DISPVTATIO XV.

De Religioſo alium occidente.

In hoc caſu tres voces expendendæ veniunt. Prima eſt occiſio; Secunda, vulneratio; Tertia, grauis percuſſio. In hac diſputatione agemus de prima, quæ homicidium quodcunque comprehendit; In ſequentibus verò de vulneratione, & graui percuſſione.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum ſub hoc caſu comprehendatur non ſolùm Religioſus, qui alium occidit, verùm etiam adiuuans, & aſſocians?

CAPVT PRIMVM.

Declaratur, quid ſit occiſio, & quàm graue peccatum ſit.

SVMMARIVM.

1 *Homicidium eſt iniuſta hominis occiſio.*
2 *Homicidium duplex, voluntarium, & caſuale.*
3 *Homicidium voluntarium eſt, quod eſt per ſe formaliter intentum; quod dupliciter contingere poteſt.*
4 *Homicidium caſuale quid ſit, declaratur.*
5 *Homicidium caſuale aliquando ſine peccato fit.*
6 *Homicidium caſuale, ſi fuerit aliquo modo voluntarium, eſt lethiferum.*
7 *Homicidium caſuale eſt culpabile, quando occidens dat operam rei illicitæ.*
8 *Religioſus non comprehenditur ſub hoc caſu, qui homicidium committit ſpirituale.*
9 *Homicidium quale peccatum ſit.*

1 PRima huius decimi Caſus pars eſt, *Occiſio*, quę vox de ſe eſt clara; Ponitur enim loco, *homicidij*, quod ſic diffiniri poteſt. Homicidium eſt iniuſta hominis occiſio. Ita colligo ex Doctoribus de hac re in V. Decalogi præcepto ſcribentibus, præſertim *Diuo Thoma par. 2. q. 100. art. 8. ad tertium, & in quæſt. de malo q. 13. art. 4. ad 2. Sancto Antonino par. 2. tit. 7. cap. 8. Syluest. verbo, homicidium 1. in principio, Tabiena eodem verbo in principio, Medina lib. 1. inſtruct. confeſs. cap. 14. §. 14. Petro de Aragon. 2. 2. quæſt. 64. art. 2. Toleto in ſumma lib. 5. cap. 6. Reginaldo tom. 2. lib. 21. cap. 1. n. 3. Azor. 3. par. inſtitut. moral. lib. 1. ſtatim in principio. Sayro in Claui Regia lib. 7. cap. 8. n. 12. Valent. to 3. quæſt. 8. punct. 1. Petro Nauarro lib. 8. de reſtit. cap. 3. Salonio, Filiarco, Soto, Victoria, & alijs apud Sayrum vbi ſuprà.*

2 Diuiditur autem homicidium, in volũtarium, & caſuale. Voluntarium dicitur, quod eſt per ſe intentum, ſeu procuratum: vt probãt *Nauarr. ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 7. in ſuo Manuali cap. 27. n. 238. & 240. Couarru. 2. part. Clement. Si furioſus, Caietan. 2. 2. quæſt. 64. art. 8. Azor. part. 3. lib. 2. inſtit. moral. ſtatim in principio, & c. 14. verſ. 3. Notandum eſt.* Quod contingit dupliciter; primò, quando quis facit aliquid eo animo ac intentione, vt mors alicuius ſequatur: Secundò, quando quis facit opus, quod ſua natura ordinatur ad mortem alicuius; quamquam ex intẽtione operantis non dirigatur ad necem; v.g ſi quis venenum porrigat mortiferum non animo occidendi: vel ſi quis ictum, vel vulnus infligat lethale non animo occidendi.

3 Homicidium autem hoc dupliciter poteſt eſſe voluntarium; vel directè, vel indirectè. Voluntarium homicidium directè eſt, quod eſt per ſe, & formaliter intentum: indirectè voluntarium eſt, quod eſt intentum in alio, nimirum opere, vel omiſſione operis. Homicidium voluntarium quocunque modo fiat, ſi ex aliquo capite non excuſetur, vt infrà dicemus, ſub hoc caſu comprehenditur.

4 Homicidium caſuale dicitur illud, quod non eſt intentum in ſe, aut in aliqua cauſa, ex qua ſolitum eſt accidere homicidium ſemper, vel frequenter. Ita *Caietanus vbi ſuprà, & Azorius loco citato.* Hic pro maiori intelligentia moneo, tria requiri ad caſuale homicidium, ad hoc, vt verè & realiter cenſeatur caſuale; primum, vt non ſit per ſe intentum: ſecundum, vt ſequatur ex opere illius, cui imputatur: nam ſi non ſequitur ex illius opere, nullo modo erit voluntarium in eo, quoniam non per ſe, vt ſupponitur; non per accidens, quia non in cauſa, ſi ex opere illius, cui imputatur, non ſequitur; igitur requiritur, vt illi imputetur, ſi aliquo modo ex eius opere ſequatur: Tertium, vt is, cui imputatur, debuerit opus illud euitare, ex quo ſequitur homicidium. Et ſatis eſt, vt cenſeatur ſic obligatus euitare illud, quòd aliquo iure diuino, vel naturali, vel humano aſtringitur.

5 Caſuale hoc homicidium non ſemper culpæ imputari, certum eſt: nam tunc culpæ nõ imputatur,

tatur, quando nullo modo est volũtarium, neq; in se, neq; in causa sua: hoc autẽ contingit, quia nullo modo est præuisum, nec præuideri potuit, etiamsi sufficiens diligentia esset adhibita. Vndè sequitur, Religiosum, qui casualiter hoc modo declaratũ alium occidit, non esse sub hoc casu comprehensum; quia excusatur à culpa lethali: vt omnes Doctores cõmuniter fatentur.

6 Secùs verò, si fuerit aliquo modo voluntariũ, quod tunc contingit, quando vel fuit præuisum, vel diligẽtia adhibita præuideri potuit, ac debuit. Vndè sequitur, homicidium casuale esse culpabile, si datur opera rei alicui etiam licitæ debita, non adhibita diligentia, si ex ea sequatur homicidium; v.g. proijcit aliquis Religiosus lapides, aut tegulas ex tecto licitè, non habita ratione prætereuntium per viam, & occiditur aliquis ictu tegulæ, vel lapidis ex tecto dimissi; est occisio hominis casualis culpabilis, & sic sub hoc casu cõprehenditur huiusmodi homicidium, ita vt Religiosus huiusmodi peccaret lethaliter peccato reseruato in hoc decimo casu.

7 Rursus casuale homicidium dicitur esse culpabile, si datur opera rei illicitæ aliquo modo à Iure prohibitæ vel naturali, vel humano, & sequitur ex re illa, etiam si diligentia sufficiens fuerit adhibita, ne sequeretur; v.g. Religiosus facit officium Chirurgi, & per adustionem, vel sectionẽ medetur vulnerato homini, diligenter curans, ne moriatur; & tamen moritur; etiam si ex incuria ipsius vulnerati, est nihilominus culpabile homicidium: non quidem ex se, aut ex natura rei, sed extrinsecè, in causa nimirum: quia cũ sit Religioso prohibitum iure Canonico Chyrurgi facere officium, peccauit, illud officium obeundo. Ita *Nauarr. c. 27. n. 223. Couarr. in Clement. si furiosus par. 2. §. 2. Azor. vbi suprà: & colligitur ex c. tua nos de homicidio*. Et quamuis in simili casu Religiosus exercens Chirurgi officium peccaret lethaliter ex sequuta morte, non esset tamen huiusmodi peccatum reseruatum; quia occisio illa hominis nõ videtur ita voluntaria, vt possit comprehendi sub hoc casu reseruato.

8 Quæres; an Religiosus, qui voluntariè homicidium committit spirituale, cõprehendatur sub hoc casu? Ratio dubitandi est, quia Religiosus, qui alium inducit ad aliquod peccatum lethale, priuat illum vita spirituali. Respõdeo negatiuè, quia istud non est homicidium, quod hìc reseruatur, neq; comprehenditur sub præcepto, *Non occides*, vt notauit *Nauarr. in Enchirid. cap. 15. n. 1. vers. 2. & Reginald. loco vbi suprà*: (Non ideò tamen est negandum, mortaliter delinquere Religiosum, qui tale quid facit; vt Doctores omnes in materia de scandalo dato docent) non igitur occisio spiritualis comprehenditur sub hac voce prima casus istius decimi.

9 Quia verò omnis iniustitia ex suo genere est mortiferum, in eo quòd dicitur, homicidiũ esse iniustã hominis occisionem, nòn obscurè ostenditur, omne homicidium esse mortiferũ peccatum; & tantò grauius, quantò iniustitia, quæ homini fit, dum priuatur vita, est maior. Cuius peccati grauitatem ex multis colligere possumus, præsertim ex pęna, qua Deus optimus maximus homicidas afficiendos tam in hoc sæculo, quàm in futuro esse dicit, Matth. 26. *Omnis, qui acceperit gladium, gladio peribit*; & Apocalypsis 13. *Qui in gladio occiderit, oportet eum in gladio occidi*; & c. 4. Genesis, *Cain primus homicida maledicitur*; & c. 9. *quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*. Hanc homicidij grauitatem colligit ex multis *Reginald. vbi suprà*, & alij communiter Doctores: vt testatur *Coriol. super hunc casum n. 1.*

CAPVT SECVNDVM.

Resoluitur Quæstio.

SVMMARIVM.

1 *Sub hoc casu non solùm comprehenditur Religiosus, qui alium occidit, verum etiam is, qui adiuuat, vel associat.*
2 *Religiosus hunc casum incurrit, qui homicidium fieri mandat, effectu sequuto.*
3 *Peccatorum reseruatio est lex pœnalis, quæ non extenditur de casu ad casum.*
4 *Religiosus sub hoc casu non comprehenditur, qui ante effectum reuocauit mandatum, & prohibuit fieri homicidium, si mandatarius hominem illum necat.*
5 *Religiosus hunc casum non incurrit, qui tacitè reuocauit mandatũ, id sciente mandatario ante effectũ.*
6 *Religiosus, qui faciendum esse homicidium consuluit, sub hoc casu comprehenditur.*
7 *Statuitur discrimen, inter* Mandantem, consulentem, & petentem.
9 *Religiosus hunc casum incurrit reseruatum, & irregularitatem, qui consilium indirectè dat esse faciendum homicidium, sequuto effectu.*
10 *Religiosus, qui indirectè dat consilium, quo directè intendebat, vt mors sequatur alicuius, est homicidij voluntarij reus.*

1 HIs notatis, dico igitur primò, sub hoc casu non solũ esse comprehẽsum Religiosum, qui alium occidit, verùm etiã eum, qui adiuuat, vel associat; quia tam associans, quàm adiuuans fuerunt in causa, vt ille committeret homicidiũ, quod certè non commisisset sine tali adiutorio. Ita *Coriol. vbi suprà, Sayr. Azor. Sotus, Arag. & alij quamplures DD. statim citandi*. Hoc autem intelligo, vt Religiosus, qui immediatè alium occidit, de se non valeret illud perpetrare homicidium, ideò vocauit alium, qui illũ associaret, & adiuuaret, ex qua societate, & adiutorio euenit, vt ille commiserit homicidium: nam tunc adiuuans, & associans verè influit in effectum, ex quò talis Religiosus non committeret homicidium sine tali societate, & adiutorio, & cùm cooperatus fuerit ad homicidium huiusmodi.

2 Dico secundò, Religiosum, qui mandat fieri homicidiũ, esse, sequuto effectu, cõprehensum sub hoc casu; quia mors mandanti imputatur. Ita docet communis DD. sententia, prout testatur *Nauar. c. 27. n. 233. Couarruuias in Clem. si furiosus de homicid.*

homic. par. 2. §. 2. Angelus verbo, homicidium nu. 9. & seqq. Syluest. eodem verbo 1. quæsito 7. Azor. 3. par. instit. moral. lib. 2. cap 8.

3 Sed obijcies. Religiosus, qui feminam mandauit sollicitari medio lenone, ex supradictis non incurrit casum reseruatum; igitur neque ille Religiosus, qui mandauit fieri homicidium; nam in vtroq; casu est par ratio. Resp. negando consequentiam; non enim est in vtroq; casu par ratio: etenim in primo, lex reseruationis pœnalis cùm sit, eiusq; obscura decisio, extēdi nequit; & casus in ea clarè non comprehensus intelligitur omissus: iuxta *l. quidquid astringendæ, de verbor. oblig.* ac proinde mandans lenoni feminam sollicitari nō incurrit illam reseruationem. In secundo verò casu res secùs se habet; etenim sub hac voce, *occisio*, non solùm ratione Diuini præcepti mādans fieri homicidium comprehenditur, vt communissima fert opinio; verùm id clarè tam ius ciuile, quàm Canonicum decernit. Videantur Doctores in materia de restitutione, & de homicidio in 5. Decalogi præcepto.

4 Secus verò, si Religiosus ante effectū expressè reuocauit mandatum, & prohibuit fieri homicidium, etiam si mandatarius illum hominem illū necet. Ita communis sententia, prout testatur *Azor. vbi sup. c.* 8. non liberatur tamen à peccato mortali; non quidem respectu occisionis sequutæ, sed quatenus primò mandauit.

5 Idemq; doceo, si ante effectum tacitè reuocauit mandatum, id sciente mādatario; quia liber est tunc ab homicidij culpa mādator. v. g. si Monachus mādauit Petro, vt Paulū occideret, cum quo rixatus fuerat; sed ante effectum homicidij pacem inijt cum Paulo; id sciente Petro mandatario; tunc si Petrus Paulum occidat, Monacho non imputabitur homicidium. Ita *Syluest. verbo, homicid. 1. q 7. Azor. vbi suprà, Bonacina, Filiucius, Sayrus*, & alij communiter.

6 Dico tertiò; Religiosum, qui faciendum esse homicidium consuluit, reum esse homicidij, & sub hoc casu cōprehensum, *c. nuper. de hæret. ex-com.* Ita *Azor.* & alij cōmuniter, & colligitur ex *c. perniciosè de pœnit. dist.* 7. & *c. si quis viduam*

7 Pro huius verò nostræ assertionis intelligētia notandum est discrimen inter has personas; *Mādantem, consulentem, & petentem.* Nam mandans sola voluntate mādat, & per solam operatur voluntatem: Consulens verò adhibet plura; nam rationes proponit, ob quas id conueniat: Petens autem solas preces adhibet. Auxilians demùm dicitur, qui concurrit, aliquod seruitium, vel ministerium adhibendo. Vt ergo Religiosus verè dicatur cōsulens homicidium, primò requiritur, vt ex vi sui consilij fiat homicidiū, si enim is cui consilium dedit reuera ex vi talis non moueatur consilij, sed alia ductus ratione, vel alio effectu, hunc casum non incurrit reseruatum. Moueor, quia is irregularitatem non incurrit, nec alias pœnas ecclesiasticas; igitur nec in reseruationem.

8 Quæres; an Religiosus consulens homicidiū suum retractans consiliū, & intimans illi, cui dederat consiliū persuadēdo, vt illo minimè vtatur, id tamen assequi nō potuit; sequuto homicidio, hunc casum incurrat? & quid de irregularitate? Respondeo, non incurrere hanc reseruationem, nec irregularitatem, quia fecit quidquid potuit, nec vltrà aliquam aliam diligentiam reliquit faciendam; & veluti mandans, qui sola voluntate mandauit, excusatur ab homicidio, & à reseruatione, retractando solū præteritam voluntatem in mandato contentam; ita etiā malè consulens, qui anteà rationes ad persuadendum adhibuit, modò retractans rationes ad dissuadendum adhibet; & eò quam maximè si occidendum monet, vt sibi caueat; quia tunc nihil reliquit faciendū. Quòd si hoc non obstante, sequatur mors, credendum est, iam non sequi ex consilio dato, sed ex praua intentione, malitiaq; eius, qui consiliū audiuit. Ita colligo ex *Nauarro c. 27. n. 23. Matolo lib. 5. cap. 48. Pater Azorius suprà*: consentit *Suar. de censur. disput. 64. sect. 3. n. 52. ad finem, Portel. in dub. Regul. verbo, Homicidium, num.* 13.

9 Rursùs quæri potest; an satis sit ad incurrendam hanc reseruationem consiliū homicidij datum solū indirectè: Vt, si Religiosus amico iniuriato dicat, illum ex iniuria māsisse oneratum, & valdè offensum secundū legem Polyticam, eāq; ob rem esse necessariam, ad illam tollendam sumere vindictam, seu satisfactionem? Respondeo, sufficere non solū ad incurrendum casum hunc reseruatum, verum etiam & irregularitatem. *Ita communiter DD. in verbo, homicidium, & verbo, irregularitas, & Portel vbi suprà.* Ratio est, quia dictus modus proponendi cōsilium importat morale, & efficax ad vindictam: maximè cùm homines ad proprium procurandum honorem per iniuriam læsum nimis moueantur.

10 Pro huius capitis cōplemento tandem doceo circa hoc consilium homicidij indirectè datum; Quòd si Religiosus ita indirectè consulens suo cōsilio intēdebat directè, vt mors sequeretur, & materia, circa quā tale versabatur consiliū, mortem petebat pro satisfactione; non est hæsitandum, quòd talis Religiosus est reus talis homicidij, si sequitur mors, subq; hoc casu comprehensus, & irregularitatem quoq; incurrit homicidij voluntarij: atqui si materia non erat talis conditionis, quę pro iniurię latæ satisfactione exposcebat mortē; neq; ipse Religiosus consulens mortē intendebat, tunc homicidio sequuto, efficitur irregularis, non irregularitate homicidij volūtarij, sed casualis. Ita ex *Armilla verbo, irregularitas n. 25. & alijs colligit Portel vbi suprà n.* 14.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum Religiosus, qui mortem aliter euitare non potest, nisi occidendo, incurrat in hunc casum?

CAPVT PRIMVM.

Ponitur prima sententia cum suis fundamentis.

SVMMARIVM.

1 *Inuasorem occidere pro vita propria defendenda esse peccatum lethale, qui docent.*

2 Ho-

2 *Homicidium non est faciendum, nisi publica auctoritate, secundùm Augustinum.*
3 *Homo potius tenetur mori, quàm fornicari, si alia via acquirere non potest corporis vitam.*

1 OCcidere hominem inuasorem pro vita propria defendenda esse peccatum mortale, sustinent *Ioannes Gerson tract. de Eucharis. Hugo de Sancto Victore in Opusc. de Char. August. de Ancona de Authorit. Ecclesiæ q. 52. art. 3. Abulensis in c. 5.* Matthæi 5. *Ego autem dico vobis non resistere malo*, & in illud Lucæ 22. *Conuerte gladium tuum in vaginam*; Ex Iuristis *Accursius, & Glossa super legẽ vim vi, de iust. & iure.* Probari potest primò hęc sententia; quia vnusquisque tenetur vitam proximi diligere spiritualem, magis quàm propriam corporalem, cùm vita spiritualis sit finis omniũ temporalium. Cùm igitur aggressor fuerit in extrema vitæ spiritualis necessitate, quãdoquidem si occideretur, tunc in peccato moreretur mortali, & damnaretur; tenetur inuasus lege, & ordine Charitatis permittere potius in corpore occidi, quàm vt aggressor damnetur.

2 Confirmatur ex Diuo *Augustino Epistola* 154. ad Publicolam, & refertur *in cap. de non occidendis 23. q. 5.* vbi ait; *de occidẽdis hominibus, ne ab eis quisquam occidatur, non mihi placet consilium nisi fortè sit miles, aut publica functione teneatur, vt non pro se faciat, sed pro alijs accepta legitima potestate, si eius congruat personæ*; & lib. 5. de libero arbitrio; *Quomodo*, inquit, *apud Diuinam prouidentiam à peccato liberi sunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?*

3 Secundò probatur, quia sicut in præcepto quinto Decalogi habetur, *non occides*, ita in sexto dicitur, *non mœchaberis*, imò grauius peccatũ est hominẽ occidere, quàm fornicari: atqui homo si in tali infirmitate constituatur, qua curari non possit, nisi fornicetur, tenetur potius se mori permittere, quàm fornicari; quia si fornicaretur, faceret contra præceptum illud, *non mœchaberis*; igitur inuasus etiam tenetur potius permittere se occidi, quàm inuasorem occidere. Ex hac opinione igitur dicendum videtur, non posse Religiosum, absque eo quod lethaliter peccet peccato hoc reseruato, pro propriæ vitæ defensione occidere inuasorem.

CAPVT SECVNDVM.

Vera sententia statuitur.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui inuasorem occidit pro propriæ vitæ defensione, nõ incurrit hunc casum reseruatũ: quare.*
2 *Ius naturale dictat licitum esse vnicuique propriam conseruare vitam.*
3 *Religiosus vt absque labe culpa mortalis reseruatæ inuasorem occidere possit, quid requiritur.*
4 *Quanã exposcũtur ad moderamẽ inculpatæ Tutelæ.*
5 *Religiosus non incurrit hunc casum, quando mandat occidere inuasorem, si clamore, fuga, neque alio modo aggressorem euitare potest, nisi occidendo.*

1 VErùm allata sententia nullo modo est admittenda, vt ex dicẽdis patebit. Dico igitur primò, Religiosum inuasorem occidentem pro propriæ vitæ defensione nõ incurrere hunc casũ reseruatum. Ita docent *Alexan. de Ales 3. p. q. 34. memb. 2. art. 2. D. Tho. 2. 2. q. 64. art. 7. Henricus de Gãdau. quodlib. 5. q. 31. Richardus in 4. dist. 37. art. 3. q. 2. S. Antonin. p. 2. tit. 7. c. 8. §. 1. Caiet. 2. 2. q. 64. art. 7. & ibi Aragon. & Salon. & omnes Discipuli D. Th. Angelus in verbo, Defensio, n. 1. Syluest. verbo, Bellũ, 2. quęs. 3. & verbo, homicidiũ, p. 9. q. 2. vers. 5. Tabiena, verbo, homicidiũ, vers. 7. Frãciscus Vict. relect. de homic. n. 17. Sot. de iust. & iur. lib. 5. q. 1. art. 8. Greg. de Val. to. 3. disp. 5. q. 8. pun. 4. Sayr. in Claui Reg. lib. 7. c. 10. per tot. Card. Tol. in Sũma lib. 5. c. 6. Caiet. in summa verbo, homic. §. 1. Io: Bened. in sum. de peccatis lib. 2. c. 4. n. 2. Manuel Sà verbo, homic. Ludou. Lopez p. 1. Instruct. consc. c. 62. Phil. de offic. Sacerd. lib. 4. c. 9. Nauar. in sum c. 15. n. 2. Sebast. Med. in sum. de pecc. tit. 4. q. 98. Petr. de Nauar. Coriol. de casib. reseru. casu 10. dub. 2. lib. 2. de restit. c. 3. n. 331. Bonac. Filiuc. Reginal.* & omnes alij moderniores cõiter.

Hæc assertio probatur primò ex Iure ciuili; nã in *l. 1. de vi, & vi arm. & l. vt vim de iust. & iur.* habetur; iure hoc euenit, vt quod quisq; ob tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse existimetur: *& l. iniuriarum, ff. de iniur.* dicitur; iuris executio non habet iniuriam; *& l. etsi, ff. ad legem Aquilam* dicitur; qui alium ferro se petentem occiderit, non videtur iniuria occidisse. Harum legum ratio est; quia qui iuri suo vtitur, nemini facit iniuriam; Igitur Religiosus, qui inuasorem occidit, à quo se aliter liberare non potest, vtitur iure, quod habet à natura propriam conseruandi vitam, & vi vim repellendi.

Iure etiam Canonico idem probatur; Etenim in *c. ius naturale dist. 1.* ita dicitur; violẽtiæ per vim repulsio, *& c. significasti 2. de homic.* dicitur, vi vim repellere omnes leges, & omnia iura permittũt, cũ moderamine inculpatæ tutelæ: non ad sumẽdam vindictã, sed ad iniuriam propulsandã; & *c. si verò 1. de sent. excom.* eadem prorsus habẽtur verba: ac etiam in *Clem. 1. de homic. & in c. dilecto filio de sent. excom. in 6.* dicitur; cùm omnes leges, omniaq; iura vim vi repellere, cunctisq; se se defensare permittant; igitur Religiosus, qui aggressorem pro suæ vitæ defensione occidit, quando aliter non potest suam vitam conseruare, non incidit in aliquam culpam.

2 His accedit communis ratio; quia ius naturale dictat, licitum esse vnicuique propriã conseruare vitã omni modo licito, & necessario, etiã si alter occidendus sit; aliàs ius naturalę vinculum esset iniquitatis, & melior esset hominũ malorũ, quã bonorũ conditio; dareturq; occasio iniquis inuadẽdi bonos, dũ haberent certitudinẽ non esse ab eis occidendos: sicut patet ex illo Machab. facto *lib. 1. c. 2.* vbi legitur, ꝙ Pagani vidẽtes Iudęos ob Sabbathi reuerẽtiã nolle pugnare, ac se defẽdere in Sabbathis, eos aggredientęs occidebãt. Quod videntes Duces, & Sacerdotes, inito consilio, decreuere in Sabbatis pugnare, ac se defendere.

Et confirmatur, quia, opposito dato; sequeretur, quòd lex naturæ imminuta esset omnino; etenim non tribueret ius tanto malo obuiandi, quod ex eo patet; quia cùm vnus iniuriam ab alio patitur, ita vt vnus eorum necessariò mori debeat, ius naturale dictat, vt potius inferens, quàm patiens iniuriam occidatur. Et profectò esset valdè durum & intolerabile, vt quis vitam, rem adeò pretiosā propter malitiā alterius se inuadētis amittere deberet, vt ipse inuadēs viueret.

3 Dico secundò, quòd, vt Religiosus absque labe culpæ mortalis reseruato inuasorem occidere possit, requiritur, vt talis occisio fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ; idest, vt tantum sibi assumat de nocendo proximo, quantum necesse est ad vim sibi illatam repellendam. Ita docet communis Doctorum sententia.

4 Quæri autem solet hìc, quænam requiruntur ad moderamen inculpatæ tutelæ? Respondeo quamplura requiri, iuxta sententiam nōnullorū, præsertim *Innocentij, & Panormitani in cap. olim primo, de restit. spoliat. n. 19. & cap. significasti 2. n. 5. & n. 9. de homicidio, Syluest. verbo, Bellum 2. q. 1. Soti lib. 5. de iust. & iure q. 5. art. 8. Michaelis Salon. 2. 2. quæst. 64. art. 7. contr. 1. concl. 3. & ibid. Petri de Aragon. dub. 1. concl. 2. Ludouic. Lopez part. 1. instruct. consc. cap. 92. Nauarri cap. 15. n. 3. in Manual. Philiarc. de officio Sacerdot. par. 2. lib. 4. cap. 9. Ludouici de Beia in respons. casuum cōscien. par. 2. casu 21. Reginald. tom. 2. lib. 21. cap. 5. nu. 58. & seqq. Azor. tom. 3. instit. moral. par. 3. lib. 2. cap. 1. q. 2. & aliorū.* Primò, vt inuasor sit iniustus, hoc est inuadat cōtra iustitiam; secūdò, vt inuasus non prius offendat, quàm inuadatur. Tertiò, vt inuasus tueatur se, & offendat inuasorem in ipso congressu, non autem post congressum finitum, & perfectum. Quartò, vt quandiù potest inuasus se tueri, non occidendo, non occidat; Vndè non debet inuasus maiori vi iniuriam repellere, quàm sit vis inuasoris. exempli gratia, Si pugnis cæditur, nō debet se armis defendere; nisi pugni sint tam magni, vt possint inferre mortem. si inuaditur ab inermi, non se defendat armis. Item si potest se tueri solum percutiendo, non occidat. si baculo inuaditur, non se defendat ense, nisi timeat se baculo interimendum, aut grauiter vulnerandum. Quintò, debet inuasus probabiliter existimare, se grauiter lædendum, vel occidendum, si vim non pellat. Alias conditiones addunt Doctores, præsertim *Sayr. tom. 1. Clauis Regiæ lib. 6. cap. 17. num. 7. Cordub. lib. 1. sui quæstionarij q. 38. Bonacin. Filiuc. & alij moderniores.*

5 Sed quæres; an incurrat Religiosus, qui in tali casu non potens per se inuasorem occidere, mādat hoc alteri, vt pro se faciat? Respondeo distinguendo; Nam aut inuasor inuadit Religiosum, vt interficiat; & tunc Religiosus, si neque fuga, neque clamore, neq; vllo alio modo potest aggressorem euitare, nisi occidendo, aut mutilādo, non solùm ipse, verùm & alij Religiosi possunt percutere Religiosum occidere volentē, ne occidat: atqui si potest alia via se defendere, non potest Religiosus inuasorem occidere, neq; mādare alteri, hoc vt pro se faciat. Ita sentiunt *Bart. in l. deuotum, Cod. de Metat. lib. 10. Baldus in c. 1. de pace, & tregua, & c. de adult. Graffius apud Coriol. de casib. reseru. par. 2. casu 10. & alij cōmuniter DD.*

CAPVT TERTIVM.

Diluuntur argumenta contrariæ sententiæ.

SVMMARIVM.

1 *Nemo tenetur occidere, ne alterum occidat ordine Charitatis.*

2 *Parochus tempore pestis, etiam cum propria vitæ periculo, suorum tenetur excipere confessiones.*

3 *Nemo tenetur alteri donare, ne laqueo se suspendat.*

4 *Diuus Augustinus declaratur.*

5 *Nullus constituitur in tali infirmitate, à qua per coitum possit sanari, qui per aliam viam sanitatem acquirere non possit.*

1 AD primum Respondeo, quòd licèt sit verū, quòd homo ex ordine Charitatis tenetur potius salutem proximi diligere spiritualem, quā suā corporalem, non tamen inde sequitur, quòd quis teneatur occidi, ne alterum occidat. Siquidē ponere vitam propriam pro anima proximi non est actus Charitatis, ad quē de necessitate teneamur, nisi in casu, quo proximus in extrema est constitutus necessitate spirituali, vt docet *Angelicus Doctor 2. 2. q. 26. art. 5. ad 3.* & ibi omnes eius

2 discipuli. Vt v.g. Parochus tempore pestis, etiam cū propriæ vitæ periculo, suorum tenetur excipere confessiones. Item si videam feminam volentem à fornicario recedere, sed non posse, nisi me opem illi ferente: aut si videam aliquem ab Hæretico decipi, nec posse illum ab ea liberari deceptione, tunc teneor, etiā cum periculo vitæ, mulierem illā iuuare, vt à fornicario recedat; & simplicem illum docere, ne ab hæretico decipiatur. Similiter quando in fidei persecutionem aliquis intelligit valdè probabiliter, quòd sua morte alij fideles fortiores euadent ad fidem defendendā, tenebitur tunc ille se mortis periculo exponere pro aliorum spirituali salute. Ita DD. omnes in materia de homicidio. Verùm cùm in casu proposito inuadens iste in extrema non sit necessitate spirituali absolutè cōstitutus, sed voluntariè, & ex malitia sua: nō inuaso, sed illi peccatum, & mors nō solū corporis, sed etiā animę, si non desistat, etsi non conteratur, imputabitur.

3 Potest totus iste discursus illustrari exemplo, quod *Sayrus* eleganter ad hunc propositum adducit, nimirum, si quis mihi diceret; nisi mihi cētum aureos dederis, me suspendā; non propterea illi centum dare teneor, ne se suspēdat; quia potest, si velit, se nō suspendere; etsi se suspendat, id non mihi, sed suæ propriæ iniquitati erit imputādum. Aliàs enim hominibus iniquis tribueretur occasio quamplura scelera perpetrandi, & proximis nocendi, sub prætextu, vt liberarentur à necessitate spirituali, in qua se ipsos sua iniquitate constituerunt.

4 Ad

4 Ad confirmationem responderi potest primò ex *Diuo Thoma 2.2.q.64.art.7.ad primum, & secundum, Caietano, Petro Aragon, & Michaele Salon ibidem*, *Diuum Augustinum* illis in locis de eo loqui, qui intentione praua hominem occidit. Existimant quippe non licere in casu licitæ defensionis inuasorem ex intentione, absque culpa, occidere. Quibus addo *Tabienam verbo, homicidium §.7. Victoriam relect. de homicidio n.17. Abulensem in c.5. Matthæi, & alios apud Sayrum*.

Respondeo secundò, Diuum Augustinum loqui in casu, quo non adhiberetur, moderamen inculpatæ tutelæ, aut quo præueniret inuasorē. Ita *Gregor. de Valentia tom.3. disp.5. q.8. puncto 4. Sotus lib.5. de iustitia & iure q.1. art.8. Petr. Nauarro lib.2. de restit. c.3. n.341. & alij quamplures.*

5 Ad secundum respondeo, non posse quemquam constitui in tali infirmitate, à qua per coitum possit curari, & non per aliam viam; potest enim materia spermatica per sudores, per abstinentias, & per alias euacuationes consumi, vt eleganter Pater *Richardus in 4. dist.37. art.5. q.2. ad tertium* aduertit. Esto nihilominus, quòd per impossibile verus esset casus, non tamen liceret fornicari, vt mors euitetur: etenim longè dispar ratio de morte, quam homo expectat per infirmitatem, & quam per gladium: quia longè difficilius est patienter sustinere vnam, quàm alia. Et maiora permittit lex, (vt benè docet *Sayrus vbi suprà n.17. in fine*) fieri pro euitatione vnius, quàm alterius.

QVAESTIO TERTIA.

An Religiosus, qui ob defensionem proprij honoris cum moderamine inculpatæ tutelæ inuasorem occidit, peccet, & in hunc casum incurrat reseruatum?

CAPVT VNICVM.

Resoluitur breuiter quæstio affirmatiuè.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus inuasorem occidens pro honoris defensione, hunc casum incurrit reseruatum.*

1 Religiosum occidentem inuasorem ad honoris defensionem, siuè ante, siuè post acceptam iniuriam, incurrere in hunc casum reseruatum, certum est; quia non licet viris Religiosis ad honoris defensionem aggressorem interficere. Sic *Glossa in cap. suscepimus, & Panormitan. in cap. significasti 2. de homicidio, & c.2. de vita, & honest. cleric. Couarr. in Clement. si furios. par.3. §. vnico n.4. de homicidio, Syluester verbo, excomm. 6. num.6. notabil.4. vers.9. Sotus lib.5. de iustitia & iure q.1. art.8. in fine, Petrus de Nauarro lib.2. de restit. c.3. nu.389. Valentia tom.3. disp.3. q.8. puncto 4. dub.3. Michael Salon 2.2. q.64. ar.7. contr.2. concl.1. Corol. 2. Petrus de Aragon 2.2. q.64. art.7. Cosmus Philiarcus de officio Sacerdotis p.2. lib.4. cap.9. Cardinalis Toletus in summa lib.5. cap.6. Sayr. in Claui Regia to. 1. lib.7. cap.10. vers.3.* procedit solùm in laicis, *Ludouicus Lopez p.1. instruct. conscientiæ*. Possunt pro hac opinione citari Doctores, qui absolutè docent, nemini licere aggressorem ob defensionē honoris occidere. Ratio est, quia & si in nobilibus hoc sit licitum, (vt statuunt *Barthol. in leg. ita apud Labeonem de iniurijs, Baldus in lege, vnde vi, Cardinalis, & Imola in Clementina, si furiosus de homicid. Couarruuias vbi suprà, Syluester verbo, Bellum, Caietanus in Summa verbo, excommunicatio c. 10. Martinus Nauarr. in Manuali cap.15. n.4. & alij*) eò quòd eorum honor consistit in armis; Nefas tamen est in Religiosis, & viris Ecclesiasticis: quia isti humilitatem, & mansuetudinem profitentur: nullumq; eis dedecus sequitur ex illorū contumelijs, aut eò quòd fugiant aggressorem, sed potius summa gloria, & bonum nomen: nec paruitatem habentur, sed magni potiùs à Populo; eò quòd, iniurias patiendo, Christum imitari videntur.

QVAESTIO QVARTA.

Vtrum Religiosus, qui pro rerum Monasterij defensione aliquem occidit hominem, incurrat hunc casum?

CAPVT PRIMVM.

Refertur prima sententia.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui pro rebus Monasterij defendendis hominem occidit, incurrit hunc casum reseruatum.*

1 Glossa *23. q.3. in principio, Villadiego tract. de irregularit. c. de percussore, Nicolaus de Ploue de irreg. reg.37. Sanctus Antoninus 3. p. tit.4. cap.3. §.2. vers. Notandum est, Syluester in verbo, Bellum 2. q.7. ad finem, & verbo, excommunicatio 6. notabil.4. vers. 9. Marian. Soc. in cap. ad audiend. de homic. n.40. Couarr. in Clementina si furiosus p.3. §. vnico versic.11. de homicidio, & Salon 2.2. q.64. art.7. controuer.2. concl.1.* & alij statim citandi existimant, personis Ecclesiasticis non licere occidere pro rerum suarum defensione; quia Religiosi non habent dominium, nec habere possunt, & maximè Religiosi, quia mundo renuntiarunt: & *Glossa, Villad. & Nicolaus de Ploue* ad hoc ostendendum adducunt capitulū, interfecisti de homicidio, vbi presbyter præcipitur toto tempore vitæ suæ agere pœnitentiam, si aliquem ob rerum defensionem occiderit; & c. suscepimus eodē titulo, Monachi duo irregulares censentur, eò quòd quendam latronem occiderunt, qui eos expoliare voluerat; igitur. Pro hac etiā sententia possunt citari *Accursius, Vgo, Fortun. & alij*, quos citat *Nauarr. d. c.15. Archid. apud Sylu. verb. homic.1. q.4. Tabiena verb. homic. q.7. & verbo, irreg.2. n.25. ex p. Azor. quatenus vtitur distin. to.3. inst. mor. p.3. li.2. quæst.19. vers. dico primò.* Secūdū igitur hanc sententiā, Religiosus, qui pro bonis Monasterij defēsione aliquem occiderēt hominē, incurreret hūc casū reseruat.

CA-

CAPVT SECVNDVM.

Negatiua sententia vt probabilior præponitur.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui ob bonorum defensionem aliquem occidit hominem, non incurrit hunc casum reseruatum, iuxta Authoris sententiam.*

2 *Capitulum, interfecisti de homicidio declaratur.*

3 *Textus in capitulo, suscepimus de homicidio expenditur.*

4 *Religioso non est congruum inuasorem occidere pro rebus Monasterij, quæ exigua sunt.*

1 VErius igitur dicendum esse censeo, Religiosum, qui ob bonorum defensionem aliquē occiderit hominem, non comprehendi sub hoc casu reseruato. Moueor, quia licitum est Religiosis (vt docet *Petrus de Nauarro lib.1.de restitut. cap.3.num.415. & Ludouicus de Beia in responsione casuum casu 22.par.2.dub.1.ad vltimum*) cum moderamine inculpatæ tutelæ, ob defensionem rerum, occidere hominem; Igitur non peccabit Religiosus. Ita sentit *Alexander de Ales 3. parte Summæ quæst.34. art.2.§.2. Sayr. in Claui Regia vbi suprà dub.10.vers.mihi autem.* Et certè non peccabit talis Religiosus, quia ex lege naturæ non est distinctio Laici, & Clerici: atqui ius naturale facultatem concedit laicis pro rei familiaris defensione inuasorem occidere, (vt communis Theologorum sententia docet; præsertim *Syluester verbo, Homicidium primò quæst. 2. versic.5. Angelus eodem verbo num.5. Caietanus 2.2.quæst.64.art. 5. Sotus lib.5.de iust.& iure quæst.1.art.8. Aragon. 2.2. quæst.64. art.7.* & ibi *Michael Salon controu.1. Valentia tom.3. disput. 5. quæst.8. puncto 4. dub.3. Ioannes Medina Cod. de restit. quæst.4.§. est autem, in principio quæstionis, Ludouicus Lopez part.1. instrut. consc.cap.62. Sayrus vbi suprà dub.9.num.30. vers. communis nihilominus & vera Theologorum sententia est, Cosmus Philiarcus de officio Sacerdotis, part.2. lib.4.cap.8 Nauarr. in Manual. cap.15.num.2. Pater Azorius vbi supra, Cardinalis Toletus in Summa lib.5.cap.6.vers. tertius casus, Emanuel Sà in Aphoris. Verbo, homicidium,* & alij quamplures) igitur & Religiosis. Ius enim naturale indistinctè concedens facultatem vim vi repellendi naturaliter omnibus, & æqualiter concedit. Vndè constans est, non esse peccatum contra ius naturæ, aut iustitiæ sic occidere, nec contra iura positiua de Religione, & honestate Sacerdotum seruanda; vt primæ sententiæ Doctores falsò existimauere: nullo enim fundamento ex iure Canonico desumpto oppositum probari possunt, vt etiam idem *Couarr.* fatetur.

2 Restat, vt aduersariorum soluamus rationes. Ad primam respondeo, dictum Capitulum interfecisti, non esse præceptiuum, sed consilium dumtaxat contineri, vt si se, suaquè defendendo furem occideret, vbi comprehendi poterat, si laicus sit, quadraginta annis pœnitentiam agat, si Sacerdos, tota vita: quia scilicet non seruauit moderamen inculpatæ tutelæ. Quòd verò in hoc Capitulo consilium contineatur dumtaxat, patet ex illis verbis, si sine odij meditatione, te, tuaquè liberando huiusmodi membra Diaboli interfecisti, si ieiunare volueris, bonum est tibi: id est, si volueris, bonum est ad cautelam, non tamen teneris. Ita *Sayrus vbi suprà.*

3 Ad Capitulum verò, suscepimus, respondeo, Religiosos illos peccasse occidendo, & fuisse irregulares, quia moderamen inculpatę tutelæ excesserunt, cùm potuerint alia via se tueri: iam enim ligati erant fures illi, & ita poterant, illis dimissis, cùm iam res suas saluas haberent, recedere. Vel quam primùm secundus ille vidit latrones illos velle confringere vincula, fugere potuit: non enim est Religioso infamia ab inimico fugere.

Quòd autem iste dicti Capituli intellectus sit, ex eò constat; quia aliàs non liceret pro damno personæ euitando occidere, quòd multi ex aduersarijs non negant. Dicitur quippe in dicto capitulo, quòd latrones volebant eos in personis affligere turpiter, & denudare vestimentis proprijs, & quòd noctè ingressi essent; & tamen ad hoc peccauere, & ab Alexandro III. Sunt irregulares iudicati, non alia quidem ratione, nisi quia cessante aggressione occiderunt. Et quamquam rerum Religiosi non habent dominium, possunt nihilominus habere vsūfructum, & tanquam vsufructuarij, & veri Domini res, Religionis defendere licitè possunt.

4 Hoc autem intellige, quòd res illa, pro cuius defensione licitum est Religiosis inuasorem occidere, debet esse magni momenti; quia pro exigua pecunia, vel bono temporali, vt pro valore duorum, vel trium aureorum, sicut nec vitam periculò exponere licet, ita nec alium occidere, cùm nec à Iudice pro leui furto morte puniendus sit. Quamuis enim vnusquisque se, suoquè tuendi ius habeat, ipsa tamen ratio dictat, non debere hominem vsque adeò se, & sua amare, vt rei parui momenti interficiat inuasorem; vt benè probat *Pater Ioannes Azorius vbi supra, & Sayrus loco citato,* cum communi Doctorum sententia.

QVAESTIO QVINTA.

An Religiosus procurans abortum, effectu sequuto, incidat in hunc casum reseruatum, ita vt duplici reseruatione innodatus existat?

CAPVT VNICVM.

Quid sit sentiendum, breuiter resoluitur.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui abortum procurauit post fętus animationem, est reus homicidij, & hunc casum incurrit reseruatum.*

2 *Religiosus hunc casum incurrit reseruatum, secundùm Reginaldum, qui procurauit abortum ante fœtus animationem.*

Re-

1 Religiosus ille, qui est in causa, vt abortus sequatur, quando fœtus est animatus anima rationali, reus est homicidij voluntarij, & in hunc casum comprehensus, & consequenter duplici innodatus reseruatione. Ita *Syluester verbo, homicidium, verſ. principium, Caietanus in summa verbo, Abortus, Couarr. ad Clement. si furiosus p. 2. §. 3. n. 1. Reginaldus tom. 2. lib. 21. c. 1. n. 5. & alij, quos casu 6. citauimus.*

2 Ita quoque esse dicendum, docet *Reginaldus* proximè citatus, quando nondum fœtus est animatus; quia impeditur ne animetur: ex quo licèt non interueniat hominis formalis occisio, ei tamen interuenit affinis voluntas mortaliter peruersa: pro vt notauere *Nauarrus cap. 15. Manualis num. 14. eodem verbo, Abortus.* Ad hoc ostendendum adducit *Reginaldus cap. si aliquis de homic.* vbi dicitur; tenendum vt homicidam eum, qui fecerit, vt mulier non possit concipere, vel generare, vel vt proles non possit nasci. Verùm quinam sit huius capituli sensus & intellectus, iam abundè suprà; cùm casum sextum declarauimus, dictum est.

DISPVTATIO XVI.

De Religioso alium vulnerante.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum quælibet vulneratio sufficiens sit ad hoc, vt Religiosus alium vulnerans censeatur sub hoc casu comprehensus?

CAPVT VNICVM.

Declaratur, quid sit vulneratio, & in quo à percussione differat: determinatur quæstio; & nonnullæ aliæ difficultates hanc materiam tangentes examinantur, & resoluuntur.

SVMMARIVM.

1 *Vulneratio, seu vulnus infligi, est, pars aliqua corporis scindi, separari, seu aperiri.*

2 *Statuitur discrimen inter vulnerationem, & percussionem.*

3 *Qualibet leuis percussio non satis est ad hoc, vt Religiosus leuiter alium vulnerans comprehendatur sub hoc casu.*

4 *Religiosus, ad hoc, vt hunc casum incurrat reseruatum, requiritur, vt vulneratio sit adeò grauis, vt peccaminosa existimetur.*

5 *Religiosus hūc casum incurrit reseruatum, qui alium ita percutit, vt opus sit tumorem ex percussione habitum aperiri, & medium adhiberi, vt sanguis extrahi possit.*

6 *Religiosus, qui baculo, aliouè instrumento alium percutit, vt tumor ex tali percussione in aliqua carnis parte talis sit conditionis, vt sit opus cutem aperiri, & sanguinem ex illa parte extrahi, duas incurrit reseruationes.*

7 *Religiosus, qui os brachij, aut femoris aliquem percutiendo frangit, absq; carnis abscissione, & sanguinis effusione, hunc casum incurrit reseruatum ex hoc capite.*

8 *Religiosus, qui os, & nasum alterius pugnis contundit, absque vlla scissione, & separatione in corpore, etiam si è naso, & ore copia sanguinis effluat, non incurrit hunc casum reseruatum.*

9 *Religiosus hunc casum incurrit reseruatum, qui leuiter videtur vulnerari, ita vt ex leuitate vulneris apparenter nulla existimetur læsio, si intus tamen notabiliter ita læditur caro, vt ad mortem tendat vulneratus.*

1 Secunda huius casus particula, quæ à nobis venit declaranda, est vulneratio. Vulnerare autem idem est, quod sauciare, seu vulnus infligere, siuè (vt vulgari sermone dicitur) ferire. Tunc autem dicitur vulneratio, seu vulnus, infligi, quando pars aliqua corporis ictu scinditur, seu aperitur, & separatur; *l. si seruus §. inquit lex ff. ad l. Aquilam.*

2 Ex quo sumitur discrimen inter vulnerationem, & percussionem, quòd percussio contingere potest sine vulnere, id est sine scissura, & separatione in corpore, cum solo tactu cutis violento; vulnus verò infertur cum cutis scinditur, & ictu aliqua corporis pars aperitur: cùm autem pars corporis, aperiri sine sanguinis effusione non soleat, sequitur quòd vulnus esse nequit sine sanguinis emissione, nec quemquā vulneratum vocari, nisi ita percutiatur, vt ex percussione sanguis effluat. Ita *Marius Alterius de censuris Reseruatis in Bulla Cęnæ excommunication. 10. disp. 11. cap. 1. columna 2. Vinaldus ibidem num. 3. Duardus in Bulla Cænæ can. 10. quæst. 2. & quæst. 18. num. 10. Gambacurta in Bulla Cęnæ excommunicatione 10. cap. 10. num. 6. Bonacina de censuris in Bulla Cęnæ contentis disp. 1. q. 11. puncto 1. propos. 1. n. 3. & communiter Canonistæ in cap. proposuisti de consecratione Ecclesiarum.*

3 His notatis, dico primo, quamlibet leuem percussionem non sufficere ad hoc, vt Religiosus leuiter alium vulnerans, sub hoc casu comprehendatur. Ita *Corolanus de casibus reseruatis 2. p. casu 10. versic. sequitur secundus terminus declarandus. Consentiunt Alterius loco citato cap. 1. colum. 3. dub. 1. Bonacina vbi suprà num. 4. in fine.* Probari potest hæc assertio ex *textu in leg. 1. §. proinde ff. de edilitio delicto;* vbi habetur, quòd leuis febris nō dicitur febris; igitur non vulneratio leuis, cùm non dicatur in rigore, & propriè vulneratio, non satis est ad constituendum peccatum reseruatū, ac

ac proinde Religiosus, qui alium leuiter vulnerat, sub hac non comprehenditur reseruatione.

4 Dico secundò; ad hoc, vt hic incurratur casus, requiritur, quòd vulneratio ita sit grauis, vt moraliter existimetur peccaminosa. Ita *Coriolanus, Alterius, Bonacina Duardus locis citatis.* Ratio est, quia Summus Romanus Pontifex indistinctè in suo Decreto ponit vulnerationem; Igitur debet intelligi de propria, & rigorosa vulneratione. Nã in pœnis verba strictè, & in propria significatione veniunt accipienda, *cap. in pœnis de Regulis Iuris in 6.* & interpretatione leg. pœnæ moliendæ sunt potiùs, quàm exasperandæ, *leg. interpretatione ff. de Pœnis*, vt benè aduertunt *Alterius loco citato cap. primo, columna 4. dub. 4. Duardus in Bulla Cœnæ lib. 2. Canon. 10. q. 2. n. 1. Hugolin. ibidem c. 10. versiculo, vulnerantes n. 2. Filmcius tract. 16. cap. 5. quæsito 9. num. 124. Gambac. vbi suprà, Viualdus in Bulla Cœnæ canon. 10. casu 10. nu. 3. in noua editione Bonacina vbi suprà n. 3. in fine:* Atqui vulneratio (vt ex paulò superiùs dictis patet) nõ est vulneratio; igitur de graui vulneratione intelligi debet, quæ sit moraliter peccaminosa.

5 Quæres primò, an Religiosus, qui alium percutit, & ex percussione aliqua carnis concussio, tumor, liuor, vel macula apparet in cute, ita vt necessè sit aperiri, & medium adhiberi, ad hoc, vt pars ictu percussa artificiosè ad extrahendum sanguinem aperiatur; incidat in hunc casum reseruatum?

Respondeo incurrere; quia illa percussio est causa scissionis, & separationis in corpore; quæ scissio, & separatio formaliter constituit vulnus; *leg. si seruus ff. ad l. Aquilam*; Igitur talis percussio (moraliter loquendo) grauis censetur vulneratio. Ita sentiunt *Bonacina, Duardus, Alterius, Gambacurta locis citatis, & alii*, quatenus docent, sic percutientes *Romipetas in excommunicationem canon.* 10. Bullæ Cœnæ Summo Rom. Pontifici reseruatam incurrere. Secùs verò, si concussio, liuor, vel macula in cute ita appareat, vt non sit necesse aliquam corporis partẽ aperiri; quia illa percussio, ex qua ista apparent, non est vulneratio, sed solùm grauis percussio. Incideret nihilominus in hunc casum reseruatum ex alio capite, nimirum ex graui percussione; Nam Summus Pontifex in hoc casu distinguit vulnerationem à percussione graui.

6 Hinc inferò Religiosum, qui baculo, alioue instrumento alium ita percutit, vt tumor ex tali percussione in aliqua carnis parte talis sit conditionis, vt eius causa cutis interiùs ita aperiatur, vt necesse sit medium applicare, quod partem ictu percussam artificiosè adaperiat ad sanguinem extrahendum putridum, duplicem incurrere reseruationem; nã & grauiter percutit, & deinde eius causa sequitur in percussi corpore vulneratio.

7 Quæres secundò; an Religiosus, qui os in brachio, vel femore per fringit, absque carnis scissione, & sanguinis effusione, hunc incurrat casũ? Respondeo, ex hoc capite non incurrere, quia non dicitur vulnerare. Ita *Duardus, Viualdus, Gambacurta, Bonacina, & Alterius locis citatis*; quia vulnerare est ictu aliquo partem corporis aperire cum sanguinis emissione. Secùs verò quando ad curandum Brachium necesse sit adhiberi medium, quod partem ictu percussam adaperiat artificiosè; nam tunc verè diceretur vulnerator, incurreretque hunc casum reseruatum, vt numero præcedenti patet.

8 Quæres tertiò; an Religiosus, qui os, & nasum contundit pugnis; absque vlla scissione, & separatione in corpore; in hũc incidat casum reseruatum: et si è naso, & dentibus sanguinis copia effluat? Respondeo, ex hoc capite hunc casum nõ incurrere reseruatum: quia quamquam sanguis è dentibus, nasoq; effluat, non dicitur illa percussio vulneratio, eò quòd nulla corporis pars aperitur. Quòd verò copia sanguinis effluat, ex eò oritur, quòd illæ corporis partes de se, suaque natura sunt ad sanguinem emittendum valdè procliues; solet enim ex leuissima percussione ex illis partibus sanguinis egredi copia. Ita *Bonacina, Alterius, Duardus, Viualdus, Gambarupta, locis citatis.* Notãter dixi, ex hoc capite, quia ratione percussionis hunc casum incurrit, maximè si existimetur moraliter grauis, vt disput. 17. dicemus.

9 Quæres quartò; an Religiosus leuiter vulnerãs in aliqua corporis parte, & ita leuiter, vt ex vulneris leuitate apparenter nulla existimetur læsio, cùm nihil aliud, preter acus punctura inspiciatur: intùs tamen notabiliter ita lædatur caro, vt ad mortem tendat vulneratus, hunc casum incurrat? Ratio dubitandi est; quia ex suprà dictis tũc dicitur vulnus infligi, cùm pars aliqua corporis ictu scinditur, & separatur cum sanguinis emissione: at hìc nulla est carnis scissura saltem moralis, nec sanguinis emissio; igitur non potest dici verè, & cum verbi proprietate, qualis requiritur, vulneratio.

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia Summus Romanus Pontifex in hac reseruatione absolutè loquitur, igitur absolutè sunt verba casus intelligenda; igitur ad hunc casum incurrendum quælibet vulneratio quantumuis minima satis est, dum mortaliter sit peccaminosa, vt benè *Alterius vbi suprà aduersus Cambaruptam aduertit, & docet Bonacina loco citato n.* 4. atqui læsio cùm sit interiùs grauis, vulneratio illa est mortaliter peccaminosa; igitur. Nec ratio dubitandi obstat; nam vulnus potest esse in genere suo mortiferum, quamquam eo parum, aut nihil aperiatur cutis, & nulla prorsùs sanguinis sit emissio; vt si paruo ferriculo in stomacho infligatur vulnusculum, quo homo ille periclitatur, & multoties tendit ad mortẽ, vel in aliqua alia corporis parte nobilissima; vt in parte cordis &c. igitur vulneris grauitas non desumitur ex cutis apertione, aut sanguinis emissione præcisè magna, & parua, (vt ita dicam) sed ratione effectus, & ex hominum existimatione. Cùm igitur ex parte effectus vulneratio sit mortiferè peccaminosa, est reseruata. Vide allegatos Authores.

QVAE-

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum Religiosus vulnerare dicatur, qui modicam sanguinis copiam sua percussione extrahi facit?

CAPVT VNICVM.

Quid nonnulli de hac re senserint, & veritas sequenda stabilitur.

SVMMARIVM.

1 *Ad incurrendum hunc casum reseruatum nō satis est quęlibet copia sanguinis ex vulnere inflicto emissa.*

2 *Ecclesia non polluitur ex qualibet sanguinis effusione, sed ex copia magna.*

3 *Religiosus non censetur vulnerare, neq; hunc casum incurrere, si ex vulnere inflicto sanguinis effusio sit adeò modica, vt non censeatur sufficiens ad lethale.*

4 *Religiosus hunc incurrit casum reseruatum, quoties dubitatur, an percussio satis sit ad vulnus lethiferum constituendum, iuxta aliorum placitum.*

5 *Huiusmodi Religiosum non esse sub hoc casu comprehensum, veriùs & probabiliùs alij opinantur.*

6 *Percussio clerici si dubitatur, an grauis sit, vel leuis, iudicanda est grauis.*

7 *Quare ad vulnus constituendum non requiritur magna sanguinis effusio, ad Ecclesiam verò polluendam maxima?*

8 *Statutum puniens vulnus, intelligendum est de magno vulnere, non de uulnusculo, & leui scissura, quæ ad mortalem culpam non accedit.*

1 QVæ in fine præcedentis capitis docuimus, nobis occasionem præbuere hanc examinandi quæstionem, quæ cum præcedenti aliquo modo coincidere videtur: Est nihilominus in re diuersa, vt ex infrà dicēdis clarè patebit. Fuit igitur nonnullorum opinio asserentiū, sanguinis copiam ex vulnere inflicto emissam esse necessariam ad incurrendum hunc casum. Du-
2 cuntur in primis; quia ad Ecclesiam polluendam non satis quælibet sanguinis effusio est, sed magna requiritur copia; pro vt communior docet Doctorum sententia, teste *Bonac. tract. de matrim. q.4. puncto vlt. n.20.* igitur ad incurrendum hunc casum ob vulnus inflictum, requiritur magna sāguinis copia. Secundò, quia statutum puniens vulnus (iuxta doctrinam *Baldi in l. vlt. C. de ædilit. act.*) intelligitur de magno vulnere.

3 Sed his minimè obstantibus dico Religiosum non dici vulnerare, neq; hunc casum incurrere, si sanguinis effusio adeò modica & exigua sit, vt iudicio prudentis viri ad mortalem culpam sufficiens minimè censeatur. Hæc assertio in terminis est manifesta: Nam ad incurrendum casum reseruatum culpa mortalis requiritur; secùs si ad mortiferam pertingat culpam, ad quam (regulariter loquēdo) pertingere solet, præcisa inaduertentia, defensione, & iusta causa. Ita *Bonacina, Alteriùs, & alij locis allegatis.*

4 Sed quid est sentiendum, quando hæsitatur, post sufficientem adhibitam diligentiam, an percussio sufficiat ad constituendum vulnus lethiferum? Putant aliqui, Religiosum percutientem in hunc incurrere casum; quia in dubijs tutior pars eligenda est. Ita *Alteriùs vbi suprà.* Consentiunt *P. Suar. tom.5. ad 3. p. disp.40. sect.5. n.19. Salas 2.2. q.21. tract.8. disp. vn. sect.5. n.6. in solut. ad quartum, Abbas in c. ad audientiam de homic. n.2. Marian. Socin. senior ibid. q.3. n.18. & seqq. Felin. ibid. n.1. idem Abbas in c. significasti 2. n.4. eodem titulo, Ananias ibidem n.23. Rosell. in summa verbo, dubia n. vnico, Angel. verbo, dubium n.2. Tabiena q.2. n.3.* & alij apud *Sanchez tom.1. in oper. moral. c.10. n.10.* quatenus docent, in dubio extra iustitiæ materiam
5 tutiorem partem esse amplectendam. Sed veriùs mihi venit dicendum talem Religiosum non esse sub hoc casu comprehensum. Ita *Sanchez vbi suprà n.55. Bonac. de censuris in communi disp.2. q.2. puncto 6. §.2. n.49. & de censuris in Bulla Cœnæ contentis disp.1. q.11. puncto 1. propos. 1. n.5. Henriq. li. 14. c.3. n.4. Aula de censur. p.7 disp.2. dub.5. Layman in Theolog. moral. lib.1. tract.1. cap.5 §.4. n.39. Canonistæ de sacram. disp.18. dub.2. n.1.* & alij apud *Bonacinam vbi suprà.* Ratio est; tum quia in dubio melior est conditio possidentis; tum quia in foro externo non præsumitur vulnerator, cùm in dubijs fauendum sit Reo; *Regula, cùm sit de Regulis iuris in 6.*

6 Sed obijcies; quando dubitatur, an percussio Clerici grauis sit, vel leuis, iudicanda est grauis, ex extrauaganti, quæ incipit, perlectis, apud *Nauarr. c.27. n.19.* igitur etiam in hoc casu, quando dubitatur, an percussio grauis sit sufficiens ad vulnus constituendum iudicanda est grauis, & sufficiens ad vulnus constituendum.

Respondeo, negando consequentiam, non enim est in vtroq; casu par ratio, quia in prędicta extrauaganti id specialiter præscribitur, supposita tamen mortali culpa: in pœnis autem non est facienda extensio de casu ad casum, nisi ad summum ab identitate rationis.

7 Superest, vt rationes prò opposita sententia factas soluamus. Ad primum respondeo, negando consequētiam; ratio verò disparitatis est, quia ad Ecclesiam polluendam magna requiritur sanguinis fusio; Vulnus verò subsistere potest absq; sāguinis effusione, cùm dicatur à scissura, & scissione in corpore, quæ ratione effectus existimatur; non verò à sanguinis fluxu, & effusione.

8 Ad secundum respondeo in primis, illam *Baldi* authoritatem esse vnius Doctoris opinionem particularis. Secundò respondeò, *Baldum* loqui de pęnis in foro sæculari, quæ, ne iuditia, & lites nimium multiplicentur, pro leuibus delictis vt plurimum non irrogantur. Tertiò, statutum puniens vulnus debere intelligi de magno vulnere, & nō de vulnusculo, & leui scissura quæ ad mortalem culpam non accedat; vt si vna tantùm, vel altera gutta ex vulnusculo fluxerit; non verò de vulnere etiam paruo, quod est mortis inductiuum pro vt suprà dicebamus.

DISPV-

DISPVTATIO XVII.

De Religioso quamcunque grauiter percutiente personam.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum grauitas percussionis peccatum constituentis reseruatum desumenda sit ab actione, vel ab effectu?

CAPVT PRIMVM.

Quid, & quotuplex sit percussio.

SVMMARIVM.

1 *Percussio quid sit, declaratur.*
2 *Percussio triplex, leuis, mediocris, & grauis.*
3 *Percussio leuis quid sit.*
4 *Percussio vndè dicitur leuis.*
5 *Mediocris percussio dicitur, quia media inter grauem, & leuem.*
6 *Percussio in dubio censenda est grauis.*
7 *Percussio grauis dicitur illa, quæ coniuncta est cum graui læsione, vel graui iniuria.*

1 TErtia huius decimi casus vox est, *Grauis percussio*. Pro cuius dilucidatione oportet declarare, quid sit percussio, & quotuplex. *Percussio* quãtum ad præsens attinet, idem est, ac cum dolore cesio, seu verberatio. Vndè percutere est cum dolore cedere, seu verberare, seu corporaliter pulsare manu, pugno, seu alapa, virga, baculo, saxo, flagello, vel aliquo alio instrumento, *leg. lex Cornelia ff. de iniurijs*. Ita *Hugolin. in Bulla Cęnæ cap. 10. verbo, vulnerantes c. 1. Duardus in Bulla Cęnæ lib. 2. Canone 11. q. 3. Alterius de censuris lib. 3. disp. 12. cap. 4. colum. 1. vers. percutientes, Bonacina de censuris in Bulla Cœnæ contentis disp. 1. q. 12. puncto 1. propos. 1. n. 2.*

2 Triplex autem esse potest percussio; leuis, mediocris, & grauis. Leuis percussio (regulariter loquendo) illa est, quæ fit pugno, palma, manu, pe-
3 de, digito, baculo, vel lapide, quæ nullam maculam, vel sigillationem carnium relinquit: vel quę fit absque membri abscissione, sine dentis effractione, sine euulsione multorum capillorum, & sine multa sanguinis effusione. Ita *Molina de iust. & iure disp. 57. n. 1. Sayr. lib. 3. cap. 20. n. 8. Philiarc. de officio Sacerdotis p. 1. lib. 3. cap. 33. Filiuc. tract. 11. cap. 1. quæsito 8. P. Suarez to. 5. ad 3. p. disp. 22. n. 88. Reginaldus lib. 1. n. 241. Bonacina de excommunic. extra Bullam Cęnæ disp. 2. q. 3. puncto 6. sect. 3. nu. 8.* & colligitur ex extrauaganti Ioannis 22. quam refert *Nauarrus in Manuali c. 24. n. 92.*

4 Hæc autem percussio dicitur leuis, non ex eò quòd peccatum sit veniale, nam qui aliquo modorum istorum percutit personam, certè lethaliter peccat; sed vocatur leuis respectiuè, hoc est respectu mediocris, & enormis. Ita *Nauarrus, Bonacina vbi suprà*, & alij communiter.

5 Mediocris percussio illa dicitur, quæ media est inter leuem, & enormem, huius generis est illa, qua dens extrahitur, vel capillorum copia euellitur, aut carnis sigillatio relinquitur, aut sanguinis copia effunditur, absque graui læsione, vel absq; graui iniuria. Aduertunt hinc Doctores statim citandi, ad Superiorem, vel ad alium bonum virũ spectare iudicium, quando nam percusio sit leuis, vel mediocris, aut grauis. Ita *Nauarrus, Sayrus, Molina, Philiarcus, Bonacina*, & alij paulò superiùs allegati locis quibus suprà.

6 Quæres; quando dubitatur, an percussio sit leuis, grauis, aut mediocris, quid sit iudicandum? Respondeo, tenẽdum esse, talem percussionem esse grauem, & enormem. Ita disponitur in extrauag. perlectis, Ioannis 22. & docent Allegati Doctores.

7 Grauis percussio dicitur illa, quæ coniuncta est cum graui læsione, vel graui iniuria; v. g. cùm membri mutilatione, vel cum magna sanguinis effusione, quæ non proueniat è naribus, sed aliũde, vel cum magno vulnere, aut ictu; quamuis parum sanguinis exeat. Talis etiam est illa, quę fit in suum Superiorem, vel in alium Prelatum in dignitate constitutum, vt in Episcopum, aut Abbatem, aut Generalem; aut Prouincialem, aut Priorem, siue Guardianum, qui est conuentus caput: nisi percussio fortè, seu violentia tam parua sit, vt moraliter non censeatur enormis, vt patet à simili in peccatis, quæ contra Deum committuntur; nõ enim omnia peccata, quibus Deus ipse offenditur sunt grauia, vel enormia, vt eleganter docuere *Suarez vbi suprà n. 91. & Bonacina loco citato.*

CAPVT SECVNDVM.

Resoluitur quæstio iuxta propriam Authoris sententiam.

SVMMARIVM.

1 *Grauitas percussionis constituentis peccatum reseruatum ab iniuriæ effectu desumitur.*
2 *Religiosus in faciem Superioris spuens, vel aliqua alia percussione leuissima percutiens hunc incurrit casum reseruatum.*
3 *Religiosus, qui in loco publico aliquam percutit personam, hunc incurrit casum reseruatum.*
4 *Religiosus hũc casum incurrit reseruatum, qui alium Religiosum verberat leuiter, si ex tali verberatione magnum sequitur scandalum.*
5 *Religiosus, qui in publico, vel in claustro coram sæcularibus, aut in Ecclesia coram Prælato percutit clericum, hunc incurrit casum reseruatum.*
6 *Religiosus, qui leuiter, aut mediocriter quamlibet personam percutiet, omnibus demptis circumstantijs, non incurrit hunc casum reseruatum. Quare.*

Ex

1 EX his dico primò, grauitatem percussionis constituentis peccatum reseruatum non esse præcisè desumendam ab actione, sed ab iniuriæ effectu, & aliquando à circumstantijs. Hæc assertio patet in primis, quoniam primi generis percussio, quam leuem communiter vocāt Doctores, aliquando efficitur enormis ex personarū circumstantijs, & qualitatibus, vt si quis manum injiciat in faciem alicuius grauis personæ, infigēdo alapam, non dicitur leuiter percutere, sed grauiter; quia talis percussio grauiter iniuriosa censetur. Ita *Bonacina*, & alij allegati. Similiter percussio mediocris fieri potest enormis, si fiat circa personam, vel in aliquo loco, seu alicuius temporis circumstantia. Vndè si quis capillorum copiam euelleret ab aliqua persona graui, vel in dignitate constituta, vel leuiter etiam percuteret Sacerdotem sacris indutum vestibus, vel in platea, seu aliquo loco publico, quamuis hæc percussio sit mediocris in se, fit tamen enormis ratione & respectu istarum circumstantiarum; igitur non semper ratione præcisè actionis desumitur grauitas percussionis constituens peccatum lethale reseruatum, sed ratione effectus, seu iniuriæ, quæ ratione personæ facta existimatur grauis.

2 Hinc inferò; si Religiosus in faciem Superioris spueret, vel aliqua alia percussione leuissima percuteret; hunc casum eum incurrere reseruatum. Ita allegati Doctores.

3 Inferò secundò; si in aliquo loco publico (videlicet in Platea, vel audientia publica coram iudice) Religiosus quispiam aliquam personam percuteret pugno, palma, manu, aut pede; eum in hunc incidere casum reseruatum; quia ratione loci, & tēporis iniuria existimatur grauis, ac proinde grauis percussio. Ita Innocentius Tertius in *cap. cùm illorum, & Glossa ibidem*.

4 Infero tertiò, in hunc casum reseruatum incurrere Religiosum, si alium verberaret Religiosum, etiam leuiter, ex qua percussione, seu verberatione scandalum magnum orirεtur. Idem di-

5 co, quando Religiosus percutit clericum in publico, vel in claustro coram sæcularibus, aut in Ecclesia, aut coram Prælato, aut coram alia persona in dignitate constituta. Ratio est, quia in textu reseruatur, *Grauis percussio cuiuscunque personæ*, talis autē percussio clerico facta tam ratione scandali, quàm ratione loci, est grauis: vt *Suar. Bonacina*, & alij notant; igitur reseruata.

6 Dico secundò, Religiosum leuiter, aut mediocriter quamlibet personam percutientē (absolutè loquendo, absque vlla considerata circumstantia) hunc casum non incurrere reseruatum. Hæc assertio patet, quia in textu grauis dumtaxat percussio reseruatur. Ita *Coriolanus de casibus reseruatis p. 2*. Super hunc casum, versiculo, tertius terminus declarandus. Et quamquam verum sit, quòd sub hac non comprehenditur reseruatione, nihilominus tamen si alium percutiet Religiosum, incidit in excommunicationem Canonis, *si quis suadente Diabolo 17.q.4*. Ratio est; quia ad incurrendam dictam censuram satis est, vt percussio censeatur esse peccatum mortale. Ita *Caietanus verbo, excommunicatio c. 10. Auila de censuris 2.p.c.1. disp.3. dub.13, casu 3. Sà in Summa verbo, excommun. num.2. Bonacin. vbi suprà sect. 1. num. finali*.

Et quàmuis *Pater Suarez tom. 5. ad 3.p. disp.5. sect.1. n.27*. negare videatur, nobiscū tamen consentit, quatenus dicit, posse dari casum, vt actio, quæ leuis est respectu laici, censeatur grauis, & valdè iniuriosa respectu Religiosi. Dixi notanter, *nobiscum tamen consentit*, quia tunc non erit grauitas percussionis respectu actionis, sed respectu personæ Religiosæ, cui ratione status magis repugnat. Sequitur igitur, quòd actio, seu percussio, quæ parua sit in se, si ratione aliunde existimetur mortaliter peccaminosa, erit sufficiens ad incurrendam censuram Canonis, *si quis*.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum Religiosus, qui mandat percussionem, vel consilium dat ad hanc faciendam, hunc casum incurrat reseruatum?

CAPVT PRIMVM.

Expenditur ille Textus, nimirum, cuiuscunque personæ.

SVMMARIVM.

1 *Percussio specificatur è persona, quæ læditur, ita vt secundùm qualitatem personarum sit alterius speciei, & rationis.*
2 *Percussio personæ Ecclesiasticæ non solum est reseruata in hoc Decreto Superioribus Regularium, verū etiam Summo Romano Pontifici.*
3 *In Canone*, si quis suadente, *duo sunt actionum genera, quibus censura incurritur.*
4 *Percussio Clerici cur dicitur* manus violenta?
5 *Actiones secundi generis sunt accessoriæ: vt mandare manuum iniectionem, siue percussionem, consilium, vel fauorem ad huiusmodi percussionem præbere.*
6 *Non solùm Clericos, aut Monachos percutientes Canonis*, si quis, *censuram incurrunt, verùm consilium, vel auxilium, aut fauorem ad talem percussionem præbentes.*
7 *Mandare fieri percussionem quid sit.*
8 *Auxilium præbere ad percussionem clerici faciendam quid sit?*
9 *Dare consilium quid sit.*
10 *Fauere quid sit.*
11 *Ad incurrendam dictam censuram Canonis*, si quis, *opus est, vt fauor influat in effectum.*
12 *Statuitur discrimen inter percussionem clerico factā, & percussionem in Laici personam.*

1 PErcussio grauis, quæ in hoc decimo reseruatur casu, quamcunque respicit personam cuiuscunque conditionis, & dignitatis. Vndè pro quæstionis intellectu venit exponendus quartus

huius casus terminus, nimirum, *cuiuscunque persona*. Duo sunt igitur personarum genera: alterum laicorum, alterum Ecclesiasticarum, quæ Canonis, *si quis suadente*, gaudēt priuilegio. Quamobrē notandum est primò; quòd percussio specificatur ita à persona, quæ læditur, vt alterius censeatur rationis, secundum personarum qualitatem: & sic diuersa est percussio Clerici, seu Religiosi, quàm laici; nam semper grauior est culpa, quæ persona læditur Ecclesiastica, quàm qua laicalis. Hoc discrimen videtur colligi ex extrauaganti Ioannis 22. *Perlectis*, quam referunt *Nauarrus, Molina, Suarez, Filiucius, Philiarcus, & alij locis citatis*: quatenus ibi leuis Clerici percussio existimanda est grauis, id quod non verificatur de persona laici.

2 Notandum est secundò, quòd personæ Ecclesiasticæ percussio non solùm est in hoc casu reseruata, seu reseruabilis omnium ordinum Superioribus, verùm etiam Summo Romano Pontifici, in Canone, *si quis suadente Diabolo* 17. qu. 4. ibi; *Nullus Episcoporum illum præsumat absoluere, nisi mortis vrgente periculo: donec Apostolico conspectui præsentetur*. Huius autem reseruationis mate-

3 riæ duo sunt actionum genera; primi sunt actiones in hoc canone expressæ per se primò, & principaliter, vt est manus violentas in Clericum, vel Monachum iniicere, vt patet ex illis verbis; *si quis violentas manus in clericum, vel Monachum*: Nomine violentę iniectionis manuum intelligitur actio externa iniuriosa, violenta, consistens in facto, seu opere, contingens personam Ecclesiasticam: nomine verò *iniectionis manuum* intelligitur quælibet percussio, & vis iniuriosa, siuè fiat manibus, siuè pedibus.

4 Sed quæres; Vndè percussio clerici, aut Monachi dicitur *manus violentas*? Respondeo, quòd appellatur manus violēta denominatione à manu desumpta, quæ est in instrumentum consuetum, per quod vis iniuriosa inferri solet. Sic *Pater Suarez tom. 5. ad tertiam partem disp. 27. sect. 1. Reginaldus lib. 3. num. 205. Bonacina de censuris in particul. disput. 2. quæstione 3. puncto 6. sectione 1. §.* & alij.

5 Secundi generis actiones sunt accessoriæ. Primæ videntur esse, mandare huiusmodi manuum iniectionem, siue percussionem. Secundæ sunt consilium auxilium, vel fauorem ad huiusmodi percussionem præbere. Ita Authores allegati. Ex

6 qua doctrina sequitur, sub nomine manus violētæ, non solùm eos, qui clericos, aut monachos percutiunt, esse comprehensos, verùm quoque eos, qui mandant talem percussionem, vel consilium; vel auxilium ad huiusmodi percussionem præbent.

7 Petes primò: quid est mandare fieri percussionem? Respondeo, idem esse, ac munus, officium, seu onus alteri imponere, seu iubere, rogare, aut committere alteri aliquid faciendum, gratis, vel etiam pretio, tacitè, vel expressè.

8 Petes secundò; quid est præbere auxilium ad percussionem Clerici faciendam? Respondeo, esse actum, quo quis opem fert ad patrandam percussionē in virum Ecclesiasticum, idest Clericum, vel Monachum. Id autem contingere potest, dando arma, vel alia instrumenta ad dictam percussionē patrandam, aut exhibendo pecuniā, aut occultando aliquē hominem, vt, capta temporis opportunitate, inde valeat exire ad aliquē clericum, vel Monachū percutiendum. Ita *Alterius de censuris disp. 12. c. 6 col. 16. & 17. vers. seu præstantes eis auxilium. Hugolinus de censuris in Bulla Cœnæ super 11. excommunicat. vers. præstantes auxilium. Duardus ibid. q. 17. Antonius de Sousa in Bulla Cœnæ disp. 62. n. 6. & Bonacin. plurib. in locis præsertim de censuris in bulla Cœnæ contentis disp. 1. q. 12. puncto 1. num. 27.*

9 Petes tertiò; quid est dare consilium? Respondeo, esse actum, quo quis suadet, verbis impellit, vel modum patrandi, delictum docet, aut securitatē aperit, aut sequuturam ostēdit vtilitatem; vt patet *ex l. in actione ff. de furtis, & l. sæpe ff. de verb. signific.* Ita Authores paulò superiùs allegati.

10 Quartò tandem petes; quid est fauere? Respōdeo, idem esse, quod commodum, seu vtilitatem præstare; seu aliquid facere conferens, iuuatiuè, ad finem ab alio intentum. Quamobrem qui delinquentem commendat, vel laudat, vt delictum committat: aut qui eundem tuetur, comitatur, vel simili alia adiuuat ratione, vt tutò crimē perpetret; dicitur fauere. Ita *Sousa, Duardus, vbi suprà num. 4. Alterius locis citatis versic. ad fauorem, & Bonacin. vbi suprà*.

11 Verùm notare tandem tertiò oportet, ad incurrendam huius Canonis reseruationem, necesse esse, vt fauor influat in effectum; nam si delinquens sine illo fauore esset crimen percussionis commissurus, præstans fauorem non incidit in illam reseruationem. Idem dicendum est de cōsulente, prout colligitur ex *Glossa in Clem. 1. verb. defensauerit, vers. circa tertium de pœnis. Syluester verbo, excommunicatio 7. n. 44. excomm. 15. Alterius disp. 12. de censuris cap. 6. colum. 22. vers. non incurritur, Sayr. lib. 3. de censuris reseruatis cap. 15. n. 13. Tabiena verbo, excommunicatio 5. casu 2. num. 4. Viualdus super vndecimam excommunicationem Cœnæ n. 90. in antiquis, in nouis verò n. 9. Hugolin. vbi suprà verb. nec non ea mandantes. §. 3. n. 1. Bonac. vbi suprà*, & alij quamplures apud citatos Authores.

12 Ex quibus omnibus desumitur in primis discrimen inter percussionem Clerico, aut Monacho factam, & percussionem in personam laici. Et enim in prima includuntur tanquam materia reseruationis expressè actiones omnes iniuriosæ: siue illæ sint principales, siue accessoriæ, vt sunt mandare manuū iniectionem, seu percussionem in Clericum, aut Monachum, & consilium, auxilium, vel fauorem ad huiusmodi prębere percussionē, quæ omnes actiones accessoriæ non sunt materia percussionis laico factæ: Quamobrem (vt statim dicemus) cōsulens, aut prębens auxiliū ad persecutionē laico faciendam non compræhenditur sub hac reseruatione. Secundò desumitur inter personā Ecclesiasticam, & sæcularem diffe-

differentia, quæ comprehenditur sub illis vocibus in Textu: *cuiuscunque personæ*; nam personam Ecclesiasticam percutiens duplici innodatur reseruatione, & respectu peccati, & ratione censuræ: percutiens verò laicum vnica tantùm.

CAPVT SECVNDVM.

Ex dictis in Superiori capite deducitur, quid sit secundùm sententiam Authoris sentiendum.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui mandat directè, vel indirectè alteri, vt Monachum, vel Clericum percutiat, hunc casum incurrit reseruatum.*

2 *Religiosus mandans percussionem non incurrit censuram, neque hunc casum reseruatum, si percussio non sequitur realiter & cum effectu.*

3 *Hunc casum non incurrit reseruatum Religiosus, qui mandat percussionem, si reuera in percussionem non influxerit.*

4 *Religiosus, qui tacitè, vel expressè alteri præbet consilium, vt clericum, vel Monachum percutiat, sequuta percussione, hunc casum incurrit reseruatum.*

5 *Religiosus, qui auxilium, & fauorem alteri præstat ad Clericum, vel Monachum percutiendum, si re ipsa influit in effectum, hunc casum incurrit reseruatum.*

1 EX hactenus notatis facili negotio resoluitur præposita quæstio. Dico igitur primò, Religiosum, qui mandat directè, vel indirectè alteri, vt Monachum, aut Clericum percutiat, hunc casum reseruatum incurrere. Hæc assertio est certa, & manifesta ex dictis. Probatur tamen, quia hæc percussio eodem modo se habet respectu huius casus reseruati, ac respectu Canonis, *si quis suadente*, sed sub illa reseruatione non solùm cõprehenduntur ij, qui principaliter manus in clericum injiciunt violentas, verum etiam & mandãtes; vt desumitur ex cap quantæ de sententia excommun vbi decernitur, excommunicationi dicti Canonis, *si quis*, non solùm eos subijci, qui percutiunt, verum etiam qui cõsentiunt: His autem procul dubiò consentit, qui mandatum præbet ad percutiendum; vt benè aduertunt *Nauarr. in Manuali cap. 26. n. 51. Sayr. lib. 3. de censuris cap. 26. num. 22. Pater Suarez tom. 3. ad 3. p. disp. 22. sect. 1. n. 55. Auila de censuris 2. p. cap. 5. dub. 6. Molin. to. 4. de iustitia & iure disp. 52. n. 2. Conichius de censuris disp. 14. dub. 15. nu. 171. Reginaldus num. 215. Filiuc. tract. 15. cap. 1. quæsito 7. Bonacin. de censur. in particulari disp. 2. quæst. 3. puncto 6. sect. 1. §. 2. propos. 1.* & alij; Igitur hęc percussio est sub hoc casu reseruata. Consequentia est euidens; nam ratione obiecti, & ratione materiei, sunt eiusdem entitatis, & rationis formalis, solùm enim discrimen desumitur, quòd hæc sit reseruata ratione peccati, illa verò & ratione peccati, & ratione censuræ: vt quamplures volunt Doctores; vel secundùm aliorum opiniones ratione censuræ, sed non peccati.

2 Doceo hìc tamen, quòd mandans percussionem non incurrit censuram, nisi sequatur realiter percussio: vt ex c. mulieres §. vltimo de sententia excommunicationis deducitur; quia huiusmodi actio est accessoria, ob accessoriam autem actionem non incurritur excommunicatio, nondum principali sequuta actione, eò quòd odio ipsius interdicitur.

3 Rursùs doceo, censuram hanc reseruatam, Religiosum percussionem mandantem non incurrere; si mandatum in percussionem reuera non influxerit. Ratio esse potest, tum quia ad cēsuram incurrendam requiritur effectus interdictus sub censura; tum quia mandatum prohibetur quatenus est percussionis causa.

4 Dico secundò; Religiosum, qui consilium tacitè, vel expressè præbet alteri, vt Clericum, vel Monachum percutiat, sequuta percussione, in hunc casum incidere reseruatum. Hæc assertio eadem ratione, qua Superior, ostenditur: & patet ex dictis in præcedenti capite. Notanter dixi, sequuta percussione; quia ad incurrendum casum hunc reseruatum opus est, vt consilium influat in effectum; id est, vt sit causa effectus, seu percussionis. ob id Religiosus, qui homicidium Prælati consulit, iam parato eundem occidere, vel clericum percutere, hunc casum non incurrit, neque anathematis gladio percutitur, modò re ipsa suo consilio nulla ratione moueat delinquentem ad patrandum crimen. Ita communiter Doctores in materia de restitutione; & de censuris.

5 Dico tertiò, Religiosum auxilium, & fauorem alteri præstantem ad clericum, seu Monachum percutiendum, si reipsa influat in effectum hunc casum incurrere reseruatum, esseque excommunicatum excommunicatione Summo Romano Pontifici reseruata. Ita colligo ex Doctoribus communiter in materia de censuris super Canon *si quis*, scribentibus.

Dico quartò, Religiosum, qui mandat, seu consilium dat alteri, vt laicum percutiat, non incurrere hunc reseruatum casum. Ratio est, quia actiones accessoriæ in Canone illo, *si quis suadente*, expressè ideò exprimuntur, & prohibentur, quia in odium actionum principalium, quatenus tangunt personas Deo consecratas, inhibentur: atqui non militat hæc ratio in laicis; igitur.

Dices; mandans fieri homicidium hominis secularis in hunc incidit casum reseruatum; igitur & mandans percussionem, si effectus sequatur. Respondeo, negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia in genere homicidij non solùm lege Diuina positiua, verum etiam iure Canonico, & Ciuili actiones istæ accessoriæ sunt prohibitæ, vt suprà cum *Sayro, Azorio*, & alijs ostensum est: secùs verò in percussione.

QVAESTIO TERTIA.

An Religiosus, percutiens Nouitium, aut Tertiarium incurrat hunc casum?

CAPVT VNICVM.

Ostenditur, Nouitios, atque Tertiarios nostri Ordinis, Beatissimique Patris nostri Sancti Dominici gaudere priuilegio Canonis, *si quis*: & demonstratur, Religiosum eos percutientem incurrere non solùm hunc casum, verum etiam & censuram Canonis.

SVMMARIVM.

1 *Omnium Ordinum Regularium Nouitij gaudent priuilegio Canonis,* si quis.

2 *Nouitius in fauorabilibus pro Religioso reputatur.*

3 *Nouitius omnes consequitur indulgentias concessas Fratribus professis.*

4 *Nouitius ad Nouitiatum receptus ante pubertatis annum, quamquam non sit verè Nouitius, gaudet priuilegio Canonis,* si quis.

5 *Sub nomine Monachi comprehenduntur Moniales professæ, vel conuersæ, ac nouitiæ.*

6 *Tertiarij nostri Ordinis, ac Sanctissimi Patris Nostri Dominici non gaudent priuilegio Canonis, iuxta Caietani, & aliorum sententiam.*

7 *Tertiariorum nostri Ordinis, ac Sanctissimi Patris nostri Dominici duo sunt genera.*

8 *Tertiarij, qui viuunt simul cum fratribus, & qui vota emittunt sub nomine Monachi, comprehenduntur non solùm iure priuilegiorum, verùm ratione iuris communis.*

9 *Tertiarij, qui domi viuunt extra Congregationem, nec habitum patenter deferunt Religionis, non gaudent priuilegio,* si quis.

10 *Tertiarij, qui, assumpto habitu monachali, se ipsos mancipauerunt obsequijs alicuius approbatæ Religionis sub illius Superioris obedientia, gaudent priuilegio Canonis,* si quis.

11 *Tertiarij tàm nostri Ordinis, quàm Sanctissimi P.N. Dominici, qui proprijs domibus viuunt, deferentes Religionis habitum, emissis obedientiæ, & castitatis votis in manibus eorundem Ordinum Prælatorum, gaudent priuilegio Canonis,* si quis.

12 *Religiosus Nouitium percutiens incurrit hunc casum reseruatum.*

13 *Religiosus percutiens tertiarium duplicem incurrit reseruationem.*

14 *Religiosus, qui Eremitam Congregationis Scarpellæ, Rossomanni, Carrapipi, percutit, incurrit casum reseruatum, & censuram Canon.* si quis.

15 *Feminæ Tertiariæ, quæ Religionis habitum deferunt patenter, proprijsq; viuunt Domibus, gaudent priuilegio Canonis,* si quis, *si vota castitatis, & obedientiæ fecerunt.*

16 *Tertiariæ ad inuicem se percutientes ambæ incidunt in censuram Canonis,* si quis.

1 NOuitios omnium Ordinum Regulariũ gaudere priuilegio Canonis, *si quis suadente 17. q 4.* constans est apud omnes. Ita *Pater Suar. tom. 5. ad 3. p. disp. 22. sect. 1. n. 19. & tom. 4. de Relig. lib. 9. cap. 1. n. 18. Rodriquez tom. 3. quæstionum Regul. q. 51. art. vltimo, Bonac. de censur. in Bulla Cœnæ Dom. conten. disp. 1. q. 16. punct. 3. n. 10. & disput. 2. q. 3. punct. 3. sect. 4. propos. 2. nu. 7. Portel in dub. regular. verbo Nouitius n. 35. Azor. lib. 12. instit Moral. c. 2. quæsito 11. Guttierez lib. 2. quæstionum Canonic. c. 1. n. 107. Molin. tom. 1. de iust. & iure disp. 109. concl. 4. Sanchez in summa lib. 5. c 4. n. 24. Frater Martinus à Sancto Ioseph super nostram Regulam c. 2. num. 49. & alij statim citandi.* Hæc assertio de se est manifesta, solùm indiget declaratione: quam sic probo, atque declaro. Etenim præter clericos, gaudent Monachi priuilegio dicti Canonis, *si quis*; quia licèt Monachus rigorosè & strictè sumptus à clerico distingui soleat Regulari; nihilominus in cẽsura lata ab Innocentio II. in Concilio Lateranensi pro Regulari sumitur Religiosus; vt constat ex cap. dum illorum de sententia excommunicationis. Quòd clariùs & euidentiùs explicatur in dicto Canone, *si quis*, vbi dicitur in Clericum, vel Monachum, ex quo sequitur, quòd Religiosi omnes, cùm sub nomine Monachi comprehendantur, gaudent hoc priuilegio, vt de se constat; prout aduertit *Pater Suarez* vbi suprà: atqui Nouitij sunt Religiosi saltem in fauorabilibus, vt colligitur *ex c. Religioso de sententia excommun. ita Suarez de religione tom. 3. lib. 5. cap. 16. & tom. 4. de religione lib. 9. c. 1. n. 18. & de censuris disp. 22. n. 19. P. Azorius tom. 1. lib. 12. c. 2. q. 10. Sanch. in summa to. 1. lib. 4. c. 39. n. 13. & to. 2. lib. 6. c. 10. in fi. Henriq. lib. 7. c. 22. n. 7. Sayrus de censuris lib. 7. c. 13. n. 6. Bonac. vbi suprà, Coriol. de casib. reseru. 2. p. casu 10. Portel. vbi suprà*, quamquam falsò eum citat *Diana tract. 2. de dub. regul. resol. 73.* nam nu. citato ita inquit: Nouitius in fauorabilibus pro Religioso re-
2 putatur; gaudet enim priuilegio fori, & percutiens illum excommunicatur, & paulò inferiùs; ob proximè dictum de fauorabilibus Nouitius
3 consequitur omnes indulgentias concessas fratribus &c. *Molin. to. 1. de iust. & iur. disp. 139. versic. præter hoc, Rebuff. in praxi venefi tit. de dispens. cum regul. n. 21.* vbi testatur, Apostolicam Cancellariam nouitium vocare Monachũ; & facit ad hoc *lex, quæ Religiosis ff de re iudic.* vbi habetur, quòd adhærentia Religiosis sunt Religiosa, *Guttierez vbi suprà*, & alij; igitur sub nomine Monachi cõprehenduntur, atque adeò absque vlla hæsitatione gaudent priuilegio dicti Canonis.

4 Et hoc ita verum est, vt si nouitius admissus sit ad Religionem ante pubertatis annum, gaudeat hoc priuilegio, quamquam hìc non sit propriè nouitius; vocatur nihilominus nouitius vt in cõmuni viuit sub obedientia, validusq; est illius ingressus; *c. Religioso de sent. excomm. in 6.* vbi ad Nouitios extenditur hoc priuilegium. Ita *Bonacina vbi suprà*; vbi testatur de communi.

5 Nomine quoq; Monachi intelligũtur etiã moniales professæ; vel cõuersæ, ac nouitiæ, modò nõ viuãt in domo propria more laicorũ, *c. cũ illor. de sent. excõm.* & supponitur *in c. de Monial. eod. tit.* Ita *Suar. de cens. vbi suprà Bonacin. cum alijs locis citatis.*

6 Sed nec dubium est de personis tertij habitus

Sanctissi-

Sanctissimi Patris nostri Dominici, ac Beatissimi Seraphici Patris nostri Sancti Francisci, an hoc gaudeant fori priuilegio. *Caietanus, verbo excommunicatio vers. nota septimò*, sustinet, non frui hoc priuilegio, eò quòd nō sunt clerici, nec Religiosi, nec Nouitij, nec conuersi Religionis; & ita nō posse nomine Monachorum comprehendi. *Nauarrus autem cap. 27. n. 79.* affirmat, hanc sententiam *Caietani* veram posse esse iuxta ius commune, non tamen iuxta priuilegia, & consuetudines, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ stylum: & ad id citat *Rotam Romanam, & Felinum*, qui docent, si huiusmodi generatim viuant, & habitum portent Religionis, eos frui hoc priuilegio.

7 Verùm, vt, quid ipse hac in re senserim, dicā, duo notari oportet. Primò, quòd tertiarij nostræ Religionis, Sanctissimiquè Patris nostri Dominici sunt in duplici differentia; nam aliqui in domo propriæ viuūt absque vllo Religionis habitu; alij vero, & si domi viuunt extra Religionē, deferunt tamen habitum, votum castitatis, ac obedientiæ in Prælatorum manibus emittentes: tandem alij sunt, qui & si prædicta vota nō emittant, tamen viuunt fratribus seruientes in Religionis Monasterijs sub Prælatorum obedientia, & gubernio, sustinentes voluntariè Religionis onera.

8 Secundò, notandum est, quòd prædicti Tertiarij, qui viuunt simul cùm fratribus, & alij, qui vota emittunt, non solùm propter priuilegia, verū etiam & secundum ius sub nomine Monachi comprehenduntur: non enim pro solis Religiosis verè professis accipitur, sed etiam pro omnibus, qui secundùm aliquem modum illum participant statum: & ita secundùm illam participationem sunt Deo dicati, & deuoti, iuxta modum loquendi Ioannis Papæ *in cap. quisquis 17. quæst. 4.* vbi dicit, sacrilegium committere, qui iniuriam facit clericis, vel Monachis, siue Deo deuotis: & similis modus loquendi habetur in *cap. duo sunt quæst. 1.* quia ergo sunt hæ personæ Deo dicatæ, secundùm quandam talis Religionis participationem ab Ecclesia approbatam; etiam si propriè statum Religiosorum non habeant, nec per vota ligati sint, (de illis est modò sermo, qui fratribus seruiunt) sub latitudine Ecclesiasticarum personarum comprehenduntur, & sub Monachorum nomine in prædicto capite continentur. Hæc expositio ex multis iuribus comprobari potest, quæ declarant, sub nomine Monachorum comprehendi conuersos; cùm autem conuersi (vt eleganter *Pater Suar.* locis citatis aduertit) propriè Religiosi non sint, quia sunt Deo dicati secundùm talem modum, quo Religionem participant; Nam (vt *Panormitanus* eleganter aduertit, & ex modo loquendi iurium ostendit *in cap. nulli dubium de sententia excommunicationis*) illa decreta non condunt nouum ius, seu nouum priuilegium his concedunt personis, sed declarant intētionem. & amplitudinem illius Canonis, *si quis*.

9 His notatis, dico primò, quòd Tertiarij qui domi viuunt extra congregationem, nec habitum patenter deferunt Religionis, non gaudent dicto priuilegio; nam isti non sunt Religiosi: & sic de istis militat *Caietani* opinio.

10 Dico secundò, Tertiarios, qui assumpto habitu monachali, sese manciparunt obsequijs alicuius approbatæ Religionis sub obedientia illius Superioris, gaudere hoc priuilegio, quandiù ita viuunt, nam pro illo tempore censentur Religiosi, & personæ Ecclesiasticæ, veluti censentur Nouitij. Nam Religiosi nomen in hac re non solùm accipitur pro illis, qui professionem emiserunt; verū etiam his, qui illius status sunt participes, vt suprà secundo notabili ostensum est. Ita *Sacra Cōgregatio Cardinalium apud Philiucium quæsito 4. nu. 14. tract. de censuris, Suarez disp. 22. sect. 1. num. 20. Bonacina de censuris sub Bulla Cœnæ contentis disp. 1. quæst. 16. sect. 1. puncto 3. nu. 17. & disp. 2. quæst. 3. puncto 6. sect. 4. proposit. 1. n. 10. Alterius de censuris in Bulla Cœnæ contentis disp. 16. cap. 1. q. 4.* vbi hoc multis comprobat rationibus, *Carolus de Grassis effectu primo num. 92. Conichius disp. 14. de excommunicatione dub. 15. num. 164 Marta de iurisdictione centuria 2. casu 113.*

11 Dico tertiò; hoc priuilegio Canonis gaudere tertiarios illos, tam nostri ordinis, quàm Beatissimi Patris nostri Dominici, qui in proprijs domibus viuūt, si deferant Religionis habitum, emissis obedientiæ, & castitatis votis in manibus Prælatorum eorundem ordinum. Ita *Sacra Congregatio Cardinalium*, annuente Summo Pontifice Paulo Quinto, determinauit. Videantur *Barbosa in collectanea Bullarum, Rodriq. to. 3. qq. Regularium q. 73. art. 2. Portel in dub. regul. verbo tertiarij, nu. 3. Carrillus apud Portel*, & alij.

12 Ex his omnibus non obscurè patet, quid sit ad quæstionem respondendum; Nam in primis dico, Religiosum percutientem Nouitium (etiam si huiusmodi fuerit admissus ad Religionem ante pubertatis annum) hūc casum incurrere. Hęc assertio patet euidenter ex textu, vbi dicitur; *Grauis percussio cuiuscunq; personæ*. Item incidere in excommunicationem Canonis, *si quis*, vt ex dictis clarè patet, & docent Doctores allegati; & in terminis *Pater Coriolanus* super hunc casum, *versic. dubitatur hic*.

13 Dico secundò, Religiosum quemcunq; percutientem tertiarium duplici ligari reseruatione, altera Canonis, *si quis*, altera verò Textus nostri; vt ex paulò superiùs probatis euidēter ostēditur. Idem dico de illis hominibus, qui, assumpto habitu Religioso, adhibentur ad seruitia, & obsequia Monialium Sanctæ Claræ primæ Regulæ, vel aliarum, & ad petendam pro ipsis eleemosynam: nam gaudent hoc priuilegio. Ita *Bonacina de censuris*.

14 Sed quæres curiosè, An Religiosus, qui percuteret grauiter Eremitam Cōgregationis Scarpellæ, (vt vulgò dicitur in Sicilia) Rossomandi, Carrapipi, seu Sanctæ Mariæ de horto, hunc casum, & excommunicationem canonis, *si quis suadente*, incurrat? Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia (vt inquiunt *Nauarrus in Manuali c. 27. n. 70.*

Syluester verbo, excomm.6.n.3. Molina to.4.tract.3. disp.50.n.4. Filiuc. tract.15. cap.20.n.14. Reginaldus lib.1.n.214. & lib.9. n.354. Conichius disp.14. dub. 15.n.164. Suarez tom.5. ad 3.p. disp.22. Marta loco citato, Carolus de Grassis effectu primo n.104. Duard. in Bulla Cœnæ lib.2. Canon.15.q.6.nu.1. Alterius de censur. c.1. dub.5.) isti censentur Religiosi, licèt in ea Religione non fiat professio; eò quòd viuũnt in communitate sub aliquo Prælato, qui subest immediatè Diœcesano Episcopo ex tacita, vel expressa Summi Pontificis authoritate, vt inquit *Bonacina locis citatis*. Qua propter priuilegio fori gaudent. Vndè *Alterius vbi suprà* putat, priuilegium hoc extendi ad Eremitas, qui peculiarem modum viuendi tenent, habitum Religionis deferentes, & sacro loco ex obligatione seruientes sub obediẽtia Episcopi, vel alterius Prælati; eiusmodi sunt Eremitæ, qui viuunt in Monte Scarpelli, Rossomanni, & Carrapipi, seu Sanctæ Mariæ de horto, qui viuunt in Congregatione sub obedientia Episcopi Cathanensis, & certi Superioris ab eodem Episcopo constituti, qui ab eis lingua vulgari vocatur maior.

15 Quæres insuper; an feminæ tertij ordinis, qui Religionis habitum deferunt, proprijsquè viuunt in domibus, gaudeant hoc priuilegio Canonis *si quis*? Respondeo, si emittunt vota illa duo, de quibus suprà meminimus, eas gaudere quoque hoc priuilegio. Vide *Laurentium, Portel, verbo, Tertiarij*, vbi citat *Rodriquez*, & alios, asserentem, has tertiarias gaudere fori priuilegio. Et quamquam ibi loquatur absolutè, non est tamen ambigendum, quòd sicuti ad viros tertij ordinis extenditur dictum priuilegium, ita ad feminas quo-
16 que. Vndè infero, quod si istæ ad inuicem se percutiant, ambæ incidunt in censuram prædicti Canonis, *si quis*: possunt tamen virtute Cruciatæ absolui à quocumque Confessario, vel à Superiore locali, vt latè dicemus quæstione vltima huius disputationis.

QVAESTIO QVARTA.

Vtrum Prælatus ex munere percutiens, seu verberans subditum, si correctionis modum excedat, hunc in casum incurrat? & quid de censura reseruata in Canone, *si quis suadente*?

CAPVT VNICVM.

Declaratur, quònam pacto Prælatus possit subditos suos verberare, seu percutere: & quando excedit modum in his percussionibus, an incurrat casum reseruatum, & Canonis, *si quis*, censuram?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus duplici modo verberari potest à suo Superiore.*
2 *Prælatus Religiosum subditum verberans, si correptionis, & disciplinæ ex odio, & mala voluntate notabiliter excedit modum, hunc casum incurrit reseruatum, quomodo.*
3 *Prælatus Regularis potest procurare, vel percuti mandare Religiosum sibi subditum ad correptionem.*
4 *Prouincialis, Prior, siue Guardianus verberans Religiosum non sibi subditum, incurrit hunc casum reseruatum.*
5 *Verberatio facta à Superiore Regulari debet esse proportionata causæ, & Ecclesiastica personæ; aliter erit illicita, peccaminosa, & reseruata.*
6 *Prælatus mortiferè peccat, & censuram Canonis incurrit, qui per modum paternæ correptionis procedens, subditum, non seruato debito correptionis modo, percutit.*
7 *Multis modis potest Superior excedere correptionis modum, subditum verberando.*
8 *Superior, qui subditum alapis, pedibus, pugnis, baculo, vel alio ignominioso instrumento Religiosum percutit, incurrit censuram Canon.* si quis. *Quare.*
9 *Prælatus Regularis percutiens Sacerdotem alapis, vel pugnis, aut baculo, incurrit censuram Canonis*, si quis.
10 *Prælatus, si fortiùs ex indiscreto zelo percutiat Religiosum illum corrigendo, quàm correptionis modus in sua Religione præscriptus exposcit, Canonis censuram incurrit.*
11 *Prælatus localis si ita excedat modum correptionis, non solùm censuram Canonis*, si quis, *verùm & casum reseruatum incurrit.*
12 *Superior per alium subditum verberans, si nulla adsit necessitas vrgens, censuram incurrit Canonis*, si quis.
13 *Superior, causa existente rationabili, potest per aliũ Religiosum suum verberare subditum.*
14 *Sub nomine Monachi non esse comprehensos Religiosos laicos, iuxta Syluestrum; & quare.*
15 *Correptio fieri potest à Superiore per conuersum.*
16 *Conuersi sunt veri Religiosi, & sub nomine Monachi comprehenduntur.*
17 *Superior tunc potest Religiosum subditum per laicũ verberare, quando nullus adest Monachus, vel ipse per se facere non potest, vel castigatio differri nequeat.*
18 *Prælati nostri Prouinciarum Reformatarum in Regno Siciliæ nullo modo suos subditos verberare, aut percutere possunt. Quare.*
19 *Magister nouitiorum verberans, seu percutiens nouitium est excommunicatus; & hunc incurrit casum reseruatum.*
20 *Religiosus, qui iocosè alium percutit, sed mutata voluntate, interueniente aduertentia, suadente diabolo illum verberat, hunc incurrit casum reseruatum, & censuram Canonis*, si quis.
21 *Religiosus, qui se ipsum percutit hunc casum incurrit reseruatum.*

1 MVltifariam contingere potest subditorum verberatio, aut percussio à Superioribus facta. Vno modo ex odio, & mala voluntate, alio modo ratione correctionis: & iste adhuc est duplex. Prior est, quando Superior seruato iuris ordine procedit ad Religiosum verberandum, seu percutiendum: Posterior verò est, quando paternali correctione Religiosus aliquis

quis verberatur, seu percutitur.

2 Hoc supposito, dico primò; Prælatum facultatem habentem verberandi, & percutiendi Religiosum sibi subditum, si correctionis causa, & disciplinæ ex odio, & mala voluntate aliqualiter excedit modum in percutiendo, ita vt excessus pertingat ad culpam mortalem, incurrere hunc casum reseruatum, (si respectu talis Superioris sit reseruatus) & in censuram Canonis, *si quis*. Ita communiter Doctores, præsertim *Bonacin. loco vbi suprà*. Ratio est, quia licèt verum sit, (vt conclusione sequenti ostẽdemus) Prælatos cuiuscũque ordinis ex proprio munere habere facultatẽ suos subditos percutiendi; hæc tamen facultas solùm ad correctionem subditorum ordinatur, & non ad vindictam: atqui quando Superior ex odio excedit percutiendi, seu verberandi modũ, iam non ordinatur ad subditorum correctionem quam dumtaxat intendere debet Superior, sed ad vindictam propriam; igitur ratione odij, & vindictæ peccabit. Ex quo capite iam non vt superior percutit, sed vt persona particularis; vt eleganter annotauit *Pater Suarez* loco statim citando; igitur certum videtur, talem Superiorem peccare lethaliter peccato hoc reseruato, ac incidere quoque in Canonis, *si quis*, excommunicationem.

3 Dico secundò, Superiorem Regularem posse percutere, vel percuti mandare Religiosum sibi subditum ad correctionem iustam, & debito modo factam. Ita docuere *Pater Suarez tom. 5. ad tertiam partem disp. 22. sect. 1. num. 40. Bonacina de censuris in particulari extra bullam Cœnæ disput. 2. quæst. 3. puncto 6. sect. 4. nu. 15.* & alij quamplures, & colligitur ex *cap. vniuersitatis de sententia excommunication.* Ducor ad sic sentiendum, eò quòd Superior ius castigandi suum subditum habet, estquè illa actio sæpe necessaria ad disciplinæ regularis conseruationem: Igitur hæc actio nec est prohibita, & consequenter nec peccaminosa, neque propter illam potest incurri censura.

4 Verum hæc assertio est limitanda duplici limitatione. Prima est, quòd Superior circa suum subditum talem exerceat actionem; Nam si Prouincialis, Guardianus, siue Prior verberaret Religiosum non sibi subditum, non effugeret reseruationem huius casus, nec censure Canonis, quia tunc non exercet iurisdictionis actum; & impertinens est, quòd sit Superior, quia in tali actu non agit vt Superior.

5 Secunda est, & valdè notanda, vt subsit causa proportionata; quia sine illa ratio correctionis non obtinet locum, aut vindicatiuæ iusticiæ: non erit ergo actus alicuius iusticiæ, sed iniuriosus, & consequenter nec erit actus verè, sed vsurpatæ iurisdictionis. Et ob eandem rem necessarium est, vt verberatio sit proportionata causæ, & Ecclesiasticæ personæ; Nam aliàs, si notabilis esset excessus, & manifestè iniustus, vt si pœna esset mutilationis membri, vel alia similis; non euitaretur censura: quia iam illa non esset Ecclesiastica disciplina, sed violenta manuum iniectio, vt elegantissimè aduertit *Pater Suarez* loco paulò superiùs allegato: & colligitur ex dicto *c. vniuersitatis de sententia excommunicationis, & c. cùm Beatus 25 dist.* Ex quo principio doceo, necessarium esse, vt talis castigatio, seu punitio fiat seruato debito iuris ordine, si pœna sit iuridica, hoc est procedit Prelatus in tali verberatione, seu punitione vt iudex: aliàs incurreret dicti Canonis, si quis, censuram: non incurret tamen casum reseruatum, quia sibi, non alteri (vt supponimus) est huiusmodi casus reseruatus.

6 Dico tertiò, Superiorem per modum paternæ correctionis in his verberationibus, atque percussionibus procedentem, debito paternalis non seruato correctionis modo, mortiferè peccare, si excessus fuerit notabilis, censuramquè canonis, si quis suadente, incurrere Ita colligo ex dicto c. vniuersitatis de sententia excommunicationis; *nisi causa Regularis disciplinæ hoc faciat*. Igitur procedere debet ex causæ cognitione personæ percutiendæ, ac verberatione proportionata, iuxta cuiusuis Religionis morem & consuetudinem: alioqui non vt Superior aget authoritate publica, sed vt priuata persona, ideoquè huius canonis censuram non euitabit.

7 Quæres primò; quonam pacto paternalis correctionis modum potest excedere Superior in huiusmodi percussionibus, verberationibusuè?

Respondeo multis modis. Primò, si extra consuetum locum Religiosum percutiat; Hoc est, extra capitulum, seu refectorium, vbi coram fratribus congregatis omnes consueuere religiones corrigere Religiosos. Ratio est, quia tunc censetur temerè Prælatus in subditum irruere ex ira, & non disciplinæ regularis zelo, prout exposcit capitulum, vniuersitatis.

8 Secundò, si alapis, pedibus, pugnis, baculo, vel alio ignominioso instrumento Religiosum percutiat: quoniam eiusmodi percussiones notabiliter paternalis correctionis excedunt modum, vt de se manifestum est: quippe quæ communiter iniuriosæ atq; ignominiosæ existimantur; maximè si personæ, quæ percutiuntur alicuius fuerint conditionis, & qualitatis. Non enim in religionibus aliud consuetum verberationis, percussionisuè genus cognoscimus, quàm coram Religiosis capitulariter congregatis flagellationes; etiam si iuridicè procedat Superior.

9 Tertiò, si Sacerdotem percutiat, vel alium antiquiorem in Religione fratrem aliquo prædictorum modorum; quia hos solo verbo, seu reprehensione consueuere Prælati corrigere, & ad summum flagello disciplinæ, si id culpa exegerit, iuxta cuiusuis Religionis modum, & formam constitutionum.

Quartò, si in Religiosis corrigendis constitutionum modũ excedat: etenim ferè omnes Religiones suas habent constitutiones, & statuta generalia, vel prouincialia, quæ culpis, etiã leuioribus, statuunt correctionum modum & formam, quã si notabiliter excedant, non euitabunt huius cano-

canonis censuram. Ita censeo fuisse opinatum doctissimum Patrem *Suarez tom. 5. ad tertiam partem disput. 22. sect. 1. num. 41. in fine.*

10 Ex his deduco, Prælatum, corrigendo Religiosum; si fortiùs ex indiscreto zelo percutiat, quàm modus correctionis in sua Religione præscriptus expoſcit; si aduertenter id faciat, hunc canonem non euitare. Quòd si fuerit Prælatus localis, puto etiam hunc incurrere casum, si Su-
11 perior Prælatus sibi illum reseruauit. Ratio est, quia huiusmodi verberatio videtur ab ira, qua talem Superior verberat, aut flagellat Religiosum, specificari: Et consequenter non esset censenda Ecclesiastica disciplina, sed violenta manuum iniectio; *argum. dicti Capituli, Vniuersitatis, & cap. cùm Beatus 45. dist. & cap. Episcopum eadem distin. & cap. si quis omnem 1. quæst. 1. cap. Quando 46. dist.* Ita sentire videntur *Præpositus in dicto cap. quando, & Turrecremata in dicto cap. cùm Beatus num. 5. citans Hostiensem, & Archidiaconum.* Idem sentiunt *Abbas Panormitanus in cap. cum voluntate de sententia excommunicat. num. fin. & ibi Glossa, Felin. ibid. num. 1. vers. vltimo noto, Toletus in summa lib. 1. cap. 35. num. 15. Molina tract. 3. disp. 56. num. 6.* quatenus docent, patrem filium in sacris constitutum verberantem incurrere excommunicationem Canon. *Si quis.* Et quamquā *Nauarrus cap. 27. num. 28. vers. Stricto iure, Auila de censuris 2. par. cap. 5. disp. 3. dub. 13. Suarez de censuris dicta disp. 22. sect. 1. num. 49. Conichius de Sacram. disp. 14. dub. 15. num. 192. versic. addunt, Bonacina de censuris in particulari disput. 2. quæst. 3. puncto 6. sect. 4. num. 4. Tabiena verbo, Excommunicatio num. 8. Syluester eodem verbo num. 6. casu 8. Reginaldus lib. 1. num. 231. Filliuc. tract 15. cap. 1. quæsito 1. num. 6. Aloysius Turrianus disp. 29. dub. 2. num. 8. Valentia 2.2. quæst. 9. puncto vnico, Bannes ibidem quæst. 65. art. 2. & alij*, oppositum docere videantur, nihilominus nobiscum consentiunt; etenim id intelligunt de leui percussione, siue verberatione; vel quando, (vt aiunt) non exceditur notabiliter correctionis modus, qui sanè essentialiter exceditur, cùm Superior acriùs, quàm correctionis modus expoſcit, Religiosum ex ira verberat.

12 Quæres secundò; An Superior, qui non per se, sed per alium subditum verberat, dicatur ita excedere correctionis modum, vt censuram huius Canonis incurrat?

Respondeo, excedere correctionis modum notabiliter, si nulla adsit necessitas vrgens; (vt statuitur in eodem *cap. si vniuersitatis*) ac subinde censuram hanc Canonis, *si quis*, incurrere. Ita *Suarez vbi suprà numer. 42. Bonacina loco citato*
13 *num. 5.* Dixi, *si nulla adsit necessitas vrgens*, quia si adest, tunc licitè potest non per laicum (vt in eodem cap. dicitur) sed per alium Religiosum: aliàs si per laicum faciat, & præcipiens, & exequens hanc Canonis, *si quis*, incurrunt censurā. Ita Pater *Suarez, Bonacina*, & alij locis citatis. Ratio est testualis, quia ibidem dicitur, per Clericum, vel Monachum; igitur fieri non potest hæc verberatio per Laicum.

14 Sed modo dubium est; an nomine Monachi comprehendantur conuersi? *Syluester verbo excommunicatio, 6. num. 6.* circa finem arbitratur nō comprehēdi; quia fauor est Clericorum, & ideò non ampliandus. Item quia hi Conuersi, quò magis sunt familiares, eò magis Clericos vilipendunt. Oppositum tenet *Angelus verbo, excommunicatio, 5. num. 6.* allegans consuetudinem ius interpretantem.

15 Verùm ambæ sententiæ sic, vt sonant, intellectæ sunt falsæ. Oportet igitur vti distinctione, vt ad bonum reducantur sensum; aut enim per Conuersum hi Authores intelligunt quemlibet Religiosum Laicum, seu non ordinatum, nec ordinandum; & sic constans est, per hunc Religiosum posse fieri correctionem, cum sit verè
16 Religiosus, & sub Monachi nomine compræhensus, vt suprà ostensum est; & ita benè sentit *Angelus* optimè allegans consuetudinem. At si per Conuersos propriè eos intelligamus, qui verè Religiosi non sunt, sed ad seruitium Religionis dicantur; sic sententia *Syluestri* est verisimilior ex opposito fundamento; Nam isti non sunt Monachi in proprietate: sic Pater *Suar. vbi suprà.*

17 Atqui interrogabis; quæ necessitas est vrgens existimanda? Respondeo, quando nullus sit Monachus, per quem id fieri possit, neque etiam ipse Superior possit per se id facere, & castigatio videretur hìc & nunc necessaria; nam si differri posset, non ita faciendum esset, quia iam cessaret necessitas. Vndè quia rarò possunt hæc concurrere ad Religiosi verberationem per laicū, ideò simpliciter negatur id fieri debere. Ita Pater *Suarez tom. 5. ad tertiam partem disp. 22. sect. 1. num. 43. versic. Hìc tamen*, aliquam limitationem subintelligendam esse, censeo.

18 Pro nostris autem Prouincijs Reformatis Regni Siciliæ, nec non & alijs Italiæ, dico quartò, Prælatum non posse in propria persona, id est per se, nec per alium verberare subditum quocunque modo procedat. Ducor, quia nunquam Superiores in illis Prouincijs cōsueuere Religiosos subditos percutere, seu verberare. Vndè deduco, quòd si aliquis Superior ex quacunq; causa per se, vel per alium aliquem verberaret Religiosum subditum, incurreret huius Canonis censuram, *Si quis suadente*, si est Superior Prouincialis; si verò localis, hunc etiam casum incurrit reseruatum, si est Ministro Prouinciali reseruatus. Probatur, quia in primis, actus fit licitus, vel illicitus ratione consuetudinis, & obseruantiæ; quæ in aliqua viget Prouincia: vt ostendunt *Bartholus in lege, quis sit fugitiuus, §. apud Labeonem, ff. de ædc lit. edit. & ibi Glossa, Oldradus consil. 197. nu. 7. Ioannes de Amicis consilio 154. n. 18. Tiraquel. de retract. conuentio: ad finem tituli n. 131. Rota Romana decis. 124. Bonacina de legib. disp. 1. quæst. 1. puncto vltimo, & alij apud Salgadum de supplicationibus ad Sanctissimum par. 1. cap. 2. sect. 3. num. 147.* atqui consuetudine nostra existente, & per longum tempus introducta, Prælatis interdicitur,

citur, Religiosum subditum verberare; si id faciant, actus est illicitus, & consequenter peccaminosus. Hæc consequentia probatur; quia transgressor consuetudinis debet puniri sicut legis transgressor; (vti docent *Abbas in cap. cùm cõsuetudinis num. 3. de consuetudine, Petrus Rauennas de consuetudine sect. 2. nu. 43. Iason in lege iubemus, num. 3. Cod. de iudic. Acuna in 1. par. Decret. cap. in his distinct. 7. num. 3. Rebuffus ad Regem Gall. 3. par. in præfationem tit. de consuet. num. 74. Ex Theologis Mayor in 4. dist. 15. quæst. 5. Pater Suarez de legibus lib. 7. cap. 16. n. 2. Syluester verbo, consuetudo, §. 21. num. 24.* & alij quamplures apud citatos Authores.) Igitur Superior, qui contra consuetudinem hanc Religiosum percuteret, venit puniendus tanquam transgressor legis, & consequenter subest pęnis in iure Canonico contentis contra Clericos, seu Monachos percutientes.

19 Ex quo infertur, Magistrum nouitiorum verberantem, seu percutientem Religiosum nouitium esse excommunicatum, & hunc incurrere casum reseruatum, nisi fuerit percussio adeò leuis, vt ex materiei paruitate excusetur, aut verberatio fuerit ex ioco; quia tunc huiusmodi percussio, aut verberatio non dicitur fieri suadente Diabolo, neque est iniuriosa ac sacrilega mortaliter; cùm fiat per iocum interiùs, & exteriùs. Ita *Bonacina de censuris, in particulari disp. 2. quæst. 3. puncto 6. sect. 4. num. 3.*

20 Sed quæres; an Religiosus alium percutiens ex ioco, sed posteà actio mutatur in sacrilegium mortale per iram, & indignationem, interueniẽte aduertentia, incurrat hunc casum reseruatum, & in censuram Canonis, *si quis?* Respondeo affirmatiuè; Nulla enim subest excusationis causa; quia iam illa verberatio est suadente Diabolo, & ex aduertentia facta; Igitur non potest excusari à culpa lethali: Secùs verò, si fieret inaduertenter, & inaduertentia esset sufficiens ad excusandum à mortifero. vt v.g. si Religiosus ioco proferat conuicium in alium Religiosum, & iste ex subito motu, & absq; plena aduertentia eum percutiat, vel impellat; non incidit in peccatum, nec censuram incurrit, quia actus non est perfectè volitus, neque intentus. Ita *Molina tom. 4. de iust. & iure disp. 51. num. 7. & 8. Auila 2. par. cap. 5. disput. 3. dubio 9. Suarez vbi suprà num. 50. Filliucius tract. 15. cap. 1. num. 26. Conichius de sacram. disput. 14. dub. 15. num. 190. Bonacina vbi suprà,* & alij quamplures.

21 Solet autem hic quæri; an Religiosus, qui seipsum verberat, vel percutit, incidat in hunc casum reseruatum, & sit censendus excommunicatus? Ad hanc dubitationem quamplures respondent negatiuè; Mihi verò probabiliùs, & veriùs videtur dicendum, incurrere talem Religiosum in excommunicationem. Ita *Sayrus de censuris lib. 3. cap. 26. num. 20. Pater Suarez loco citato num. 59. Auila vbi suprà n. 10. circa medium, Conichius num. 170. dicta disput. 15. Reginald. lib. 1. num. 222.* ex Iuristis *Panormitanus in cap. cum contingit, de sententia excommunicationis num. 6. Nauarrus in Manuali cap. 27. num. 79. & colligitur ex cap. non licet 23. quæst. 5.*

Verùm hæc responsio est intelligenda, quando Religiosus se ipsum percutit ex ira, & percussio lethalis culpæ attingat grauitatem: Quippe quia semper maior excommunicatio supponit grauem culpam. Ratio autem esse pôtest, quia huiusmodi percussio, quando grauitatem culpæ lethalis attingit, & statui clericali iniuriosa, cui persona priuata non potest cedere. Censura autem incurretur propter percussionem iniuriosam statui Clericali. Et licèt firmiter teneamus, hũc talem Religiosum esse excommunicatum, negamus tamen, casum incurrere reseruatum, cõtra *Coriol. de Casib. Reser. par. 2. casu 10. dub. vlt.* Ducimur, quia Textus non loquitur de persona se ipsam percutiente, sed de Religioso alium verberante. Dicitur quippe, grauis percussio cuiuscunque personæ.

QVAESTIO QVINTA.

Vtrum Superior Religiosum torquens modum torturæ excedens, incurrat hanc censuram Canonis, *si quis* & si id faciat per Laicum?

CAPVT PRIMVM.

Variæ tormentorum differentiæ ex nostris generalibus Constitutionibus desumptæ referuntur.

SVMMARIVM.

1 *Tortura in nostro Minorico Ordine pro grauioribus, vel atrocioribus delictis est infligenda.*
2 *Crimina, iuxta nostras Constitutiones generales in tria diuiduntur genera; Grauia, Grauiora, & Grauissima. Grauia, quæ culpam continent mortalem.*
3 *Grauiora quæ sint.*
4 *Grauissima sunt, quæ summam culpam, & turpitudinem ostendunt.*
5 *Modus, & forma torturæ, qua sunt torquendi Religiosi nostri Ordinis, ponitur.*
6 *Crimen Sodomiæ omnium peccatorum atrocissimum, pro quo solùm ignis tortura est infligenda.*
7 *Improbatur Pater Sanctorus à Melphi.*
8 *Cordæ tormentum omnium tormentorum atrocissimum.*
9 *Cordæ tormentum non potest applicari, nisi Reis, quibus fuerat infligenda pœna, seu condemnatio ad Triremes.*
10 *Verba doctissimi Patris Rodriquez valdè notanda referuntur.*
11 *Superior Regularis saltem in nostro Minorico Ordine in Reis torquendis excedens modum & formam præscriptam, incurrit Censuram in Canone,* Si quis, *latam.*
12 *Superior modum in torquendis Reis excedit si Religiosum absque cõsilio suæ Prouinciæ Patrum diffinitorum torquet.*
13 *Superior iuxta nostras Constitutiones generales, qui Reum torquet absque Patrum diffinitorum consilio, suo officio est priuandus.*

14 Su-

14 *Superior, qui Palatino modo, seu ex abrupto Reum Religiosum torquet, incurrit censuram Canonici,* si quis, *& in nostro Minorico Ordine est officio priuandus, ac inhabilis ad omnia Ordinis officia declarandus.*

15 *Superior, qui terminum torturæ excedit absq; Patrum Diffinitorij consilio, censuram incurrit Canonis,* si quis.

16 *Superior, qui Reum tormento cordæ torquet cũ quassatione, incurrit censuram Canonis,* si quis.

17 *Religiosus, qui Superiorem occidit, non potest torqueri iuxta formam & modum, quo torquentur alij in sæcularium Tribunalibus. Quare.*

1 IN duas proposita quæstio diuiditur partes. Vt autem prior dilucidè determinetur, aliqua ex nostris Cõstitutionibus generalibus veniunt obseruanda. Primò igitur obseruandum est, quòd tortura non pro quibuscunque, sed dumtaxat pro atrocibus, vel grauioribus delictis infligenda est. Ex nostris itaque Constitutionibus Vallisoletanis cap. 2. & 7. in tria diuiduntur genera, .f.

2 Grauia, grauiora, & grauissima. Grauia sunt, quæ culpam continent mortalem; vt si Missam die festo non audierit, ieiunium non obseruauerit, diuinum officium non recitauerit, vel Choro notabiliter contra obedientiam non interesse consueuerit, diuinis verbis in profanis colloquijs abusus fuerit, communionem, vel cõfessionem, vel Missam celebrare sine causa, cum scandalo, notabiliter omiserit, & alia huiusmodi, quæ referuntur in practica criminali à Fratribus nostris obseruanda in vltimo cap. Generali anno Domini 1639. Romæ celebrato approbata.

3 Grauiora autem, quæ grauiorem continent culpam; vt si quis notabili infamia fratrem affecerit; qui conuicia, & enormes contumelias fratri obiecerit; qui alicui, tu mentiris, improperauit; qui percutere grauiter minatus fuerit; qui falsum testimonium in iudicio dixerit; qui fratrẽ manibus, ligno, vel alio instrumento citrà ferrũ grauiter percusserit; qui obedientiæ contumax extiterit; qui proprietarius in re notabili repertus fuerit; qui secreta reuelauerit Religionis; qui libellos famosos publicauerit, vel composuerit, vel scripserit; qui libros sine licẽtia Superiorum Ordinis, & aliorum imprimi fecerit; qui Prælatorum litteras interceperit, vel impedierit; qui in Prouinciales, & Superiores locales rebellauerit: & alia, quæ Pater *Sanctorus de Melphi* connumerat *in sua pract. crimin. fol. 6.*

4 Grauissima verò sunt, quæ summam culpam, & turpitudinem ostẽdunt; vt fornicatio, crimen nefandum, aggressio ferro facta, vel sequuta ex percussione, vel vulnere, vel morte; falsificatio manus, vel sigilli Generalis, vel Prouincialis, & etiam Principum, ac notabilium personarum; introductio mulierum intrà claustra ad malum finem; Conspiratio in Superiorem; diuisionis ordinis procuratio; Recursus ad Tribunalia sæcularia, simonia quoquo modo commissa, Confessionis sacramenti reuelatio, grauissima Apostasia, Rebellio in Generales, & Commissarios Visitatores Prouinciarum, subornatio in electionibus, Alchimiæ confectio, monetarum adulteratio, in Romanum Pontificem oblocutio, susceptio Ordinis sine patentibus, vel in non susceptis administratio, in clausuram monialium sine licentia ingressus, vel eiusdem violatio.

5 Pro grauioribus, vel grauissimis delictis solùm infligenda est tortura, iuxta formam, & modum generalium Constitutionum. Modus autem, & forma hæc ponitur his verbis. *Verùm cùm non satis constat, quonam pacto, vel modo torquendi sint fratres; decernimus, quòd si crimen sit nefandum, ignis pœna torqueantur Rei. De reliquis verò criminibus suspecti nudi, & manibus ligati per tria internalla flagellis Superiorum arbitrio dirè torqueantur, ac pane, & aqua macerentur. Quòd si crimen atrox fuerit, Iudex, ad quem cognitio causæ quouis iure pertinet, aliud torturæ genus arbitrio suo iuxta qualitatem delicti excogitare possit.* Hæc ibi.

6 Ex quibus verbis illud in primis deduco, quòd inter omnia grauissima, atque atrocissima crimina nullum existimatur atrocius, quàm pessimũ, & innominabile Sodomiæ peccatum, pro quo solùm ignis tortura est infligenda, pro alijs autem solùm Canonica, & Regularis; igitur nul-

7 lum aliud est crimen ita atrox, pro quo tormentum cordæ sit applicabile, vt falsò putat Pater *Sanctorus à Melphi vbi suprà titulo de Tortura, vers. Tormentum funis.* Hoc consentaneum rationi ex eo patet, quoniam leuiùs sunt Religiosi torquẽdi, quàm cęteri. Vndè *Panormitanus, & communiter Doctores in cap. cũ contemplatione extra de Reg. iur.* docent, Clericos, & consequenter Religiosos non esse torquendos per funem, vel fidiculas, sed virgis, seu scorriatis; id quod statuerunt nostræ Constitutiones generales Salmãticenses *cap. 7. §. declaramus*; & colligitur ex *cap. 1. 23. q. 5.* Ita sentit *Diaz in practica crimin. cap.* 117. *in principio, Franciscus Aretinus in sua pract. crimin. cap. 6. de tortura vers. quartò obseruandum est.*

8 Quòd si crimen adeò atrocissimum fuerit, vt arbitrio Iudicis sit excogitandum aliud tormentorum genus, vndè sit infligendum cordæ tormentum, quod est atrocissimum, nam secũdùm *Barthol.* scissioni manuum æquiparatur) id à Iudice, ad quem spectat quouis iure causæ cognitio, fieri nequit sine consilio, & assensu Diffini-

9 torij Prouinciæ, & aliquorum proborum peritorumque Patrum. His connecto, quòd crimen existimato atrocissimo, pro eo non possunt torqueri Rei, nisi pœna eis pro illo infligenda fuerit ad triremes condemnatio. Hæc autem assero, propter verba generalium Cõstitutionum Vallisolet. paulò superiùs relata. Ex quibus videtur colligendum, quòd tale tormentum cordæ arbitrari possit à Iudice, & est secundùm quod deduco ex prædictis Constitutionibus.

10 Atque hinc vlteriùs sunt notanda verba doctissimi *Rodriquez tom. 2. quæstionum Regular. q. 12. art. 4.* vbi ita affatur: *Aduertant Iudices Regulares, vt in ferendis tormentis non sint carnifices, etc.* & paulò

paulò inferiùs: *non enim est in vsu Religionū aliud torturæ genus, quàm flagellatio, & ieiunium in pane, & aqua; alia autem in alijs tribunalibus exerceri solita, absit, quòd admittantur in eis, propter reuerentiam Clericatus, & habitus Regularis*. Hactenus ille. Ex quo colligo, quòd si iudex Regularis adeo existimauerit atrox delictum patratum ab aliquo Religioso, vt putet esse torquendum alio torturæ genere, præter Regulare, & Canonicū, non debet applicare tormentum cordæ; quia Iure Canonico, & consuetudine laudabiliter introducta, est ei interdictum tale genus torturæ exercere, vt vlteriùs aduertit idem *Rodriq. q. 20. art. 7.* quòd quando Religiosus Reus Regulari, & Canonico tormēto torquetur, nunquam tanta debet esse flagellatio, vt incolumitas flagellati lædatur; (vt iure prohibetur) vel vt videatur esse vindicta sanguinis.

11 His notatis, dico, Superiorem Regularem saltem in nostro Minorico Ordine Religiosum Reum torquentem, si modum, & formam iam præscriptam excedat; esse excommunicatum excommunicatione lata in Canone, *si quis*: excedet autem modum primò, si absque consilio
12 suæ Prouinciæ Patrum Diffinitorum torquet Religiosum, quia iste modus est ei præscriptus; secùs autem faciens, non vt Superior, & publica authoritate facit, sed vt particularis persona; ideoq; talis actio censetur manuum iniectio violenta, vt elegantissimè annotauit Pater *Suarez de censuris disp. 22. sect. 1. num. 42.* Vndè ex nostris
13 generalibus Constitutionibus est officio priuādus, vel Generalis arbitrio venit puniendus, vt Pater *Sanctorus à Melphi vbi suprà, vers. Torqueri nullus potest*, affirmat.

14 Secundò excedet, si causa legitima, & in actis legitimè probata, temerè Reum torquet, vel si defensionibus non datis ex abrupto, & Palatino modo procedit; tunc enim notabiliter lædit iustitiam, & actio quammaximè iniuriosa est. Vndè grauissimam infert Reo iniuriam, & per consequens est manuum violenta iniectio; & sic in censuram Canonis, *si quis*, incurrit. Et insuper est destituendus officio, & ad id perpetuò inhabilis omnino declarandus, Patribus Generalibus reseruata eundum vlteriùs puniendi facultate iuxta temeritatis excessum.

15 Item tertiò excedet modum, & formam, si tempus torturæ prolongetur vltrà vnius spatium horæ absque Patrum, ac Diffinitorij consilio, prout statuta generalia Vallisoletana statuunt.

16 Tandem excedet modum torquendi Superior, si Reus ab eo torqueatur tormento cordæ cum quassatione, etiam si sceleris immanitas id ex genere expostulet; quia nullo iure id videtur Superioribus permissum, neque adest consuetudo. Quòd in aliqua Prouincia id aliquando factum esse probetur, non ob id est faciendum; quia illa non est consuetudo, sed abusus, neque talis consuetudo probari potest, cùm sit contra ius commune. Vndè iudico, non esse admittendum *Patrem Sanctorum à Melphi*.

17 Sed quæres; an Religiosus, qui alium Religiosum, etiam Superiorem, necauerit, possit torqueri arbitrio Iudicis, ita vt iuxta formam, & modum, quo torquētur in alijs sæcularium Tribunalibus Rei, possit infligi tortura? Respondeo negatiuè. Ducor in primis, quia pœnæ inter Regulares sunt mitiores, vt tenet *Borous decis. 163. Hyppolit de Marsil. singular. 55. & in lege, maritus, columna final. de quæst.* cum alijs allegatis per *Ignatium Lopez in addit. cap. 126.* quatenus docet, torturam Clericorum nō debere esse ita seuam, sicut Laicorum. Et hæc opinio (vt inquit Lopez vbi suprà) est communis, & cōtradictorium non habet; ideòque in forensibus contradictionibus est seruanda; tum propter excommunicationis periculum, si fortè debitus modus torturæ transgrediatur; tum propter summam Sacerdotis dignitatem, cui maxima debetur reuerentia, vt latè *Diuus Chrysostomus lib. de Sacerdotio* docet, & aduertit noster *Aretinus vbi suprà in additione*, & ideò tormenta pœnis infligendis esse proportionanda; Etenim Religiosus huiusmodi, qui alium occidit, non alia pœna plectendus est, quàm vt ad Triremes omnino condemnetur; vt decernitur in *Constitutionibus generalibus Salmanticensibus cap. 7. ex Vallisol. cap. 7. titulo de minis, & manibus violentis, §. quicunque & Romanis*. Igitur non sunt infligenda tormenta, quæ moraliter atrocia existimentur; tum quia secundò consuetudo Religionum, & praxis id docet, teste *Rodriquez vbi suprà*. Non enim Prælati Regularium in ferendis tormentis debent carnifices esse, excogitando modum & formam insuetatā ad reos torquendos, sed est cum lenitate, & misericordia procedendum; tum propter reuerentiam statui Clericali debitam, tum quia Prælati etsi vt Iudices procedunt, sunt tamen patres, & vt tales se habere oportet.

CAPVT SECVNDVM.

Examinatur posterior Quæstionis pars.

SVMMARIVM.

1 *Religiosum posse per Laicum torqueri, affirmat Suarez: negat Abbas cum alijs.*
2 *Clerici sæculares ratione obseruātiæ subsecutæ dumtaxat possunt torqueri per Laicos.*
3 *Prælatos Regularium non posse Religiosos torquere per Laicos, ostendit Author.*
4 *Referuntur doctissimi Patris nostri Pitigiani notabilia verba.*

1 Altera quæstionis pars petit; an Regulares possint torqueri per Laicum? Ad quam difficultatem Pater *Suarez* respondet affirmatiuè, *loco vbi suprà num. 44.* Ex opposito autem *Abbas Panormitanus in cap. Vniuersitatis, & in cap. vt famæ de sent. excommun. Antonius de Butrio, & Ancharan. in dicto cap. famæ*, affirmant, Clericos non posse per Laicos torqueri. Hanc sentētiam sequitur *Decius in cap. delicti de appellation. Ripa in cap.*

in cap. decernimus de iudicijs num. 39. vbi testatur de communi.

Et quàmquàm (quantum attinet ad Clericos sæculares ratione obseruantiæ subsecutæ, quæ habet vim legis saltem declaratoriæ, vt inquiunt *Natta consil.406.nu.26. Crauetta consil.839.n.10. Simon de Pretis consil.78.num.16. Surdus dec.129. num.19. Cephal.consil.129. num. 7. Ludouic. tit. de consuet.concl.38.ampliat.3. Modit.de iure naturali, §.lex est dub.52. Marth.decis.136.num.4. Menoch. de arbitrar. casu 83.num.10. Tusch, litt. C. conclus. 796.num.39.& 45. Antonius Gabriel titulo de consuetud.consil.1. num.69. Hieronymus Gabriel consilio 164.nu.7. Fontanell. de pactis nuptialib.claus.1. num.33. Marius Giurba consil. 19. num. 44.* & alij quamplures apud *Salgadum de supplicationibus ad Sanctissimum à litteris Apostol.par.1.cap.9.num.9.*) videatur id fieri posse;(ita *Clarus quæst.64.vers.Sed hic quæro*, qui inquit, quod hoc quotidie obseruatur; *Cardinalis Alexandr. in cap. 1. Depositi in 5. quæst.* & alij.)

3 Dico nihilominus, non posse Prælatos Regularium Religiosos reos torquere per Laicos, vt *Panormitanus*, & alij grauissimi Doctores affirmant: Ratio potissima, qua moueor adita sentiendum, est, quia magna sequitur infamia tam Religiosis torquendis,quā Religionibus: etenim fundamentum Doctorum, qui affirmant, Clericos non esse torquendos; nisi vna cum indicijs sint infamati,est, vt cesset eorum infamia, vt inquit *Carerius in pract.criminali folio mihi 60. num.33.* quoniam tortura eos infamat apud Laicos; cùm etenim torquentur à Laicis (vt modò dicemus) & eorum crimina, & tortura Laicis innotescāt: & idcircò ne Laici mirentur, & ne Clerici propter hoc apud ipsos notentur infamia de eorum criminibus, per ipsos Laicos torqueri non debēt. Ita *Abbas antiquus in cap.1 ext.Depositi, Cardinalis ibidem*, quem sequitur *Diaz in pract.crimin.c.117.* Atqui Regularium crimina, quia intra Claustra committuntur, secreta manent in Religione; & ideò si per Laicos torquerentur, apud sæculares remanerent diffamati; quia licèt in genere non ignorent, aliquos fratres inter se aliqua committere delicta, nesciunt tamen illa in specie: ac proinde saltem ratione congruentiæ non debent, nec possunt Prælati Religiosos per Laicos torquere.

4 Ad hoc adnotanda veniunt verba nostri Doctissimi Patris *Francisci ab Aretino vbi suprà.* Caueant ergo Prælati, (inquit) ne fratres suos Laicis torquendos exponant (vt quosdam ego insipienter fecisse perspexi) nisi necessitas adeò grauis sit, & ita vrgeat, ad effectum sedandi scādalum, aut commotionem Communitatis, seu populi; nam tunc est alia ratio, & sic in tali casu videtur necessarium. Quòd si commodè tunc id posset fieri per Laicos Regulares, nullo modo est per Laicos merè faciendum.

QVAESTIO SEXTA.

Quidnam facere debent Religiosi, quandò ad inuicem se percutiunt; quia tunc non solùm casum incurrunt reseruatum, verùm etiam excommunicationem latam in Canone, *Si quis*.

CAPVT VNICVM.

Ostenditur, quomodo possunt à Religionis Prælatis absolui, Constitutione Sanctiss. D.N. Papæ Vrbani VIII. minimè obstante.

SVMMARIVM.

1 *Superiores Generales, vel Prouinciales suos possunt absoluere subditos à censura lata in Canone*, Si quis, *in foro exteriori, si percussio non fuerit enormis.*

2 *Priuilegium in Capitulo, cùm illorum de sententia excommunicationis, extenditur ad Prælatos Conuentuales.*

3 *Prælati Regularium hoc idem possunt, etiam si percussio fuerit grauis.*

4 *Regularium Superiores absoluere possunt Nouitios à censuris Summo Romano Pontifici reseruatis.*

5 *Prælati Regularium tàm Generales, quàm Prouinciales, & etiam Conuentuales ab excommunicatione lata in Canone*, Si quis, *suos possunt absoluere subditos in foro interiori, etiam si grauis fuerit percussio.*

6 *Confessor, qui facultatem habet absoluendi à casibus reseruatis, non potest absoluere Religiosos à censura lata in Canone*, Si quis: *Quare.*

7 *Religiosi ab omnibus censuris Sedi Apostolicæ reseruatis absolui possunt, Constitutione Sanctissimi Domini nostri Vrbani VIII. minimè obstante.*

1 QVanquam ex dictis in vltima secundæ partis huius tractatus disputatione cōstare potest euidenter, Superiores cuiusuis Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium posse suos subditos ad inuicem se percutientes absoluere; nihilominus, vt hæc materia dilucidè, & distinctè resoluatur, cum distinctione hìc iterùm est tractanda. Possumus namque loqui de absolutione excommunicationis latæ in dicto Canone, *Si quis*, in foro interiori, vel de absolutione in foro exteriori. Si de absolutione in foro exteriori loquamur, sit hæc assertio.

Superiores Generales, & Prouinciales possūt in foro exteriori suos absoluere subditos à censura lata in dicto Canon. *Si quis*, dummodò percussio non fuerit enormis. Ita *Pater Suarez to.5. ad tertiam partem disp.22.sect.1.num.62.& 63. Reginaldus lib. 1. cap.19.sect.2. num.242. Bonacin. de legib.disp.4.quæst 2 punct. 7.§.4.num.28.& de censuris in particulari disp.2. quæst.3. puncto 6.sect.5. num.5. Ioannes à Trinitate de casib. reseru. casu 7. Pater Miranda tom.2. Manual. Prælator. quæst.35. art.24.concl.1. Martin. à Sancto Ioseph super Regulam cap.7.de casib.reseru.casu 7. num.26.& seqq.& alij quamplures statim citandi.* Sic enim habetur

in cap.

in cap. Monachi de sent. excomm. & cap. Canonica, & cap. cum illorum, eodem titulo, vbi sic habet Summus Pontifex; *Nos tamen in Religionis fauorem, & vt euagandi materia subtrahatur, maiorem eis gratiam adhibere volentes, eorum Prælatis, quòd etiam talibus absolutionis beneficium impertiri valeant, indulgemus: nisi excessus ipsorum extiterit difficilis, & enormis: vt potè si ad mutilationem membri, vel effusionem sanguinis est processum: aut in Episcopum, aut Abbatem est violenta manus iniecta: cùm excessus talis, & similes nequeant sine scandalo præteriri.*

2 Hoc autem priuilegium extenditur quoque ad Prælatos conuentuales, Abbatem nimirum, Guardianum, Priorem, Præpositum, Rectorem, seu alium quocunque modo sit supremus Monasterij Superior, hoc est non cognoscens in eodem Monasterio alium Superiorem. Ita *Abbas Panormitanus in dicto Capitulo, cùm illorum, Glossa ibidem, Syluester verbo, absolutio, 4. num. 5. casu primo, Emanuel Rodriquez tom. 1. quæstionum Regular. quæst. 20. art. 12. Bonac. Reginaldus, Ioann. à Trinit. & Mart. à S. Ioseph locis paulò superiùs cit.*

3 Non solùm omnium Ordinum Superiores possunt Religiosos sibi subditos absoluere à censura lata in Canone, *si quis*, ob iniectionem manuum violentam, quando læsio, seu percussio est leuis, aut grauis, verùm etiam quando est enormis. Ita *Bonacina vbi supra num. 9. Hieronymus Sorbus in compendio priuilegiorum fratrum Minor. verbo, Absolutio Ordinaria quo ad fratres nu. 7. & sequentib. Molin. tom. 4. de iustit. & iure, Coriolanus vbi suprà, & Fr. Martinus à Sancto Ioseph vbi suprà num. 26. citans Emanuel Rodriquez in summa verbo, absolutio, in prima par. cap. 6. num. 8. & in quæst. 69. Regularib. tom. 1. quæst. 20. art. 3* & hoc virtute & iure priuilegiorum, pro vt videre est in *dicto Compendio priuilegiorum Fratrum Minor. titulo, absolutio Ordinaria quo ad fratres n. 7. & 14.* Hoc autem ita venit intelligendum, vt solis Superioribus supremis sit concessum, quatenus forum exteriorem respicit. *Ita Rodriquez quæstionum Regular. tom. 1. quæst. 20. art. 12. & Fr. Martin. à S. Ioseph super septimum casum reseruatũ n. 29.*

4 Hanc eandem facultatem habent cum Religiosis Nouitijs, quos absoluere possunt à Censuris Summo Rom. Pontifici reseruatis; vt tradunt *Bonacin. de censuris in Bulla Cœnæ Dom. content. Decian. tract. crimin. lib. 4. cap. 8. num. 17. Ambrosin. cap. 22. num. 11. Scaccia de Iudic. par. prima, cap. 21. nu. 21. Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 3. quæsito 2. Rodriquez quæstion. Regular. quæst. 51. art. 12. to. 3. Carol. de Grassis effectu 1. Ampliat. nona num. 79. Filiuc. & alij quamplures apud citatos Doctores.* Totus iste discursus optimè probatur ex *Constitutionibus generalibus nostri Ordinis Toletanis cap. 6. §. de Absolutione,* vbi ordinatur: quòd *Custos in sua Custodia, & Guardianus in sua Guardiania absoluant in foro exteriori ab excommunicatione ob iniectionem violentam, si præsentia Ministri Prouincialis intra tempus vnius diei naturalis haberi non possit, eò quòd idem posset Vicarius Cõuentus in absentia Guardiani, si intra tres dies Guardiani præsentia, aut Prouincialis haberi non possit.*

R. P. Iuniperi à Drepano de Casib. reseru.

5 Si verò sermo sit de absolutione huiusmodi excõmunicationis in foro conscientiæ, sit secunda assertio, quòd non solùm præfecti Generales, & Prouinciales verùm & Prælati Conuentuales suos subditos in foro interiori ab hac excommunicatione absoluere valent, quamuis læsio fuerit enormis. Hæc assertio patet, quia Prælati locales in ordine ad suos subditos tãtam habent auctoritatẽ quoad absolutiones, dispensationes, & alia huiusmodi, quantam habent Prouinciales in ordine ad fratres totius Prouinciæ; vt sæpè tam in prima, quàm in secunda parte huius tractatus ostensum est, & latè docet *Rodriq. to. 1. qq. Regular. q. 17. art. 4.* atqui constans est, quòd Prouinciales iure Priuilegiorũ sibi concessorum possũt suos absoluere subditos ab omnibus peccatis, & censuris, & dispẽsare in omni irregularitate ex delicto occulto prouenięte, quamuis absolutio à peccatis, aut censuris, vel dispensatio ab irregularitate sit Sedi reseruata Apostolicæ: ab eadem excõmunicatione possunt etiam nostræ Religionis Confessores sæculares absoluere toties, quoties, virtute cuiusdã Priuilegij Illustriss. Relig. Societ. Iesu Confessoribus indulti, in quo conceditur, vt quoscunq; fideles à quibuscunq; peccatis, & cẽsuris etiã Sedi reseruatis Apostolicæ absoluere possint; modò non sint ex in Bulla Cœnæ Domini reseruatis: Hæc autem excõmunicatio non reseruatur in Bulla Cœnæ; igitur. Hoc autem priuilegium, & illius communicationem refert *Rodriq. in expositione Bullæ Cruciatæ.*

Et vlteriùs aliqua priuilegia Apostolica pro aliquibus festiuitatibus, & diebus anni concessa, quorũ meminimus suprà, nempè pro festis Domini Sabaoth, Beatissimæ Virg Mariæ absq; labe peccati originalis conceptę, omnium Sanctorum Petri, & Pauli &c. ad huius excommunicationis proficiunt absolutionem.

6 Sed quæres; an Confessor Religiosorũ habens facultatem à Prouinciali absoluẽdi à casibus reseruatis ab huiusmodi excõmunicatione absoluere possit? Resp. negatiuè; Ratio est, quia facultas à Prouinciali cõcessa absoluendi à reseruatis non est in ordine ad censuras; quare si in aliquo conuentu nullus esset Confessor sęcularium habens authoritatem absoluẽdi à casibus reseruatis, & esset alius cõfessor Religiosorum eam habens, & contingeret aliquem Religiosum hanc excõmunicationem incurrere; tenebitur primò absolui ab excõmunicatione per confessariũ sæculariũ, saltem virtute Cruciatæ, & posteà à reseruatione peccatorũ, & culpę per confessorem Religiosorum habentẽ à Prouinciali authoritatem. Verùm, si Bulla Cruciatæ vtatur, existimo (vt in propria quæst. latè probaui) nõ esse necesse, vt ab vno absoluatur à censura, & ab alio à reseruatis; etenim potest optimè absolui & ab vna, & ab alijs.

7 Quæ omnia licèt verissima sint, & ab omnibus DD. recepta, nihilominus valdè dubia reddi videntur

Nn

dentur per nouissimā Constit. Sanctiss. D.N. Vrbani VIII. quæ incipit; *In specula Militantis Ecclesiæ*; vbi videtur reuocare dicta priuilegia illis verbis; *quantum ad sacramentū pœnitentiæ, seu confessionis administrationem, Ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum, & Sedis Apostolicę quoad sibi reseruata subiecti sint*. Verū nouissimè carissimus noster *Fr. Martinus à S. Ioseph* hanc exponens Constit. *n.* 2. ita inquit; *por lo qual cō resolucion digo, que aunque en este breue de Vrbano VIII. se proibe el ser absueltos los Religiosos de las excōmuniones reseruadas por su Santidad por virtud de la Cruzada, y de otros priuilegios semeyantes; no por esto quedan derogados los priuilegios concedidos en particular à los mismos Religiosos: antes en virtud dellos pueden ser absueltos de las censuras reseruadas à la Sede Apostolica: y assi pueden ser absueltos quatro vezes en el año en los dias, que excoyere, y vna vez en la vida, y otra en el articulo de la muerte; y el dia de sāta Catelina martir, y en los dias de nr̄a Señora, y de nr̄o Señor. en especial es gran concession la de Sisto Quarto en el dia de la Natiuidad de nuestra Señora, en el qual si elixerimos qualquiera confessor, espuesto para confessar frayles, los podran absoluer de todos los peccados aun reseruados à su Santidad con plenaria remission de todos ellos*. hactenus ille. Et cap. 16. super Regul. n. 27. sic inquit; *despues del breue de Vrbano VIII. de que se hizo mencion cap. 16. n. 27. no podemos ser absueltos por la bula de la Cruzada, ni por el breue de Pablo tercero* (loquitur Author iste ibi expressè de hac censura in Canone, *si quis*, reseruata) *concedido à los de la Compañia de la excomunion reseruada à su Santid por la percussion enorme. Y si en la primera impression sente, se podia vsar de estos priuilegios, fue porque entonces no hauia promulgado la Sātidad de Vrbano VIII. su breue: però porque en el no se quita que podemos ser absueltos de las excomuniones reseruadas à su Santidad por los priuilegios concedidos immediatamēte à los Religiosos. Digo con resolucion, que podremos vsar dellos en el fuero de la concientia, para ser absueltos de la descomunion incurrida por la percussion enorme*. Et paulò inferiùs ait; *ni Vrbano Octauo los probibe sinò solo aquellos priuilegios, en que podiamos comunicar con legos, y Clericos seglares, como son el de la Cruzada, y de Pablo tercero, y otros semeyantes en fauor de los fieles de Christo, de que pretendian participar los Religiosos*. Hæc ille.

Ex his, & alijs, quæ in proprio quæsito determinauimus, cùm de Bullæ Cruciatæ vsu fecimus tractationem, manifestè apparet, Constitut. Sanctiss. Domini Nostri Vrbani Octaui minimè obstare, quin Religiosi possint à censuris quomodolibet Sedi Apostolicæ reseruatis absolui, cùm ibi minimè nostra priuilegia reuocet. Vide quæ ibi latè diximus, impugnando præallegatum Authorem. Multa alia dubia hic examinari possent, sed quia Auctores in materia de censuris, præsertim *Reginaldus libro primo cap. 18. sect. 2.* latè tractat, & *Suarez vbi suprà*; videri ibi possunt eorum resolutiones.

QVAESTIO SEPTIMA.

Appendix ad præcedentia.

Vtrum Prælatus Regularis censuram Canonis, *Si quis*, incurrat, qui in Tormentorum loco, & actu inferendæ Torturæ edidit Decretum, eo animo, & voluntate, ne Religiosus Reus à prædicto se appellet Decreto: qua pendente appellatione nihil curans, fecit illum funi ligari, & suspendi?

CAPVT VNICVM.

Opinione negatiua reiecta contra Patrem Sanctorum à Melphi, vera sententia statuitur.

SVMMARIVM.

1 *Modus procedendi in Reis torquendis præscriptus à Patre Sanctoro à Melphi despiciendus est omnino.*
2 *Modus, qui de stylo in torquendis Reis à sæcularibus Iudicibus obseruatur, est Regularibus interdictus; & quare?*
3 *A Decreto Torturæ ferendæ appellationi emissæ nō esse deferendum sustinet opposita sententia.*
4 *Decretum ferendæ Torturæ Reo cur quando spoliari incipit, & funi ligari, sit intimandum.*
5 *Ab executione Decreti in tormentorum loco publicati non datur appellatio.*
6 *A Torturę comminatione, sicut à Decreto, datur appellatio Iudicis ligans manus, ne possit iuridicè ad tormenta procedere.*
7 *Iudices appellationem à Decreto Torturę, eiusq; executionem non admittentes, malè faciunt.*
8 *Vera Doctorum sententia docet à Decreto Torturæ appellationi esse deferendum.*
9 *Ab interlocutoria, quæ damnum irreparabile secum trahit, datur appellatio.*
10 *Pronunciatio de torquendo Reo vbicumq; fiat, est interlocutoria.*
11 *Confessio facta à Reo post appellationem Decreti de Reo torquendo est nulla; neque potest consequenter ad condemnationem procedi.*
12 *Ab iniusta carceratione, seu detentione datur appellatio, ex Concilio Tridentino.*
13 *Episcopus ex Decreto Sacr. Cong. Cardinalium Concilij Trid. tenetur deferre appell. ab incarceratione.*
14 *Ab excessu correctionis Regularis, quando Prælatus modum correctionis in Visitatione excedit, datur appellatio.*
15 *Nulla, regulariter loquendo, potest assignari causa, ob quam non sit concedenda appellatio.*
16 *Appellatio ab excessu correctionis quando admittitur quoad vtrumq; effectum.*
17 *Natura appellationis quænam sit.*
18 *Iudex Regularis iniustè torquens Religiosum debet ipse torqueri.*
19 *Prælatus regularis torquens Reum Religiosum iniustè incidit in censuram Canonis*, Si quis.
20 *Appellatio ligat ita manus Iudicis à quo, vt non sit necesse expectare Iudicis ad quem inhibitionem.*
21 *Reus impunè potest resistere Iudici, qui, spreta appellatione, procedit ad Decreti Torturæ executionem.*

Tam

1 TAndem hìc (quamquam obiter) præsentem esse difficultatem examinandam arbitror, eo quod *P. Frater Sanctorus à Melfi in sua practica criminali* (quam è Doctoribus iuxtà Sæcularium Magistratuum stylum, Ritum, ac cōsuetudinem scribentibus compilauit) multa confundens, nostro procedendi modo practicanda adscribit, omninò abolenda ac abhorrenda. Praxis, modus, Ritus, stylusque Reis applicandi tormenta, quibus Sæculares vtuntur Magistratus, ac Tribunalia iuxtà locorum, Prouinciarum, ac Regnorum consuetudinem, feruntur profectò secundum hominum conditiones, Regnorumquè leges: Ex quibus vnus procedendi modus obseruandus nequit adscribi.

2 Præterquamquod modus, quo Rei à Sæcularibus torquentur Iudicibus, nobis à Sacrosanctis, Canonibus, nostrisq; Generalibus interdicitur Constitutionibus. Et quidem meritò, quia pœnæ inter Regulares mitiores cum sint; tormenta quę Religiosis ad Confessionem extorquendam applicantur, eisdem proportionari debent: vt paulò superiùs ex multis comprobauimus. Etenim si torqueri possent Cordæ tormento cum conquassatione, (vt prædictus Pater falsò putauit) nullum, profectò inter personas Ecclesiasticas, ac Sęculares esset discrimen: Et quandoque contingere posset, vt grauius esset tormentorum genus, quàm pœnæ infligendæ: vt de se euidens est. Ex quo fundamento censeo, in nullo Regularium, ac in nostro præsertim Minorico ordine prædictam criminalem practicam esse admittendam.

3 dam. *§ de Tortura vers. Decretum Torturæ inferendæ. fol. 34. & §. 16. fol. 79.* Falsam sequitur opinionem: Nimirum à Decreto Torturæ inferendæ non esse appellationi deferendum, quando Decretum à Prælato Regulari non coram Reo audiente, sed secretò fuit latum, quòd differt in tempus, quo Reus incipit se expoliare, vt torqueatur, ad effectum, vt non valeat Reus appel-

4 lare: Quòd si emittat appellationem, deferendum non esse. Decretum, inquit Torturæ inferendæ non debet fieri, nisi in loco, & actu torquendi, nè Reus à Decreto appellet: sed præmissis, vehementi admonitione, & minis Iudex duci faciat Reum ad locum Tormentorum, à quo si appellet, non curet, sed scribi faciat, eum appellasse, ad fugiendum tormenta. Et infrà §. 16. duci, inquit, faciat Reum ad locum Torturæ, ibiquè interrogatum decernat, & funi applicet, ne ap-

5 pellet. In executione enim Decreti non admittitur appellatio. Ita ille. Et quamuis in suæ sententiæ subsidium nullum adducat fundamentum, nullumquè Doctorem; potest nihilominus ab auctoritate multorum probari. Etenim prædictam opinionem tenet *Iulius Clarus in prax. crim. §. fin. quæst. 64. num. 27. & 35. referens Marant. in speculo 6. parte in actu 13. rubric. de quæstionum nu.* 14. quos referens sequitur *Cardinalis Tuscus tom. 1. concl. 111. num. 11 Fran. personalis in tract. de inditijs, & Tortura num. 11. in fine*, & alij, quos refert, & sequitur *Flam. Cartar. in praxi interrog. Reorum R. P. Iuniperi à Drepano de casib. reser. lib. 4. cap. 1. num. 68. & sequentibus, & n. 77. in fine.*

6 Verùm hæc opinio, quia est ratione destituta, & fundamento; ni fallor, iure caret, eo vel maximè, cum sit indubitatum, (vt statim dicemus) à Decreto Torturæ appellari licere, & ab eius comminatione: vt eleganter *Franciscus Salgatus de Regia protectione p. 2. cap. 1. num. 112.* ostendit: adeò vt interim suspendatur executio. Cur itaq; idem effectus negandus est à *Patre Sanctoro de Melfi*, alijsque Doctoribus, quos ipse allegat, & sequitur, illi appellationi, quam Reus emisit, quando intellexit, vel suspicatus est, se torquendum; vel quia sibi videt torturam comminari; nè dùm quando videt se duci ad Torturæ locum, ibidemquè vel spoliari, aut funi alligari; siuè per alios actus exteriores, per quos comminatur, deducit se torquendum fore? Et cur tunc Iudicis manus ligatæ non remanent. Cum etiam à Comminatione emissa appellatio eas ligat, iuxtà id, quòd docet *Augustinus ad Angelum de Malef. Verb. quod fama publica. num. 100. vers. aduertas tamen, Brunor tract. de inditijs, & Tortura 2. p. quæst. 5. num. 14. vbi allegat Glosam in cap. cum in contemplatione ex Regulis Iuris, Carauita super Ritum magnæ Curiæ 259. num. 14. Salgatus vbi suprà, Guido decis. 136. num. 15. vers. 7.* vbi constanter affirmat, quòd sicut per appellationem a decreto de torquendo Iudicis ligantur manus, Ita etiam per appellationem à Comminatione: & ita quotidiè apud eum seruari, practicariquè testatur; Quòd etiàm tenet *Grammat. super cap. Regni fol. mihi 133. num. 4. in fine*, prout illum citat *Iulius Clarus vbi suprà*, quem sequitur *Brunor à Sole in cons. crimin. num. 172. Conill. in Summa crim. pract. 3. rubric. 3. primo de appellationibus §. 2. num. 3. vers. idem fieri potest, Cardinalis Tuscus concl. 161. num. 11. tom. 1. Pax in prax. 6. p. tom. 1. num. 21. in proœmio, Rebuff. tom. 3. tit. de sent. execut. art. 53. glos. 1. num. 2. Guido Papa quæst. 57. vers. sed circa.* Cùm igitur nulla detur discriminis, differentiæquè ratio inter vtràquè appellationem, non est cur negemus appellationi in loco Torturæ latæ non esse defferendum. Vndè malè facient, (vt inquit *Salgatus*) Iudices, presertim Regulares, qui hac inefficaci cautela è nullibi Iuris approbata. Imò temerario ausu, permissos defensionis, & appellationis eiusmodi effectus non solùm auferre voluerint, verùm quoque delere, & in re tàm graui attentare.

8 Quamobrem constanter tenendum esse doceo, appellationi in loco Torturæ à Decreto lato de Torquendo Reum esse deferendum: quòd si Iudex Regularis non deferat, contra eum non solùm esse procedendum, verùm quoquè in Canonis censuram incurrere; & quod de facto, & vt particularis persona tunc procederet, & non vt Iudex. Ita docent Doctores paulò ante allegati, & nouissimè *Farinacius in pract. crimin. tom. 2. q. 36. num. 21. & 22.* vbi allegat *Armon. in singu. 39. & Baiard. in additione ad Clarum in prax. crimin. §. finali quæstione 64. numer. 65. & Salgatus, vbi suprà.*

9 Hæc mea assertio quoad primam partem mul-

tis rationibus ex Iure communi efformatis ostendi potest.

Et primò, quia omnis interlocutoria sententia, seu Decretum, quod secum damnum trahit irreparabile per appellationem à Diffinitiua, est de se appellabile: cui si Iudex deferri nequit, in-
10 fert vim, & violentiam. Atqui pronunciatio de reo torquendo, vbicumque fiat, & in quacumque mora, est interlocutoria sententia; Igitur appellationi ab ea emissæ est deferendum. Consequentia tenet: Maior patet per textum in *lege secunda, digestis de appellationibus recipiendis*, ibi, An mea sententia appellari potest, si quæstionem in Ciuili negotio habendus Iudex interlocutus sit, vel in criminali, si contra leges Iudex hoc faciat. Per quem textum sic expressè affirmarunt *Bartolus, Baldus, Angelus, & Albericus*, & communiter ibi Doctores, ac Glosa ordinaria: vt etiam communiter Doctores in *lege penultima, in verbo, discussore, versic. sed fallit in casu Codic. quorum appellat. non recipien. Glosa in lege secunda, verbo, causa*: vbi pariter Doctorum concursus *Codic. de Episc. audient. Guido de Suzzar in tract. de Inditijs & Tortura num.23. in medio, Carrerius in pract. crimin in 2 tract. de Inditijs, & Tortur. §. circa quintum num. 21. Catellia Cotta in memorial. in verbo appellatione interposita, nihil. Foller. in pract. crimin. in verbo, si confitebuntur, in 3. par. partis tertiæ, num. 50. Antonius Comes tom. 3. variarum cap. de Tortura Reorum num. 23. Bruuor, de Inditijs, & Tortura 2. par. quæst. 5. num. 23. vers, & ab ista pronunc. q.q. num 70 vers. sed si non erunt purgata, Franciscus Marcus decis. 60. incipit, quaritur qualiter sit perueniendum, Marsilius in prat. §. nunc videndum num. 2. & in §. expedita num. 70.* & alij quamplures. Minor quoque de se est euidens: Tùm quia per eam non diffinitur, nec terminatur causa principalis: Tùm quia conuenit cum ceteris in omnibus qualitatibus interlocutoriæ sententiæ: vt apertè colligitur ex verbis dictæ *legis 2. digestis de appellationibus recipiendis*, vt ex pluribus ostendit *Farinacius in pract. crimin. tom. 2. num. 10. quæst. 28.*

11 Hinc inferunt, & optimè *Franciscus Marcus loco, quo supra num. 5. Carauita apud Salgatum in Ritu magnæ Curiæ tit. 259. num. 12. & Prosper Farinacius loco paulò ante citato*, confessionem à reo per Iudicem post appellationem sic extortam nullam prorsus esse, irritam, atque inefficacem ad condemnandum Cui sententiæ se subscribunt *Baldus in rubrić. codic. comminat. Episc. Catalia Cotta, Foller. Antonius Comes*, & alij supra cit.

12 Insuper minùs damnum secum trahit indebita, iniustaque carceratio, qua Religiosus detinetur, quàm Tortura, cuiusuis generis illa sit: sed ab illa datur appellatio, igitur potiori Iure ab
13 ista. Maior, & consequentia sunt notæ: Minorem docent Eminentissimi Sacræ Congreg. super Concilio Trid. præpositi Cardinales sess. 24. de reformatione cap. 20. Decr. vers. ab ista reparari nequeat; ibi intelligitur etiam de grauamine indebitæ carcerationis, & Ordinarius tenetur huic appellationi deferre, & sinere processum; Interim tamen reo remanente in carceribus, donec Iudex appellationis causa cognita aliud iusserit.

Quam doctrinam abstrahunt *Antonius Comes tom. 3. variarum cap 10. num. 10. Caldas Perreida in lege, sicuratorem habes Verbo, per quod num. 32. Suarez de donationibus tom. 2. comm. opinione lib. 9. tit. 3. num. 2. Aloysius Ditius in collat. decis. par. 3. columna 642. vers. 1. Quaranta in Summa Bullarij in addit, verb. Archiepiscopi authoritas, versic. 18. authoritas, num. 20. littera H. pag. 64. & 71. vbi prædictum Cardinalium Sacr. Congreg. refert Decretum, Francus in cap. super eo num. 2. & 3. de appellationibus, Baldus in lege 2. versic. sed incidenter num. 6. Codic. de Episc. audient; Aretinus in lege 2. num. 27. digestis de appellationibus recipiendis in tract. de maleficijs Verbo, præsente dicto Caio, n. 16. vers. quæro, An appellatione, Guido Papa tract. de appellationibus quæst. 10. num. 29. tom. 5.* & alij innumeri apud *Franciscum Salgatum de Regia protect. par. 2. cap 4. num. 6 & num. 228. cum seqq.*

14 Et Confirmatur, quia à Regulari correctione, quando Prælatus excedit modum, potest Religiosus appellari cui est deferendum: igitur multò magis à Decreto Torturæ vbicumq; lato, & eò fortius, si cordæ Tormento sit reus torquendus. Consequentiæ sunt notæ, quia si de quo videtur non inesse inest, igitur. Antecedens Probatur primo; quia ab excessu correctionis, etiam si per modum Visitationis fiat, datur appellatio tamquàm ab excessu in Visitatione; Ita *Scaccia tractat. de appellationibus tract. 17. limit. 26. num. 4.* etiam quoad vtrumque effectum, *Speculator tit. de appellationibus, §. in quibus, sub num. 14. Francus in cap. de priore num. 2. de appellationibus, Cardin. Alexs. in cap. nostra de appellationibus*, Vbi *Decius num. 1. & sequentibus, in Speculo 6. par. tit. & quandoquè appellat. limit. 27. num. 333. Gregor. Theolog. tit. de appellationibus cap. 1. num. 1.* & alij quamplures, quos consultò omitto.

15 Ratio esse potest, quia nulla est causa Mundi, qua possit prohiberi appellatio ab excessu. Et hoc ex eo corroboratur, quia in visitatione, & correctione morum, sui primęua natura attenta, proceditur etiam extra iudicialiter per modum Fori pęnitentiarij, vt doctè aduertunt *Immola in cap. 1. de excessibus lib. 6. Soccin. super Decreta in tract. de visit. 10. principali libri post medium, vers. 5. quæro*, & alij nonnulli.

16 His connecto Sacræ Congreg. Cardinalium Decretum die 18. Octobris latum Anno 1600. vbi sic decernitur; In causis verò Visitationis Ordinariorum, aut correctionis morum, quoad effectum deuolutiuum tantùm admittitur, nisi de grauamine per diffinitiuam irreparabili agatur, vel cùm Visitator, citata parte, & adhibita causæ cognitione, iudicialiter procedit: tunc enim appellationis locus erit, etiam quoad effectum suspensiuum &c. Et facit Congregatio Cardinalium.

Quoad

17 Quoad verò secundam partem patet; quia appellatio est talis naturæ, vt cuiusuis Iudicis suspendat iurisdictionem; ita vt omnia post illam à Iudice gesta, sunt attentata & facta ab eo vt priuata persona: vt tradit *Maranta in speculo quæst. 2. tertiæ partis principio num. 201. Baldus in lege generaliter, vers. sed quid, si est talis interlocutoria, Codic. de rebus prædictis, & Iureiurando, Bartholus in lege prima, §. quæsitum de appellationibus, & in lege 2. Codic. de appellationibus recipiendis, quem sequitur Fellinus in cap. accepimus, num. 5. de fide instrumentorum; vt refert Petrus Buognes in Regulas 52. & limit. 13. numer. 13. Menochius de adipisc. possess. remed. 4. qu. 100. n. 8066.*

18 Igitur Iudex sic torquens Religiosum reum, debet ipse torqueri, secundum regulam *Baldi*, & aliorum; quia appellatione spreta, procedit (vt dictum est) vt particularis persona: & de facto infert Religioso reo vim, & quam maximè statum cedit clericalem; quamobrem in Canonis censuram sequitur euidenter eum incidere.

19 Ex his infero primo, quod in hoc casu appellatio ita manus Iudicis colligat, vt non sit expectandum, quod Iudex ad quem, inhibeat: ita

20 *Maranta vbi supra num. 21.* & eleganter *Catalianus Cotta in memorabilibus in verbo, appellatione interposita, Iason in lege prima columna 19. circa finem, digestis de officio eius, & in lege de Pupillo, §. si quis Riuos, ff. de noui operis nunciat.*

21 Secundò, quod Iudici Regulari volenti ad executionem procedere, appellatione proposita spreta, potest impunè reus resistere; Ita mirificè docet *Angelus in lege; addictos*, quem valdè celebrat *Baronensis caut. 6.* potest adhiberi *Fellinus in cap. quærenti de officio Delegati columna penult. post principium, Cotta vbi supra. verb. appellatione interposita nihil innoua, Lancellot. de attentatis 2. par. cap. 12. limit. 1. num. 91. & Franciscus Salgatus nouissimè de Regia protect. par. 2. cap. 1. num. 233. cum sequentibus*; hæc pauca sufficiant, prout ad præsens attinet.

CASVS VNDECIMVS, ET VLTIMVS.

Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.

DISPVTATIO XVIII ET VLTIMA.

De Religiosis, qui malitiosè impediunt, retardant, aut aperiunt Superiorum litteras.

QVAESTIO PRIMA.

An Religiosus, qui dumtaxat Superiorum aperit litteras, eas verò minimè legit, hunc casum incurrat reseruatum?

CAPVT VNICVM.

Referuntur duæ extremæ opiniones, & præponitur negatiua probabilior.

SVMMARIVM.

1 *Religiosi omnes, qui litteras Superiorum ad inferiores, & è contra, impediunt, ne perueniant, malitiosè, incurrunt hunc casum reseruatum.*

2 *Religiosus, qui dumtaxat litteras aperit Superioris, quamquam non legat incurrit hunc casum reseruatum, iuxta Coriolanum.*

3 *Non incurrere casum reseruatum, docet Grassius.*

4 *Sola litterarum apertio, solaque lectura non est sub hoc casu comprehensa.*

5 *Religiosus, qui Superioris Epistolam aperit animo eã legendi, sed posteà, mutato animo, eam non legit, &, vt ante erat, claudit; non incurrit hunc casum reseruatum.*

6 *Religiosus, qui Epistolam apertam in Superioris cella legit, non incurrit casum reseruatum.*

7 *Religiosus hunc casum incurrit reseruatum, qui retardat malitiosè, seu impedit constitutiones, aut litteras apertas, quæ ad conuentus diriguntur pro bono regimine.*

1 Circa verba Textus nihil occurrit notandum; verba enim sunt clarissima, scilicet, quòd hunc casum incurrunt Religiosi omnes, qui dolosè, & data opera, impediunt, ne litteræ Superiorum ad inferiores perueniant, & è contra inferiorum ad Superiores, ad quos diriguntur: & qui non impediunt, sed malitiosè dare retardant: & qui neutrum faciunt, sed aperiunt litteras, dissigillando, & posteà iterùm sigillant, & mittunt ad quos diriguntur. Ita *P. Suarez tom. 4. de Relig. lib. 2 c. 17.* super hunc casum, & *Coriolan. de casib. reseru. p. 2.* super hunc casum.

2 Quod enim vertitur in dubium est, an si Religiosus aperit dumtaxat litteras, incurrat hunc casum? Pater *Coriolanus vbi suprà* partem sequitur affirmantem. Ducitur, quia verba legis sunt clara, nempe *apertio litterarum*, nihil addens de lecturam. Quod adeò existimat Author iste verum, quòd si quis legat tales litteras absque eo quòd aperiat (vt sępè euenire contingit) lumine Solis legendo, vel candelæ, quando Character transparet, quia carta bibit, vel etiam si quis per latera nizzæ (vt italicè dici solet) introspicit, & legit; tunc enim quia non aperit, non incurrit hunc casum; cùm littera Textus Legis nihil de lectura dicat.

3 Ex opposito verò Pater *Iacobus Graffius* sustinet, talem Religiosum casum hunc non incurrere reseruatum, cuius hæc sunt verba; per solam aperturam non est casus reseruatus, *argumento in textu in cap. si quis in graui, §. si quis tabulas*: sic ille. Hæc autem negatiua sententia mihi probabilior videtur omnino sequenda, quam etiam sustinet noster *P. Fr. Ioannes à Trinitate de casibus reseruatis super duodecimum casum*, vbi ita ait: Etsi epistolam Prælati quis aperiret cum intentione legendi, sed posteaquàm aperuit, non lectam clauderet sicut antea; existimo, eius peccatum non esse reseruatum. Hæc ille.

Verùm hìc notanter doceo, non esse præcisè, & per se solitariè sumptam litterarum apertionem, nec solam lecturam absque apertione, sed coniunctum totum; hoc est, apertio litterarum, earumque lectura. Quòd si vna separetur ab altera, neutra erit peccatum reseruatum. Quòd enim sola apertio litterrarum absque lectura non sit reseruata; ex eo ostenditur, quia eo modo reseruatur apertio litterarum, quæ Superioribus mittuntur, quo intenditur à subditis aperientibus, atqui subditi non intendunt solam litterarum apertionem absqne lectura; igitur hæc solitaria non est reseruata. Minor, & consequentia sunt notæ. Maior quo ad secundam partem patet manifestè; quoniam non est credibile, quempiam velle Superiorum litteras aperire, nullo alio fine intento, præter quàm litterarum apertione; igitur eo fine videntur aperire; vt ea, quæ intus habentur comparare valeant; Igitur eo modo reseruatur apertio: & vt possint Superiores illam reseruare, est Summi Pontificis intentio. Vlteriùs sequitur, quòd si litterarũ apertio solitariè fiat, pro vt suprà explicat *Ioannes à Trinitate*, non erit censenda reseruata.

5 Hoc supposito, dico primò, Religiosum, qui Superioris epistolam aperuit, animo eam legendi, sed posteà Dei timore ductus illam legere noluit, &, vt antea erat, clausit; non incurrere casum reseruatum. Ita *Stephanus Quaranta in compendio Bullarij sub titulo casus reseruati nu 12, Ioannes à Trinitate vbi suprà, Portel in tract. de casib. reseruat. super hunc casum.* Hæc assertio optimè probatur ratione paulò superiùs efformata.

6 Dico secundò, non incurrere hunc casum reseruatum Religiosum illum, qui epistolam apertam in cella Superioris sumeret, & legeret: quia tunc non aperuit: ad casum autem incurrendum reseruatum simul requiritur litterarum apertio, & lectio. Ita *Ioannes à Trinitate*.

7 Sed quæres, an Religiosus, qui Superiorum constitutiones, aut alias litteras apertas, quæ ad Conuentus diriguntur pro bono regimine, aliquid ordinando faciendum, vel non faciendum, retardat malitiosè, seu impedit, hunc casum incurrat reseruatum? Respondeo, incurrere; quia talis retardatio cedit in damnum bonæ administrationis, & gubernationis. Ita *Ioannes à Trinitate vbi suprà*. Idem dicito de ruptione, & vstione litterarum; etenim si quis Superiorum litteras combureret, aut rumperet, hunc casum incurreret reseruatum; quia non solùm est malitiosum impedimentum, verùm etiam & (quod peius) includens nouam malitiam, eò quòd talis combustio, seu ruptio perniciosior est apertione, & retardatione.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum Religiosus sciens, quòd in epistola subditi ad Prælatum mittitur aliqua in ipsum grauis denunciatio, seu accusatio criminis: vel scit, in epistola Prælati aliquid præcipi contra seipsum, possit ipsam retardare, aperire, aut rumpere?

CAPVT VNICVM.

Author demonstrat, in quo euentu licitum erit subdito Superiorum litteras aperire, retinere, & scindere.

SVMMARIVM.

1 *Nonnumquam congruum est Religioso Superiorum litteras aperire, retinere, vel rumpere.*

2 *Religiosus hunc casum incurrit reseruatum, qui litteras retardat, aperit, vel rumpit, quæ continent veram denunciationem contra ipsum.*

1 Licitum erit Religioso, absque eo quòd casum hunc incurrat reseruatum, Superiorum litteras aperire, retinere, vel rumpere, quoties probabiliter cognouit, illas continere falsam sui denunciationem, accusationem, aut pœnam, qua plecti iubetur; quia tunc id non facit malitiosè, sed pro defensione propria; vtitur quippe iure suo naturali. Ad incurrendum hunc casum requiritur necessario, vt apertio litterarum, seu retardatio, detentio, vel ruptio sit peccaminosa, pro vt demonstrat verbum illud, *malitiosum impedimentum*, & annotauit *Pater Suarez, tom. 4. de Religion. lib. 2. cap. 18. num. 13.* ibi: Nam Verbum, malitiosum, non tantùm significat, fieri cum graui culpa, sed etiam fieri ex malitia, id est ex directa intentione impediendi effectum litterarum. Existimo etiam, illud verbum coniungendum esse etiam cum apertione litterarum; nam vt reseruata sit, oportet, vt ex malitia fiat. Hæc *Suarez*. Atqui Religiosus, qui in tali euentu

vtitur

vtitur iure suo, non aperit, neque retardat malitiosè; igitur non peccat, & consequenter incurrere casum hunc reseruatum non potest. Ita *Pater Portel in expositione Vndecimi Casus, & Ioannes à Trinitate vbi suprà.*

Hunc casum tamen incurreret reseruatum, quando litteræ, quas retardaret, rumperet, aut combureret, veram continerent denunciationem, aut accusationem, & supplicium, quo præciperetur se esse puniendum; quia tunc id iniustè, & malitiosè faceret; obstaret quippe bono operi subditi denunciationis, & Præfecti iustè punientis. Ita allegati Doctores, & *Pater Frater Martinus à Sancto Ioseph super casum decimum sextum.*

QVAESTIO TERTIA.

An dari possint aliqui casus, quibus subditi excusentur à peccato hoc reseruato?

CAPVT VNICVM.

Adducitur Doctrina Stephani Quaranta; & quid Pater Coriolanus senserit, & Author suum iudicium aperit?

SVMMARIVM.

1 *Referuntur casus, quibus Religiosi Superiorum litteras aperientes non incurrunt hunc casum reseruatum.*

2 *Coriolanus doctissimum Stephanum Quaranta impugnat.*

3 *Litteras aperire est iniustitiæ peccatum.*

4 *Superiores subditorum litteras aperire possunt.*

5 *Author defendit Stephanum Quaranta, & Coriolanum reprobat.*

6 *Religiosus non incurrit hunc casum reseruatum, qui bona fide Superiorum litteras aperit.*

7 *Detentio litterarum, ad hoc, vt sit reseruata, opus est, vt sit malitiosè facta.*

1 Stephanus Quaranta *in suo Compendio Bullarij titulo, Casus reseruati num.* 12. nonnullos excipit casus, quibus Religiosi Superiorum litteras aperientes in casum hunc non incidunt reseruatum. Inquit enim: Vt autem Religiosi propter impedimentum, retardationem, & apertionem litterarum incurrant casum reseruatum, necesse est, quòd manifestè sit peccatum mortale: esset autem tale, si eo animo aperiantur, vt nocumẽtum notabile proximo inferatur. Secundò, si illud eueniret sine tali intentione. Tertiò, eas proditoriè scribentes, aduersarios ostendendo. Non esset mortale in manifesto inimico mittentes, vel illius, cui mittuntur, iustè timentes per illas aliquod damnum sibi parari, vel dubitantes, ne aliquid in illis contra eum tractetur. Secundò, in reseruante eas, & illas bono fine impediente, scilicet ob præcauendum aliquod malum iniustum alteri per illas probabiliter inferendum. Tertiò, quando communiter tangeret ipsum, & tertium, ei illas manifestando. Quartò, etiam non esset mortale aperire litteras, quæ non sunt alicuius momenti, neque continent materiam grauem, sed leuem. Quintò, non incidit in casum reseruatum Religiosus malitiosè frãgens solùm illam cartulam, qua litteræ clauduntur, vel sigillum auferens, si sola ligatura sit dissoluta, nisi etiam fuerint lectæ; cùm simus in pœnalibus, in quibus fieri debet strictè interpretatio: *Bartholus in leg. si quis in graui, §. si quis tabulas, ff. ad Senatus in cap. cùm olim de officio Delegati.* Hactenus ille.

2 Quammaximè hæc doctrina displicet *Coriolano de casibus reseruatis par. 2. casu* 11. ideò in hunc modum eam impugnare conatur, primò; quia prædicta doctrina solùm habere potest locum in litteris, quas æquales ad se inuicem mittunt, & *Nauarrus, quem ipse sequitur in cap. Sacerdos de pœnitentia dist. 6.* nihil agit de litteris, quas Superiores ad inferiores mittunt, vel è contra, vt est videre apud eum. Vndè resolutè dicimus, quòd quotiescunque quis aperit, impedit, vel malitiosè retardat litteras Superiorum ad inferiores, & inferiorum ad Superiores missas, incidit in casum reseruatum: sic enim sonant verba Legislatoris, quia Summus Pontifex etiam potest id præcipere, scilicet; *malitiosum impedimentum, aut apertionem litterarum etc.* Quòd non habet locum in alijs litteris, quas inferiores ad se inuicem mittunt, cùm non habeant authoritatem id præcipiendi.

Secundò dico, quòd non est vera illa doctrina, quæ habetur in quinto suo notabili, quod nempè non incidit in casum reseruatum Religiosus malitiosè frangens solam illam cartulam, cum qua litteræ clauduntur, vel sigillum auferens, non tamen illas legens. Ratio est, quia in littera textus nulla fit mentio de lectura litteræ, sit benè mentio expressè de apertura, vt patet intuenti. Et confirmatur, quia cum tali apertura occasionem præbet ceteris, qui tales litteras sic apertas, seu dissigillatas repererint, illas legendi: quod nullo pacto est faciendum. Tertiò, quod omnino sunt animaduertendæ rationes, quas *Nauarrus in prædicto cap. Sacerdos,* ponit, ne litteræ aperiantur; & *Nauarrum* sequitur *Menoch. de arbitrar. indic. casu* 311. *num.* 12. *censura* 4. & nos hic libenter eas transcribimus, vt qui ad aperiendas litteras sunt propensi, per tales rationes reprimantur. sunt autem hac.

3 Prima, quia Regulariter omnis iniustitia est peccatum mortale, secundùm *Diuum Thomam 2.2. quæst. 59. art.* 4. receptum; At qui aperit litteras alienas peccatum iniustitię committit; tollit enim ius alterius, scilicet; aperiendo litteras, tam mittenti, quàm ei, cui mittuntur: tollit item custodiam, quæ vtrique illorum conuenit; facit etiam, quòd iuris gentium est, ne legati violentur, *cap. iuris Gentium dist.* 1. quia litteræ quidem legati muti, & inanimati sunt: adde, quod publicæ fidei expedit litterarum sigilla inuiolata esse: & quidem hoc certissimum est, si eo aperiat animo, vt notabile nocumentum ex eo proximo inferat;

inferat; certum quoque, si aperiat sine tali animo, si tamen nocumentū fiat: Addo ego quòd ex tali apertione litterarum multæ inquietitudines, perturbationesque, animi odia, rancores, & cetera huiusmodi mala oriuntur. Igitur consultius est, vt litteræ aliorum nunquam aperiantur.

4 Excipe ex dictis, Superiores, & omnes illos, quibus de iure competit aperire litteras inferiorum; quibus, sicut non intendimus adimere talem facultatem; sic, vt modestè ea vtantur, consulimus. Itaque rationes Domini Stephani prædicti, si quæ concludunt, habent locum tantum in litteris æqualium subditorum, qui non habent authoritatem præcipiendi contrarium. Hactenus *Pater Coriolanus*.

5 Atqui immeritò carpit Pater iste doctissimū virum Quarantam; etenim maxima ratione mouetur ad excipiendos illos casus, saltē nōnullos, quibus Religiosi subditi excusātur à peccato lethali; & præsertim quintum: nam paulò superiùs ostendimus, Religiosū qui aperit Superioris Epistolam absq; lectura, non incurrere casum hunc reseruatū, neque esse peccatum lethale retardare, aperire, seu impedire Superiorū litteras, quando iustè timet sibi aliquod damnū iniustè, vel alteri illaturas. Insuper nec esse mortiferum, si Religiosus bona fide, etiam imprudenter, & cum graui negligentia litteras aperiat Superiorum; vt *Pater Suarez loco citato* doctè & eleganter aduertit. Addo, non esse malitiosè impedire litteras Superiorum ad inferiores, & è contra missas, si malo animo non fiat, neque ex tali apertione aliquod sequatur damnum; cùm solùm curiositatis animo fiat, vt quamplures asserunt Doctores. Vndè infert *Ioannes à Trinitate vbi suprà num. 2.* retentionem litterarum non esse semper reseruatam; quoniam ad hoc, vt reseruata censeatur, oportet, quòd sit malitiosa; vt casus aduertit. Vndè inquit, si bona fide, & simplici animo retineantur, non committitur peccatum reseruatum: sicut nec reseruatur litterarum apertio, si fiat rationabiliter, existimans, quòd Prælatus id ferret libenter. In his igitur, & similibus, quos refert *Quaranta*, non videtur mortiferè peccare Religiosus. Solùm pro complemento huius casus essent declarandi; qui nomine Superiorum comprehenduntur. Et quoniam alibi suprà abundè explicauimus, non oportet hic iterùm repetere. Hæc dicta sufficiant pro casuum reseruatorum in Decreto Clementis Octaui contentorum explanatione, sub censura, & correctione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cui me toto animo, corde, ac viribus semper submitto.

L A V S D E O,

Beatissimæ Virgini Mariæ, sine labe peccati Originalis conceptæ, Seraphico nostro Patri Sanctissimo Francisco, ac Beatissimo Patri Sancto Antonio de Padua huius libri Patrono.

IVDICIVM

IVDICIVM
R. P. F. IVNIPERI A DREPANO

Sacræ Theologiæ Lectoris Generalis Siciliæ Prouinciæ Ordinis Nostri Patris Sancti Francisci de obseruantia Reformatorum Patris, ac Sanctissimi Domini Nostri Papæ Vrbani Octaui Cappellani Pœnitentiarij apud Lateranum de voto D Don Gabrielis Martinez in causa Burgen. nullitatis susceptionis ordinis Subdiaconatus.

PERILLVSTRIS, AC REVERENDISS. DOMINE.

QVid ipse de sententia, cui in prædicta nullitatis causa susceptionis subdiaconatus Ordinis firmiter adhæret doctus iste vir, senserim, duxi in disceptatione fore aperiẽdum. Nullo quippe alio accommodato methodo conuincendus venit, quàm disceptationis. Ducor adita conuincendum; quoniam sæpè nos carpit, aliosquè Sacros Theologiæ Doctores de Iuris Cœsarei, & Pontificij ignorantia (nescio quo fundamento) publicè arguit; quasi nostrum non esset, non solùm Diuinarum, verùm etiam humanarum legum essentias, naturasquè percurrere, ac pertractare. Et quidem altiori fine, vt fecerunt *Scotus, Sanctus Thomas, Alexander de Ales*, alijque antiquiores Theologi,& Moderniores omnino videndi,*Suarez,Vazquez,Salas,Araujus,Miranda*, & quamplures alij, quos omitto, vt in proœmio nostrarum disputationum pro iuris Pontificij defensione versiculo, verùm nemo me incuset,notauimus. Et certe omnia, quæ in hoc suo affirmat ingenioso voto ex Theologis transcribit, præsertim *Sanchez lib.7. de matrimonio disput. 29.* vbi examinat hanc difficultatem innumeris pro vtraq; parte vtriusq; facultatis adductis. Si igitur Patres Theologi ipsi maximè inseruiunt; quo iure, qua ratione tam immodestè eos pertractat? Vt verò imposterum comprehendat, nos acutius,& verius humanarum legum penetrare naturas, quàm nonnullos Ciuilistarum hoc pretendentes,qui dumtaxat sonum litterarum attendentes leges ipsas adulterant. Ad disputandum igitur descendo.

VTrum D. Stephanus de Angulo,qui ob metũ in virum constantem cadentem sacrum Subdiaconatus suscepit ordinem, ad perpetuam seruandam teneatur castitatem, ita vt nullo modo contrahere valeat matrimonium?

CAPVT PRIMVM.

Prima sententia cum suis fundamentis refertur.

NOnnulla, antequàm negatiuam afferamus sẽtentiam, vt certa veniunt supponenda. Primum, prædictum de Angulo per metum dumtaxat in constantem virum cadentem sacrum Subdiaconatus suscepisse ordinem. Secundum, huiusmodi metum esse clarè, & euidenter in processu probatum: & est secundus articulus, quem Doctor Martinez examinat, de quo nihil à nobis est dicendum. Tertium, talem metum minimè obstare,quin validè & verè subdiaconatus ordo ab eo fuerit susceptus, & consequenter ipsi impressus Character. Id quòd vno ore vtriusque facultatis fatentur Doctores,& Martinez nõ negat num. 5. ibi. Et sic dubitari non potest de legitima Characteris impressione.

His suppositis, docet prima sententia, (quam sustinendam suscepit Aduersarius)ad perpetuam Castitatem, ob Ordinis Sacri Subdiaconatus susceptionem per metum grauem in constantem virum cadentem incussum factam, non teneri seruandam. Qua propter dictus de Angulo omnino liberandus venit à Castitatis vinculo, ac proinde liberè & licitè potest contrahere Matrimonium. Sic Martinez in suo Voto numer 8. Quam sententiam docere videntur plures Doctores, *Glossa in cap. vbi, Verbo, honorem distinct.* 34.& ibi *Hugo, & Archidiacon.in fin.& Domin.ibi fin. Glossa in cap. Maiores §. vltimo, verbo, conditionaliter in fine de baptis. & D. Hosti.num.*38. *verbo, conditionaliter, & ibi Henric.num.7.fin.Calder.tit. qui Clerici cons.vnico in fine, Imol.cap.Ioan.num.21. de Cleric. coniug. & cap. Sac. num. 7. de his, quæ vi Card. d. cap.Maiores §. vltimo nu.1.quæst.1.Astens. summ.2.parte lib.6.tit.2. art.4.quæst.2.fin. Ioannes de Friburch.summ.confess.tit.de ętat.ordinand.quæst,* 50.& 51. *Petrus Rauen. in compendio iuris Canonici tit.de bapt. Rossel. ord.3.num.6. Angel ibidem num. fin. Rota in nouissimis parte prima decis.* 561. *num.*1, & *seqq.Præposit.distin.74.in summ. num.2. & Turrecrem. ibi in summ.art.2. ad fin. Nauarr.lib.3.cons. titulo de his, quæ vi cons.2. num.4. & seqq. & cons.3.num.2. & cons.4. num.1. ex Theologis Clauis Regia lib.6.cap.7.& num.20. Richard.in 4.sententiar. distinct.25. artic.4. quæst. 2. ad 3. Maioris. & idem dist.24 quæst.2.ad 5. Sotus ibidem distinct.25.quæst. 1.art.2. ad 3. versic. hinc autem emergit, Henriquez lib. 10. de sacram. ord. cap.14. num.3. & lib.10. d matrim.cap.5.num.9.in commento litter.Q. Sanchez*

lib.7.

lib.7. de Matrimon. disput.29.num.5. Coninch.disput. 20. de sacram. ord. dub. 14. num.115. Petrus de Ledesma de sacram. vbi de sacram. ord. cap.6. difficult. 3. d.2. Rodriquez tom.1. Summæ cap.214. num.5. & tom.2.cap.96. num.4.conclus.4. alter Ledesma de sacram.ord.dub.14.§.notare hic oportet, Emanuel Sà Verb.ord.num.24. & alios nonnullos citat, & sequitur Martinez. Rationibus verò existimat probare dictam sententiam. Et primò, quia omnis actus, in quo requiritur non solùm simplex voluntas, sed cum qualitate libertatis spontaneitas, si fiat coactè, siue per voluntatem coactam, non valet; iuxta *text.in cap. notificasti 33. quæst.5. vbi Glos. communiter recepta, verbo, licentiam*, quam commendat *Abbas in cap. cùm locum numer. 7. de sponsalib.* pro vt videmus in matrimonio, in quo requiritur ista voluntas spontanea, & libera *d. c. cùm locum cap.gem.de sponsalib.* quòd si fuerit metu contractum, est ipso iure nullum *cap. significauit de eo, qui duxit in vxorem. Glos. penult. in cap. veniens de sponsalib. & in elect. metu facta, quæ pariter est nulla cap. vbi periculum §. cæterum de elect. in 6.* & in dote metu constituta *leg. si mulier §. si dos ff. de eo, quod metu caus. in testam. metu condito leg. qui testam. §. vltim. ff. de testament.* Castitatis autem promissio de sui natura requirit qualitatem libertatis à coactione *cap. Prælatum de his quæ vi cap. ad aures de stat. qual. cap.1. distinct.31. cap. præsens 20 quæst.3. Glos. in dicto cap. vbi ista, verbo, honorem 84. distinct. & est voti, & non præcepti cap. integritas 32. quæst. 1. Innoc. communiter receptus in cap. vel non est compos. de tempor. ordin. Sanctus Thomas in 4. sentent. dist.25. quæst.3.* Continentia enim suaderi potest, sed non præcipi nolenti, vt in *dicto cap. integritas 32. quæst.1.* nam vt inquit Apost. prima Corinth. cap. 7. *de Virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do*; & inferiùs de viduis. *Beatior autem erit, si sic permanserit secundùm meum consilium*; & hanc rationem esse irrefragabilem dicit *Rota dicta dec. 561. num.7. parte 1. diuers.*

Secundò quia omne votum metu emissum est ipso iure nullum *cap. 1. de voto & ibi Glos. final.* communiter recepta. *Sanctus Thomas 2.2. quæst. 89. art. 5. & 7. ad 3.* Vndè quemadmodum non tenet votum castitatis expressum à coacto, siue metuente emissum; ita nec tacitum tenet, in quo omnino ratio obligationis in esse videtur, vel saltem par, & æqualis, non maior ad *legem expressa nocent ff. de Reg. Iur.* & benè considerat *Rota dicta decis.561. num.14.*

Et ita arguendo de voto expresso ad votum tacitum ordini annexum, tenet hanc sententiam in similibus terminis *Innocentius in dicto cap. vel non est compos num.1. de temp. ordin.* vbi dicit, quòd si puer, qui non sit doli capax, promoueatur ad Sacros ordines, sicut non potest se obligare expressè ad votum castitatis, ita nec tacitè; & propterea non tenetur continere, nec impeditur contrahere matrimonium, & *Innoc. secund. Hostiens.* ibi, & *Anchar. in Clem. final. in fine num. 9. de ætate, & qualitat. Nauarr. consil. 4. num. 4. de his, quæ vi*, vbi allegat *Sanct. Thomam*, & præclaram illius rationem *in 4. lib. sentent. distinct. 25. quæst. 2. artic. 1. Bonacin. de Matrim. quæst. 3. puncto 9. sub num. 14. & 15.* & in num. pro hac opinione cumulat *Sanchez de Matrimon. num. 7. disp.30. num. 3. 4. & 8.*

Ex quo patet, quòd non omnis ordinatio, & impressio Characteris Sacri Ordinis facit ordinatum inhabilem ad matrimonium: cùm aliàs infanti vnius diei, modò sit baptizatus, possit imprimi Character cuiuslibet ordinis sacri, vt per *Gulielm. de Monte Ladun in Clement. prima de ætat. & qualitat.* tenent alij, quos refert, & sequitur *Nauarr. dicto cap.4. num 4. & Campanil. diuers. iur. Canon. rubric.7. cap.3. num.8. & sequentibus*, & tamen talis infans non tenetur continere, ex superius dictis, & ex infrà dicendis à num. 29. & hæc ratio multum placuit Dominis de Rota.

Tertiò quia Castitas non est de substantia, & essentia ordinis Subdiaconatus. *Sanctus Thomas secunda secundæ quæst.88. artic.11.* & ex quamplurimis magni nominis Theologis, & Canonist. hanc sententiam defendunt *Sanchez dicto lib. 7. disput.27 num.4. & sequentibus Guttierez eod. tract. cap.94. num.11.* Sed tantùm est ex constitut. Ecclesi. vt disponitur in *Concilio Charthagin. 5. cap.3. relato in cap. placuit 32. dist.* vt per *Sanchez ibidem*. Et videmus, quòd quandoque Ecclesia dispensat super castitatem ordinato, vt de stylo Cancellariæ refert *Hieronym. Paul. in sua pract. fol.54. & de praxi in Cancell. Apostolic. Sarnen. in tract. breu.* quos allegat *Rota dicta decis. 561. num. 7. in fine*; etenim primitiuæ Ecclesiæ Subdiaconis licebat contrahere matrimonium, & post ordinis susceptionem anterioribus vti coniugijs, pro vt vtuntur hodie Græci, vt colligitur ex *Gregorio Magno lib. 1. Epistol. 42. & refert in cap. ante triennium cum alijs sequentibus distinct. 31.* fuit autem annexa continentia sacro ordini ex Institutione Syriaci anno 338. eamque postea confirmauit Innocentio I. anno 408. vt latè per *Campanil. diuers. iur. Can. rubric. 7. cap. 3. num. 11.* & propterea Doctores antiqui, vt *Archidiacon. Turrecrem. in cap. præsent. de probat.* docuere, quòd ordo per se inspectus non impedit matrimonium, sed constitutio Ecclesiæ facta ratione ordinis, vt refert, & sequitur *Rota dicta decis. 561. num.11.* Hactenus Martinez.

CAPVT SECVNDVM.

Prædicta sententia vt minus probabilis reijcitur.

Allata sententia quamquam innumeros videatur magni nominis habere defensores, quos paulò superiùs adduximus. Nihilominus eam non gaudere ea probabilitate, qua existimat Martinez certum est: nullo quippe, (si attentè, & funditus considerentur rationes, quibus nititur) robusto fulcitur fundamento. Omnia quippe, quæ confusè hinc inde ex Sanchio colligit Martinez, sunt valdè dubia, & in quæstionem

stionē vertuntur à Doctoribus tam Theologis, quàm Canonistis, vt ex infrà dicendis clarè patebit. Impugnari autem potest facillimè ex adductis per Aduersarios rationibus. Et primò: si enim Stephanus de Angulo ex suscepto sacro Subdiaconatus Ordine per metum in constantem virum cadentem sibi iniustè incussum à castitatis vinculo Ordini Sacro annexo esset liberandus, hoc maximè contingeret ex voti nullitate, quod, cùm initiatus fuit, emisit: atqui tale votum nullo iure est irritum; igitur minimè liberandus venit à vinculo castitatis, vt liberè cōtrahere possit matrimonium. Maior est certa, consequentia tenet, minor probatur; quia si esset irritum aliquo iure, profectò aut esset naturali, aut humano, sed nullo istorum; Igitur. Nō iure humano; quoniam solum votum solemne castitatis in Religione per metum grauem in constantem virum cadentem irritatur; vt eleganter aduertit *Vazquez 3. par. disp. 246. num. 34.* vbi affirmat *cap. Perlatum*, solùm de hoc loqui, *Suarez de Religione tom. 2. lib. 1. cap. 8. num. 6. & quamplures alij seq. capite citandi*. Neque iure naturæ, (hoc enim ostenso, remanet allata sententia omnino falsa, vt aduertit *Ægidius Conich. de Sacram. Ord. disp. 20. dub. 14. num. 145.*) assumptum ostendunt *Syluester verbo, metus quæst. 8. Soto in 4. distin. 29. art. 3. Suarez loco citato cap. 7. num. 12. Aragon. quæst. 88. art. 3. Henriquez de Matrimonio lib. 1. cap. 9. num. 13. Medina 1. 2. quæst. 60. art. 6.* Ex Iuristis *Cardinali in cap. Abbas de his, quæ vi, Calder. consil. 1. Nauarr. cap. 22. num. 51.* citari possunt etiam qui idem sentiunt de matrimonio, qui videri possunt apud *Sanchez lib. 4. de matrim. disput. 14. num. 2. in fine*. Probari autem potest efficaciter primò: quoniam nulla assignari potest naturalis ratio, quæ sufficienter persuadeat votum per metum grauem, atque iniuriosum extortum esse inualidum: atqui constans est, neminem affirmare posse actum inualidum iure naturæ absque ratione id ostendente, igitur. Hæc ratio solùm dilucidatione indiget, quam in hunc modum declaro.

Duo namque in modo extorquendi consensum circa votum veniunt ponderanda, atque attendenda. Primum, est ratio iniuriæ; secundum, est ratio inuoluntarij, quod ex illa resultat; (quæ duo primum Martinez petit argumentum;) atqui ex nullo istorum sumitur ratio, qua tale votum sit irritum; igitur. Primum patet; tum quia votum ex hominis actione iniuriosa indirectè extortum est validum, vt paulò infrà dicemus, & Doctores omnes (texte *Suarez loco citato*) docent; Tum quia Deus, cui fit votum, non est Auctor iniuriæ: & quamquam illam permittat, iure tamen ac meritò illam permittere potest etiam propter illum finem eliciendi ab homine voti consensum; Ergo iniuria, quæ ab homine infertur, impertinens est, vt votum quocumque modo Deo factum irritum censeatur: neque illa est sufficiens ratio, ob quam votum illud non acceptet; neque etiam propterea incommodum ex illa iniuriosa passione reputatur, quia habere votum, non est aliquid incommodum, vel nocumentum, per se loquendo, sed potius est maius animi bonum.

Confirmatur primò, quia si ratio iniuriæ ad hoc sufficeret, etiam si metus esset leuis, dummodò originaretur ex iniuria sufficienti ad peccatum mortale contra iustitiam, satis foret ad annullandum tale votum; consequens est falsum; ergò. Sequela est euidens, eamque concedit *Nauarr. cap. 17. num. 30. & cap. 22. num. 51. Sanchez dicto lib. 4. disp. 14. idem Nauarr. cons. 3. de his, quæ vi, & in cons. 9.* Falsitas autem consequentis ex iure efficaciter ostenditur, ex quò non reprobat vota etiam solemnia, metu leui facta; igitur signum euidens est, naturali iure non esse inualida; sequeretur quippe, opposito dato, hominem ad talia vota seruanda iniustè cogi. Neque valet si occurras, Ecclesiam in hoc procedere ex præsumptione; quoniam de qualitate metus satis potest constare, & de iniuria; Igitur si hoc sufficit ad irritandum ex natura rei, cur non in foro Ecclesiæ?

Confirmatur secundò; quia iuramentum per metum extortum ad confirmandam promissionem homini factam, validum est, & obligat propter reuerentiam Dei, iuxta *cap. debitor, & cap. si verò de iur. iur. cap. verum. P. Suarez tom. 2. de Religione lib. 2. de iuramento cap. 9. num. 3. & lib. primo de essentia, & honestate voti cap. 7. n. 14. Sanchez lib. 4. de matrimonio disput. 14. num. 2.* Et est communis Canonistarum, & Theologorum sententia, pro vt testatur *P. Suarez vbi suprà*; ergò etiam votum directè extortum per iniuriosam vim est validum propter Diuinam reuerentiam, non obstante hominis iniuria. Consequentia est euidens, eò quòd non minus spectat ad reuerentiam Dei, voti obseruantia, quam iuramentum; quia sicut iniuria ab homine facta in extorsione iuramenti non tollit, quominus Deus honoretur sui nominis obseruantia; ita etiam in voto non obstat, quominus Deus illud acceptet, & velit sibi fidem seruari.

Secunda pars de inuoluntario probari solet à nonnullis; quia hæc vis ab homine illata nullo modo cogit ad præbendum voluntatis consensum in voto, sed ad proferendum dumtaxat exteriùs promissionis verba; etenim hoc satis est ad periculum ab homine illatum euitandum: si ergo tunc adhibetur voluntatis propositum, illud est merè voluntarium.

Verùm hæc probatio non multum cogit; quoniam (vt eleganter aduertit *Pater Suarez loco suprà citato*) licèt hominis conatus inferentis vim per nuda vouentis promissionis verba votum eludere possit; nihilominus is, qui illa profert, non potest absque peccato, & mendacio illa proferre, non habens propositum vouendi, aut implendi promissum: igitur ex vi illius metus cogitur habere illud propositum, vt possit exteriorem promissionem verè, & absque peccato proferre. Hoc autem sufficit, vt minus

coactè,

coactè, & inuoluntariè habeat propositum, quàm proferat verba promissoria. Nam is, qui per metum cogitur ad habendum actum interiorem, vt possit sine peccato facere exteriorem, ad quem faciendum etiam cogitur; grauem violentiam moralem patitur (ex quo capite sufficit) & metum cadentem in constantem virum.

Concedendum igitur est, intercedere voluntarium ad mixtum alicui inuoluntario. Tamen, quia voluntas vouendi est absoluta, & efficax, displicentia verò voti est tantùm per voluntatem conditionatam, seu simplicem affectum, quem Theologi communiter velleitatem vocant; eam obrem tale votum simpliciter voluntarium censendum est. Nam homo, cùm est affectus duobus actibus, vel qualitatibus aliquo modo repugnantibus; illa simpliciter vincit, quę efficacior est: ad valorem autem voti sufficit voluntarium simpliciter, etiam si alioquin misceatur inuoluntarium secundùm quid; igitur ex hoc capite validum est tale votum.

Confirmatur; nam aliquando potest votum extorqueri per metum mortis directè emissum absque iniuria. Vt verbi gratia, si Maritus minetur Vxori adulterę mortem eo modo, quo iustè potest, nisi Religionem voueat, in quo casu (quantum attinet ad rationem voluntarij) non minus immiscetur inuoluntarium secundum quid voluntario simpliciter, quàm si comminatio illa iniuriosa esset, vt apertè constat: & nihilominus votum illud validum est. Nam & matrimonium iusto metu contractum validum esse, communior fert opinio, vt latè refert, & sequitur *Sanchez dicto lib. 4. disp. 13.* ergo à fortiori idem dicẽdum est de voto; ergo ob defectum voluntarij non est inualidum tale votum.

Secundo efficacius impugnatur rationibus ab Aduersarijs factis; quia castitas perpetuò seruanda non est de Ordinis sacri essentia, neque aliquã essentialem, aut naturalem (vt verbis Martinez loquar) habet cum Ordine sacro connexionem; Igitur votum castitatis ex eo quòd initiatus vi, & coactè in Ordinis susceptione emisit, est validum. Probatur consequentia; quoniam ista duo, votum Castitatis videlicet, & Ordinis sacri susceptio, ex Aduersariorum mente, realiter censentur distincta; igitur actus iniuriosus extorquendi votum super hoc non cadit, neque cadere potest per se, sed ad summum in obliquo, scilicet suprà Ordinis susceptionem; igitur votum est voluntariè emissum ac proinde validum. Consequentiam sic ostendo; quoniam metus grauis cadens in constantem virum eo modo incutitur, quo intenditur ab inferente: atqui in nostro casu, qui intulit vim, & metum solùm intentionem habuit extorquendi sacri Ordinis susceptionem, nihil cogitans de voto castitatis; igitur suprà Ordinis susceptionem cadit metus cadens in constantem virum, & non suprà votum castitatis.

Tertiò (& redit in idem) quando votum aliqua hominis iniuria extorquetur, si non cadit directè suprà votum, sed tantùm in obliquo; tale votum est per se validum, vt doctè docet *Suarez tom. 2. de Religion lib. 1. cap. 7. num. 8.* vbi dicit, esse communem Doctorum assertionem: atqui in nostro casu ex tacta ratione metus non cadit directè, sed tantùm in obliquo suprà votum; igitur tale votum est validum.

CAPVT TERTIVM.

Vera sententia statuitur.

VErius igitur sentiendum est, Stephanum Angulum, quem per metum grauem si Ordinem suscepisse sacrum cõstituamus, perpetuam teneri seruare castitatem: ac proinde contrahere non posse matrimonium: sic sentiunt *Goffred. & Hostiens. in cap. Maiores, §. vlt. Ioan. Andr. in dict. cap. in fin. de bapt. vbi Anton. §. vlt. num. 7. Abb. eodem §. num. 7. Cardin. in Clem. final. de ætat. & qualit. Alberic. in suo dictionar. litt. O, verbo, Ordinatus 1. vers. vnum coactè ordinatus, Raymund. in Summ. de ætat. & qualit. Ordin. Syluester verbo, Ordo 4. quæsito primo. Supplem. sum. Pisanæ verb. Ordin. 1. num. 6. Tabien. Ord. 2. fin. Armill. verbo, Ordin. num. 14. Rota in nouis par. 1. decis. 560. num. 7. & seqq. Gaet. repet. c. ad limina 30. quæst. 1 §. 3. quæst. 14. num 96.* ex Theolog. *Paludan. in 4. dist. 38. quæst. 3. art. 4. concl. 6. num. 28. Dinus Anton. 3. part. tit. 14. cap. 16. in fine, Sotus lib. 7. de iust. quæst. 2. art. 3. ad vlt. Basil. lib. 7. de . . . Vazquez 3. par. disput. 240. cap. 3.* cuius verba placuit hic ponere, quoniam citatum vidi pro parte opposita, ac proinde inquit, Votum ab Ordinato per metum emissum expresśè, vel interpretatiuè; etiam si solemne sit, firmum & ratum manere: Ideoque non minus obligare, quàm si sine metu fuisset emissum: & in hoc mihi probatur sententia Syluestri, & aliorum, quam priori loco retuli. Hactenus *Vazquez*.

Ostendi autem potest rationibus à Doctoribus hanc sententiam tenentibus factis. Et primò; quia obligatio castitatis tanquam accessorium est annexa Ordini sacro: atqui talis ipsa Ordinatio est satis voluntaria, vt verè suscipiat Ordinem; ergo etiam vt suscipiat istam obligationem; quia accessorium sequitur principale, *capit. accessor. de Regul. Iur. in 6. cap. tras. de const. l. Greg. t. ff. de legat. 1. l. perul. de legat. 2.* Huic Argumento respondens Martinez num. 19. ex *Sanchio loco citato num. 20.* ait, Regulam illam non valere, quando accessorium, & principale inter se non habent essentialem connexionem, vel sunt annexa secundùm necessariam consequentiam, siue indiuidua, in quibus fallit Regula, quòd vtile per inutile non vitiatur; aliàs non; vt in *cap. vtile de Regulis Iuris in 6. & docet Glossa ibi, & probat per cap. si quos 12. quæst. 2. & l. sancimus, C. de donat.* In proposito autem Subdiaconatus, & obligatio continentiæ non sunt essentialiter, siue naturaliter annexa, neq; iure naturæ, vel

Diuino

Diuino inseparabilia; sed iure tantùm humano, & positiuo Ecclesiastico separabiliter coniuncta; licèt enim Castitas sit cōnexa Ordini Sacro, non tamen est de substantia Ordinis Sacri, vt pulchrè declarat *Diuus Thom.2.2.quæst.88.art.11.* & benè etiam explicat, & defendit *Turrecr. in c. Diacon 27. distin.* Quamobrem per metum lex humana rescindit, & non diuina, licèt non impediatur effectus impositionis manuum Episcopi, ex qua resultat Sacramentum Ordinis, quod est diuinum; impeditur tamen comminatio, seu coniuratio continentiæ, quæ est humana, vt benè considerat Rota in sæpiùs allegatis *decis. 561. num. 13.*

Verùm hæc responsio non est digna viro docto; procedit quippe ex terminorum ignorantia: aliud namque est Ordo Sacer, quatenus Ordo est, seu nudè attentus, & aliud votum Castitatis in se consideratum. Etenim vt sic nullam inter se habent connexionem non solùm essentialem, seu naturalem, verùm nec accidentalem: sunt enim in genere entis valdè distincta, seu separata; nihilominus si considerentur quatenus subiacent Ecclesiastico præcepto, nimirum quia castitas connectitur Ordini sacro genere moris, & huiusmodi; connexio est ita essentialis, vt omnino inseparabilis censenda sit, & per consequens, licèt Castitatis votum dicamus accessorium, nihilominus tamen necessariò sequitur naturam illius, cui accidit. Iste discursus illustrari potest, exemplis in genere logico. Homo est Musicus; inter hominem, & Musicam nulla intercedit connexio; accidit enim homini, quòd sit Musicus. Ceterum si ponamus prædicatum inhærens subiecto, necessariò illi competit, & consequenter necessariam, & naturalem connexionem iudicamus inter subiectum, & prædicatum. Vt, si dicamus: homo Musicus quatenus Musicus, est essentialiter Musicus. Vel dum ambulo, necessariò ambulo: etenim, supposito formæ effectu, nimirum informatione, non potest (naturaliter loquendo) licèt contribuat suum effectum formalem, essentialiter non constituere hominem musicum, & ambulantem.

Ita ad propositum obligatio seruandæ Castitatis est quid accidentale Ordini sacro; supposito autem præcepto Diuino, seu Ecclesiastico, est ita intrinseca Ordinis Sacri rationi, vt vnum quid essentialiter constituant, & inseparabilia censeantur; & ita absolutè in genere entis non sunt hæc duo, nimirum votum Castitatis, & Ordo sacer, ex suppositione verò sunt essentialiter subordinata, & posteriùs necessariò necessitate consequentiæ sequitur primum. Hoc habito, sic impugnari potest: Præcepto Ecclesiastico, & fortasse Diuino Castitatis obligatio est Ordini sacro annexa; igitur essentialiter sequitur naturam ordinis: atqui Ordo sacer validè suscipitur ab eo, qui ob metum grauem initiatur; igitur & votum. Consequentia tenet, quia Castitas respectu Ordinis Sacri, quatenus præcepta essentialiter naturam Ordinis Sacri sequitur.

Dixi consultò, Diuino præcepto, eò quòd non desunt Authores magni nominis, qui docent, Castitatis obligationem sacro Ordini ex institutione Christi Domini esse annexam. Ita *Maior in 4. sententiar. dist. 24. quæst. 2. Clitoueus lib. de continentia Sacerdotali cap. 4. Vvaldensis lib. 2. de Sacram. cap. 128. & 129. & lib. 3. de sacramentalib. cap. 66. & 67.* Ex Modernioribus, *Turian. lib. 2. de iur. ord. Min. ecc. cap. 6. & lib. de Caract. dogmat. Michael Medina lib. 2. de contin. & seqq.* & alij, qui ex Sacræ Scripturæ locis, Patrũ que testimonijs ex professo ostendunt, quorum fundamenta in præsentiarum nostrum non est examinare; solùm duximus referre, vt intelligat Martinez, quòd in responsione nostri argumenti adducta non sunt certa, quinimò valdè dubia.

Secundò, quoniam non minus libera voluntas ex eodem Martinez requiritur ad validitatem Matrimonij, quàm ad Voti Castitatis in Ordinis Sacri susceptione emissi; atqui matrimonium celebratum ob metum grauem, omni iure Ecclesiastico excluso, non est irritum; ergo neque votum Castitatis emissum ab eo, qui Sacrum Ordinem coactè suscepit. Minor probatur tum ex in Superiori *capit. dictis*; tùm quia non minus libera est voluntas coacta per iniuriam metus mortis iniustè incussi, quàm voluntas eodem metu coacta citra iniuriam à causis liberis, vel naturalibus; cùm etiam in hoc casu non omnino velit, sed ad illud euitandum periculum; vt cùm quis tempestatis tempore ne naufragium patiatur, merces in mare proijcit: Sed huius libertatis defectus non irritat matrimonium, vt eleganter docuit *Sanchez lib. 4. de Matrimonio disputat. 12.* igitur neque defectus libertatis, quando metus incutitur iniuriosè ad extorquendum Matrimonium. Dixi notanter, iure Ecclesiastico excluso; nam matrimoniũ sic celebratum non est in se, & secundùm sui naturam inualidum, sed solo iure Ecclesiastico; Igitur si nullum ius Ecclesiasticum assignari potest, quo tale votum sit irritum, certè validum est.

Tertiò probatur, quoniam Baptismus in adultis exigit ad eius valorem voluntatem, & intentionem suscipientis; & nihilominus voluntas metu graui coacta satis est ad eius valorem *cap. maior. de baptism. & cap. de Iudęis 45. dist.* ergo similiter sat est voluntas, seu consensus coactus ad validitatem voti emissi in susceptione Ordinis Sacri.

Quartò, aliqua existente iusta, ac rationabili causa, possunt Episcopi sub pœna excommunicationis cogere Laicos, vt ordines suscipiant sacros, in quo casu illud constans est, eos ad perpetuam teneri castitatem seruandam: atqui talis coactio non paruum metum in constantem virum inducit, vt communiter docent *Ioannes Andreas in cap. cum dilectus numer. 3. de his, quæ vi, vbi Antonius num. 13. Anchar. num. 7. Cardinal. num. 3. quæstione prima Imol. numer. 8.*

Abbas

Abbas num. 6. item Abbas in cap. olim in 3. de restitut. spoliat. num. 10. Domin in cap. 1. de sentent. excommunicat. num. 7. vbi Francus numer. 2. idem Francus in cap. Vnico numer. 2. de his, quæ vi in 6. Roman. consil. 369. num. 10. Socin. sen. cap. Sacris numer. 505. versic. circa 23. quæst. principalem de sentent. excommunicat. Gig. de pens. quæstione 36. Milles. in repert. verbo, iustus metus, Franciscus de Platea de excommunic. §. 46. num. 10. Philipp. prob. add. ad Monac. rubric. de renunt. in 6. numer. 21. Rosell. excommunicat. 1. casu 29. num. 12. Angelus verbo, metus num. 4. Sylvester ibidem quæsit. quinto, Tabien. quæsit. primo num. 2. Couarr. 4. decretal. 2. parte cap. 3. §. 4. nu. 12. Villalobos in communib, opinion. littera M. verb. Metus numer. 70. Luc. institut. maiorat. lib. 5. tit. 12. num. 173. Padill. leg. interpositas numer. 14. Codic. de translat. Mascard. de probat. conclus. 1505. num. 50. Bursat. cons. 72. num. 54. volum. primo Flamin. de resignat. benefic. lib. 1. quæst. 13. num. 134. Hugolin. de censur. tab. 2. cap. 24. in princip. num. 1. Palat. in 4. distinct. 29. disputat. 1. Henriquez de Matrimon. cap. 40. §. iam ex prædictis; igitur coactio, siue consensus coactus suscipiendi sacrum ordinem non efficit, quin votum castitatis sit validum. Consequentia tenet, maiorem propositionem docent *Oscedus de incompatibili benefic. 2. parte cap. 9. num. vltimo libert. de Iure patr. lib. 2. artic. 18. quæstione 7. num. 6. versic. fallit. 3. Vallasc. allegat. 2. num. 13. vbi citat textum in cap. placuit & cap. consuluit distinct. 74. Goffred. in summ. tit. de ætate, & qualitate numer. 10. & sequentibus Henriquez de Sacram. ordin. cap. 4. num. 13. Acunna in prima parte decreti 4. in cap. nouamus distinct. 60. num. 3. & cap. gest. dist. 74. & facit Trident. sess. 23. de reformat. cap. 17. in fine.*

CAPVT QVARTVM.

Fundamenta contrariæ sententiæ dilluuntur.

SVperest; vt aduersariorum fundamenta in primo Capite posita soluamus. Ad primum respondeo, actum ex se, & sui natura libertatem voluntatis requirentem, si extorqueatur per simplicem, & absolutam coactionem, non valere. Si autem coactio non fuerit absoluta, sed secundum quid, tunc censetur validus, & firmus; vt quando voluntarium intenditur simpliciter, licet admisceatur alicui inuoluntario: vt præcedenti Capitulo cum *Patre Suarez* annotauimus; quod satis est ad validitatem voti, & cuiusuis actus humani. Et sic intelligenda est *Glossa in cap. notificasti*, quæ si rectè ponderetur, aliud probat, quàm intendit Martinez.

Ad illud de Matrimonio respondeo primò, admittendo, matrimonium per metum extortum esse inualidum, sed ex inde non licet inferre, ergo & votum Castitatis Ordini Sacro annexum. Ratio disparitatis est, quia licèt tale matrimonium in se, & secundùm sui naturam consideratum sit validum, iure tamen Ecclesiastico irritatur; secus verò votum, vt paulò inferiùs dicemus. Respondeo secundò, non esse omnino eandem rationem de matrimonio, & voto annexo Ordini; quia matrimonium est contractus humanus, vndè si fiet per iniuriosum metum, saltem ratione iniuriæ potest videri irritum, quia iniuria inter homines videtur esse sufficiens ad inualidandos contractus inter eosdem. Item matrimonium est vinculum perpetuum, habetque alia sibi onera magni ponderis annexa, ratione quorum fortaßè ex natura rei postulat liberam, & absolutam libertatem, quam necessariam non cognoscimus in voto, vt sentit *Paludanus in 4. distinct. 38. quæst. 1. quem cæteri sequuntur. Sot. lib. 7. de iustitia & iur. quæst. 1. art. 2. Sylvester verbo, iuramentum num. 4. votum 2. quæst. 13. Idem Angelus, & alij Summistæ, Nauarr. cap. 11. num. 24. & 25. Sanct. Antonin. secunda parte tit. 11. cap. 2. Sumiturque ex Glossa prima in cap. mulier 32. quæst. 2.* quatenus dicit, eum qui potest se obligare Diabolo, posse etiam obligare se Deo. Et idem habet *Glossa 20 quæstione prima in principio, Panormit. in cap. sicut ex litter. de iur. iur. numer. 2. Vbi Felyn. num. 3. inclinat Ioan. Andr. in cap. dudum de conuers. coniug.* Respondeo tertiò, cap. cùm locum de sponsalib. allegatum per Martinez, necessariò esse cum debita proportione & moderamine intelligendum, quia manifestum est, verum consensum habere locum, etiam si per metum extortus sit, vt patet de consensu in peccato, etiam si ex metu detur; quia voluntas coacta voluntas est. Igitur si de consensu vero absolutè intelligatur, oportet exponi quo ad morale periculum, vel regulariter loquendo, atque adeò secundùm præsumptionem iuris non habere locum consensum, vbi adest metus: quia qui operatur ex metu facilè fingit exteriùs; cùm interiùs non consentiat. Et ideò qui dicit, se matrimonio non consensisse, sed contraxisse, quia metu coactus fuit; si probat metum sufficienter tempore conuenienti, consequenter probare censetur defectum consensus iuxta cap. considerationi §. sanè de sponsalibus, & fortaßè inter alias causas propterea irrita sunt matrimonia metu facta, quia morale periculum erat, facta esse sine vllo consensu: & ideò Ecclesia non poterat conuenienter cogere quemquam ad tale matrimonium obseruandum. Vel aliter (iuxta communiorem intellectum) exponi potest dictum, cap. vbi inest metus, non habere locum consensum omnino voluntarium, ac plenè liberum, qualem Ecclesia in matrimonio postulat; inde autem non fit, similem consensum esse necessarium ex natura rei ad valorem voti.

Ad illud autem de electione respondeo, quòd non iuuat pro aduersarijs, quoniam electio in se metu extorta est valida; irritatur autem iure Canonico. Idem dicendum est de testamento, & de dote, quia illa inualida sunt ex iure Cæsareo; at votum Ordini Sacro annexum emissum

sum per metum nullo iure irritatur.

Ad minorem propositionem, quæ subsumitur à Martinez, respondeo, ad castitatis promissionem sufficere libertatem, quæ requiritur ad validitatem actus humani; eo modo, quo paulò superiùs declarauimus. Neque *cap. Perlatum de his, quæ vi*, aliud decernit; solùm ibi declarat Summus Pontifex, votum sollemne castitatis ex vi professionis emissum in Religione per metum grauem esse irritum, vt patet ex illis verbis: *Si probatum fuisset, non ab timorem mortis Religionem intrasse*; & ex toto contextu, & communi intelligentia *Innoc. Panormit.* & aliorum ibi. Idem *Panormitanus in cap. sicut nobis de Regular.* Et quamquam ibi addat, quòd illa decisio potest generaliter adduci ad validitatem, vel inualiditatem cuiuslibet voti, nihilominus hoc gratis, & sine vlla probatione dicit; vt eleganter *Pater Suarez tom. 2. de Religion. lib. 1. cap. 8. num. 6.* aduertit, & contra generales regulas; quòd argumentum à simili in huiusmodi re adeò graui, non est validum. Ita quoque sentit *Vazquez tertia parte disput. 246. cap. 3. num. 35.* Maximè quia est extensio in materia odiosa, & potiùs restringenda.

Ad illud verò *Diui Pauli Prima Corinth. cap. 7.* respondeo esse ridiculosum, & non benè adductum; etenim Diuus Paulus absolutè, & simpliciter ibi loquitur, & certè virginitatem, & castitatem non cadere sub præcepto; sub conditione autem præcipi potest; quia volita conditione, quæ præcipitur, intelligitur liberè & voluntariè esse volitum illud, quod cadit sub conditione; cùm igitur Ecclesia præcipiat votum Castitatis emittendum ab eo, qui vult Sacris initiari, non cogit, neque præcipit absolutè, sed tantùm sub conditione, quæ manet sub imperio liberi arbitrij illius.

Ad secundum respondeo, negando assumptum; nam falsum est, omnia vota metu facta esse ipso iure irrita, nullo enim iure probari potest, excepto voto Castitatis in Religione solemniter emisso huiusmodi vota esse irrita. Ita docuerunt *Cardinal. in cap. Abbas de his, quæ vi*; vbi dicit, nullo iure probari, vota omnia metu facta esse irrita, & sequitur *Syluester* suprà; affirmans nullibi authenticè legi; item votum secundo *quæsit. 12. & iuramentum 7. quæsito 7. Calder. in consil. 1. qui Clerici vel vouent, Pater Suarez vbi suprà cap. 8. num. 5. Vazquez loco citato.* Ad illud autem, quòd adducit de puero, qui promoueatur ad Sacros Ordines, dum non est doli capax, certè non est ad propositum. Et ratio est, quia puer ille nullum præstat consensum; quamobrem dicendum est, non teneri seruare Castitatem Ordini Sacro annexam; cœterum ille, qui per metum ordinatur, præstat sufficientem consensum ad voti validitatem. Item Authores, qui docent, huiusmodi Puerum, cùm peruenerit ad ætatem conuenientem, posse obligari ad Castitatem seruandam, absolutè negarent exemplum, & consequentiam ex eo deductam.

Ad tertium patet ex dictis, nàm licèt Castitas non sit de essentia Ordinis Subdiaconatus absolutè, est tamen de intrinseca eius ratione ex suppositione; vt ex cap. præcedenti probauimus. Concedo tamen, votum castitatis ex præcepto Ecclesiæ esse Ordini Sacro annexum, sed nego de tempore primitiuæ Ecclesiæ licuisse Subdiaconis contrahere matrimonium; quin immò temporibus Apostolorum semper in Ecclesia Dei obseruatum fuit, vt post Ordinem Sacrum susceptum nullus accipiat vxorem; vt rectè ostendit *Pater Suarez tom. 3. de Religione lib. 9. cap. 13.* neque ex Epistola Gregorij oppositum colligitur, vt putat Martinez, si rectè ponderentur verba illius relata *in cap. ante triennium dist. 31.* Vbi ita scribit. Ante triennium Subdiaconi omnium Ecclesiarum Siciliæ prohibiti fuerant, vt more Romanæ Ecclesiæ nullatenus suis vxoribus miscerentur; quod mihi durum, atque incompetens videtur, vt qui vsum eiusdem continentiæ non inuenit, neque castitatem ante promisit, compellatur à sua vxore separari, atque per hoc (quòd absit) fieri, vt deterius cadat. Quæ verba certè statuere videntur quòd Martinez intendit; subsequentia verò aliud indicant. Etenim Diuus Gregorius post prædicta verba sic scribit. Vndè mihi vt à præsenti die Episcopis omnibus dicatur, vt nullum facere Subdiaconum præsumant, nisi qui se victurum castè promiserit, & præterita mala, quæ proposito mentis appetitu non sunt, violenter non exigantur, & futura mala cautè caueantur. Ex quibus verbis colligo, quod antea Subdiaconis fiebat, minimè licuisse; hoc est, cum vxoribus misceri, quamuis castitatem non promisissent, leuius tamen puniendus esset hoc malum. Verbum autem, exigere, non pro eo, quod est requirere, sed pro eo, quod est punire vsurpandum est; ac si dicat Gregorius, non esse hæc mala incontinentiæ grauius punienda, ne maius malum aliquod accidat; ne scilicet nimia tristitia ordini renuncient, & se vitæ laicæ, & profanæ omnino dent.

Vndè fit, quòd testimonium Syriaci non rectè est per Martinez adductum; etenim Syriacus non præcepit castitatem seruandam ab ijs, qui sacris initiantur, sed illam supponit præceptam etiam temporibus Apostolorum. In Epistola enim prima, quæ est ad Imerium Tarraconensem Episcopum capit. 7. vbi postquàm Summus Pontifex amarè deplorauit, quòd in illis Prouincijs multi Sacerdotes non solùm de proprijs vxoribus, sed etiam de turpi coitu sobolem dicerentur procreasse: & contra eos adducit præceptum legis antiquæ, secundùm quam Sacerdotes tempore vicis suæ ab vxoribus separati esse debebant, nec cum illis commercium habere posse, subiungit. Vndè & Dominus Iesus, cùm nos suo illustrasset aduentu, in Euan-

Euangelio protestatur; quia legem venit implere, non soluere. Et ideò Ecclesiam, cuius sponsus est speciosus forma, castitatis voluit splendore radiare, vt in Die Iudicij cùm rursùs aduenerit; sine macula & ruga eam possit (sicut per Apostolum suum instituit) reperire: Quarum sanctionum Sacerdotes omnes, atque Leuitæ insolubili lege constringimur, vt à die Ordinationis nostræ sobrietati ac pudicitiæ & corda nostra mancipemus, & corpora; dummodò per omnia Deo nostro in his, quæ quotidie offerimus sacrificijs, placeamus, hæc Syriacus.

Quòd verò è temporibus Apostolorum semper viguerit Castitatis obseruantia Ordini annexa, ostendi potest testimonio *Concilij secundi Carthaginens. Canon.* 2. & refertur *in cap. cùm in præterito* 84. *dist.* Vbi Aurelius Episcop. dixit; cùm in præterito concilio de continentia, & castitatis moderamine tractaretur; gradus isti tres conscriptione quadam Castitatis per consecrationem annexi sunt, Episcopos (inquam) Presbyteros, & Diaconos, ita placuit, vt cùm decet Sacrosanctos Antistites, & ei Sacerdotes, neque non & Leuitas, vel qui Sacramentis Diuinis inseruiunt, continentes esse in omnibus, quò possint simpliciter quod à Deo postulant, impetrare: vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque studeamus. Hæc pauca sufficiant in præsenti difficultate.

LAVS DEO, &c.

INDEX RERVM NOTABILIVM.

QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

Primus numerus partem significat. Secundus disputationem. Tertius quæstionem. Quartus caput. Quintus numerum capitis. Et quia habet tres partes, & secunda pars in duas diuiditur; ideo istæ citantur sub hoc nomine prima secundæ, secunda secundæ.

Futurorum cognitio

Gregorius XIII.

Guardianus

Gubernium, seu Gubernatio

Habens

Habitus

Hæreticus

Homicidium

Honor

Imagines

Incantatio

Idem

Pactum

Præ-

Eandem

Alij

Reseruatio

Textus

F I N I S.

6-4